E. 4

ALFONSI

SALMERONIS

TOLETANI.

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

COMMENTARII IN EVANgelicam Hiſtoriam, & in Acta Apoſtolorum.

TOMVS QVINTVS,

DE SERMONE DOMINI NOſtri Ieſu Chriſti in Monte.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE.
Apud Antonium Hierat, & Ioannem Gymnicum, ſub Monocerote.

ANNO M. DC. XII.

Cum gratia & Priuileg. Sacræ Cæſar. Maieſt.

Licentia R. P. Viſitatoris.

STephanus de Oieda, Viſitator Societatis Ieſu, in prouintia Toletana, poteſtate ad id mihi facta à referendo admodum patre Claudio Aquauiua, Præpoſito noſtro Generali, facultatem concedo, vt quintus tomus *De Sermone Domini noſtri Ieſu Chriſti in Monte*, quem compoſuit pater Alfonſus Salmeron, vnus de primis patribus Societatis Ieſu, typis mandetur; quia iam diſcuſſus eſt & approbatus à viris doctis & grauibus noſtræ Societatis. In cuius rei fidem has literas dedi meo nomine ſubſcriptas, & mei officij ſigillo munitas. Madriti, nona die menſis Februarij, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono.

Stephanus de Oiedà.

Approbatio.

EVOLVI diligenter, & accuratè perlegi, iuſſu ſupremi Senatus Regij, librum quintum commẽdariorum in ſacro ſancta Ieſu Chriſti Euangelia, qui Sermonem Domini in Monte ad Diſcipulos & ad turbas habitum latè exponit, compoſitum à reuerẽdo & ſapientiſſimo patre Alfonſo Salmerone Societatis Ieſu, vno ex primis decem Patribus eiuſdem Societatis. In quo libro nihil reperi, quod catholicæ Fidei, aut ſanctæ Romanæ Eccleſiæ decretis, aut bonis moribus repugnaret: imò verò ita piè, ita doctè, ita dilucidè omnia tractat, vt propter eximiam vtilitatem, quam legentibus hic liber allaturus eſt, meritò in lucem proditurus eſſe videatur. Videas autorem vbique bonum Chriſti odorem ſpirare, & magnam animi pietatem cum ſumma doctrinæ laude coniungere: itaque dignus eſt liber, qui prelo mandetur. Dat. Madriti, in noſtro conuentu B. Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum, quinto Kalendas Aprilis, ann. Domini 1599.

F. Ioannes Temporal. Magiſter & Commend.

PRAEFA-

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

Heſio.

MOMVS ille decantatus apud Gentes Deus, vt antiquus & celebris poëta tradidit Heſiodus; ex parentibus Somno & Nocte progenitus, cum diis ipſis immortalibus in cælo obtrectaret, mordendique finem nullum imponeret; iratus Iupiter, eum de cælo deturbauit in terram: vbi Inuidiam in Matrimonium duxiſſe ſcribitur: breuiq; tempore filiis & nepotibus totum terrarum orbem repleuit: qui vbique & linguis dicacibus, & factis contumelioſis, & ſatyricis ſcriptis, ingenium parentum ſuorum referentes, omnia omnium hominum facta & exercitia arrodebant, vellicabant, atque proſcindebant: quare cùm pacem communem perturbarent; cùm ex verbis ad iurgia & rixas, & interdum ad manus bello conſerendas neceſſariò veniendum eſſet, neque vlla Reipublicæ forma, aut hominum conſociatio vel coaleſcere, vel conſtare poſſet, propter inſolentiam, & ad iniurias inſerendas libidinem atque pronitatem: tandem neceſſarium fuit leges condere in antidotum, quæ bonos, ſi qui ſunt, tuerentur; improbos vero, quorum infinitus eſt numerus, ſuppliciorum metu, & cruciatuum magnitudine, ab Iniuriis ac delictis auocarent ac perterreſacerent. Ex quo enim leges vim obtinuerunt, artes omnes, quæ animo vel manu, vel vtriſque exercentur, coli, & in pretio haberi cœptæ ſunt; tum cœtus hominum in oppida, ciuitates, & Reſpublicas, & in regna florentiſſima conuenire potuerunt, robur ſuum ac vim legibus obtinentibus, & vbique dominantibus.

Momi cuiuſdam mordaciſſimi infelix exitus.

Legũ neceſſitas humanarum oſtenditur.

Cicero. pro Milone. ſub initium.

Quòd ſi obiicias ſcitam illam ſententiam Ciceronis: *Silent leges inter arma*: verum eſt; ſed non omnes: ſi enim cunctas de medio tollas, vbi erit diſciplina militaris, quæ tota legibus ſeueriſſimis, obedientiamq; exigentibus conſtat? Penes Feciales olim apud Romanos ius erat indicendi bellum, vel pacis conditiones admittendi; milites lege & Sacramento obſtringebantur: præmia legibus viris fortibus proponebantur; pœnis ignaui plectebantur: victores victis leges imponebant: atque adeò legum imperium latè patet, vt piratæ, ſeu latrones ſine legibus viuere minimè queant. Sed cùm legibus conſtitutis, poſſent quidem homines à peccatis publicam pacem perturbantibus, ex parte aliqua arceri (non tamen ab his, quæ ſecretò fiunt; quæ interdum non ſunt ipſis manifeſtis delictis deſormitate, & grauitate inferiora) vel à mala voluntate, improbisque nocendi cupiditatibus reuocari: opus fuit, illos, dum in tenebris verſarentur, religionem aliquam & deorum cultum excogitare, à quibus leges ortæ atque profectæ, populo proponerentur, vt illorum metu, quorum oculis vniuerſa hominum ſcelera atque flagitia aperta & nuda ſunt, quoſq; vindices futuros omnium malefactorum, etiam poſt mortem intelligerent; ſeditioſorum hominum atque improborum ſtudia, noxiæque cupiditates comprimerentur. Semper enim perſuaſiſſimum etiam Gentibus fuit, Deos noſtris peccatis offendi, illorumque ſeueros vindices futoros: ex quo ſapiens quidam eorum dixit:

Si, vt ille dixit, Silent leges inter arma, quam tandem ſunt illæ neceſſariæ?

Legũ neceſſitatis in militia exemplum apud Romanos.

Leges vnde profectæ.

Horatius lib. 1. ode 3.

neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Iouem ponere fulmina;

& alter:

Ouid.lib.2. triſt.in init.

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Iuppiter; exiguo tempore inermis erit.

Legum defectus humanarum cauſa. *De lege naturali Philoſophi quam honorificè & ſentiant, & loquantur.* *Clemens ſtromat.lib.1.* *Cic.lib.2.De legi.* *Legis naturalis efficacia.*

Quoniam verò in religione tradēda, lumine diuino deſtituti, craſsiſſimè hallucinabantur homines, & quiſq; ſibi proprios ac peculiares Deos colendos confingebat; rectumque finem, in quo ſumma felicitas duntaxat ſita eſſet, agnoſcere non poterant; hinc factum eſt, vt omnes eorum leges, & inſtituendæ vitæ præcepta, in quam plurimis peccaſſe deprehendantur: quanquàm viri eloquentia, ſapientiamque conſpicui, legem tanquam inuentum Deorum celebrauerint, atque magnis laudum præconiis extulerint: Pindarus enim, teſtimonio Platonis ſapientiſsimus, *Lex*, inquit, *omnium mortalium atq; immortalium Rex exiſtit*; Demoſthenes verò eloquentiſsimus: *καὶ τῦτό ἐϛιν νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων*; Cicero verò ſic loquitur: *Hanc igitur, video ſapientiſsimorum fuiſſe ſententiam: Legem neque hominum ingenijs excogitatam, neque ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod vniuerſum mundum regeret imperandi probibendiq; ſapientia*: ac paulò pòſt: *Erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto auocans: quæ non tum denique incipit lex eſſe, cùm ſcripta eſt, ſed tum, cùm orta eſt: orta autem ſimul eſt cum mente diuina: quamobrem lex vera atque Princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis.* Hæc illi, de lege naturali, & homini à principio indita loquentes quæ cùm paullatim peccatorum magnitudine atque immanitate obſcurari cœpiſſet, & vix pro lege agnoſceretur, Deus, pro ſua incomparabili bonitate, Iudæis quidem de lege per Moſen data proſpexit: Gentibus verò per varios atque diuerſos, eoſque ſapientiſsimos legum latores, quos tanto lumine illuſtrare dignatus eſt, vt ipſum ius naturæ, & quid ratio in ſingulis hominum controuerſiis, ad vitam cum pace & concordia traducendam præſcriberet, acutè, perſpicaciterque & agnoſcerent, & coniectarent, ſanctèque ac fortiter ſtatuerent, leges iuſtas, & populo accommodas ſanciendo. Verùm cùm lex illa Moyſi imperfecta eſſet in nonnullis, & aliquando perficiendam ſe fore vaticiniis ſuis ſignificaret; leges verò hominum prudentia excogitatæ, tantùm ad humana hæc & externa reſpicerent; magiſque cauerent, ne iniuriæ, aliaque delicta in proximum fierent; quàm ad virtutem impellerent, vel germanum Dei cultum, vel ſui ipſius veram ac ſalutarem cognitionem porrigerent, præſentiaque tantùm ſpectarent: ſingulari Dei munificentia factum eſt, vt Ieſus tandem veniret, qui leges ſanctiſsimas, iuſtiſsimas, & ad perficiendos in vtroque homine cultores ſuos in primis aptas, quarumque lumine officia tum Deo, tum proximo, ac ſibi ipſis debita, agnoſcerent penitus & perſentiſcerent; viresque ad illa præſtanda accipere promererentur, ſuo tempore, & loco, magnaque cum ſapientia, atque hominum vtilitate tulit, atque conſtituit: mirabilique & prorſus inaudita ratione per homines contemptos, pauperes, imperitos, ac Galilæos (paucos ſcilicet Apoſtolos) eas promulgari viua voce toti mundo voluit: nam etſi leges à legendo dicantur, vt quidam volunt; quòd æreis tabulis inſculptæ, legendæ proponerentur populo: vnde ille dixit:

Moſaicæ legis Iudæis, humanarũq; aliis gentibus tradēdarum cauſa. Earũdem legum defectus. *Cur neceſſaria fuerit lex Euangelica.* *Quinam fuerint eius legis præcones. Leges vnde dictæ.*

Ouid.lib.1. Metamor.

Nec verba minantia fixo
Aere legebantur.

Exod 31. & infra.34. *Hiere 31. Hebr.8.* *Geneſ.4.* *Cur ſcripta prius in humanis cordibus, quàm in tabulis lex fuerit Euangelica.* *Propoſitum autoris in hoc libro.*

Qua ratione Moyſes Decalogum tabulis lapideis inciſum accepit, quod ad æternitatem leges ſuas, vtpote præſtantiores, meliori ære, & ſolidiori marmore inſcribi, ibique eas legi voluit: de quo per Prophetam ſcriptum erat: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Cùm ergo prius leges humanæ extra legerentur, poſtea verò cordi, & memoriæ commēdarentur: Chriſtus tamen contraria ratione, priùs leges prædicando ſuas, cordibus hominum inſculpi decreuit, deinde verò afflatu ſuo diuino atque cœleſti excitauit Apoſtolos, qui legē ſuam ſcripto poſteris commendarent: externa etenim officia noſtra ab internis proficiſci debent, vt accepta ſint & grata inſpectori, ſcrutatorique cordium Deo, qui primum reſpicit ad Abel, deinde ad munera eius: ab externis verò ad interna progredi, plerunque infirmorum atque imperfectorum eſſe ſolet. Pulchrè ergo Chriſtus Dominus, cuius erat in ſenſus hominum illabi, inque mentibus eorum quod vellet, ſcribere, legem ſuam in ſermone, quem in monte habere ad turbarum multitudinem conſtituit, vt cæteris omnibus celſiorem, vniuerſiſque hominum generibus magis accommodatum, inſtituit atque decreuit. In hoc igitur quinto libro explicanda veniunt tria B. Matthæi Euangeliſtæ capita, magnis certè diuinæ ſapientiæ myſteriis prægnantia, vtilitateque referta: cum illis autem coniungenda ſunt, quæ Lucas cap. 6. ſui Euangelij proponit: quæ eadem prorſus ſunt, ni fallor, vt ſuo loco oſtendemus. Conſulto au-

tem in huius libri ſententiis explicandis, quoniam omnes leges ſunt Euangelicæ Chriſti ore pronuntiatæ; non tam ſimplici earum elucidatione, vt plerique faciunt, contenti fuimus; ſed longiori & fuſiori oratione profundius proſecuti ſumus; eaque illis explicandis adhibuimus, quæ ad tantam legum maieſtatem detegendam atque illuſtrandam conferre viderentur: hoc neceſſario duximus præmittendum, ne quis noſtram operam, quaſi profuſam diligentiam, calumniari, & ſiniſtrè interpretari valeat. Quatuor porrò ſunt, quæ valde ſunt connexa atque inter ſe coniuncta: nempè finis, ſiue felicitas ipſa: lex, ſiue via, qua ad illam rectâ tenditur: tertio loco virtutum habitus, quibus animus noſter in bonum inflectitur: poſtremò actiones ipſæ, quæ à virtutibus ad meritũ felicitatis propoſitæ proficiſcuntur. Hæc autem ita ſunt mutuò colligata, & veluti conglutinata: felicitatis ſiquidem ſiue beatitudinis eſt, mouere atque excitare animum ad deſiderium ſui: Legis eſt, præſcribere viam, qua beatitudo obtineri poſsit; vnde via appellatur à Dauide, cùm ait: *Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini*; & rurſus; *Viam mandatorum tuorum cucurri*: Virtutis verò officium eſt, corroborare homines, & inclinare ad viam ingrediendam: nam ægrè, & difficilè imò nullatenus gratia Dei, & diuinis virtutibus deſtituti, in viam diuinæ legis propendere, aut in ea progredi, vel perſeuerare poſſemus. Poſtremò virtutum actibus, meritum nobis æternæ vitæ comparamus: quamobrem Chriſtus dominus in principio huius ſermonis legem Euangelicam pronuntiaturus, mentionem facit beatitudinis, ac quibus virtutum meritis ad eam quiſque peruenire valeat. Sed iam depoſita omni alia curarum ſecularium ſarcina, montem iſtum expediti, cum turbis conſcendamus, vt tantæ tamque ſalutaris doctrinæ Domini noſtri participes in Chriſto efficiamur.

Pſalm. 118
Ibidem.

Hæc quatuor: Finis, Lex, Virtus, & Virtutum actus, quam inter ſe coniuncta, atq; connexa.

INDEX TRACTATVVM QVI IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

TRACTATVS Primus, De præſtantia & excellentia legis Euangelicæ, ad omnes alias leges compoſitæ, pagina 1

Tract.II. in illa verba Matth.5. *Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.* 7

Tract.III. in illa verba Matth.5. *Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, &c.* 13

Tract.IV. in illa verba Matth.5. *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* pag.18

Tract.V. in eadem verba: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* 26

Tract.VI. in illa verba: *Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* 33

Tract.VII. in illa verba Matth.5. *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* 36

Tract.VIII. in illa eadem verba: *Beati qui lugent.* 44

Tract.IX. in illa eadem verba: *Beati qui lugent.* 49

Tract.X. in illa verba: *Quoniam ipſi conſolabuntur.* 53

Tract.XI. in illa verba: *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* 58

Tract.XII. in illa verba: *Quoniam ipſi poſſidebunt terram.* 65

Tract.XIII. in illa verba: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* 69

Tract.XIV. in illa verba: *Quoniam ipſi ſaturabuntur.* 75

Tract.XV. in illa verba: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* 80

Tract.XVI. in illa eadem verba: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordia conſequentur.* 85

Tract.XVII. in illa eadem verba: *Quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* 91

Tract.XVIII. in illa verba: *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* 95

Tract.XIX. in illa verba: *Quoniam ipſi Deum videbunt.* 101

Tract.XX. in eadem verba: *Quoniam ipſi Deum videbunt,* 106

Tract.XXI. in illa verba: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* 111

Tract.XXII. in illa verba: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* 116

Tract.XXIII. in illa verba: *Quoniam filij Dei vocabuntur.* 129

Tract.XXIV. in illa verba: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum* 130

Tract.XXV. in illa verba octauæ beatitudinis: *Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* 136

Tract.XXVI. in illa verba: *Beati eſtis, quum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, &c.* 144

Tract.XXVII. in illa verba: *Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* 148

Tract.XXVIII. in illa verba: *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* 155

Tract.XXIX. in illa verba: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* 162

Tract.XXX. in illa verba: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* 166

Tract.XXXI. in illa verba: *Nolite putare quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* 171

Tract.XXXII. in illa verba: *Amen quippè dico vobis, donec tranſeat cælum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* 177

Tract.XXXIII. in illa verba: *Dico autem vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* 182

Tract.XXXIV. in illa verba: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides: qui autem occiderit reus erit iudicio.* 189

Tract.XXXV. in illa verba: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo &c.* 195

Tract.

Tract.XXXVI in illa verba: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, &c.* 224

Tract.XXXVII in illa verba: *Eſto conſentiens aduerſario tuo cito, dũ es in via cum eo, ne forte tradat te aduerſarius Iudici, &c.* 209

Tract.XXXVIII. in illa verba: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, &c.* 214

Tract.XXXIX. in illa verba: *Dictum eſt autem, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, &c.* 222

Tract.XL. in illa verba: *Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua, &c.* 235

Tract.XLI. in illa verba: *Audiſtis quia dictum eſt, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, &c.* 247

Tract.XLII. in illa verba: *Audiſtis quia dictum eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis.* 265

Tract.XLIII. in illa verba: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt,* 263

Tract.XLIV. in illa verba: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis, &c.* 272

Tract.XLV. in illa verba: *Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum ſtantes orare, &c.* 277

Tract.XLVI. in illa verba: *Sic ergo vos orabitis, Pater noſter, &c.* 283

Tract.XLVII. in illa verba: *Sanctificetur nomen tuum.* 291

Tract.XLVIII. in illa verba: *Adueniat regnum tuum.* 299

Tract.XLIX. in illa verba: *Fiat voluntas tua. ſicut in cælo, & in terra.* 305

Tract.L. in illa verba: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* 311

Tract.LI. in illa verba: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* (319

Tract.LII. in illa verba: *Et ne nos inducas in tentationem* 327

Tract.LIII. in illa verba: *Sed libera nos à malo Amen. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cæleſtis, &c.* 332

Tract.LIV. in illa verba: *Quum autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt pareant hominibus ieiunantes. &c.* 338

Tract.LV. in illa eadem verba: *Quum autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, &c.* 244

Tract.LVI. in illa verba: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, &c.* 352

Tract.LVII. in illa verba: *Lucerna corporis tui eſt oculus. Si igitur oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* 356

Tract.LVIII. in illa verba: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Ideo dico vobis ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, &c.* 362

Tract.LIX. in illa verba: *Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare & non cõdemnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, &c. Matth.7* 373

Tract.LX. in illa verba: *Nolite dare ſanctum canibus, neq. mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & canes conuerſi dirumpant vos.* 379

Tract.XLI. in illa verba: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur, &c.* 387.

Tract.LXII. in illa verba: *Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & Prophetæ. Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, &c.* 391

Tract.LXIII. in illa verba: *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos.* 397

Tract.LXIV. in illa verba: *Nunquid colligũt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt autem arbor bona malos fructus facere, &c* 405

Tract LXV. in illa verba: *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram: & deſcendit pluuia & venerunt flumina & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam: & non cecidit, fundata enim erat ſuper petram, &c.* pag. 410

R. P. ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, THEOLOGI E SOCIETATE IESV; COMMENTARIORVM IN EVANGELIA, ET ACTA *Apoſtolorum,*

LIBER QVINTVS.

TRACTATVS I.

De præſtantia & excellentia legis Euangelicæ, ad omnes alias leges compoſita.

Lex Euangelica vbi olim pronunciata, atque præfigurata.

EXPLICATURIS nobis legẽ Euangelicam à Chriſto in monte promulgatã eius dignitatem ac nobilitatem, qua cæteris legibus antecellit, præmittere, operæpretium eſſe viſum eſt: inde autem exordium dicendi ſumemus, Meſſiam nouam legem mundo laturum, cùm verbis, tùm factis conſpicuis fuiſſe prædictum, atque adumbratum: nam Prophetæ id ſuis oraculis conſignarunt: quorum vnus dixit: *Conſtitue, Domine Legiſlatorem ſuper eos*, & iterum: *Etenim benedictionem dabit Legiſlator*, & alter: *Dominus enim iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter*, & alibi: *Legem eius inſulæ expectabũt*; omnium tamen apertiſſimè Ieremias, de Veteri teſtamento abolendo, ac Nouo in locum eius ſubrogando philoſophatus eſt: ſed ante omnes alios prior tempore Moyſes teſtatus eſt Deum ſuſcitaturum Prophetam de medio fratrum ſuorum, & poſiturum verba ſua in ore eius: quæ ſi quis nollet audire, in eum ſe comminatur futurum vltorem: quin etiam per tabulas legis digito Dei ſcriptas, priores quidem confringendo ad radicem montis, poſteriores verò de integro impetrando, non obſcurè indicare voluit ſapientiſſimus Moyſes, priorem legem ab ipſo latam, per aliam poſteriorem fore abolendam, atque abrogandam. Meritò ergo aliquis ex Euangeliſtis Domini recenſere debuit, legem illam à Chriſto fuiſſe traditam: quo conſtaret, Deum dicta ſua, præſertim in re tanti momenti, ex qua ſalus mundi pendebat, impleuiſſe, & fidem ſuam liberaſſe. Etſi verò quiuis Euangeliſta, enarrando Chriſti vitam, ſigna, doctrinam, mortem atque reſurrectionem, nonniſi legem nouam deſcribat: debuit tamen vnus totam atque integram legis latæ rationem fuſiori, & magis peculiari ſermone perſequi: quemadmodum ex parte præſtitit Lucas, ſed pleniùs & vberiùs B. Matthæus, cuius partes erant, Meſſiam in lege promiſſum Iudæis, ad quos præcipuè ſcribebat, enarrare, tribus capitibus ſui Euangelii, nempè 5. 6. & 7. planè abſoluit, atque complexus eſt: nam vbi Matthæus prioribus quatuor capitibus legiſlatorem; & populum, cui legem daret, partim ſignis, partim verbis, ac interioribus impulſibus ad Ieſum congregatum deſcripſiſſet; meritò ſtatim lex ipſa lõgo illo ſermone lata recenſetur: ab octauo verò capite ferè in finem vſque Euangelii, confirmatio traditæ legis per innumera ſigna atque miracula, perque frequentes hominum ad ipſam amplectendam concurſus enarratur. Porrò à 24. ad 26. cap. excluſiuè, legis executio quantum ad præmia cuſtodientibus data; & quantum ad pœnas trãſgreſſoribus inflictas, commemoratur: in poſtremis verò capitibus idem Matthæus mortem legiſlatoris; eiusque à morte ad vitam immortalem reditum, atque miſſionem Apoſtolorum per totum orbem ad diſſeminãdum Euangelium, comprehendit. Atque ita habes Matthæi nouam, & perſpicuam in partes commodas Euangelicam ipſius hiſtoriam diſtribuentem partitionem.

Pſalm. 9.
Pſalm. 03.
Iſai. 33.
Iſai 42.
Ierem. 31.
Hebr. 8.
Deut. 18.
Exod. 32.
Infrà 34.

Cur ſcripto tradi debuerit lex Euangelica.

Id omnium Euangeliſtarum luculentiſſime cur præſtiterit Matthæus; Euangelij quoque eius partes.

Quanto autem interuallo excellit legiſlator Dominus Ieſus cæteros omnes, qui leges humano lumine ad populorum ſibi ſubditorum vtilitatem conditas conſtituerunt; tanto propemodum lex Euangelica reliquis legibus anteire, & præcellere dignoſcitur. Nam cùm leges ferre, ad ipſum Deum tantummodò ſpectet, qui

Lex Euangelica omnibus aliis legibus quantò dignior & excellentior.

ſolus eſt Dominus omnium hominum; vel ad eum, qui eſt eius vicarius, ſiue interpres; quemadmodum quoque ſolius hominis, qui libero arbitrio eſt præditus, legem ſuſcipere exiſtit: nam poteſt facere, quod iubetur, vel non facere: & omittere quod prohibetur, vel non omittere: cætera enim omnia potiùs aguntur, quàm agant; ac proinde legis capacia minimè ſunt: quanquam Scriptura metaphoricè rebus inanimis, vel ſenſu tantùm præditis legem, ſiue præceptum Deum tradidiſſe perhibeatur, iuxta illud: *Præceptum poſuit, & non præteribit*: ac rurſus: *Legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos*: hinc legiſlatores omnes, quo magis perſuaderent populis, legum vti ſuarum onus ſuſciperent, à diis Immortalibus ſe ad ferendas leges deſtinatos confinxerunt: nam facilè intelligebant aliàs iugum earum detrectaturos, cũ humanam ſapientiam, auctoritatemq́ue haud ſatis eſſe ad tantam ſarcinam humeris hominum imponendam diiudicarent.

Pſalm. 148. Prouerb. 8.

Gentium legiſlatores à quibusnam dijs leges ſuas accepiſſe credantur.

Hinc Oſyris à Mercurio edoctus, Aegyptiis leges tulit; Zoroaſtres Bactrlanis ac Perſis, ab Oromaſi ipſorum Deo, vt fertur, eruditus: Charinundas Carthaginenſibus (ſiue vt alij volunt, Charondas Siculis, & Italis) à Saturno; Solon Athenienſibus, à Minerua; Lycurgus Lacedæmonijs, ab Apolline; Zamolxis Scythis, à Veſta; Minos Cretenſibus, à Ioue; Numa Pompilius à nympha Egeria: verùm ante omnes Moyſes à Deo vero, & vnico miſſus eſt, magnus Dei ſeruus & propheta: qui leges Iudæis daret: ex quibus multa legiſlatores cæteros ſibi mutuatos, quibus leges ſuas illuſtrarent, fuiſſe teſtatur Euſebius Cæſarienſis libr. 1. hiſtor. Eccleſ. cap. 1. cuius verba primo libro produximus: at poſtremus omnium Ieſus Chriſtus, non conficta ſuæ miſſionis legatione, vt alii, inter quos maximè ſpurcus Mahometus venit connumerandus; qui, vt legibus, quas Arabibus promulgauit, autoritatem conciliaret, ſe ab Angelo Gabriele edoctum, impudenter mentitus eſt; non item vſurpata ſibi diuinitate, & per rapinam vendicata; nam cùm in forma Dei eſſet (teſte Paulo) non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed illa apertiſſimis Scripturarum teſtimoniis confirmata, indubitatis atq; inuictis miraculis, & certiſſimis operum ſignis comprobata, demonſtrataq́ue, ac nonnullis etiam firmiſſimè perſuaſa; poſtremus, inquam, Ieſus Chriſtus, Dei filius, ad legem ſanctiſſimam ferendam acceſſit: in quo tanta diuinitatis maieſtas, & poteſtas ſplenduit, vt cæteros

Euſeb Cæſar. tom. 1.

Qualis legiſlator Chriſtus.

Philip. 2.

omnes fabuloſos confictosque apud Gentiles deos, tanquam iniuſtos nominis tanti, & numinis poſſeſſores, ipſe ſolus ſpoliauerit, ac de mundo proſcripſerit: hinc Paulus in Chriſto dixit inhabitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter. Nullus quippè homo corpore, & animo conſtans, totam ſibi diuinitatis plenitudinem arrogare auſus eſt; quanquam partem aliquam eius ſibi quiſque vel iniuſtè vſurparet: nam Minerua præeſſe fingebatur ſcientiæ, Mars bello, Apollo muſicæ, Neptunus mari, Veſta telluri, Inferis Proſerpina, Iuppiter fulminibus atq; pluuijs, Mercurius eloquentiæ, atque negotiationibus, Aeſculapius morbis curandis, Ceres ſegetibus, Bacchus vitibus, Diana venationibus, & reliqui dij reliquis diuinitatis partibus, quibus beneficos ſe erga homines declarabant. Vnus Ieſus Chriſtus inuentus, qui vt lux ſplendidiſſima mundi omnes tenebras expulit, oraculis omnibus deorum ſilentium impoſuit, omnes deorum cateruas de gradu deiecit, atque inſtar lapidis illius Danielis percuſſit in pedibus auream ſtatuam, omnemq́ue idolorum cultum ipſe verus Dei filius, & ſubſtantia, & æternitate Deo Patri per omnia æqualis, comminuit atque confregit. Quanquam illud verbum Apoſtoli Corporaliter, referri poſſit ad vmbras Veteris Teſtamenti, in quibus inerat maieſtas quidem & diuinitas, ſed velut in vmbra; apud nos verò corpore, ſiue re ipſa in Chriſti humanitate; qui verò participatione ſunt dij, vt Angeli, & ſancti, & Prophetæ, & iudices, qui interdum dij dicuntur; hi plenitudinem diuinitatis ſibi non arrogant.

Coloſ. 2. & ſupra 1.

Quænam dijs ſua cuique diuinitas attributa.

Dan. 2.

Dictum Apoſtoli de Chriſto in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, expenditur.

Ex hoc ergo principio multæ dignitates erui poſſunt, quibus lex Euangelica cæteras antecellit: inter quas primum locum obtinere videtur, quòd hæc ſola omnem veritatem & iuſtitiam ad ſalutem neceſſariam continet: quod ex eo liquidum fiet, ſi leges quaſdam, vel Platonis, vel Ariſtotelis, vel Imperatorum ad rectè inſtituendas Reſpublicas, conſcriptas examinauerimus. Ex Lycurgi legibus, vt teſtatur Theodoritus, licebat pueros adamare; & maritis ex alienis vxoribus, & vxoribus ex alienis maritis filios ſibi comparare. Zaradas Perſes leges tulit, in quibus promiſcua matrum, ſororum, filiarum connubia conceſſit: & mortuorum corpora canibus ac volucribus obiectari præcepit. Maſſagetæ miſeros homines arbitrabantur, qui alio mortis genere, quam violenta nece occumberent: ideò

1. Ratio.

Theod. lib. 9. De curandis Græcanicis affectionibus, tom. 2.

Quorũdam legiſlatorum iniquæ leges & impiæ.

legem

legem de mactandis ſenibus, comedendiſque tulêrunt. Hyrcani & Caſpij, canes alunt hominum cadaueribus. Scythæ, vnà cum mortuis hominibus viuos inſodiunt quos olim viuentes dilexerant. Plato in decimo libro legum ſuarum in hunc modum ſcribit: *Huius gratia*, inquit, *oportet diſciplinam conſtituere; vt tam pueri, quàm puellæ choreas celebrent, ſpectentq́; atque ſpectentur; cumq́; ratione & ætate, quæ habeat opportunas & probabiles cauſſas: & hos, & illas nudari permittimus.* Hæc ille. Sed certè nudorum corporum aſpectus, tam mares, quàm fœminas incitare ſolet ad enormes laſciuiæ appetitiones: non meminerat Plato verbi, quod Candaulæ Regis vxor, viro iubente, vt corpus nudum oſtenderet, reſpondiſſe fertur: *Mulierem cum tunica ſimul & pudicitiam exuere.* Erudit ergo Plato homines ad impudicitiam.

Platonis in primis lex quadæm impudica & obſcœna notatur.

Idem Plato in libris De Republica ait, horum omnium virorum communes eſſe vxores, nulli verò propriam ſub eodem tecto incolere; filios item omnibus omnes communes eſſe ita vt neque pater ſciat, quem ex ſe filium progenuerit; nec item filius, ex quo natus ſit patre: & ſubdit: *Filij autem ita coniuncti, vt & communes domos habeant, & communi menſa vtantur, nihil earum rerum proprium ſibi ac ſuum aliquo poſſidente: ſimul continuò viſitabunt: promiſcuè verò ita conſerti, tùm in gymnaſiis, tùm verò & alijs in officijs, & neceſſitate inditi à natura appetitus alter ad alterius agetur commixtionem.* Sic ille: quæ diligenter ſunt conſideranda, contra eos, qui nouis interpretamentis & allegoriis mentem Platonis aliò detorquent, obliti Ariſtotelicæ ſententiæ: *Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica veritas.*

Altera eiuſdē æque infamis ac turpis de communitate vxorum, vſuque Sodomiæ.

Scribit in eiſdem Plato libris: *Mulieri congruere, vt à vigeſimo ætatis anno ciuitati incipiat filios parere; viro autem cum primùm tranſierit ſummum illum apicem procurrentis augmenti, ab eo ætatis articulo ciuitati filios procreare, ad vſque quartum ſupra quinquageſimum annum: vbi autem viri, ac mulieres gignendi tempus exceſſerint; liberos eos ſinemus conuerſari, vt velint: hoc ſolum præmonentes, ne quem ampliùs conceptum fœtum in lucem edant: ſi quis autem inſtitutum hoc ita violauerit, vt fœtum ad partum perducat: ita eum denique exponat, vt omni alimonia careat.* At certè hæ leges Platonis, non tam riſu & cachinnis, quàm lachrymis ac flammis dignæ ſunt: quis enim vnquam, vel Phalaris, tam crudelia inſtituta tulit, vt parentes pharmacis abortitijs inſantes perdant; vel editos, ſame, vel gelu interire ſinant, vel ferarum dentibus dilacerandos exponāt? Iam verò deteriora ſunt, minuſque toleranda, quæ de impuris & obſcœnis puerorum amatoribus tradit: ait namque, eos, qui maſculam venerem conſectantur, beatiſſimos hic eſſe; at vbi ex hac vita exceſſerint, nihilominus beatos futuros aſſeruit.

Tertia de coniugibus obſcœna ſimul & impia.

Notatur eius idem Platonis ſpurciſſima doctrina de puerorum amoribus Sodomiticis.

Etſi autem dialogo octauo de legibus, infamiæ pœna conſtituta, maſculam venerem à Republica excludat; tamen de eodem dogmate videtur ſuſpectus. Nam in Sympoſio, & dialogo De legibus tertio, puerorum amores commendat, vt ſuos amores Philoſophiæ pallio tegeret. Nec valet ratio Platonis, quòd Armodij, Ariſtogitomiſque amor Hyparchum tyrannum ſpoliauerit regno: quod enim aliquando à caſu vtile eſt, non eſt vt vtile propter ſe ſumendum. Deinde, etſi amari poſſit incorrupta illa animi pueriliis pulchritudo, & futurarum virtutum indoles, vt ipſe contendit: plus tamen corporis decor, qui ſenſibus percipitur, mouet, quàm animi ſpecies, quæ ſub aſpectum non cadit, quicquid dicant defenſores Platonis, Beſſarion in Apologia, & Ficinus Marſilius in Sympoſium eiuſdem Platonis.

Diluitur hæc ratio Platonis: Liciti ſunt puerorum amores, quod interdum tyrānos illi de medio ſuſtulêre.

In quem facetè Lucianus: *Si animorum*, inquit, *pulchritudinem diligunt, cur deformes pueros, ſimos, & exoletos, nullos tamen moribus, & prudentes non diligunt? Cur ſenes, qui canos virtutis teſtes habuêre, non amarunt, aut amandos docuerunt?*

Luciani in Platonem ſchomma.

In legibus verò ſtatuit, vti innocens & innoxius ſit, qui proprium ſeruum occiderit: qui verò ira ſuccenſus, alienum ſeruum tollat, tanti mulctandus, quanti ſeruus ille vænierit. Porrò qui liberum hominem præ iracundia enecat, biennio exulare iubet; Qui verò per inſidias perimit, triennio: & qui, dum exultat, idem parricidium admittit, cum perpetuò cenſet exilio puniendum. Eaſdem pœnas ſtatuit & patribus, qui filios, & filijs qui patres, & maritis qui vxores, & vxoribus, quæ maritos occiderint.

Quarta lex Platonis iniquiſſima.

Alibi Plato vult fœminas æquè ac viros exerceri in equitandi arte, & gymnaſtica facultate: cùm tamen natura diuerſa diſtinxerit officia ac munia virorum ac mulierum.

Quinta lex parum naturæ conſentanea.

Quid? quod libro quinto de Republ. concidit ei, qui ſe ſtrenuè in militia geſſiſſet, vt quemcunque oſculari voluerit, marem, vel fœminam, liceat; quo acrior ſit ad victoriam conſequendam? Ita ille ſanxit. O egregiam tanti Philoſophi ſententiam. Vides ergo, quam ſint ridicula, quàm impia, & à ratione prorſus aliena inſtituta Platonis?

Sexta etiam impudica.

Sed quàm meliores leges tulerit Ariſtoteles eius diſcipulus, Philoſophorumque omnium, excepto Platone, facilè

Ariſtotelis lex ipſios etiā crudelis, & obſcœna.

Beſſarion.

Princeps; audi. In Politicis, ne noceat ciuitati numeroſa ſoboles, mulierum voluntarios abortus concedit; & diuortia fieri permittit: ſed & militibus neſarios concedit concubitus; vt aſſerit Beſſarion Cardinalis libro 4. Defenſionum Platonicarum. Vnde libr. 2. Politico. cap. 8. de Republ. Cretenſi loquens: *Multa*, inquit, *& legiſlator ſapienter, & ſtudioſe conſtituit de mulierum diuortiis: ſiquidem ne ſuperfluam pareret multitudinem, proſpexit, alio introducto vſu.* Sic ille. Vbi B. Thomas interpretatur conceſſiſſe maſculam venerem. Quid dicam de ciuilibus legibus Imperatorum? quæ etſi multa conuictum pacificum, vel ad vitam honeſtè traducendam conducibilia amplectantur: pleraque tamen ſunt, quæ niſi lege Euangelica, vel canonica corrigas, vel ad illam accommodes, iniuſtè facere cogaris: nam vide quot regulas ad decipiendum ex illis edant: *Frangenti* (inquiũt) *fidem, fides frangatur eidem: Fallere fallentem, non eſt fraus. Doloſus doloſo in nullo tenetur: Culpa cum culpa compenſari poteſt: Licet contrahentibus ſe inuicem decipere. Res tanti valet, quanti vendi poteſt: Licet ſibi conſulere cum damno alterius: Communis error habetur pro lege: Summum ius ſumma iniuſtitia:* hæc & his ſimilia permulta traduntur, quæ quantum abſint, non dicam à charitate, ſed à vero iure & æquitate, nullus eſt qui non intelligat: niſi ad aliquem bonum ſenſum (vt noui nonnullos facere) verbis tamen parum conuenientem, illa velit interpretari. Valentinianus Imperator amore captus Iuſtinæ, præter Seueram, quam priùs habebat, eam in vxorem accepit: legemque promulgauit, vt quicunq; vellet, duas legitimas vxores ei habere liceret: vt tradit Nicephorus libro 11. cap. 33. vbi vides, non tam pro ratione, quàm pro libidine leges aliquando ſtatuiſſe Principes. At de legibus quidem Mahometi neminem ignorare, illas à bellua potiùs, quàm ab homine rationis compote, aut ſi maius ab homine ebrio, aut dementi, editas fuiſſe: cùm impiæ ſint, & ſpurcæ, & ad omnia ſcelera ac flagitia, tanquam calcaria quædam exiſtant.

D. Tho. lectio 15. in lib. 2. Polit. c. 8. lit. E. tom. 5.

Leges Imperatorum quędam parum cum iuſtitia, & pietate Chriſtiana coniunctæ.

Niceph. Calliſt.

De legibus quid illius Mahometi impuriſſimi ſentiendum.

II. Ratio. Lex Euangelica cur excellat legibus vniuerſis.

Prætereà excellit lex Euangelica reliquas leges, quòd hæc ſola tradat veri Dei cognitionem, verumque eius cultum, veram felicitatem, ſiue beatitudinem; quam ignoratam fuiſſe à reliquis omnibus, exploratum eſt. Nam mundi ſapientes vel conſtituebant eam in illis rebus, in quibus ſita non eſt; vel eam hoc tempore haberi poſſe; cùm tamen præterquam in alia vita (cùm in ſola Dei viſione, & fruitione conſiſtat) comparari nequeat: ac vt ignorato termino quò ſit proficiſcendum, ignoratur & via qua illuc pergitur, iuxta illud B. Thomæ Apoſtoli: *Domine, neſcimus quò vadis: & quomodo poſſumus viam ſcire?* ad eum modum, cùm ſapientes ignorarent veram felicitatem, nullas leges condere potuerunt ad illam conſequendam accommodatas. Ad hæc cùm ignorarent naturæ humanæ corruptionem ex peccato primi parentis profectam in omnes homines; multa, quæ vitioſa ſunt, & vituperatione digna, naturæ tribuebant: ignorabantque perfectas virtutes, quibus carnis concupiſcentia eſſet coercenda; & vnde foret auxilium ad tantam rem conficiendam implorandum. Atque ita vt maximè ſcirent, quibus iuſtitiæ præceptis vita humana inter ciues concors & pacifica conſtare poſſet; non tamen lumen naturę porrigere poterat ea charitatis officia, quæ ſola lex Euangelica declarauit. Non eſt etiam exiguum vitium, quòd leges humanæ ita ſcriptæ ſunt; vt propter ſuam obſcuritatem magnis & luculentis commentarijs indigeant. Sunt etiam numero propemodùm infinitæ, vt vix valeant legi, nedum intelligi; cùm tamen lex Euangelica ſua luce ſapientiam præſtet paruulis; & legum breuitate & perfectione omnia, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, luculentiſſimè, & apertiſſimè tradat. Item, vt leges omnes ſcripto traditæ (etiamſi comprehendas illam Moyſi, nullam tamen virtutem, opemve populis, quibus tradebantur, porrigebant, vnde trāſgreſſiones multiplicabantur; ita rariſſimus erat legis obſeruator & cuſtos: at vnica Chriſti lex hoc præſtat, vt, cùm in cordibus digito Dei ſcribatur, & charitas Dei diffundatur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis; obſeruatores omnes legem hanc accipientes efficiat; ac proinde de præmio æterno dignos conſtituat. Eſt & illud dignum admiratione. Græcorum etenim & Romanorum legumlatores nec finitimis perſuasēre, vt ad leges ſuas & præcepta vitam inſtituerent: nam Minos Ioue genitus, frequentando eius antrum, vt poetæ fabulantur, leges Cretenſibus tantùm tulit, & hoc ad breue tempus: nam Creta poſtquam Romæ ceſſit, eius legibus cœpit gubernari; & Charondas, qui primus Italis, & Siculis ciuitatibus leges dedit, Celtis, vel Iberis non perſuaſit. Mirum autem eſt, Galilæos, piſcatores, publicanos, & ſutores, non Romanos ſolum & Græcos, verumetiam cunctas barbaras nationes ad amo-

Ioan. 14.

III. Ratio.

Rom. 5.

IV. Ratio.

Pſalm. 18.

V. Ratio.

Rom. 7.

2. Cor. 3. & Ierem. 31. & Hebr. 8.

Rom. 5.

VI. Ratio.

Qua ratione mirabili mũdus Euangelicę per Apoſtolos ſe legi ſubdiderit.

rem

rem legis Euangelicæ traduxiſſe: non vi, vel armis, ſed verborum tantùm ſuaſione & hortatu; perferendo iniurias, flagra, vincula, totoque orbe reluctante, necnon Cæſaribus in eos ſæuientibus, ac mortem tùm Apoſtolis ipſis, tùm eorum ſucceſſoribus inferentibus: & tamen iſti nunquam efficere quiuerunt, quin leges à Crucifixo datas mundus ſubierit, & perſecutione ipſa Chriſti cultores augerentur, vt qui oleo vellent ignem extinguere, ac velut rubus ille, quem vidit Moyſes, ignis ardore non eſt abſumptus. Quemadmodum autem ſua autoritate legem Moyſi perperam ac præpoſterè intellectam à Phariſæis & Scribis, Dominus interpretatus eſt, correxitque deprauatos illorum ſenſus: ita lege Euangelica corrigendæ veniunt omnes aliæ leges hominum arbitrio, & prudentia latæ, ſi contingat illas à recto rationis tramite deflectere.

Exod 3.

Moyſi & Naturæ legum cum Euãgelica, collatio.

Quanto autem interuallo lex Euangelica illam Moyſi ſuperet, vel illam naturæ homini ab initio ſuæ creationis inditam, haud eſt difficile definire. Nam etſi iſtæ omnes leges profectæ à Deo ſint; illa tamen naturæ lex homini, vt homo eſt, & humanas vires, & ſapientiam non excedit, eſt lata: & licèt ad multa illo iure debita iuſtaque videnda aſſurgat: tamen ob peccati originalis caliginem cuncta non apprehendit; neque illa, quæ aſſequitur, ex ſuis viribus, niſi à Deo iuuetur, perficere valet: felicitatem quoque, ad quam creatus eſt, vix poteſt coniectare. vnde tot ſapientiſſimorum hominum de vltimo fine hominis ſtatuendo conflictus. Porrò lex Moyſi maius lumen porrexit, atque maioribus ſignis, & argumentis prouidentiam Dei ad hominem oſtendit, ita vt verum finem, & viam quæ ad illum ducit, minimè ignorarent eius legis ſectatores: & quoniam quæ illa lege præſcribebantur, ſuis viribus homines præſtare non poterant; promiſſus eſt Meſſias qui illos à captiuitate dæmonis & peccati, & naturæ imbecillitate liberaret, potentesque ad præſtandam legem efficeret: quæ omnia copioſiori lumine demonſtrat, & vires ad omnia illa præſtanda ſuppeditat lex Euangelica, Sacramentiſque efficaciter homines ſanctificat, & ad vitæ æternæ ingreſſum, quem Ieſus ipſe primus aperiendo ianuam cœleſtis regni effecit, magna virtute præparat, atque diſponit. Et quoniam hæc fuſiùs ſuo loco ſunt pertractanda, ſatis ſit illa hic inſinuaſſe. Lex ergo naturæ, quæ ſolitaria poſt peccatum in homine remanſit, poteſt comparari nocti; illa Moyſi, auroræ, in qua lux veluti adumbrata in laterna exhibebatur; Euangelica verò meridiei, in qua eſt copia, & lucis, & caloris: quemadmodùm in aurora eſt aliqua quidem pars lucis, at nullum calorem habet. Lex naturæ, dum hominem peccato obnoxium non liberat, bellum cum Deo admittebat: illa Moyſi inducias habebat: Euangelica ſummam pacem. Lex Naturæ hominem per hunc mundum ducebat: illa Moyſi, in terram promiſſionis perduxit: Euangelica, in Terram viuentium. Lex Naturæ efficit ſeruum & ſubiectum Deo: illa Moyſi admittit ad familiaritatem, promittitque libertatem: Euangelica verò facit filium, ac donat ſpiritus libertatem. Lex Naturæ, ſynteresis, vel conſcientiæ ſtimulo à malo reuocat: illa Moyſi præceptis, illorumque metu inſtigat ad bonum: Euangelica, amoris ſuauitate, ac dulcedine inclinat ad omne obſequium. Lex Naturæ ignorauit Chriſtum: lex Moyſi nouit velatum: Euangelica nudum & manifeſtum in Cruce cognouit. Lex Naturæ expreſſa eſt & declarata ab hominibus: Moſaica ab Angelis lata: Euangelica ab vnigenito Filio Dei. Naturalis lex in alimoniam habebat fructus terræ: illa Moyſis habuit mannam de cœlo: Euangelica ſanctiſſimum Chriſti corpus & ſanguinem. Naturæ lex nihil promittebat: illa Moyſi, bona terræ: at Chriſti lex cœleſtia pollicetur & præſtat: vt meritò de iſta ſcriptum ſit: *Lex Domini immaculata, conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* Et qui in lege Moyſi verſabantur, ad legem Euangelicam aſpirabant, tanquam ad eam, ex qua remedium peccati, & à captiuitate redemptio, & aditus ad cœleſtem vitam pendebat: hinc illæ Dauidis voces: *Legem pone mihi, Domine, viam iuſtificationum tuarum; & exquiram eam ſemper. Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me; & exercebor in mirabilibus tuis.*

Lex ſe multipliciter comparatur.

Rom. 8. & 1. Ioan. 4.

Act. 7. & Gal. 3

Exod. 19 & 20.

Exod. 16.

Ioan 6 & Matth 26.

Eſa. 1 & alibi.

Pſalm. 18.

Pſalm. 118.

Ibidem.

Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, & ſapientiã præſtans paruulis, cur ie dicitur Euangelica?

Dicitur hæc lex immaculata à Propheta; quòd nil contineat reprehenſibile, nullum etiam vel minimum vitium, ne otioſum quidem verbum admittat in eius profeſſore: conuertens verò animas, eo quòd non tantùm externam pacem cum hominibus, ſed cum Deo in primis conciliet, animumque ad cœleſtia & diuina non tantùm erigat, ſed etiam ſua virtute inclinet, & cor ad Deum diligendum, digneque colendum conuertat. Dicitur teſtimonium Domini fidele, non ſolùm quòd omnibus Euangelicum teſtimonium amplectentibus, gratiam & ſpiritum

Matth. 24.

Eædem rurſus leges in-

ritum impertiat; ſed quòd etiam obſeruantibus legem, æterna præmia fideliter reddat. Dicitur poſtremò ſapientiam præſtare paruulis: quod niſi à paruulis, & humilibus in oculis ſuis, hæc lex vel intelligi, vel impleri, & conſeruari minimè poſſit. Vnde Dominus dixit: *Quicunque non acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud*: Omnes autem magnos coram ſe & ſuperbos, fructu veræ cognitionis & obſeruationis deſtituit. Magna profectò eſt Chriſti lex ſiue prophetia etiam ex alio capite, vel potius eodem, diuerſa tamen ratione, ſicut & ipſe Chriſtus magnus eſt Propheta in Moyſe adumbratus, cui Dominus dixit Deuteronom. 18. *Bene omnia ſunt locuti. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia quæ præcepero illi.* Non ab re, inquit, Spiritus ſanctus, *Similem tui*: vt enim Moyſes tanquam Propheta, verba Dei locutus eſt; & legem Veterem in monte tulit, & illam admirandis ſignorum operibus confirmauit: ita Dominus Ieſus Propheta magnus eſt, qui ſurrexit in nobis, & per quem Deus viſitauit plebem ſuam: legemque nouam in monte tulit; miraculisque illuſtrauit, & ſtabiliuit. Eſt autem inſignis & ſummus Propheta Ieſus, tùm quia vnicè manum habuit, id eſt, verbum; & ſingulariter habuit vnctionem, id eſt, Spiritum ſanctum, qui locutus eſt per Prophetas. De hac manu dicitur Ezechiel. 1. *Facta eſt ſuper eum ibi manus Domini. Et vidi, &c.* Et 4. Regum 3. de Heliſæo; *Quum caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini.* Idem autem eſt dicere: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ezechielem*; ac dicere: *Facta eſt manus Domini ſuper Ezechielem*: eſt enim ſermo de illa manu potenti, de qua Dauid: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis*, id eſt, Filium tuum, verbum tuum, liberatorem à peccatis, quibus niſi ille opem ferat, immergimur: & alio in loco, *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ*, nempe ſuper Chriſtum hominem, virum dexteræ nuncupatum; quod per eum Deus cuncta ad noſtram felicitatem ſpectantia operari dignatus eſt: propter eum namque de ſiniſtra tranſlati ſumus ad dexteram, vt Ephraim à Iacob, vt ſempiternam poſſideamus hæreditatem. In hunc ergo filium dexteræ ſacer vates precatur manum fieri diuinam, ſcilicet Verbum per vnionem hypoſtaticam coniungi, ſicut ab æterno fuerat prædeſtinatum. Illa enim manu, qua Deus cuncta produxit, illa ipſa humanitati coniuncta amicitiam nobiſcum fecit, & ouem errantem aſſumpſit, & per illam Deus omnia gratiarum munera hominibus largiri diſpoſuit. Habuit ergo Chriſtus totam Dei manum, Imò etiam manus Dei fuit. Habuit præterea Ieſus Propheta vnctionem Dei: nam de illo prædixit Deus per Prophetam; *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*, id eſt, in Prophetas omnes & Sacerdotes, ac per hos deſcendit in oram veſtimenti eius, nimirum ad omnes, qui corporis eius ſunt membra; & in alio loco clariùs: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Ipſe igitur vt caput plenitudinem vnctionis Spiritus ſancti accepit, iuxta illud: *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*, vt aliis ſcilicet dedit, *ſed in plenitudine*; & ideò in forma integri animalis columbæ, vt de eius plenitudine omnes accipiamus: & Petrus Actor. 10. *Quem vnxit Deus Spiritu ſancto & virtute*: nam accepit Spiritum ſanctum ad virtutem non ſolùm ſanctificandi & prophetandi, ſiue docendi, ſed etiam opera virtutis & potentiæ, quæ per ſigna ſe proferebat: vnde per Spiritum ſanctum conceptus prædicauit, in deſertum ingreſſus eſt, exultauit in eo, fecit ſigna; obtulit ſe ipſum ad mortem pro nobis, à mortuis excitatus eſt, eoque munere perpetuo ditauit Eccleſiam ſuam, & nobilitauit. Fuit Præterea Ieſu prophetia vnica & ſingularis, hoc eſt, doctrina, ſiue ſapientia perducens ad apprehendenda de Deo tam ſublimia, & creditu, & factu difficilia, quæ de ſuo Apoſtoli neque inuenire potuiſſent; nec ſi inueniſſent, tantum & tale iugum humeris hominum imponere auſi fuiſſent. Attulit hæc quoque prophetia ſalutarem ac veram ſui ipſius cognitionem: nam etſi Gentiles iactarent illam diuinam ſententiam: *Noſce te ipſum*, ſola tamen Chriſti doctrina, hoc homini conferre potuit: nec enim ratio humana vllo modo ad creationis hominis, caſúsque ſui cognitionem; neque ad finem, propter quem homo conditus eſt, & in quo ſitus ſit ille finis, & quo tempore comparandus, aſſurgere valebat, niſi ſubleuata fide Chriſti, atque auxilio. Fuit etiam temporibus & perſonis, ac promiſſis doctrina hæc ſuauiſſimè accommodata. Temporibus quidem, quia IESVS CHRISTVS heri, & hodie, ipſe & in ſecula: implicitus in lege naturæ, explicatior in illa Moyſi, ſed apertus & clarus in Euangelio, notiſſimus atque clariſſimus in gloria. Perſonis verò non æqualiter omnibus notus etiam in eodem tempore,

Luc. 18. — *Deut. 18.* — Expenditur illud ad Moyſen dictum de Meſſia: prophetam ſuſcitabo eis, &c. ſimilem tui. — *Luc. 7.* — *Supra 1.* — Quam magnus ſit Propheta Ieſus. — *Eſai. 61. & Luc. 4.* — *Ezech. 1.* — *4. Reg. 3.* — Cur manus Domini Meſſias, & vnde nuncupetur. — *Pſalm. 143.* — *Pſalm. 79.* — *Geneſ. 48.* — Quid illud Prophetæ: Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ.

Luc. 15. — *Pſalm. 132.* Vnguentũ in capite quod deſcendit in barbam barbam Aaron, &c. quodnam ſit. — *Pſalm. 44.* — *Ioan. 3.* — *Supra 1.* *Ibidem.* *Actor. 10.* — Meſſias cur plenus fuerit Spiritu ſancto. — *Luc. 1.* *Infra 4. & Iſai. 61.* *Luc. 4.* *Infra 10.* *Matth. 12.* *Hebr. 9.* — 11 Ratio. Ieſus cur magnus Propheta. — Doctrinam Euangelicã & temporibus, & perſonis, & promiſſis maximè conuenire. — *Hebr. 13.*

ſed varie & diuerſe. Nam alia exigit à paruulis, alia à magnis, & ſemper boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta illos, vt magnus explicuit Gregorius, ſemper fuerunt Moyſes & Aaron, & populus; & in Euangelio, diſcipuli & turba. Promiſſis etiam accommodata inuenitur, & cum tempore, vt aurora procedens: quia à principio ſub inuolucris terræ vita æterna promiſſa eſt; pòſt apertè per Chriſtum & Apoſtolos annuntiata, poſtremò exbibita in cœleſti gloria. Gradus autem fuerunt: à Gentili per Iudæum, ad Chriſtianum. Gentilis à dæmonibus temporalia expectabat: Iudæus verò ab ipſo vero Deo, vt teſtatur Auguſtinus, etiam ſuperna virtute temporalia accepit: at Chriſtianus (quia proximus eſt gloriæ in cognitione, promiſsionibus & iuſtitia) etiam ſpiritualia & æterna ab eodem Deo conſequitur.

Greg lib. 1. Moral. c. 16. & alibi, 10. 1.

B. Auguſt. in Pſal 72. ante med. tom. 8.

Quibus argumentis à Chriſto confirmata lex Euangelica.

Confirmata eſt inſuper hęc talis & tanta doctrina, multifariam. Primò quidem fidelitate ac veraci exitu multorum euentuum futurorum, quæ niſi à verò & immortali Deo præuideri, aut prædici non potuerunt.

Prædixit enim legiſlator ſuam mortem, genus mortis, tempus, reſurrectionem à mortuis, aſcenſionem, prædicationem Euangelij per vniuerſum orbem, ruinam Ieruſalem, futuras hæreſes, Eccleſiæ ſtatus perpetuitatem & æternitatem, & denique omnia ferè videmus impleta, præter pauca, quæ ſuperſunt, nempè iudicium, generalemque omnium reſurrectionem. Verùm præteritorum completio futurorum eſt veritas.

II. Argum.

Deinde addit tot & tanta ſigna, cùm tamen falſa rara eſſe ſoleant: quæ nec negari niſi impudentiſsimè, nec tribui artibus magicis vllo modo poſſunt; cùm ad reuocandum homines à delictis, & ad Deũ conuertendos, & ad confirmandam doctrinam, & dæmoni, ac peccato bellum indicendum ſint edita.

Tertio, vita ſanctiſsima ſua, & ſuorum Apoſtolorum diuina planè & cœleſti legem ſtabiliuit, atque firmauit ſuam. Omnia ſiquidem, quæ mundus hic, vel pretioſa, vel bonorifica, vel blanda habet, magno animo contempſerunt: quid enim in illis reprehendere valeat vel Momus ipſe, quos irreprehenſos ac inculpatos, ſiue, vt Græcè dicitur, ἀμώμους, Dei gratia conſtituit? in quos cùm inquireret Plinij Iunior iuſſu Traiani, nibil aliud inuenit, niſi quod ab omni flagitio ac ſcelere abſtinerent: quanquam antelucanos quoſdam hymnos Chriſto canerent Deo.

Plinij Iunioris bonorificum de Chriſtianis teſtimonium.

Cùm antem veri Chriſti cultores omnibus terrenis fermè deſtituantur; ſi in futuro nihil ſingulare haberent repoſitum apud Deum immortalem, vaniſsima eſſet & inſeliciſsima omnis eorum ſpes & doctrina.

III. Argum.

Poſtremò comprobatur Chriſti lex efficacia, ſingularique virtute, quæ tam breui temporis ſpacio tot, ac tales bomines ſub ſpe inuiſibilium bonorum ſubiicere potuit Chriſto crucifixo per tales miniſtros, vniuerſo reclamante mundo, atque Satana capitaliſsimo Dei hoſte ſeſe opponente, ac ſæuiente per crudeles, immaneſque cruciatus, ac neces in Chriſtiani nominis profeſſores: vt diximus. Verùm non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſiliũ contra Dominum: verè ergo dictum eſt: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*: item, *Fidelia omnia mandata eius; confirmata in ſeculum ſeculi; facta in veritate & æquitate*. Poſſumuſque dicere Deo, Domine, ſi error eſt aliquis in fide, à te decepti ſumus; qui argumentis inuictis & neceſſariis confirmaſti fidem noſtram, doctrinam tuam, ac legem.

Prouer. 1.

Pſal. 9.

Pſal. 110.

Richar. d. S. Vict. lib. 1. de Trinit.

Quanti nobis facienda lex Euangelica.

In banc ergo Euangelicam, & ſanctiſsimam legem toto pectore incumbamus; ad eius præcepta, & monita nos accommodemus; in CHRISTVM eius autorem conditorem intueamur; ad fructus æternæ, & glorioſæ vitæ, qui per ipſam comparantur, frequenter reſpiciamus: nam ita efficiemur filij Dei, quibus iuſte competat hæreditas tanta, præſtante Domino noſtro IESV CHRISTO, cui cum Patre, & Spiritu ſancto æternus reddatur honos, gloria, & imperium in ſempiternis ſeculis, Amen.

Rom. 8.

TRACTATVS II.

In illa verba Matth. 5. *Videns Ieſus turbas aſcendit in montem: & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.*

ANTEQVAM Euangeliſta Dominum legem ferentem deſcribat, quædam præmittit veluti prologia, nempè turbas congregatas; & locum; habitumque Chriſti, atque formam

legem ferentis. Sed ante omnia hoc loco examirandum eſt, an hic ſermo à Matthæo relatus, vnus & idem ſit cum eo, quem Lucas capite ſexto deſcribir; an verò diuerſus: quippe ex buius quæſtionis diſcuſsione illud lucidum & compertum eliciemus, an quæ Lucas præmittit huic ſermoni tanquam præuia, cum his, quæ Matthæus refert, coniungenda; an verò ſint diuerſa, & diuerſo tempore acciderint. Nonnulli igitur ex Græcis, quos ſecutus eſt Oſiander, diſtinctos hos ſermones eſſe tradunt; his potiſsimum rationibus nixi. Primùm id colligunt à diſtinctione loci: nam ille Lucæ habitus eſt in loco campeſtri, hic verò Matthæi in monte; vnde & nomen ſermonis in monte accepit. Deinde verò, quia hic Matthæi ad diſcipulos eſt habitus tantùm, ille verò Lucæ ad turbam diſcipulorum & multitudinem copioſam. Tùm quia Luc. 6. Dominus ſtabat; at hic ſedere dicitur. Item, ibi in ſecunda perſona exorditur: *Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnum Dei. Beati qui nunc eſuritis*: & reliqua; hic verò in tertia perſona ait: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites*: & quæ ſequuntur. Poſtremò, quia ſermo Lucæ breuior ac conciſior, hic verò Matthæi prolixior atque plenior: ſiquidem ibi tantum quatuor beatitudines conſtituit, hic verò octo, aut nouem: multorum item meminit Matthæus, quorum nulla eſt mentio apud Lucam. Non ergo ſine ratione aſſeri videtur, diſtinctos fuiſſe ſermones; vt etiam B. Auguſtin. dixerit, vno & eodem die, tametſi diuerſi extitiſſent hos habitos fuiſſe ſermones; priorem quidem ad diſcipulos in monte, vt Matthæus inquit, poſteriorem verò in loco campeſtri ad turbas.

Hunc ſermonem Domini in monte à Matthæo deſcriptum, eſſe alium ac diuerſum ab eo, quem Lucas cap. 6. deſcribit, vnde, quidam probare conentur.

Luc. 6.

Auguſt. li. 2. de conſen. Euangel. c. 19. tom. 4.

His tamen rationibus non obſtantibus, veriſimilior ac probabilior videtur ſententia, tùm Ambroſij, tùm Auguſtini, qui hos duos ſermones in vnum cogunt, eodem & tempore, & loco habitos. Cuius rei euidentia argumentia ſunt. quòd vtriuſque idem ſit principium, & finis; & quæcunque in medio habet Lucas, eadem habeat & Matthæus; quamuis latiùs, ac plura complectens: vterque enim inchoat à beatitudinibus; vterq; definit concludendo ſuum ſermonem in homine, qui ædificauit domum ſuper petram; vterq; etiam poſt ſermonem conſummatum, ſeruum Centurionis ſanatum narrat. Quòd verò eodem die ſint hi duo ſermones babiti, vt diſſerendo magis, quàm aſſerendo Auguſtinus inſinuare videtur; ex eo ſatis probatur, quòd poſt ſermonem à Matthæo deſcriptum ſubiungatur: *Et factum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius*; ex quibus fit perſpicuum, illum ſermonem fuiſſe habitum turbis præſentibus: quemadmodùm & quod Lucas refert, ad turbam copioſam & multitudinem locutum Dominum, nequaquam excludit Apoſtolos, ad quos potiſsimum eſt directus ſermo: ait namque: *Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat: Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnum Dei.*

Vnum & eundem eſſe ſermonem multis oſtẽditur.

Ambro. lib. 6. in Luc. ca. 14. tom. 5.

Auguſt. loco prædicto.

Vnde conſtet nõ vno & eodem die illũ habitum fuiſſe ſermonẽ.

Porrò quod Matthæus dicit, Dominum in monte habuiſſe ſermonem, & Lucas in loco campeſtri; diſſoluẽdum eſt. Nam quod Matthæus breuitati ſtudens in recenſendis Chriſti factis, verba verò eius prolixius referens, inquit: *Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem*; latiùs exponit Lucas, indicans ad quid aſcenderit, quid ve in monte egerit, dicens: *Factum eſt autem in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*: quæ verò Matthæus adiungit: *Et cùm ſediſſet*, inquit; *acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*, latiùs explicat Lucas, exponens quãdo, & qua ratione acceſſerint ad Chriſtum diſcipuli, dum ait: *Et quum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos*: quod & Marcus ſic expreſsit: *Et aſcendens in montem, vocauit ad ſe quos voluit ipſe: & venerunt ad eum.* Poſteà hi duo Euangeliſtæ deſcribunt electionem duodecim Apoſtolorum, quam Matthæus omiſit, vt & diſcenſum de monte cum ſuis diſcipulis in locum campeſtrem tacuit, quem ſolus Lucas expreſsit. Cùm autem Matthæus ſubiungit: *Et aperiens os ſuum, docebat eos dicens*: id Lucas poſt deſcriptum eius deſcenſum de monte, ſic protulit: *Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos*, dicebat. Atque ita nihil erit contradictionis aut de loco, in quo ſequens ſermo ſit habitus, aut de corporis poſitione, in qua ſermonem Dominus habuit, videlicet an ſtando, an ſedendo; & an ad ſolos diſcipulos, an etiam ad diſcipulos cum turbis concionem habuerit. Matthæus enim montem conſcendiſſe Dominum ſcribit, vt Lucas: & ſediſſe, cùm accederent ad eum diſcipuli eius: non aſſerit autem ipſum, aut in monte, aut ſedẽdo habuiſſe hunc ſermonem, ſed tantum dicit, *Aperiens os ſuum, docebat eos*: quod vbi, & quo corporis habitu fecerit, omninò videtur explicuiſſe Lucas, nempè quod ſtans in loco campeſtri. Et quidem ex Matthæo ipſo colligere poſſumus, non habitum eſſe ſermonem à Domino, cùm ſederet in monte: nam cùm inquit: *Videns Ieſus turbas aſcendit in montem* ſignificat, eum decli-

Soluitur hæc obiectio: Si vnus & idem ille ſermo fuit, quo modo in monte, & in loco cãpeſtri habitus fuit.

Marc. 3.

Ad illud quoque reſpondetur: Si ſtãs, vt ait Lucas, quomodo ſedens, vt Matthæus. Dominus ſermonẽ habuit.

naſſe

naſſe turbas, cumque ſubdit: *Et cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*; inſinuat vtique, turbas non acceſsiſſe ad Dominum ſedentem in monte: & tamen in fine ſignificat etiam turbas audiſſe hunc ſermonem. Non ergo in monte, quò non acceſſerunt turbæ, ſermo habitus eſt, ſed in loco campeſtri, in quem ad turbas Dominus acceſsit. Quòd ſi dicas; Quomodò ergo Matthæus ſcribit, Dominum aſcendiſſe in montem, & ſediſſe in eo, ſi non voluit ſignificare, in eo eſſe habitum ſermonem à Domino ſedente in monte? reſpondeo: Matthæus inſtituens in principio prædicationis Chriſti ſummam ponere Euangelicæ perfectionis, non potuit electionẽ Apoſtolorum in monte factam præponere, quòd necdum ſuam vocationem cõmemoraſſet; montis tamen & acceſſus diſcipulorum ad Chriſtum fecit mentionem: vt ſignificaret, legem Euangelicam, quæ hoc continetur ſermone, è monte profectam, vnde & vetus profecta fuit lex; atque hunc ſermonem potiſsimùm dictum eſſe diſcipulis & Apoſtolis, quibus quædam eius partes ſunt propriæ: quòd ipſum etiam volens ſignificare Lucas, *Et ipſe*, inquit, *eleuatis oculis in diſcipulos ſuos dicebat*.

Et hoc etiam ſoluitur argumentũ: Chriſtus in montem aſcendit, & acceſſerũt ad eum diſcipuli eius: in monte igitur, & non in loco campeſtri concionatus eſt.

Exod. 19. & 20. & ſeq.

Vel dici aliter poteſt ſecundum Auguſtinum, in aliqua excelſiore montis parte primò cum ſolis diſcipulis Dominum fuiſſe, quando ex eis illos duodecim elegit; deinde cum illis deſcendiſſe, non de monte penitus, ſed de ipſa montis ſummitate in campeſtrem locum, id eſt, in aliquam æqualitatem, ſeu planitiem latere in montis poſitam, quæ ampla erat, & multas capere poterat turbas; atq; ibi ſtetiſſe, quoad turbæ congregarentur: at poſteà cùm ſediſſet, acceſsiſſe propinquiùs diſcipulos ſuos ad eum; atque ita ijs, cæteriſque præſentibus vnum habuiſſe ſermonem, quem Matthæus & Lucas narrauerunt. Iuxta priorem conciliandi modum, illa verba Matthæi: *Et cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*, collocanda eſſent ante illa, quæ in Marco, Lucaq; de electione habentur Apoſtolorum: ſecundum verò poſteriorem modum illud foret collocandũ poſt electionem, & deſcenſum de monte, ante illud Lucæ: *Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos, &c.*

Altera ſolutio Auguſtini.

Quomodò vtraq; ſolutio poſſit cõſiſtere.

Quòd verò Matthæus plures beatitudines deſcribat, quàm Lucas, nihil veritati officit: quia in illis paucis Lucæ, illæ multæ Matthæi continentur: vt ſuo loco dicemus. Et quòd plura Matthæus referat à Domino dicta, quæ Lucas alijs in locis ſparſim commemorat, mirum eſſe non debet: fieri enim poteſt, vt quædam nunc dicta, Lucas poſteà referat per recapitulationem, & Matthæus nunc quædam inſeruerit per præoccupationem: videtur enim Matthæus ſummam Euangelicæ doctrinæ, ſparſim licèt à Domino, diuerſiſq; traditam temporibus, ſemel ſimul complecti voluiſſe; ſicut & alibi, dum Chriſti refert ſermones, ea coniungit, quæ apud Lucam in diuerſis reperiuntur locis, quæ veriſimile eſt à Domino bis eſſe dicta. Ex his ergo liquet, vnum & eundem ſermonem eſſe, qui apud Matthæum habetur, & qui apud Lucam. Quare quæ permittuntur in Luca, ſunt proponenda hoc loco, & explicanda, nempè illa: *Et deſcendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa & Ieruſalem: & maritima, & Tyri, & Sydonis, qui venerant vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eũ tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Vt igitur ad textus expoſitionem accedamus; ait Matthæus: *Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem.* Omnis lex conſideranda eſt ex triplici capite. Primo quidem, vt ab ipſo autore, ſiue legiſlatore proficiſcitur; quem ſuperiorem eſſe oportet illis, quibus lex traditur; vt quãto ſit ſuperior, tanto ſit lex dignior atque præſtantior. Deinde ab his, quibus datur; nam lex alia datur pueris, alia viris. Tertio ab ijs, quæ continet; quæ quanto ſunt digniora, & maiora, tanto lex eſt excellentior habenda & nobilior. Cùm ergo dicitur: *Videns Ieſus turbas*, legiſlator Chriſtus exprimitur: nam ad legem ferendam opus eſt adeſſe poteſtatem & autoritatem in eius latore & promulgatore: nam ſi quicquam mihi mandatur ab eo, qui autoritatem ſuper me non habet, tametſi quod pręcepit, ęquum ſit, & cum ratione coniunctũ, non tamen eſſet lex, vel mandatum verũ, ob defectum poteſtatis cenſendũ: quòd ſi duo idem præcipiant, quorum vnus autoritatem in me habet, alter verò ea eſt deſtitutus: reſpectu eius, qui præditus eſt poteſtate, lex erit, non autem reſpectu alterius. Quòd ſi duo qui poſſent imperare, vnum & idem mandarent; non vna eſſet lex omninò, ſed duæ; nec vnum mandatũ ſed duplex, ob vires diuerſas mandantiũ, vel leges condentium: vt ſi idem mandent puero paterfamilias & pædagogus, vel idem præcipiat Sacerdoti Papa & Epiſcopus: nam etſi idem dicatur in ſimilibus ſententiis, non eſt tamen mandantis autoritas eadem & poteſtas. Si ergo vnum & idem

Hæc etiam [illegible]tro diluitur: Cũ Matthæus octo, quatuor Lucas cõmemorent beatitudines, hoc [illegible] ſermo-

nes fuiſſe diuerſos.

In Matthæo quid obſeruandum.

Ex tribus omnis lex conſiderari debet.

In legislatore poteſtatem neceſſariò requiri.

Legiſlator Moſes Chriſto legiſlatori cedit.

idemdicat lex Moyſi, & lex Chriſti; (quã-quam non omninò in omnibus veritatem habeat) mirum eſſe non debet; nec ſtatim vna lex erit, ob ipſos varios legiſlatores, & varium legum vigorem: & tamen ſi eadem omninò præcepiſſet Chriſtus, quæ

Exod. 20. & alibi.

Moyſes, tamen lex Moyſi diceretur abrogari per legem Chriſti; ſicut verè ſublata eſt. Et ideò ſi quis modo ſeruaret præceptum Moyſi non furandi, vt præceptum à Moyſe, peccaret; ſicut ſi faceret contentum in lege Moyſi, & non contentum in lege Chriſti, nec iſte facere legem Moyſi diceretur, quoniam in illa & hoc continetur; vt adueniente Chriſto ipſe Chriſtus, & non amplius Moyſes audiatur.

Deut. 18.

Prophetam, inquit, *ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorũ ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturq́; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.*

Quibus verbis Apoſtolus legem Euangelicã à Moſaica diſtinguat.

Et ita in ipſis Scripturis hæ duæ leges, vt diſtinctæ ponuntur. Nam *Olim Deus loquẽs Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*; iterum, *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo factus eſt firmus, &c. quomodò nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* ac rurſus, *Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricauit illam*; & iterum, *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit*: & quæ ſequuntur.

Heb. 1.
Heb. 2.
Heb. 3.
Heb. 10.
Deut. 19.

Cum à Deo omnes leges emanent, cur non etiam ab eo ſuam autoritatem accipiant.

Quæ omnia vt melius apprehendantur, aduerte, omnem legem à Deo proficiſci, & Naturæ, & Moyſi, & Chriſti, & Ciuilem, & Canonicam: nec tamen ab eo omnes dignitatem accipiunt: nam alioquin omnis lex in hoc æqualis eſſet alteri; ſed à proximo legis miniſtro: ſic Veteris legis miniſtri ſunt Moyſes & Angeli: legis Naturæ miniſter extitit lumen quoddam interius ingenitum, quod bonum malumque nobis oſtendit, quodq́ue commune eſt omnium, & naturæ fines minimè excedit, nec omnia docet. Nobilior miniſter legis Moyſes, ex quo gloriabatur ille populus: *Non fecit*, inquit, *taliter omni nationi: & iudicia ſua non manifeſtauit eis*: & alibi, *Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cũctis ſupplicationibus noſtris*; Salomon quoque, *Plurima ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi*; Item Paulus, *Quid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circumciſionis? Multũ per omnẽ modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei*; rurſum, *Si autem Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora inſtructus per legem.*

Ioan. 1. & Act. 7 & Gal. 3.
Pſal. 147.
Deut. 4.
Eccleſ. 3.
Rom. 3.
Rom. 2.

Quanto maior Moyſe legiſlator Chriſtus.

At præſtantior Moyſe Chriſtus eſt: nam ille ſeruus eſt, hic filius. Ille de domo, hic fabricator domus. Ille per Angelos legem accepit, hic à Deo immediatè hinc Ioannes, *Deum nemo vidit vnquam* (id eſt, non vidit Moyſes) *vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*: & rurſus, *Ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* Ideò lex noſtra ſummæ eſt veritatis: non ratione humana, quæ ſæpè falli ſolet, innixa; non per hominem, nec ab homine, nec per Angelos, ſed à Deo per Ieſum Chriſtum filium Dei, & Deum ipſum. Et ille hoc dicitur: *Videns Ieſus turbas.* Ac prior quidem videt turbas, quàm videatur ab eis: quia prior diligit, & viſu ſuæ prouidentiæ nos ad ſe trahit. Videt autem, vt paſtor oues errantes & famelicas, vt cibo verbi Dei eas paſcat, & ab errore peccati, ad rectam viam legis adducat; & vt proſpiciat illis de paſtoribus, qui vitæ ſanctitate & doctrina eas paſcant: quales fuerunt Apoſtoli ibi creati; & vt eleuet eas ſupra turbas, tradendo doctrinam altam & verã. Et videt Ieſus, ab errore illas ſaluas faciens, donec miſſo Spiritu S. in die Pentecoſtes, eas ab omni ira Dei, & malo ſeruet.

Hebr. 3.
Ioan. 1.
Infra 8.

Præſtantia legis Euangelicæ.

Cur prior videat turbas Ieſus, & quomodo.

1. Ioan. 4.

Vidit autem turbas congregatas & confertas ad ſe confluere (ſic enim olim collectum populum Moyſes habebat ante oculos) quas hunc audiſſe ſermonem, non eſt dubitandum: nam inprimis dicitur, illis viſis aſcendiſſe in montem ad docendum; deinde cap. 7. ſcribitur ante deſcenſum ab hoc monte: *Et cùm conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrinam eius*; & Lucas ca. 7. *Cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intrauit Capharnaum.* Tertiò, lex dari non debet paucis, ſed multitudini; ideò omnes Iudæos voluit adeſſe Moyſes, quo tempore lex ferebatur. Quartò, non ſatis perfectè Dominus legem docuerat, quia hactenus nõ tradiderat præcepta vitæ; ſed pœnitentiã, & regnum cœlorum prædicauerat. Conueniebat etiam hoc ſtatui Noui Teſtamenti, in quo ſunt omnes familiares & docibiles Dei, vt tradit Ioannes: ideoque eleuati à turba ſunt; cùm in lege Moyſi pauci admodum à Deo per Angelum ſint edocti: & in plano erant, quia nondum erecti in gratiam, ad obediendum legi.

Act. 2.

Turbas Domini audiſſe ſermonem, oſtenditur multiplici ratione.

Matth. 4.
Ioan. 6.

Hic & illud annotandum venit, non eſſe illicitum, turbas atque frequentiam populi affectare ad docendum, tùm ob Dei gloriam, tùm ob earum ſalutem, tùm denique ob ſe ipſum in ordine ad Deum dilectum.

Cõcionatori quatenus bonum auditorum affectandum tantum modo.

dilectum. Non licet autem propter ſe, ita vt ſiſtat in ſe; nam qui ſic optaret conſertum auditorium, expoſitus eſſet iactantiæ ſiue vano ſtudio ſibi placendi, periculo adulationis, nouitatibus, erroribus, auaritiæ proſtituendi verbum Dei, audaciæ, impatientiæ, & multis aliis infirmitatibus ac vitiis, quibus humana imbecillitas eſt obnoxia. Proinde ſeriò orandum eſt pro prædicatore, ſiue doctore; ne, dū ſeipſum quærit, parum fructuoſe proponat verbū Dei, fiatque cymbalum tinniens, aut candela accenſa, quæ dum aliis lucem exhibet, ſeipſam ſenſim abſumit.

Legem Chriſti toti mundo communiſſimam fuiſſe tradendam.
Exod 19. & 20.

Rurſus conſiderandum eſt, Chriſtum abſolutum legiſlatorem, Deum & hominem, & Saluatorem omnium extitiſſe. Lex namq; dari non debet paucis, ſed multitudini: ideò omnes Iudæos voluit adeſſe Moyſes, quo tempore lex ferebatur: vt dictum eſt: verùm illa lex Iſraelitis data, noſtra verò vniuerſo orbi: hinc Iudęi grauiter peccabant, qui ſe ſolos ſub Dei prouidentia exiſtimabant: quos reprehendēs Paulus ait: *An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Imò & Gentium*: ex quo idem inquit, in Chriſto Ieſu non eſſe maſculum & fœminam, Gentilem, & Iudæum, circumciſionem & præputium, Barbarum & Scytham, ſeruum & liberum: ſed omnia in omnibus Chriſtum, ſiue, vt alibi dicit, nouam creaturam. Chriſtus etenim teſte Apoſt. eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium: de quo Eſaias, *Dedite in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ*: legem proinde generalem tulit vniuerſis omnium hominum cœtibus accommodatam.

Rom. 3.
Coloſſ. 3.
Quàm anguſtè atque diminutè olim ſenſerint Iudæi de diuina prouidentia.
Gal. 6.
1. Tim. 4.
Iſa. 49.

Per turbas ergo non ſolùm intelligas diuerſas nationes, ſed etiam qualitates auditorum, qui commoti ac perturbati ſignificantur ex peccato, & ignorantia ſui ipſorum qua tenebantur. Sola quippè ignoratio ſui ipſius, indocilem, ac minimè capacem hominem reddit doctrinæ Euangelicæ, & legis fidei. Aegrotus enim quamdiu infirmitatem ſuam ignorat, ineptum ſe ad curationem recipiendam conſtituit, nec medicum accerſit, imò illum ſpernit: verum agnito morbo, quo laborat, quærit medicum, eiuſq; opem implorat. Proinde magna ratione lex Euangelica ante id tempus non eſt data, quoniam mundus ab initio in ſuis philoſophis viſus eſt ſibi ſæpè, ob inoatam φιλαυτίαν, ex qua cęcitas, ſuperbia & arrogantia oriuntur, & vt Paulus ait, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, traditiq; in reprobum ſenſum. Verùm qui minus erant inſipientes inter eos

Quid turbæ audientes Domini ſermonem ſignificent.

Cur tardius data lex fuerit euangelica.
Rom. 1.

tatere cæperunt ignorantiam ſuam, vt Socrates, qui dicebat: *Hoc vnum ſcio, me nihil ſcire*: vnde & aram ignoto Deo in vrbe ſcientiarum Principe conſtituerunt; & ipſa profeſſione dociles Dei facti ſunt: vnde audierunt: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego Annuntio vobis.* Et infra, *Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nūc annūciat hominibus, vt omnes vbiq; pœnitentiam agant.* Turbæ igitur ſignificant mundum agitatum & turbatū agnitione propriæ miſeriæ & ignorationis; & deſiderio medici impulſum: & hoc facit Ieſum aſcendere in montem, & legē tradere. Porrò hæc turba, vt teſtatur Lucas, ex multis partib. confluxerat, nempè ex Ieruſalem, totius regni metropoli, & ab omni Iudæa, id eſt forte, ſiue tribu Iuda; & à maritima Tyri & Sidonis, id eſt, ex aliis tribubus finitimis ac vicinis illis ciuitatibus Gentiliū, ex quibus nonnullos Chriſti concioni adfuiſſe, haud eſt improbabile. Erat enim Chriſti doctrina & legiſlatio eius generis, vt oēs raperet in admirationem ſui. Quo autem ſtudio, & quamobrem ad eū venirent explicuit Lucas, cùm ait: *Qui venerant vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.* Princeps ergo eorū ſtudium fuit, audire Domini prædicationē, quæ & ex loquētis autoritate, & eorū quæ dicebat, magnitudine, vehemēter corda hominum concutiebat, atq; inflāmabat, huiuſq; rei gratia, longum iter conficere homines non recuſabant (etſi non oēs philoſophiæ huius theſauri explicarentur) quod noſtram ſocordiam vehementer, & tepeditatem reprehendit, qui tam frigidè ad diuina audiendi accedimus; ad ſpectacula verò, vbi fabulæ recitantur, aut circumforanei quidā noua aliqua pollicentur, omnes certatim magna alacritate concurrimus. Accedebāt præterea ſtudio conſequendæ ſanitatis à morbis, & à ſpiritibus immundis, quibus vexabantur: quippe & illa ſpirituum immundorū vexatio ad corpus pertinebat, tametſi illa vexatio animi etiam affectionibus officeret, vt febres, cæterique grauiores morbi, qui rationis vſum impediunt: tunc autem ſpiritus immundi animū vexant ac torquent, cùm ad vitium trahunt: etſi id genus vexationis, ſuo vitio, à paucis intelligatur. Chriſtus autem huiuſcemodi beneficia libenter impertiebat, quo ſe proderet Saluatorem, ac vt ſcripſit Euthymius, à cura corporū, ad illā animarum. Nam ita ſemper ab illa tranſit ad iſtam, & rurſus ab hac tranſit ad iſtam, vt variam præſtet vtilitatem. Et corpora

Act. 17.

Luc. 6.
Prima ratio cur tot vndique turbæ ad Chriſtū audiendū concurrerent.

Quamnam pia illa, tum ſancta turbatum curioſitas, impiam & profanam damnare curioſitatem videatur.

II. Ratio.

Euthym. in Matth. c. 4. in fine.

quidem

quidem in radice montis, animas verò in monte ſanabat.

Omnis turba quænam quæreret Chriſtum tangere, & quare.

Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Quod ait, omnem turbam quæſiſſe eum tangere; denotat, vel eam turbam, quæ morbo aliquo corporis afficiebatur, vel omnes, qui nullo morbo laborabant, optaſſe illũ tangere; ob reuerentiam ſcilicet & fidem; minimè dubitantes ex illo contactu cœleſte aliquod munus ſe adepturos. Ita enim fieri cernimus, vbi de aliquo eſt opinio ſanctitatis concepta; quærunt enim illum tangere, arbitrati ex illo contactu lucri aliquid ſe facturos: vnde & apud nonnullas Italiæ ciuitates mos eſt, vti Sacerdotem in templo ſacris indutum veſtibus, certatim quiſque tangere contendat; præſertim verò peracta re diuina. Atque hic modus dicendi obſeruandus eſt, nam ſoli Saluatori Chriſto competit; etenim reliqui omnes & Apoſtoli, & Martyres, & quicunque miracula aliqua & ſigna ediderunt curationis, non ſua, ſed Dei virtute id præſtiterunt: vt dici non poſsit, virtutem de illis exiſſe. Idcircò Petrus reſpondit ad populum claudi ſanati admiratione ſtupefactum: *Viri*, inquit, *Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?* Proprium ergo Chriſti eſt, vt ab eo virtus exeat: & vt operetur, non aliena, ſed propria virtute: quo verbo Dominus eſt vſus, cùm inquit: *Tetigit me aliquis? nam & ego noui virtutem de me exiſſe.* In quæ verba ſic ſcribit Theophylactus: *Propheta & alij ſancti, non habebant virtutem à ſe egredientem. Non enim fuerunt fontes virtutum: at Dominus habuit virtutem à ſe egredientem, quãdoquidem ipſe fons virtutum. Et ita Prophetæ ac Sancti virtutem ſuam ſupernè acceperunt.* Hæc ille. Porrò hoc non dicimus in contemptum Diuorum, ſed pro veritate in gloriam vnigeniti Filij Dei. Non enim poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo: ita omnes ſancti de plenitudine Chriſti accipiunt: nam vt idem & vnus animus diuerſis corporis organis, varias exercet functiones, quippè manibus apprehendit, oculis cernit, lingua loquitur, pedibus ingreditur; ita vnus atque idem Chriſtus per varios & diuerſos ſanctos, quaſi per membra ſua pretioſa ac dilecta, varias ſanitates, variaque miraculorum munera operari dignatur; vt non tam ipſi ſancti, quàm Chriſtus per eos operetur.

De Chriſto ſolo, non ex vllo Sanctorum, virtutẽ exire poſſe ſanantem.

Act. 3.

Luc. 8.

Theophyl.

Sanctorum omnis virtus à Chriſto.

Ioan 3.

Supra 1.

Diuina Chriſti virtus quo modo eius.

Cùm autem hæc virtus, quæ à Chriſto egrediebatur, & omnes morbos propulſabat, vis eſſet ſpiritualis & infinita, per metaphoram dicitur egredi, ſiue exire, quatenus ad eius contactum omnes morbi fugabantur. Nec enim propriè loquẽdo virtus diuina corporea exiſtit, vt fluxum habeat, vel egreſſum: niſi quòd Spiritus ſanctus propter noſtram ruditatem ac tarditatem, eam vt corpoream & fluxum habẽtem repræſentabat, vt eam quoquo modo apprehenderemus.

exiret è corpore.

Quòd verò Petrus à Palude in quartum ſententiarum ſcribens excogitauit, quòd quemadmodum nulla eſt corporis ægritudo, vel morbus, contra quem non ſit aliqua vis creata, vel in herbis, vel in radicibus, vel in plantis (quanquam eiuſmodi virtus interdum poſsit eſſe ignota, noſque ipſos latens) ita, inquit, corpus Chriſti omnibus fuit affectum virtutibus, omneſque gratias opitulandi habebat ad ſanandum, quas omnes creaturæ corporeæ habent ad huiuſmodi morborum expulſionem: mihi neque veriſimile ſit, neque admodum probabile: nam inde conſequeretur, quòd natura, & nequaquam miraculo Chriſtus ſanaret. Sunt prætereà virtutes quædam naturales inter ſe contrariæ, atque ad contrarios effectus producendos accommodæ. Eſſent ergo huiuſmodi virtutes oppoſitæ, atque inter ſe pugnantes, in vno eodemque ſubiecto ſimul: quod certè à ratione videtur alienũ. Prætereà nonnullæ ſunt infirmitates, ad quas curandas naturæ virtus ſe minimè extendit: veluti innata eſt cæcitas, atque mortui reuocatio ad vitam, quos ad morbos medendos ſiue vitia, nulla eſt prorſus vis ac poteſtas in natura: corpus ergo Chriſti ad ſimilia præſtanda virtute naturali eſſet deſtitutum. Quamobrem perſpicacius certiuſque loquuntur, qui hæc omnia opera diuinitati aſsiſtenti, & per corporis Chriſti membra operandi tribuunt; quod certè, vt veritati magis conſonum & cohærens, intrepidè recipiendum eſſe exiſtimo. Non enim ſanctos Patres hæc vis corpori Chriſti indita latuiſſet, vel quoquomodo incognita fuiſſet; & ſatis erat ſanctiſsimo illi Chriſti corpori ad illud omnifariam illuſtrandum ad decorandum, quod virtutem diuinitatis deliteſcentem haberet ad omnium ſanitates & miracula efficienda vim continẽtem, quoties, quando, & vbi vellet. Nos igitur, ſi ſapimus, ad Chriſtum cum turba magna fide confluamus, vt illum audiamus, & per auditum ſanitatem animi conſequamur; tùm vt fide illum contingentes morborum noſtrorum ſpiritualium medici-

Petri à Palude eam Chriſti virtutem corporis eius qualitati naturali perfectiſſimæ tribuentis confutatur opinio.

Chriſti diuinitatis eiuſmodi virtutẽ fuiſſe tantum modo.

Turbarũ ad Chriſtum audiendum, ſaluſque corporum ab eo beneficia recipiẽda quid nos doceat ille concurſus.

nam

Matth. 9.
Fimbria veſtimẽti Chriſti quæ myſticè.

nam accipiamus. Ita enim nobis continget, vt ſi ex fide dixerimus : *Si tetigero tantũ fimbriam veſtimenti eius*, optatam ſalutem comparemus. Eſt autem fimbria veſtimẽti eius, ſacroſanctum Euchariſtiæ myſterium, quam qui nõ tantùm dentibus premit, ſed fide in primis ac venerabundus ſuſcipit, diuinam profectò virtutem vitiũ expellentem; & diuinæ gratiæ communicationem donantem in ſe experietur, ope ac meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti qui cum Patre & Spiritu ſancto ſemper viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS III.

In illa verba Matth. 5. *Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos dicens.*

IAM tempus eſt, vt ad aliorum verborum expoſitionem accedamus. Ait itaque Matthæus, *Aſcendit in montem.* Explicandum in primis, quis fuerit hic mons; & cur in eo legem ferre decreuit; & in qua montis parte ſermonem hunc tam lõgum habuerit.

In quem mõtem Chriſtus aſcenderit.

Cùm autem Dominus eſſet in Galilæa, non longè à Capharnaum, in quam, ſermone completo, ſe recepit: conſequitur, non fuiſſe montem Oliueti, vt aliqui putabant, quos prætereà reprehendit B. Hieronym. in hoc capi. 5. Matthæi, aut aliquem alium montem Iudææ: & communi omnium Doctorum conſenſu, maximè B. Hieronymi in loco prædicto, traditur fuiſſe mons Thabor: de quo Egeſippus lib. 4. de excidio Ieroſolymitano, ſcribit, quod eius altitudo eſt triginta ſtadiorum, vertex autem ipſe campeſtris viginti tribus ſtadiis iacet: diſtat per iactum lapidis à mari Galilææ, miramque rotunditatem habet, qui nomen dedit ciuitati ſitæ in tribu Zabulon Leuitis datæ 1. Paralipom. 6. de quo Pſal. 88. ait Dauid: *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*: diſtat verò ab Hieruſalem per quadraginta leucas. In hoc eodem monte Dominus pauit quinq; millia hominũ quinque panibus; proinde Menſa dicitur: Fugitque Dominus in eum, cùm turbæ vellent eum Regem creare, Ioan. 6. In eodem monte creditur peractum myſterium orationis & transfigurationis. Atq; hactenus de primo articulo.

B. Hieron. to. 6 in prin.
Egeſippus.
Mons Thabor quis ille.
1 Paral. 6.
Pſal 88
Matth 15.
Ioan. 6.

In monte legem Euangelicam Chriſtus cur dederit.

Ad ſecundum verò: legem in monte dare conſtituit, quia olim populus Iſrael, in monte exiſtente Moyſe, legem acceperat. Deinde vt impleret vaticinium Eſaiæ: qui ait: *Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion*; & in alio loco, *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent, Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbũ Domini de Ieruſalem*: quæ omnia in huius montis aſcenſu, & lege à Domino lata completa eſſe videntur. Ac de induſtria quidem ab Spiritu ſancto videtur ſuppreſſum nomen montis; vt typus & figura eſſet montis Sion, vnde proditura erat lex, iuxta Prophetam: nam vmbræ & figuræ non ſolùm ad Domini mortem, verum etiam ad diẽ Pentecoſtes durabant.

Iſai 40.
Iſai. 2.

Eum montẽ cur tacuerit Euangeliſta.

Adhæc, montem conſcendit, vt legem ferret: nam omnia ferè inſignia Chriſti geſta in monte peracta ſunt: veluti Incarnatio in Nazareth, quæ ſuper montem ſita erat: Præſentatio in templo in monte Sion poſito: Ieiuniũ, tentationeſque dæmonis in montibus factæ: Orabat in monte Dominus: Saturauit turbam in monte: Transfiguratus fuit in monte: Solennem introitum in die Palmarum per montem Oliueti tranſeundo confecit: Sedente verò eo ſuper montem Oliueti, ſermonem propheticum & longum de excidio Ieruſalem, ac ſignis aduentus ſui ad iudicium habuit Matthæi 24. Myſterium Euchariſtiæ atque lotionis pedum, cum admirabili illo ſermone cœnam conſecuto, in ædibus, in monte Sion ſitis celebratum eſt. Ac vt olim in monte immolare iuſſus eſt Abraham Iſaac filium ſuum; ita crucifixus Dominus eſt in monte Caluariæ; à quo nõ longè diſtat ſepulchrum: Apparuit diſcipulis ſuſcitatus in monte Galilææ: Ex monte Oliuarũ aſcendit in montem cœli Empyrei: indeque rurſus ad eundem montem rediturus creditur ad iudicium: conſtruxitque Eccleſiam ſuper montem poſitam de qua Dauid Propheta: *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius*: Et vt olim dictum fuit Loth: *In monte ſaluum te fac, ne & tu ſimul pereas*: ita nonniſi in monte Eccleſiæ, ſiue in Chriſto exiſtenti patet ſalus. Ipſe Dominus etiam montis nomine eleuati ſupra verticem montium, ab Eſaia, Michæaque deſignatur: de hoc quoque Pſalmiſta: *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis: vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*: etenim Do-

Quænam in monte Chriſti peracta myſteria.
Luc. 1.
Infra 4.
Suprà 2.
Infrà 4.
Infrà 6.
Infrà 9.
Ibidem.
Infra 19. & ſequen.
Matt. 24. & ſeq.
Matth. 26.
Ioan. 13.
Ioa. 13. 14. 15. 16. & 17.
Gen. 22.
Matth. 27.
Ioan 19.
Matth. vlt.
Act. 1.
Matth. 25.
Pſal. 47.
Geneſ. 19.
Iſai. 2. &
Mic 4.
Pſal. 67.
Mons Dei, mõs pinguis mons coagulatus, &c, qui myſticè.

minus habitabit in finem humanitatem Chriſti, in qua diuinitas perpetuò habitauit, montem Dei, & montem pinguẽ, pretioſiſsimis videlicet donis ornatam vocare videtur. Sanctiſsima item Deipara mõtis ſymbolo apud Danielem deſcribitur; de qua præciſus eſt lapis (ſcilicet Chriſtus) ſine manibus, qui percuſsit ſtatuam, & factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram, Daniel. 2. Apoſtoli prætere a montes dicuntur, iuxta illud: *Fundamenta eius in montibus ſanctis*: ſunt enim Apoſtoli montes ſancti ſiue Deo dicati, qui locum fundamentorum in Eccleſia Dei ſuſtinent. Quòd ergo Dominus ad ſua peragenda myſteria montes elegerit; ita vt de eo meritò dicat Sponſa: *Vox dilecti mei, Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliẽs colles*: non ſine cauſa factum eſt. Voluit enim in primis ſignificare, ſua omnia ſublimia eſſe & eminentia, longeque ſuperare captum noſtrum, & intelligentiam. Deinde, vt oſtendat, ad omnium exemplum eſſe facta, & tradita: *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Voluit inſuper ſe oſtendere peruigilem ſpeculatorẽ domus Iſrael. Eſt etiam Ieſus omnium oculorum obiectum & ſatietas: voluit docere terrenorum temporaliumque rerum contemptum; mentis pariter eleuationẽ, in qua tantum eſt oratio, cibus & quies, & doctrina, & crux, & gloria.

Dan. 2.
Mõtes etiam qui nomine deſignentur.
Pſal. 86.
Cur ſua Chriſtus myſteria in montibus operari voluerit.
Cant. 2.
Matth. 11.
Ezech. 33.
Orationis fructus.

Deſignat etiam hic mons cœlum Empyreum, vnde daturus legem Spiritus in die Pentecoſtes, mente acceſſerunt ad eũ diſcipuli eius: quibus ipſe aperuit ſenſum, vt intelligerent Scripturas; aperuit & ora, quatenus variis linguis reſonarent magnalia Dei. Peculiari etiam ratione doctrina Chriſti in monte tradenda erat, vt olim lex Moyſi in monte Sina, nec non lõgus ſermo in tẽplo habitus die Martis ſancti, à 21. cap. Mat. ad 23. in monte quoq; Oliueti eadem die à 24. cap. Matt. ad 26. excluſiuè. Præterea in monte Sion ſermo in Cœna Domini nuncupatus, eſt habitus. Etſi ergo omnibus Chriſti actionibus maximè tamẽ eius doctrinæ quadrat mons: vt pulchrè dictũ ſit à Propheta: *Quàm pulchri ſuper montes pedes euangelizantis pacẽ, euangelizantis bona*. Tùm quia ſublimis eſt in ſe ac recondita pluſquam omnis humana doctrina, imò etiã pluſquã prophetarum; & maiora iuſtitiæ præcepta cõplectitur: nunquam enim ſic locutus eſt homo: & qui de cœlo venit, ſuper oẽs eſt: & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur: tùm etiam quia hæc doctrina mentẽ ad diuina erigit, & cum ſit ignita, in deos transformat eius cultores: tũ quia cõmunis eſt, & ab omnib. audienda, vtpote omnib. neceſſaria ad ſalutẽ: quẽadmodum olim decem præcepta tantũ in monte data ſunt à Deo; cùm reliqua omnia, vt poſitiua, per Moyſen pronũtiauerit: tùm denique quoniam Doctor & auditor huius diſciplinæ in monte Eccleſiæ, extra quam minimè intelligitur, neq; capitur; & in monte debet eſſe virtutis, vt in montem cœli aſcendere dignus ſit: quemadmodum ex monte Oliueti Chriſtus aſcendit.

Luc. vlt.
Act. 2.
Exo. 19 & 20 & ſeq.
Euangelicã in monte tradi debuiſſe doctrinam multis de cauſis.
Iſa. 52.
Rom. 10.
Ioan. 7.
Ioan 3.
Ibidem.
Exod. 20. & ſeq.

In lege autẽ Moyſi ferenda, Deus legitur deſcendiſſe ad montem, quaſi daturus temporalia: ſed turba eò non aſcendit, cãcellisq; arcebantur montẽ tangere: & ſi beſtia tetigiſſet montẽ, lapidanda erat: proinde turba terrore proſtrata eſt, non valẽs audire verbum Dei: hic autem Deus manſuetus, primo deſcendit factus homo, vt nos amore humiliaret ſuo: deinde verò aſcendit in montẽ, quaſi largiturus ſpiritualia nobis, amoreque ſanctonos eleuaturus. Et cùm in cacumen montis aſcenderit, mõtemq; deitatis ipſe per vnionem hypoſtaticam poſsideat; accõmodauit ſe tamen nobis, ſtando in loco cãpeſtri virtutũ, vt eius virtutes imitemur, deitatẽq; eius per gratiam participemus. Porrò aſcendit Chriſtus in montẽ ſuo marte, tãquam dominus, Moyſes autem nonniſi vocatus à Domino vt ſeruus, quoniã de Aegyptiis peccati aquis aſſumptus erat à matre, & liberatus à lege Pharaonis, id eſt, diaboli, ſecundùm quam viuere non debebat: de aquis ergo, quia (vt Chriſti verbo vtar) de deorſum venit, aſſumptus eſt; ac proinde ſalutẽ, qua ipſe egebat, aliis præſtare nõ potuit: Chriſtus verò de ſurſum venit, & immerſit ſe in aquas Iordanis, quas puras reddidit ad baptiſmum. Aſcendit Moſes in montem Sina in Arabia, qui generat in ſeruitutẽ, & ad inimicitias. Sina etenim interpretatur rubus, vel inimicitia, Arabia verò, captiuitas: nam lex illa iram & maledictionem operatur, nec tollit inimicitiam peccati, ſed auget: Ieſus verò montem Thabor conſcendit, ex quo legem tulit: interpretatur autẽ Thabor, electio ſiue puritas, Syriace aũt contritio vel confractio: quia in illo mõte Chriſtus diſcipulos eligit duodecim legẽ puriſsimã ac irreprehenſam tulit, quæ perfectam cordis contritionẽ, & carnis cõfractionem ſiue mortificationẽ operatur.

Actor. 1.
Quid quòd olim Dominus deſcendens in montem, legem veterẽ, Chriſtus verò nũc aſcendens in montem, legem afferat nouam.
Exod. 19.
Infrà 20.
Ibidem.
Suprà 1.
Aliter Chriſtus legem daturus, aliter Moſes, montem conſcendit.
Exod. 2.
Ioan 8.
Matth. 3.
Gal 4.
Sina, Arabia, Thabor quid ſonent.
Rom. 4.
Gal. 3.
Luc. 6.

Prior autẽ ipſe Chriſtus aſcendit, quẽ poſtea ſecuta eſt turba quærens eum tangere. Nam qui alios docere inſtituit, prius vt ipſe doctus ſit oportet. Concionẽ etiam tam longã debuit præcedere ſegregatio à turbis, & oratio, & nouæ legis promulgatio,

Quare prior Chriſtus turba montem aſcenderit.

tio, ac veteris inrerpretatio à Deo profecta videretur. Et hæc de ſecundo.

Qua parte mõtis Chriſtus ad turbas prædicauerit.

Ad tertium; vt dictum eſt, & vt Lucas concilietur cum Matthæo, primum Dominus cacumen montis ad orandum aſcendit; deinde ad planam partem in monte ſitam deſcendit, quæ dicitur locus campeſtris, Lucæ 6. ſecundùm Auguſtinum, vt etiam ſolitudo campeſtris, Deuter. 1. & 29. via Horeb per montem Seir ad Cades Barnæ. ibi ergò Chriſtus primò ſtetit ſpectans congregationem turbarum tardam & pigram greſſibus corporis, tardiorem verò animo, atque mente ad intelligendum. Deinde ſedens docuit primò diſcipulos propius exiſtentes, ne à turba comprimerentur: vnde ſubdit: *Et cùm ſediſſet*. In primis hęc ſeſſio ſignificabat longum futurum ſermonem: non enim propter pauca verba dicenda ſediſſet Dominus. Dein ſignificare voluit dignitatem & autoritatem magiſterij & doctoratus ſui: vt docet Auguſtin. Sedet enim vt Rex, Magiſter, & Iudex: ideò Moyſes ſtabat vt miniſter: Chriſtus vt Dominus recumbit. Præpterea deſignat pacem animi & delectationem, quam in prædicatione, hoc eſt, in piſcatione & venatione animorum habebat; vnde ſuum cibum eſſe aiebat, loqui ad Samaritanos. Ad hæc, condeſcenſionem deſignat, vt capi poſſet, vt inquit Bernard. & ad eum accedere poſſent turbæ, quem ſtantem nec Angeli capiunt ipſi; Moyſes verò ſtans introiuit in nebulam, ac terrens tanquam pedagogus velut ad pueros minimè capaces loquebatur. Deſignatur item doctrina Chriſti matura, grauis, duratura: quia ius naturę, quod vt plurimum explicabat, lex eſt immutabilis & perpetua, nihil, in hoc ſermone quod ſit iuris poſitiui, quod videlicet antequam ſtatueretur hoc loco, eſſet indifferens: ſed omnia quæ hic ſtatuũtur, per ſe bona ſunt, ac proinde nullo tempore mutanda: quod Euangelicæ legis indicat perſectionem: cui egregiè competit Prophetæ dictum, *Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſeculum ſeculi.* Quin etiam poſſidebat Dominus quę dicebat: quando verò deambulabat in porticu Salomonis, ſignificabat deſerendam fore ſynagogam, quantum ad obſtinatos, atque ad Gentes migrandum: vel, vt indicaret circuitus verborum, quos magna gratia & prudentia faciebat, vt hanc vel illam animam tangeret: ſic ſerpens diabolus circuit quærens quem deuoret. Interdum etiam ſtans clamabat, quia cum eleuatione mentis verbum Dei euangelizabat, paratus etiam opem ferre obicem non ponentibus contra fortem armatum, qui verbum Dei audientibus inſidiatur. Et dum ad diſcipulos ſermonem habet Dominus, ſedet; dum ad turbas, ſtat, vel ambulat: quoniam ad iam dociles Dei oportet ſermonem doctrinæ eſſe tranquilliorem, ſedatiorem, ác compoſitiorem; ad turbas verò peccatorũ, concitatiorem, ardentioremque, qualis ſermo exhortationis, correctioniſque eſſe ſolet.

August. lib. 2. de conſenſu Euangel. c. 19

Idem cur ſederit ad docendum & quę quã ſint illius ſeſſionis myſteria.

Ioan. 4.

Bernard.

Exod. 20.

Ioan. 10.

Pſal. 110.

1. Pet. 5.

Ioan. 7.

Luc. 11.

Quo modo ſedere debeat doctor legis Euangelicæ.

Poſtremò, hac ſua ſeſſione indicauit Dominus, doctorem, atq; auditorem huius legis debere ſedere animo quieto & pacato: namq; anima quieſcendo fit ſapiens, & Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Qui ergò ſedendo verbum Dei audit, profectò ei præſtare videtur qui ſtat: quippè magis quę dicta ſunt apprehender, & vberiorem fructum eliciet: vnde & in diſcipulos ſedentes deſcendit Spiritus ſanctus.

Luc. 10.

Act. 2.

Cur ad Ieſum acceſſerunt diſcipuli eius.

Acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. Propiùs acceſſerũt, ne turba eos comprimeret, & quo melius audirent, qui melius impleturi erãt; cum perfectione conſiliorum Euangelicorum, & docturi turbã; & quia plura & priora directa ſunt ad eos in hoc ſermone. Acceſſerunt igitur, quaſi audiſſent Spiritum dicentem: *Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtra non confundentur.* Nota, diſcipulos Chriſti nõ eſſe, ſicut aliorum magiſtrorum ſunt: quilibet enim poteſt ſuapte volũtate & arbitrio quemlibet ſibi eligere in magiſtrum, illique hærere abſque ſponſione vlla, vel pacto, aut nota ſuſcepta: & vbi libuerit, diſcedere: ad Chriſtum autem nemo ſua ſponte accedit, ſed vocatus, ac quodammodo tractus: *Nemo,* inquit, *poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum:* & quicunque trahitur, dat nomen, vngitur, ſignatur charactere quodam ſpiritali & inuiſibili in baptiſmo per fidem & charitatem: *Signati,* inquit Paulus, *eſtis Spiritu promiſſionis ſancto:* & promittit, & paciſcitur nunquam ab ea diſcedere: nam aliàs efficerentur apoſtatę, de quibus Apoſtolus de luxurioſis viduis loquẽs ad Timot. ſcribit: *Iam enim quædam cõuerſa ſunt retro poſt Satanam:* & Ioan. 6. *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant.* Acceſſiſſe etiam legitur turba Luc. 6. quia quærebat eum tangere: quæ tamen in legiſlatione Moyſi, neque montem tangere auſa eſt: nec ad Deum quem formidabat accedere. Et diſcipuli in acceſſu ad audiendum cognoſcuntur, turba verò ob ſigna: nec quiſquam accedere poteſt ad eũ, niſi tractus à Patre: neq; poſt datum nomen, liberum eſt diſcedere ſine crimine apoſtaſiæ, vt in alijs ſcholis eſt integrum.

Pſal. 33.

Propria diſcipulorum Chriſti nota.

Ioan. 6.

Epheſ. 1.

1. Tim. 5.

Ioan. 6.

Luc. 6.

Exod. 19.

Et aperiens os ſuum, docebat eos. Quaſi verò

His verbis E angeliſta &c.

aperiens os ſuum, &c. quę ſignificauerit myſteria.

Virg. 1. Aeneid. & alibi

potuit eſſe ſermo doctrinæ ſine apertione oris. Dicendum eſt, huiuſmodi ſermonem non eſſe periſſologiam, id eſt, vitioſam locutionem, vt cùm Poeta ait: *Et ſic ore locuta eſt*; neque rurſus periphraſin, hoc eſt, decoram, artificioſamque locutionem: verùm maxima Sacramenta eiuſmodi verbo Euãgeliſtam inſinuare voluiſſe. Ergò in primis longus ſermo futurus deſignatur; deinde plenus gratiæ & venuſtatis ſermo: quemadmodum facundum hominem deſcribens Poeta, dixit:

Ouid. lib. 13. Meta.

Paullumq́; oculos tellure moratus
Suſtulit ad proceres, ſpectatoq; reſoluit
Ora ſono.

Vbi ſcriptura eadem phraſis vſurpetur, aperiendi os ſuum ad loquendum.

Pſalm. 77. Matth. 13.

Act. 8. Infrà 10.

Iob. 3.

Significatur tertio ea voce profundorum myſteriorum detectio, iuxta illud: *Aperiam in parabolis os meum: loquar propoſitiones ab initio*, ſiue, vt Græca litera habet, loquar ænigmata abſcondita. Ita Philippus Diaconus, prædicaturus Chriſtum Eunucho, arcanaque in verbis Iſaiæ comprehenſa detecturus, dicitur aperuiſſe os ſuum, Acto. 8. Rurſus Petrus Act. 10. euangelizaturus Cornelio myſteria regni Dei, traditur aperuiſſe os ſuum: imò Iob cap. 3. diſputaturus de Dei prouidentia, atque maledicturus originali peccato, quo homo in die conceptionis, & nocte natiuitatis ſuę inuoluitur, poſt ſilentium ſeptem dierum, narratur os ſuum aperuiſſe: & Daniel cap. 10. *Aperiens os meum locutus ſum.*

Nunc maximè Chriſtum legiſlatorem aperire os ſuum ad docendum debuiſſe.

D. Chryſoſt. hom. 15. in Matth 10. & in princip. Theophyl. Euthym. Ioan. 13.

Quartò, etſi ſemper cùm loqueretur, os aperiret, hic tamen maximè, quando cœpit exordium legiſlationis & prædicationis: nun enim antea vlla præcepta tradiderat, vt hic facit: poſt apertam ergò manum, per quam cœpit vita & miraculis docere, inquit os aperire & docere verbo: vt expendunt poſt Chryſoſtomum Theophylactus & Euthymius, quo modo etiam prius aperuit manus lauando pedes diſcipulorum; ac poſteà ſedès docuit verbo humilitatem, dum inquit: *Si ergò laui pedes veſtros, Dominus & Magiſter: & vos debetis alter alterius lauare pedes.*

Qualis hæc pręilla quã die Pentecoſtes tradidit, ſit Chriſti doctrina.

Hierem. 31. Heb. 8.

Quintò, indicatur hac phraſi, doctrinam hanc externam eſſe reſpectu eius, quam in die Pentecoſtes tradidit: nam ibi ſenſum aperuit, intimamq́; doctrinam digito Spiritus ſui in corde credentium ſcripſit: vt vel hinc, quanti faciat Chriſtus talem doctrinã, quam ore ſuo docuit, vitæ exemplo conſtituit, Spiritu ſuo ſcripſit in corde, & morte ſua confirmauit, poſtremò per Apoſtolos ſuos ſignis ac ſcriptis poſteritati voluit commendari, manifeſtum appareat.

Chriſti doctrina quàm efficax, quamque ſalutaris.

Sextò, deſignatur in operatione oris diſtrictio gladij e vagina ſua ad vulnera ſalutaria infligenda. Sic enim prædixerat Iſaias, *Iſa. 49.*
armis linguæ videlicet munitum proditurum Meſſiam: *Dominus*, inquit, *ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.* (Fuit enim Ieſu nomen de cœlo allatum, antequàm in lucem ederetur.) *Et poſuit os meum, quaſi gladium acutum*, quo ſcilicet ad necem vſq; confodiatur dæmon, & vetus homo noſter putreſcat, nouus verò verbo Dei condiatur, fiatq; pretioſa eſca Dei.

Act. 4. Matth. 1. Luc. 2.

Quomodo olim Dei Filius non aperiens os ſuum, fuerit locutus.

Iob 12.

Rom. 1.

Septimò, fertur aperuiſſe os ſuum, quia prius per ſe ſine ore in mundi creatione vniuerſas erudierat creaturas, atque per illas omnem hominem peculiariter inſtruxerat: quare dictum eſt à Iob: *Nimirum interroga iumenta, & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi*; & à Paulo, *Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.*

Philoſophi vt fuerint os Chriſti.

Clem. alexan. tom. 5.

Ambroſ. in c. 12. prioris ad Corint. tom. 5.

Prou. 8.

Octauò, aperuerat olim ora Philoſophorum, & per eos ad fidem Euangelicam Gentes quodammodò præparauerat: vt conſtanter docet Clemens lib. 7. Stromatum. Veritas enim à quocunque dicatur, vt Ambroſius noſter ait, à Spiritu S. eſt: vnde & Sapientia increata de ſe ipſa teſtatur, dicens: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.*

Idem Chriſtus quomodo locutus per Angelos.

Exod. 20.

Act. 7.

Nonò, inſtruxerat Deus per Angelos hominem, tùm in multis alijs ad vitam hanc præſentem & futuram pertinentibus, tùm verò maximè in lege Moyſi ferenda: Angelus enim in perſona Dei dicebat: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis.* Hinc Stephanus concionatus eſt, Legem ordinatam per Angelos in manu mediatoris.

Quoſ etiam modo per Prophetas.

Luc. 1. Amos 3. Marc. 7. Sap. 10. Num. 2. & 2. Pet. 2. Ioan. 1.

Decimò, locutus erat Dominus per os Moyſi, atque Prophetarum, ſicut dixit Zacharias: *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt Prophetarum eius*: vnde frequens eſt apud eos vox: *Os Domini locutum eſt.* Et, *Hæc dicit Dominus exercituum, Quia non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuũ ad ſeruos ſuos Prophetas.* Per omnes ergo Prophetas loquebatur Dominus, imo & aperuerat os mutorum, & linguas infantium fecerat diſertas; & per aſinam Balaam loqui dignatus fuerat: porrò inter Prophetas nouiſſimè locutus eſt per Ioannem Baptiſtam, qui proptereà vox clamantis in deſerto appellatur. *Iſai. 40.*

Baruch 3.

Sed hiſce omnibus modis proximè præparabat Deus mundum ad audiendam vocem Filij ſui, qui poſt omnes alios carnem indutus ad nos venit, noſque alloquio ſuo dignatus eſt: quod expendens Paulus

dixit:

Heb. 1.

dixit: *Multifariam, multiſq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*, de quo Propheta ait: *Quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Proinde opus eſt ob canalem puriorem, mundiorem legem nobis eſſe oblatam; digniorem item & excellentiorem, eo quòd nonniſi ſanctificatis, atq; in filiorũ adoptioné receptis loquitur lex Euangelica: quæ etiam dulcior eſt, ac cæteris ſuauior: nã Angeli, Moyſes, Prophetæ, imò etiam ipſe Ioannes Baptiſta cóminantur, ac perterrefaciunt: Chriſtus autem blandè loquitur, & mirificè conſolatur; & amantis eſt, referre apertionem oris eius, quem gratè ac beneuolè aſpexit: nam id tandem optare fecerat ſponſam ſuam, quæ dicebat: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, quaſi dicat; Ante extimui ignem illum, quo lex dabatur, & longè à me volui eſſe Deum; & mediatore vti volui: nunc autem video quam nihil profecerim: veniat ipſe, & ore ad os loquatur mihi, me complectatur, oſculeturque: capacem me ſuæ doctrinæ efficiat mecum ſit, mecumq; laboret, qui eſt ſapientia Patris.

Iſai. 52.
Dei Filium per ſe ipſum tandem nobis loqui debuiſſe.
Matth. 3. & ſequ.
Cant. 1.
Quid illud: Oſculetur me oſculo oris ſui.
Exod 19. & Infra. 20.

Ait autem, *Os ſuum*: nam Meus, Tuus, Suus, pronomina hæc, apud Iureconſultos, ſignificant dominium & poſſeſſioné: ita ſignificatur Chriſtus, dominus oris ſui, quia os ſuum, & animam, & doctrinam poſſidebat, quã minimè tradebat, vt pueri de moribus loquentes quæ non intelligunt; nec vt comœdi & hiſtriones, qui alienam perſonam ſuſtinentes, non quæ loquuntur in corde ſuo, ſed quæ didicere ab aliis velut pſittaci, & picæ referunt. Chriſtus autem habebat fontem ſapientiæ, vnde haurire poterat quod doceret: cæteri homines, niſi inde acceperint, neq; rectè poterunt aperire os ſuum, neq; ea, quæ ad ſaluté ſpectant, docere. Quamobrem cùm nemo poſſit accipere quicquam niſi ei fuerit datum deſuper; rogare debet probus Doctor & miniſter verbi, precibuſq; pulſare diuinam Chriſti clementiam, vt dignetur dare os & ſapientiam, cui non poſſiot reſiſtere cuncti aduerſarij noſtri. Vnde Apoſtoli, qui ad hoc munus Euangelicum deſtinatos ſe eſſe cognoſcebant, dicebant: *Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus*: nec enim munere ſuo ſe rectè fungi poſſe putabant, niſi priùs orationi incumberent. Hoc non ignorans Dauid, dicebat: *Domine, labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam*: & Paulus: tuba cœli, rogat, vt detur ſibi ſermo in apertione oris; & alibi orat, vt aperiatur ſibi oſtium ſermonis: ſolet namque interdum

Quàm proprie Chriſti, ſit operire os ſuum ad docendum.
Ioan. 3.
Euangelicus concionator cur Deum oret os ſuũ, vt aperire poſſit.
Luc. 21.
Acta. 6.
Pſal. 50.
Epheſ. 6.
Coloſſ. 4.

Deus, aut propter peccata miniſtri verbi Dei, aut propter qui auditurus eſt populum, ſubtrahere verbum ſuum id: quod Paulus videtur docere ſibi contigiſſe in Aſia, & Bithynia Acto. 16. & Prophetæ Ezechieli dicitur cap. 3. *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans: quia domus exaſperans eſt.* Ac quemadmodum Dei eſt, aperire linguam Sacerdotis, vt fructuosè prædicet; ita nos, vt cum fructu audiamus, opus eſt eum nobis aperire aures: nam etſi ipſe eſt, qui excitat nos ad audiendum, cùm ait: *Qui habet aures audiendi audiat*: non eſt tamen ſalutaris auditus citra Dei auxilium: ex quo Actor. 12. dicitur Deus aperuiſſe aures Lydiæ purpurariæ, vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo.

Acto. 16.
Ezech. 3.
Verbum Dei quando vtiliter audiamus.
Matth. 13. & alibi.
Acto. 16.

Docebat eos. Initio quidem non præcipiens, vt notat Euthym. quia inuidioſum eſt præcipere; & quia veterem legem declaraturus erat: & propriè noua lex lata eſt in die Pentecoſtes; & vt libenter Phidias, nobilis ſtatuarius, præterito imperfecto vtebatur, dicens: *Phydias faciebat*: ita hic ait Euangeliſta, docebat: quia cœpit docere & tradere doctrinam, quæ in die Pentecoſtes perfecta fuit: hinc Dominus dicebat: *Paracletus autem, Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis.* Verba autem Chriſti ex fornace ardentis profecta charitatis, per Spiritũ ſanctum formata, corda inflammabant, & Spiritum Chriſti quaſi eius vehiculum in animos auditorum introducebant. Ideò, *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum*, nempè per te ipſum, & abſque vllo medio doctore.

Chriſtus quare docebat prius quam iubebat.
Euthym.
Acto. 2.
Ioan 14.
Sermo Chriſti quàm efficax.
Pſal. 30.

Docebat autem eos, ſcilicet Apoſtolos, de quibus ait Lucas: *Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos, docebat*: tùm vt modeſtiam & gratiã legiſlatoris noſtri inſinuaret. Solent enim oratores, vt ſe ſeriò agere ſignificent, paullulùm oculos deprimere, & deinde in auditorum vultus conuertere, ſeoſimq; ſe illis inſinuare: tùm ne Gentes, quæ fortè ibi adorant, etiã Iudæis docere Dominus videretur, & ne infirmi ſibi hæc dicta putantes offenderentur, tanquam nimiũ ab ipſis exigeret: tùm deniq; voluit attentionem Apoſtolorum ſibi cóciliare, innuendo ad eos potiſsimum ſpectare ſermonem. Et Paulus myſteria fidei illis potiſsimùm vult conſignari, qui idonei ſint docere alios. Difficilè eſt reperire terram, quæ idoneum ſemen adferat: nam ſemen quidem iacitur, verùm ex quatuor terræ partibus tres remanent infœ-

Luc. 6.
Quare Chriſtus eleuatis prius oculis in diſcipulos docebat eos.
2. Tim. 2.
Bonorũ paucitas conditorum quanta.
Matth 13.
Ibidem.

cundæ: quin etiam in terram bonam, vbi ſemen bonum erat ſeminatum, inimicus homo auſus eſt ſuperſeminare zizania: magna ergo opus eſt attentione & vigilantia, vt quis cœleſtium horum dogmatum fiat capax, atque particeps. Nos igitur diſcamus verba Ieſu dulciſsima audire, vt dicamus cum Dauide: *Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti:* ne vocẽ diei Domini amaram audire timeamus: & ne cum turba deficiamus, retrocedamusve. Rogemus etiam Dominum, vti pro ſua bonitate dignetur cor noſtrum lumine ſpiritus ſui illuſtrare, atq; os noſtrum aperire non ſolùm ad preces fundendas, ſed etiam ad cõſolandum inſtruendumq; proximũ, illumq; ad viam Dei ingrediendam adhortandum: neq; tantũ vt aperiat, ſed vt claudat etiam ad iniurias & conuitia: quemadmodùm agnus ille innocentiſsimus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum; & cùm malediceretur, non remaledicebat. Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum; huius vana eſt religio inquit Apoſtolus Iacobus. Item precemur Dominum, vt manus noſtras ad officia legis præſtanda velit aperire: nec enim ſatis eſt ad iuſtitiam corde credere, niſi & manibus bonorum operum confeſsio fiat ad ſalutem: & tanto perfectiorem legis Euangelicæ intelligentiam aſſequemur, quãto acriùs iuſtitiæ charitatiſq; operibus inuigilauerimus: id quod fiet gratia ac meritis Ieſu Chriſti domini noſtri, qui cum Patre ac Spiritu ſancto viuit & regnat per omne æuum.

Pſal 118.
Cur nobis Chriſtus audiendus.
Diuina oris noſtri apertio quàm nobis neceſſaria.
Iſai. 53.
1. Petr. 2.
Iacob. 1.
Manus noſtras quando Dominus aperiat.
Rom. 10.

TRACTATVS IV.

In illa verba Matth 5. *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

Dubia hoc loco reſoluenda.

AD hanc beatitudinem, quæ primo loco ab Euangeliſta propoſita eſt, explicandam, non inutile exiſtimaui fore quædam præmittere, quæ & beatitudini huic, & ſequentibus lucem videantur adferre. Ac priore quidem loco declaranda eſt mens ſiue ſcopus Domini in hoc ſermone, deinde, cur à beatitudine initiũ dicendi ſumat, aperiẽdum eſt; vbi, & quid ipſa beatitudo ſit, & quis earũ in hoc ſermone numerus, explicandum. Tertiò, oſtendemus qui ſint pauperes ſpiritu, & quamobrem dicuntur beati, curque ab eis ſumptum eſt dicendi initium. Quartò, qua ratione ſpiritu diuites beati nequaquam prædicentur à Domino. Quinto, diſſoluenda ſunt, quæ mundus & philoſophi & Iudæi, atq; hæretici opponunt contra hanc primam Domini beatitudinem. Poſtremo loco, quid eſt regnum cælorum; & cur pauperum ſpiritu eſſe dicatur, elucidabimus.

Domini hic ſermo quo tendat.

Quod ad primum attinet; Dominus aperiens de integro os ſuum, veram Euangelij legem tradere intendit, & in primis volens homines auocare ab ijs quæ mundus magni facit, & conſectari ſolet, docet veram iuſtitiam nõ in externis ſitã eſſe ceremonijs, ſed in ſincero Dei cultu, & ſecura in illum fiducia, & in vera proximi dilectione, quæ ad inimicos vſq; ſe extendat, & promptum hominem reddat ad inſeruiendum & ſubueniendum quibuſuis proximis: deinde aſsignat diſcrimen inter ea, quæ obſeruari vult à ſuis, & ea, quæ obſeruata ſunt ab antiquis, non ſolùm philoſophorum doctrina, ſed etiam lege Moſaica inſtructis: ideò ſuos vult illis excellere, quam ad excellentiam eſt hortatus, cũ dixit: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum, & Phariſæorum, nõ intrabitis in regnum cælorum*; & paullò infrà: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercede habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Tempus quippè & doctrina ſua, & gratia, quam offerebat, aliam vitam ſanctiorem, moreſq; perfectiores exigebant. Io fine etiã, ad quẽ ducit lex Euangelica, voluit ſuos differre ab aliis: namq; cumulatiori eos atq; glorioſiori præmio aſſerit potituros: vt vel eo fine ad ſeruandam exacte legem ampliùs accendantur: atq; hic eſt ſcopus Domini legis; vt paucis multa complectamur,

Matth. 5.
Ibidem.
Chriſtiani ab infidelibus & ethnicis in duobus differunt.

Ad ſecundũ à præmio dando, ſiue à fine beatitudinis Dominus ſumit initium: tum quia finis primus eſt in intentione, cuius gratia agens operatur; quia verò vltimum locum obtinet in executione cùm perfectè poſsidetur: ideò de fine perfectiore quantum ad præmium vberius tractat Matth. cap. 25. intermediis verò capitibus de præceptis, quorum obſeruatione conſequendus ſit finis; ac de miraculis, quibus lex confirmata eſt, agit. Quemadmodum enim Ariſtot. lib. 1. Ethi. (vt externa cũ noſtris ſacroſanctis ad maiorem lucem inferendam componamus) de beatitudine practica diſſerit, deinde verò per octo libros ſubſequentes de habitibus virtutum, poſtremò in 10. libro, de beatitudine in ſpeculatione ſita latè diſputauit: quam rationem

Cur Dominus à beatitudine ſuũ ſermonem inchoauerit.
Ariſt. tom. 2.
Hæc Chriſti de beatitudine ratio diſſerendi, quam ſit Ariſtotelicæ conformis.

tionem etiam tenuiſſe Moyſes videtur: nam Exod.19. antequam legem proponat, præmium in medio Iudæis ponit: *Si ergo*, inquit, *audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta.* quanquam illud præmium non vocauerit beatitudinem; re vera enim beatitudo non erat, cuius Iudæi, vtpote pueri, minimè erant capaces: Dauid etiam, teſte Theoph. à beatitudine incœpit practica, dum ait: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, &c.* finit verò in ſpeculatiua, cum inquit: *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius*; &, *Omnis ſpiritus laudet Dominum*: etſi hoc non ex lege, ſed ex Spiritu Chriſti pronuntiauerit. Ad eum modum Dominus Ieſus, primò quidem finem proponit, deinde virtutes & officia quibus ad illum aſſequendum aptamur, poſtremò de poſſeſſione regni bonis danda & reprobis ab ea excludendis philoſophatur; ſolus ergo Chriſtus dicere potuit hoc verbum, *Beati*, non vllus alius legiſlator terrenus, aut Moyſes, aut Propheta aliquis, niſi in Spiritu Chriſti participato; ſed ille tantùm, qui ſolus beatus & potens Deus, & qui poteſt beatitudinem effundere in alios; qui verè & pulchrè euangelizat ſuper montem, vt prædixit Eſaias: nam incipit ab annuntiatione beatitudinis: *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu.*

Exod.19.
1.Pet.2.
Theophyl.
Pſalm.1.
Pſalm. vlt.
Quam proprius Chriſti legiſlatoris de beatitudine ſermo.
Iſai. 40.

Beatitudo, quantum ad vocem, nihil eſt aliud, quàm plenitudo, ſiue opulentia vel abundantia. Speuſippus, referente Cicerone, *Beatitudo*, inquit, *eſt bonum omnibus bonis accumulatum; poteſtas ad bene viuendum ſe ipſa ſufficiens; perfectio ſecundum virtutem, vel ſufficiens vitæ commoditas.* Vnde Boetius noſter accepit: *Beatitudo, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* Cicero lib. 5. Tuſc. quæſtion. *Videamus*, inquit, *qui dicendi ſint beati. Equidem hos exiſtimo, qui ſint in bonis, nullo adiuncto malo: nec vlla alia huic verbo, cum beatum dicimus, ſubiecta notio eſt, niſi, ſecretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio.* Hæc ille: vbi beatus dicitur, cui bene eſt, vel bene-auctus vt quidam volunt: Græcè Μακάριος, id eſt, non tantùm beatus & felix, ſed immortali quadam & inſigni beatitudine donatus, ὁ μὴ κηρὶ τῶν ἐπὶ φθορᾷ ὑποκείμενος: Id eſt, qui minimè corruptioni ſit obnoxius: ὄλβιος dicitur, quaſi totus vita, ἀθάνατος, quaſi ſine morte. Beatitudo ergo cùm Dei ſit propria, & diuinum quiddam; illorum eſt qui dij, aut propriè, aut aliqua ratione diuinæ naturæ ſunt participes. Ideò propriè cõuenit creaturæ, quę intellectu viget, quoniam ſecundùm hanc partem ad imaginem & ſimilitudinem Dei condita eſt. Beatitudo igitur in ſpiritu tantùm, & non in ea parte, quam communem habemus cum belluis, ſita eſt: aliàs nec Deus, nec Angeli beati eſſent; nec rurſus ſecundum potentiam, aut habitum, ſed ſecundùm operationem & actum, ad quem ordinatur habitus & potentia, beatitudo conſtituenda eſt. Eſt ergo beatitudo, ſiue felicitas, operatio hominis optima, profecta ab optima forma, id eſt, intellectu; & terminata circa nobiliſſimum obiectum, nempè Deum, qui eſt omne bonum: hinc Chriſtus dixit: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Vita dicitur, ob actionem nobiliſſimam intellectus: qui enim dormit, aut genio & ſenſibus vacat, nequaquam viuit vt homo, ſed vt beſtia: Aeterna, quia nõ patitur interruptionem. Subdit: *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum*: ergo conſiſtit in Dei cognitione. Porrò Deus cognoſcitur vel lumine naturæ, quod imperfectum eſt & obſcurum, nempè per ea quæ facta ſunt, ad Creatoris notitiam aſſurgendo. Cùm itaque hæc notitia obſcura ſit, & per ſpeculum, in quo radiis reflexis rem percipimus; vnde rei in ſpeculo centies viſæ non ita recordamur, vt rei ſemel viſæ in ſe ipſa; ideò diminuta eſt, nec perpetua, indignaque, cui tribuatur beatitudo. Alio modo cognoſcitur Deus, nimirum per fidem, cognitione item per ſpeculum, & in ænigmate: quæ & ipſa imperfecta exiſtit, interrupta frequenter, ac cum difficultatibus multis, communisque iuſtis cum peccatoribus: quamobrem nec in hac beatitudo poteſt conſiſtere: quæ viã habet, non terminum patriæ, docet ſummum bonum Deum, ſed non præſtat, promittit tamen tempore ſuo præſtandũ: quia vt Dominus ait: *Non videbit me homo, & viuet*; & Solonis illa fuit ſententia:

Beatitudo quid nomine.
Cicer.
Boet 3. de Conſol.
M. Tull.
Beati qui dicendi.
Beatitudo quorum propria.
Beatitudo in intellectu, an in ſenſu ſita ſit.
Quid ſit beatitudo, & in quo cõſiſtat.
Ioan. 17.
Beatitudo cur vita dicitur & æterna.
Cognitio Dei triplex.
1.Cor.13.
Exod. 33.

Scilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Ouid. lib. 3. Metamor.

& Salomon Eccl. 11. *Ante mortem*, inquit, *ne laudes hominem quenquam.*

Eccleſ.11.

Eſt tamen hæc minimè perfecta, ſed ſemiplena beatitudo quædam, muniẽs viam ad illam, quam futuram ſperamus in patria de hac ſcriptum eſt: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*; rurſus: *Beata quæ credidiſti: quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino*; item: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Quare beatitudo vera & perfecta illa eſt, quæ per lumen gloriæ, continget in patria: de qua beatitudine ait

Fidei beatitudo qualis.
Ioan. 20.
Luc. 7.
Matth. 16.

1. Ioan. 3.

Dilectus: *Scimus, quoniam cum apparuit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

Beatitudo ſoli Deo naturalis eſt, Angelis hominibusque gratuita.
Philoſoph.

De hac autem in primis illud ſtatuere oportet, quòd vt Deo naturalis eſt, & propria, ita nobis nullis viribus naturæ, ſed tantum gratiæ Dei dono contingit. Vnde vel Ariſtot. lib. 10. Ethico. dixit: *Credibile eſt felicitatem eſſe Dei donum*: at apertiùs Paulus noſter, qui ait, Deum lucem habitare inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, nempe propriis & naturalibus facultatibus, niſi Dei munere adiuuetur: & alio loco Apoſtolus: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.* Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum. Dauid etiam: *In lumine tuo videbimus lumen.* Hæc beatitudo igitur ſperatur in terris, minimè poſſidetur: ſperari autem nequit ab eo, qui illam ignorat, velut ab infideli. Proinde fide illam capimus, quæ eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, & argumentum non apparentium. Sperantur enim non quæ videntur temporalia; ſed quæ non videntur, æterna. Cumque hæc ardua, & ſublimia bona ſub ratione beatitudinis includantur, & ſupra omnia naturæ noſtræ merita, ac vires conſtituantur, non ſimpliciter nobis promittuntur, ſed ſi quædam etiam, cum lumine tamen Dei, auxilioque gratiæ, virtutum officia præſtiterimus, quæ ſuperant id omne, quod ipſa naturalis ratio dictat, atque omnes tranſcendunt naturæ facultates. Quamobrem Dominus ſeptem, octove ſententias, iudicio mundi, ſenſuique noſtri improbabiles, extraneas, ac penitus paradoxas primo loco conſtituit, & beatos vocat pauperes, mites, lugentes, eſurientes, ac ſitientes, miſericordes, mundos corde, pacificos, & deniq; perſecutionem patientes (quos tamen mundus miſeros appellare ſolet & infelices) quibus omnibus, vt agoni, & merito reddendam promittit beatitudinem: non quòd agon, & patientiæ meritum, ſiue laboris, tanto ſint ex ſe præmio digna; verum quia ita ex magnificentia ſua voluit nobiſcum paciſci, ac ſuper dignitatem & meritum remunerare opera noſtra.

1. Tim 6.
Ioan. 1.
Deum quatenus videre nullus hominum poſſit, vt loquit Apoſtolus.
1. Cor. 2.
Iſai. 64.
Pſalm. 35.
Quomodo, & a quibus obtineri beatitudo poſſit.
Heb 11.
2. Cor. 4. & Rom. 8.

Beatitudini vt meritum reſpondeat.

Beati ergo hoc loco dicuntur, qui ius & meritum habĕt ad vitam æternam comparandam. Atque hi in duplici ſunt differentia: nam alij quidem imperfecti ſunt, qui per gratiam, & bona opera ius habent ad gloriam: alij verò ſunt perfecti, de quibus in præſentia eſt ſermo, qui per guſtum quendam æterna quæ ſperantur bona, delibant: vt de quibuſdam teſtatur Apoſtolus ad Hebr. 6. *Qui guſtauerunt bonum Dei verbum, virtutésque ſeculi venturi.* Actus ergo beatitudinum, quia laborioſi ſunt tantùm ad viam ſpectant: ſed quia actus ſunt non communium virtutum, quibus operamur more communi, & humano, ſed heroicarum virtutum, ſeu donorum Spiritus ſancti, quibus modo quodam diuino operamur, faciuntq; huiuſmodi actus habentes gloriæ propinquos, ac quodammodo beatos. Quidam tamen docent beatitudines iſtas habitus eſſe, ad quos dona Spiritus ſancti diſponunt.

Quos vocat hic Dominus beatos.

B. Bonauent.
Triplex gradus virtutis ſecundum Philoſophū; & ad quem illorum Domini beatitudines referantur.

Quæ vt apertiùs intelligas, aduerte, Ariſtotelem libr. ſeptimo Ethicor. cum ſermonem habet de continentia, triplicem conſtituere gradum virtutis. Et primum quidem tribuit continentiæ ipſi, quæ propriè virtus non eſt, ſed diſpoſitio, atque inchoatio quædam virtutis. Eſt enim continĕtia, qua victoriam de motibus, ac perturbationibus ſenſus adipiſcimur, ſed cum labore & triſtitia. Secundum gradum tribuit temperantiæ, quæ virtus eſt, & cum lætitia, & alacritate deprimit motus ſenſus. Tertium gradum aſſignat heroicę virtuti, quæ apex eſt temperantiæ, quæ præter morem, & exercitium naturæ, diuino quodam modo agere, & carni imperare facit. Ad hunc igitur nobiliſſimum operandi modum reuocandæ ſunt quæ hoc loco appellantur beatitudines. Atque hactenus quid tùm voce, tùm re beatitudo ſit, qui etiam dicantur beati, in præſentia nobis explicatum eſt. Et ſanè cùm Scripturæ ſacræ pronunciant aliquem beatum ex vnica virtute, vel duabus, intellige, quantum eſt ex parte illius virtutis, modò aliunde non ſit defectus.

Vnam virtutem habentes vel alteram quomodo beati ſecundùm Scripturam.

Quod attinet ad numerum beatitudinum, non ſatis inter Patres conſtat, an ſeptem, ſiue octo ſint enumerandæ. Auguſt. libr. 1. de ſer. Domini in Monte. ca. 3. & B. Bernard. in ſer. quodam, atque B. Thom. in prima ſecundæ, ſeptem beatitudines eſſe tradunt, reſpondentes ſeptem donis Spiritus ſancti: quarum tribus prioribus homo rectè diſponitur, quantum ad externa, & quantum ad vim concupiſcentem, ac iraſcentem, quarta & quinta in iis quæ ad proximum ſpectant, tùm in debitis, tùm in gratuitis decoratur; ſexta verò & ſeptima in ordine ad Deum tam intellectu, quàm affectu præparatur. Hic verò: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, haud facit octauam, eo quòd non habet diſtinctū præmium, verum confirmat priores beatitudines ſeptem, quibus homo ſufficiens redditur ad bene patiendum

Septem, an octo ſint Beatitudines.
Aug. tom. 4. circa finem.
Bern. ferm. 1. in ſolemnita. omniū ſanct. ad calcem.
S. Thom. in 1. 2. quaſt. 69. art 3. tom. 11. p. 1.
Auguſtinus, & Thomas vnde ſeptem tantum beatitudines conſtituant.

propter

Quid illud Aug. Beati qui perſecutione patiuntur propter iuſtitiam.

propter iuſtitiam, autore Auguſtino. Aliàs (inquiunt iſti) his verbis. *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines*, nona conſtitueretur beatitudo. Verba Aug. loco citato hęc ſunt: *Octaua*, inquit, *ſententia tanquam ad caput redit, quia conſummatum perfectumq; oſtẽdit, & probat. Itaque in prima, & in ſecunda nominatum eſt regnum cœlorum. Septem ſunt ergo quæ perficiunt: nam octaua quæ clarificat, & quod perfectum eſt demonſtrat, vt per hos gradus perficiantur & cæteri, tanquam à capite rurſum exordiens. Videtur ergo mihi ſeptiformis operatio Spiritus ſancti, de qua Eſaias loquitur, his gradibus ſententijſq; congruere.* Hæc ille, iuxta quẽ paupertati timor, mititati pietas, luctui ſcientia, reſpondent, fortitudo eſurientibus iuſtitiam; conſilium miſericordibus: intellectus mundis corde, pacificis ſapientia. Et paullò ſuperiùs: *Sunt autem omnes iſtæ octo ſententiæ. Iam enim cætera compellens loquitur ad illos, qui aderant, dicens: Beati eritis, cùm vobis maledicent*, & reliqua.

Cap. 4. initio.
Eſa. 11.
Cap. 3.

Septem beatitudines Bernardus qua ratione conſtituat.

Alij porrò alia ratione ſeptem ſtatuunt: Etenim primis tribus exuitur homo vetus, qui in triplici vitam agit concupiſcentia; quatuor verò vltimis induitur nouus, in ordine ad Deũ, & ad proximũ. Hinc Bernardus loco prædicto ait: *Attẽde quemadmodum in tribus quidem prioribus: ſibi ipſi reconciliatur anima, in duobus quæ ſequuntur, proximo, in ſexto Deo. In ſeptimo etiam alios reconciliat, tanquam receptus in gratiam Domini, & felici familiaritate donatus. Nam paupertate, & manſuetudine, fletu, renouatur in animo ſimilitudo quædam, & & imago æternitatis omnia tempora complectẽtis, dum paupertate futura meretur; manſuetudine ſibi præſentia vendicat; luctu pœnitentiæ præterita quoque recuperat: ſicut ſcriptum eſt: Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ. Porrò iuſtitia, & miſericordia perfectè proximò cohæremus, dum quicquid nolumus nobis fieri, alijs non faciamus per iuſtitiam: & quæcunque volumus vt nobis faciant homines, & nos faciamus illis per miſericordiam. Iam reconciliati nobis, reconciliati etiam proximo, fiducialiter per per mũditiam cordis reconciliamur Deo. Beati verò qui de ſua reconciliatione nõ ingrati, & pro fratribus ſuis piè ſoliciti, eos quoq; quantũ prævalẽt, & ſibi & Deo reconciliare laborant.* Hæc ille.

Eſa. 38.
Tob. 4.
Malach. 7.

Octo eſſe tantùm beatitudines, non plures, neque pauciores.

Quanquam autem, piè & doctè hęc meditata videantur, mihi tamen illa ſententia ſemper placuit, quæ octo conſtituit beatitudines: quemadmodum B. Hierony. in hunc locũ docet, & dialogo in Luciferianos, & B. Ambroſ. in cap. Luc. 6. vbi ait: *Quatuor tantùm beatitudines ſanctus Lucas Dominicas poſuit, octo verò ſanctus Matthæus, ſed in iſtis octo illæ quatuor ſunt, & in quatuor iſtis illæ octo.* B. Hilarius perfectam beatitudinem, quæ octauo ponitur loco. Eandem ſententiam ſequitur Gregorius Nyſſen. tractatu de beatitudinibus, vbi de octauo loquens: *Quid eſt*, inquit, *apud Prophetam octauæ myſterium, quæ duobus Pſalmis (nempe ſeptimo & vndecimo) præponitur. quid item purificatio, ſanctioq; circumciſionis, quæ vtraque vt octauo die obſeruaretur, lege cautum erat? Forſitan aliquid cognatum habet hic numerus cum octaua beatitudine, quæ tanquã vertex beatitudinum, in ſummo gradu boni aſcenſus poſita eſt. Nam & illic Propheta reſurrectionis diem, per octauæ inuolucrum & ænigma deſignat, & purificationis coinquinati hominis, reditum ad naturalem puritatem oſtendit: & circumciſio mortuarum pellium, quas poſt inobedientiam vitæ nudati induti ſumus, indicat abiectionem.* Hæc ille. Auguſtinus etiam non longè diſſidet ab hac ſententia, dum octauam vocat. Et quanquam per eam probatio fiat cęterarum beatitudinum; non propterea tamen non erit diſtincta beatitudo ab illis: tantoque cæteris præſtantior, quanto perſecutionem pro Chriſto pati eſt præſtantius, quàm operari propter CHRISTVM. Patientia ſiquidem, vt frater DOMINI dixit, opus perfectum habet. Quod verò ſequitur: *Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines*. nequaquam conſtituit nouam, aut nouam beatitudinem, ſed declaratio eſt & expreſſio prioris ſententię, explicans Apoſtolos ac perfectos quoſque ad ſuſtinendas pro Chriſto perſecutiones potiſſimum obligari: & ſuſtinere perſecutionem propter iuſtitiam, nihil eſt aliud, quàm pati propter Chriſtum: & quæ crucis ſunt, & patientiæ, repetebat ſæpe & replicabat ob noſtram imbecillitatem Dominus.

Hiero. tom. 9. in princ.
Idem tom. 2.
Ambro. li. 6. in Luc. c. 13.
Hilar. ca. 4. non procul à princ.
Greg. Nyſ. in Beatitud. orat.
Gen. 17.
Leuit. 12.
Luc. 2.
Præpoſita Pſalmis 7. & 11. octauæ myſterium.
B. Aug. loco dicto.
Quam perfecta beatitudo patiendi propter iuſtitiam.
Iacob. 1.
Beatitudo illa Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, &c. an ab alijs ſit diſtincta.

Obijciunt quidam, præter has octo beatitudines, plures alias inueniri in Scripturis: dicitur enim: *Beatus vir qui non abijt in cõſilio impiorum: Beatus vir qui ſperat in eo: Beatus vir qui timet Dominum: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: Beatus populus qui ſcit iubilationem: Beati qui non viderunt & crediderunt: Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Beatus vir qui corripitur à Domino:* & quæ ſequuntur: Reſpondemus, omnes has & huiuſcemodi alias, ſi quæ ſunt (ſunt autem plurimæ) ad octo illas eſſe referendas: quæ in merito, vel in pręmio cum illis conueniunt, cum ad beatitudinẽ, vel actiuam, vel cõtemplatiuã ſpectent. Omnis enim actus virtutis, ſi ex gratia Dei proficiſcatur, vim habet æternę beatitudinis cõparãdę: ac tot actibus tribuitur beatitudo, & abſolutè frater Domini dixit de audiente verbũ Dei, & faciente illud: *Qui autẽ perſpexerit in lege per-*

Si octo ſunt tantum beatitudines, quid alias ab illis plures Scr. ſacra cõmemorat.
Pſalm. 1.
Pſal. 33.
Pſalm. 111.
Pſalm. 31.
Pſal. 88.
Ioan. 20.
Luc. 11.
Iob 5.
Iacob. 7.

fecta

ſectæ libertatis,& permanſerit in ea,non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.

Qui ſint pauperes ſpiritu.

Ad tertium,beati prędicantur primo loco pauperes ſpiritu: nec ſanè vult Dominus hoc loco,vt in ſequentibus, vt quidam arbitrantur,ponere impedimenta ad Chriſtianam religionem, vt innuat Dei potentiam tantam,quæ impedimenta ipſa efficere poſſit adiumenta, vt pauper ſpiritu intelligatur,natura puſillanimis; & lugentes natura triſtes, mites tepidi, miſericordes natura teneri,perſecutionem patientes viles animo, qui neſciant iniurias referre acceptas. At profectò hæc interpretatio dura eſt,nec poteſt omnibus beatitudinibus accommodari. Deinde, ſi vitium morale eſt, laudari minimè debet: ſi naturæ vitium, multo minus: quandoquidem de illis,quæ à natura inſunt,nec laude,nec vituperatione homines digni inueniuntur. Adhæc, non ſunt beati illi,qui eiuſmodi defectibus ſubiacent,ſed Deus beatus, qui bona tanta ex defectibus noſtris & vitijs nouit elicere. Poſtremò, violentum eſt, vocem pauperum,ſiue mendicorum, ad puſillanimes natura & abiectos referri; quare omninò deſerendus eſt hic ſenſus.

Prima quorundam opinio minus idonea.

Paupertas quid.

Tria genera bonorum.

Vt igitur melius,qui ſint pauperes ſpiritu,exponamus,præmittendum nobis,quid paupertas,& quid ſpiritus. Paupertas, carentia ſiue priuatio bonorum eſt. Bona verò triplicis ordinis inueniuntur: Fortunæ, Naturæ, & Gratiæ. Bona fortunæ ſunt affluentia auri & argenti,pecoris,domorũ, poſſeſſionum,& ſimilium,quibuſcũ coniungere licet honorem, famã,dignitatem,magiſtratũ,quæ fortunę ſubiecta ſunt: Naturæ verò bona ſunt, quæ ex ventre matris proueniunt, comitanturq; perſonam, vti bona temperatura, pulchritudo, corporis firmitas,robur,facultates naturales, viuaces ſenſus,ingenium,mens,denique ſortiri animũ probũ: Gratiæ bona ſunt, quæ prædictis adunguntur Dei benignitate. Hæc autem, vel gratum hominem faciunt apud Deum,vt iuſtificationis beneficium, charitas,dona Spiritus ſancti, aut abſq; charitate eſſe poſſunt,vt fides, prophetia, ſcientia,virtus ſignorum,gratia ſermonis,donũ linguarum, quæ etſi bonũ non efficiant habentem,gratis à Deo donantur tamen. Et ſi verò quæ gratię ſunt, veriora ſint bona, & ob id eorum carentia,verior ſit & durior paupertas, hæc aũt, quæ naturę ſunt bona, optabiliora exiſtant quam quæ fortunæ: vulgi tamen ſenſu & opinione bona fortunæ cæteris pręſtabiliora habentur, quoniam illa primùm nouit, & magis propter

Bona gratiæ duplicia.

corruptum iudicium amat: ideo paupertas hoc loco carẽtiam ſiue priuationem externorũ fortunæ bonorũ videtur ſignificare.

Hoc loco quid ſignificet propriè paupertas.

Quid ſpiritus, de quo, Beati pauperes ſpiritu.

Verbum Spiritus dupliciter poteſt intelligi: vel in primis vt ſignificet materiam, ratione cuius quis ſit pauper: vt cùm dicitur, Ille eſt pauper bonis,ſcientia, & virtute: & tunc vel ſpiritus accipitur in bonam partẽ,vel in malam. Si in bonam,ſenſus erit abſurdus & impius, quod illi ſint beati, qui deſtituti ſunt bonis ſpiritus, & pauperes inueniantur in ſpiritualibus, quos potiùs manet damnatio,& infelicitas, quam regnum cœlorum. Si verò ſpiritus in malam accipiatur partem, videlicet pro animoſitate,& proprio voluntatis impetu: ſicut Eſai. 2. accipitur,cùm ait: *Quieſcite ergo ab homine,cuius ſpiritus in naribus eius eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe*: & cap. vlt. *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu,& trementem ſermones meos?* vbi contritum ſpiritu vocat humilem, & minimè inflatum,& *μέγα πνέον* apud Gręcos dicuntur, qui grandiora ſpirant, & magis ardua ſuis viribus aggrediuntur: nunc admodum pauperes ſpiritu eſſent humiles, ſpiritu ſecularis proſperitatis inflante,& regna terræ appetente, atque ſuperbiæ vento carentes, proprijque ſpiritus contemptores: nam tales ſe propria culpa carere putant diuitijs ſpiritualibus: nec dicunt: Diues ſum & locupletatus, & nullius egeo: iſtique opus habent charitate non minuente Dei gratiam, nec ſibi illam vſurpante aut tribuente. Iſti ergo cùm ſint humiles,& pauperes ſe agnoſcant,ab his, qui diuites ſunt ſpiritu,id eſt,à beatis,nunc ſubſidium orationis petunt, interdum panem doctrinæ mendicant, aliquandò conſolationis aquã poſtulant, nunc denique hoſpitium charitis,qua Chriſtus Dominus recipiatur, petunt. Hic ſenſus verus eſt, & conſonus rationi, & quia ſuperbia eſt omnis peccati initium in Angelo & Adam, & Chriſtus ſe in exemplum humilitatis proponens dicebat: *Diſcite à me: quia mitis ſum,& humilis corde*: pauper ſpiritu eſſet humilis corde, voluntate, non coactus, vt ijdem ſint pauperes ſpiritu, qui & humiles ſpiritu, tu,de quibus Pſalm. 33. *Et humiles ſpiritu ſaluabit.* Nec tantùm hic ſenſus eſt verus in ſe, & alijs Scripturis conſentiens, ſed etiam à Patribus aſſertus. Origenes ſiquidem hom. 26. in Geneſim,& incertus Autor in Matth. hom. 9. Oper. imperf. Theophyl. etiam & Euthy. eum hoc loco tradunt,quos ſecutus eſt Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte, vbi ait: *Quapropter rectè hic intelliguntur pauperes ſpiritu, humiles & timentes Deum,id eſt,*

Primus ſenſus.

Iſa. 2.

Infrà. 66.

Apocal.

Ille ſenſus, videlicet Pauperes ſpiritu, id eſt, humiles expenditur.

Iſa 14.

Gen. 3.

Matth. 11.

Pſalm. 33.

Orig. hom. 2.

Theophyl.

Euthym.

B. Aug. c. 1. in fine.

Idem lib. de ſancta virg. Theophyl.

non habentes inflatum ſpiritum. Et lib. de ſancta Virginit. *Pauperes*, inquit, *ſpiritu ſine vlla controuerſia humiles intelligendos eſſe:* verba Theophylact. ſunt hæc: *Primum modeſtiam & humilitatem animi ceu fundamentum iacit: nam quoniam propter ſuperbiam Adam cecidit, per humilitatem erigit nos Chriſtus.*

Improbatur multiplici ratione. *Hier. tom. 6. Aug. tom. 4. Ioan 3. Rom 8. 1. Cor. 14. Ioan. 6. 1. Reg. 14. 1. Timoth. 4. 3. Reg. 14. Iſai. 19. Oſe. 5. Luc. 13.*

Quanquam autem hic ſenſus verus ſit, atque probabilis, propter eorum potiſſimum Patrum autoritatem aſſerentium illum; ſi tamen verum amamus, minus videretur intentus ab Spiritu ſancto, nec tam germanus, vt alter, quem producemus: quod his rationibus liquidum fit. Prima ſit, quoniam teſtibus Hier. in ca. Michææ, & Aug. libr. 2. Quæſtionum ad Simplicianum. q. 1. vox Spiritus abſolutè in Scripturis poſita, in malam partem nunquam capitur, ſed in bonam: hinc illæ ſententiæ: *Spiritus vbi vult, ſpirat: Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: Spiritus loquitur myſteria: Spiritus eſt, qui viuificat:* at cum adiuncto in deteriorem partem ſolet accipi: ex quo dicitur, Spiritus malus, ſpiritus erroris, ſpiritus nequã, ſpiritus vertiginis, ſpiritus fornicationis, ſpiritus infirmitatis, ac ſimilia.

II. Ratio.

Secunda ratio, quia ſi hic eſſet ſenſus, contineretur in ſecunda beatitudine: qui enim alij ſunt mites ac manſueti, niſi qui ſpiritum proprium tendentem ad ardua, ac animoſitatem, iracundiamq́ue quærentem vindictam, virtute mitiatis compeſcuerunt?

III. Ratio.

Tertia, Paupertati ſpiritus, id eſt, carentiæ bonorum omnium temporalium magis reſpondet regnum cęlorum in præmium, quemadmodum humilitati exaltatio, iuxta illam Domini regulam: *Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.* Quarta ſit, quia pauperibus apud Lucam opponit diuites cùm ait: *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram.* Quinta, ac poſtrema ratio: Huic ſenſui repugnant multi veteres & præclari Patres, quos paullò pòſt producemus.

Luc. 14. & Infra 10. IV. Ratio. & V.

Alter ſenſus: Qui ſint pauperes ſpiritu, proprius huius loci.

Supereſt igitur, vt vòcem ſpiritus tanquam cauſſam interpretemur, in hunc ſenſum: Beati pauperes, qui Spiritu impellente ſancto, paupertatem amplexi ſunt; aut qui propter doctrinam Domini ſpiritualem diſſeminandam, diuitias omnes & gloriam, quæ illas conſequitur, contempſerunt, atq; paupertatis ſtatum amplexati ſunt. Sic enim aliàs interpretanda eſt illa vox Spiritus, vt cùm Paulus inquit: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege: Quicunque ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei: Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.* Et in Euangelio: *In ſpiritu, & veritate oportet adorare*, Et; *Puer confortabatur ſpiritu.* Rurſus Paulus in Actis: *Ecce ego alligatus ſpiritu, vado in Ieruſalem.* Idem autẽ eſt ſiue per ſpiritum intelligas Spiritus S. impulſum, ſiue ſpiritualẽ Domini doctrinam, quemadmodum Baſil. & Hier. interpretantur, ſiue pro ſpiritu noſtro, & mente noſtra à Spiritu S. inſpirata, & ad ſpiritualia ſpectante accipias, vt Bernard. exponit. Nec non ratio ipſa id porrigit: quia enim diuitiæ, vel paupertas res ex ſe adiaphoræ, & mediæ ſunt, poteſtq; quis eis vti vel abuti, propterea non ſateſt eſſe pauperes, id eſt, ex ſe carere bonis vnde viuant, niſi id fiat per Spiritus ſancti impulſum, & ſuaſionem. Hinc dixit; *Beati pauperes ſpiritu.*

Galat 5. Rom. 8. Ibidem. Ephes 1. Ioan. 4. Luc. 2. Actor. 20. B. Baſil. inreg. brevior. interrog. 205. tom 2. Hier. lib 1. in Matt. tom. 9. initio. Bern. ſer. 1. in feſto omnium ſanctor. ante medium.

Diuitiæ quales ſint bona. Prior ille ſenſus ex parte probatur.

Non negamus tamen, paupertatem ipſam, ſpeciem eſſe humilitatis: nam quis nõ videat, magnam eſſe humilitatem, & animi ſubmiſſionem, ſed ad eum ſtatum propter Deum deprimere? Sed negamus tãtum hic eſſe ſermonem de humilitate, quæ paupertatem excludat. Vnde Hilar. Hier. Bernar. atq; Theophyl. ita de humilitate interpretantur illa verba, vt paupertatem, quæ in illa inuenitur, includant. Imo ſunt, qui velint, verbum illud, *Spiritu*, extendendum eſſe ad reliquas beatitudines, vt beati ſint mites ſpiritu, beati qui lugent ſpiritu, qui miſericordes ſunt ſpiritu: & ſic de reliquis. Hunc ſenſum tradit primus Baſil. in regul. breuior. infra adducendus, deinde Ambr. in Luc. ſcribens. Primam beatitudinẽ hanc vterque Euangeliſta poſuit. Ordine enim prima eſt, & parens quædam, generatioq; virtutũ, quia qui cõtempſerit ſecularia, ipſe merebitur ſempiterna: nec poteſt quiſquam meritum regni cęleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate poſſeſſus, emergendi nõ habet facultatem. Ad hæc B. Hier. In præſentem locum: *Ne quis autem putaret paupertatem, quæ nonnunquam neceſſitate portatur, à Domino prædicari, adiunxit, ſpiritu, vt humilitatem intelligeres, nõ penuriam. Beati pauperes ſpiritu, qui propter Spiritum S. voluntate ſunt pauperes.* B. Bern. ſer. quodam ſic ait, expẽdens cur nõ dixerit; Beati pauperes voluntate, ſed ſpiritu, reſpondet: *Diligenter attende, quòd non ſimpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes neceſſitate miſerabili, nõ laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud diuina bonitatis miſericordiam, hanc ipſam afflictionis ſuæ miſeriam: ſcio tamen Dominum hoc in loco nõ de huiuſmodi fuiſſe locutum, ſed de his qui poſſunt dicere cum Propheta; Volũtariè ſacrificabo tibi. Attamẽ nec volũtaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum. Nã & Philoſophi omnia ſua reliquiſſe legũtur, vt expediti mũdialibus curis ſtudio vanitatis poſſẽt*

Hilar. can. 5. in Matth. Hieron. vbi ſupra. Bernar ibid. Theophyl. Baſil. vbi ſupra produ. ctum fuit. Ambr. lib. 5. in Lucam. cap. 14. init tom. 5. Hier. ibid. B. Bern. loco prædicto. Pſalm 53

Philoſophi diuitias cur reliquerint ſuas.

vacare

vacare liberius, & nolebant cenſu abundare terreno, vt abundarent magis in ſenſu ſuo. Hos diſcernit quod dictum eſt, ſpiritu, id eſt, ſpirituali voluntate. Beati verò pauperes ſpiritu, ſpirituali ſcilicet intentione, deſiderio ſpirituali propter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem. Hæc ille. Rurſus cùm dupliciter conſtitui poſſit paupertas ſpiritus, & alia quidem in voluntate, & animi præparatione, per quam quis potiùs omnia relinquere, quã Deum offendere paratus eſt, quanquàm interim actu nihil relinquat: alia verò ſit paupertas, quæ præter affectum voluntatis coniunctam habet actu bonorum abdicationem, & effectum voluntariæ paupertatis: & licèt Domini verba vtramque ſpeciem paupertatis amplectantur: magis tamen ad ſecundum intellectum accedunt hæc verba, & pleniorem ſenſum habent. In primis, quia ſi beati ſunt pauperes, qui affectu tantùm omnibus renuntiant, vbi erit eorum beatitudo, qui vtroque modo ſunt pauperes? aut ergo iſti à beatitudine excluduntur, aut ſermo Chriſti eſt mancus, qui eis beatitudinem non conſtituit, quibus magis debebat. Deinde cùm Chriſtus hic ſupra legem doceat, & in lege inueniatur præcepta paupertas voluntaria: vnde ſcriptum eſt: *Rapinas nolite concupiſcere: diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Paulus etiam de ſanctis Patribus: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus; ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere.* Si ergo Dominus aliquid ſupra legem docuit, paupertatem igitur, quæ re, & actu ſit, hac prima inſtituit ſententia. Præterea ad Apoſtolos potiſſimùm hic ſermo dirigitur, qui non tantùm affectu, ſed etiam re ipſa omnia reliquerunt, iuxta illud: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Ad hæc, præmium pauperum eſt regnum cœlorum, quod magis quadrat derelictioni perfectę omnium, quàm ſoli affectui relinquendi: ex quo illis dixit: *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, &c.* Et, *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Amplius Luc. 6. ſimpliciter dicitur: *Beati pauperes: quoniam veſtrum eſt regnum Dei:* Vbi paupertati ſimpliciter promittitur regnum. Ac ſubdit: *Veruntamen væ vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram.* Ac tales non ſunt diuites affectu, ſed actu, poſſunt enim tales habere conſolationem; ergo maximè pauperes actu in hac ſententia beati prædicantur.

Duplex voluntaria ſpiritus paupertas.

Prima ratio ad probandū de voluntaria paupertate actuali potius, hic eſſe ſermonem.

II. Ratio.

Pſalm. 61.

Hebr. 11.

III. Ratio.

Matth. 19.

IV. Ratio.

Ibidem.

V. Ratio.

Luc. 6.

Etiam nolimus excludere eos, qui animi affectu paupertatem colunt Euangelicam, quemadmodum nec excludunt Baſilius, & Bernardus eos, qui neceſſitate impellente in paupertatem inciderunt, eamque propter Deum patienti animo ſuſcipiunt, diuitijs eam præferentes ſpe regni cœlorum. Poſtremò, quia Chriſtus cœpit facere, & docere: at ille non tantùm affectione pauper fuit, ſed etiam actu, non habens vbi caput ſuum reclinaret. At ſcripturarum optimus commentarius, eſt vita Chriſti, & ſanctorum. Quia verò hæc paupertas, quæ actualis dicitur; ſine vllo voto, & cum voto confirmata obſeruari poteſt, cogimur, ratione duce, hunc locum interpretari de perfectiori, ac nobiliori, quæ includit votum. Nec enim cum ratione coniunctum videtur, Chriſtum inferiorem, ac infirmiorem paupertatem ſuo ſermone conſecraſſe: tametſi Caietanus, parum fauens inſtitutis Monaſticis, aliter definierit. Opus namq́ue ex voto factum præſtantius eſt, & maioris meriti, quàm ſine illo. Eſt etiam holocauſtum: nam opus ex voto procedens, à religionis virtute proficiſcitur. Vnde Auguſtinus. *Virginitas, inquit, non quia virginitas, ſed quia Deo dicata, grata eſt.* Qui etiam ex voto operatur, actum, & potentiam, hoc eſt fructum cum arbore Deo offert: quod maius eſt, quàm ſolum fructum offerre, teſte B. Anſelmo. Præterea, Dominus alio loco dixit; *Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* non eſt autem perfecta, & ſolida renuntiatio, quæ ſolo animo fit, nequaquam autem re ipſa, & quæ ius ſibi ad repetendum illa, quibus ſemel renuntiauit, ſeruat, vel ſaltem ſi nòn ad illa, ius ad alia habenda: nec omnibus cenſetur renuntiare, qui his tantùm, quæ tunc habet, & non iis, quæ habere poteſt, in futurum nuntium mittat. Quapropter Auguſtinus lib. de ciuitat. Dei, affirmat Apoſtolus votum paupertatis emiſiſſe, his verbis: *Dixerant enim potentes illi: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te: hoc votum potentiſſimi vouerant. Sed vnde hoc eis, niſi ab illo, de quo hic continuò dictum eſt: Date votum vouentis?* Sic Auguſtinus. Ergo cùm Scriptura ſancta iuxta dicta, & vitam Sanctorum expoſita, paupertatem cum voto firmatam comprobet; ne manca ſit Chriſti doctrina relinquens potiora, & nobiliora irremunerata, neceſſe eſt hoc verbo Domini intelligere illam eſſe inſtitutam, & conſecratam: quanquam non ignorem non eſſe opus, vbique omnia dici. An verò hæc paupertas mendacitatem includat,

VI. Ratio.

Actor. 1.

Luc. 6.

Scripturarū optimus interpres, eſt vita Chriſti, & ſanctorum.

Caiet. in c. 5. Matthæi

Opus factū ex voto, quā ſine illo eſſe perfectius.

Aug. lib. de Virgin. cap. 8.

Deo quatenus grata virginitas.

B. Anſel. lib. de ſimilitud. cap. 84. tom. 2.

Luc. 14.

Perfecta renuntiatio quęnam illa.

Aug. lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 4. à med. to. 5. Mat. 19.

Apoſtoli paupertatis votum emiſiſſe, teſte Auguſtino.

An paupertas Euange-

dubium

lica mendicitatem includat, nec ne.

dubium eſt: nam aliud eſt pauper, aliud eſt mendicus. Pauper, ſecundùm Varronem, à parua pecunia, vel ſecundùm alios, à paruo lare dicitur. Hinc Cicero in Paradoxis; *M. Mamlius patrum noſtrorum memoria &c. pauper tandem fuit: habuit enim ædiculas in Carinis, & fundum in Labicano.* Sic ille. Mendicus verò, quod mentem feſellerit fortuna; vel à medendo, quòd precetur, vt vitæ ſuæ medeantur cibo; vel quòd manu indicet neceſſitatem. Dicendum eſt, ſi vim vocabulorum obſeruemus, vt obſeruandam eſſe & ratio cogit, & Patres tradunt, neceſſariò de paupertate includente etiam mendicitatem, hunc locum intelligendum eſſe, Græcè etenim profertur *μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι*: conſtat autem *πένης* pauperem, ita *πτωχὸς* propriè mendicum ſignificare (vnde Italicè vocamus mendicum, pitocho) Quod diligenter annotatum eſt à Tertulliano libr. aduerſus Marcionem, & ab Autore, cui in Matth. opus imperfectum tribuitur, vbi habet: *Et quare non manifeſtè dixit: Beati humiles ſpiritu? Et hunc potuit tantummodo rationis inuenire colorem; vt non ſolùm humiles oſtendat, ſed etiam indigentes humiles, qui ſic ſunt humiles, vt ſemper adiutorium Dei ſint mendicantes. Vnde in Græco nō dicit; Beati pauperes; ſed beati egeni, vel beati mendici. Nam pauper eſt, qui anguſtiam quidem habet, non autem tantam, vt mendicare cogatur. Secundùm quam differentiam & Propheta dicit: Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem.* Idem etiam conſiderauit B. Baſilius in Regulis Breuiorib. & Gregorius Nyſſenus in tractatu de ſer. Domini in monte. Verbum autem Græcum *πτωχὸς*, deſcendit à voce *πτὼξ*, id eſt, formidoloſus, ſiue à verbo *πτώσσω*, id eſt, formido, eo quòd qui extremæ ſunt indigentiæ, in arctiſſimaque paupertate conſtitui, vt mendicare cogantur, formidant & contremiſcunt. Vel *ἀπὸ τοῦ πτῶσιν ἔχειν*, eo quòd caſu quodam & ruina premi videantur. Verba beati Baſilij prædicto in loco ſunt iſta: *Hi ſunt mendici Spiritu, qui non aliam vllam ob cauſam ad mendicitatem deuenerunt, quam ob doctrinam Domini. qui dixit; Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus Si verò quis oblatam ſibi etiam quomodocunq; mendicitatem ſuſceperit, & eam ad Dei voluntatem moderatus ſit, vt Lazarus, neque hic à beatitudine illa excluditur.* Hæc ille. Vbi ſunt ergo qui profitentur Græcorum codicum veritatem, & tamen vituperant mendicitatem? Euangelium Syriacum pro mēdicis, vel pauperibus legit mezchine: quæ vox Hebræa eſt, & deſcendit à verbo סכן, id eſt, Sacan, quod interpretatur depauperatus eſt, & hominem

Pauper vnde dicatur.
Varro.
Cicero Paradoxa vlt. circa finem.
Mēdicus cur ſic dictus.
Tertul. lib. 4. aduerſus Marcio. Autor oper. imperf. in Matt. hom. 9. to. 2. operum D. Chryſoſt.
Pauper quis.
Pſal. 40.
B. Baſil vbi ſupra productus eſt.
Gregor. Nyſſ.
Qui ſint mēdici ſpiritu.
Matth. 19.
Luc 16.
Vox Mezchine Hebræis quid, & vnde deſcendat.

neceſſarijs indigentem ad vitam, etiam in lingua vulgari noſtra, meſchino, ſignificat. Nec tam hoc loco beatus dicitur ſtatus mendicorum, vt putat Caietan. quantum actus: etenim beatitudo non ſtatibus ſed actibus debetur. Parum enim eſſet honeſtum aliquem ſtatum profiteri, & factis ſtatui illi conuenientibus minimè reſpondere. Deinde confirmatur hoc, quia Chriſtus actu mendicauit propter nos: quippe mendicauit locum, vbi paſcha cum diſcipulis celebrauit ſuis: mendicauit aſellum, quo in vrbem Sanctam inuectus eſt: mendicauit à Zachæo hoſpitium, itemq; à mulieribus victum, quæ ei de facultatibus ſuis miniſtrabant: quas quidem Chriſtum Dominum ad hoc ipſum induxiſſe veriſimile eſt. Et, vt traditur ab Apoſtolo, *Propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues; vt illius inopia, vos diuites eſſetis.* Vbi Græcè eſt, *Propter nos mendicauit*, ſiue, *ἐπτώχευσε*, & ipſe ait per Prophetam; *Ego autem mendicus ſum, & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei.* Decebat quoq;, vt in re tanta, id eſt, in mendicitate, hoc eſt, in domanda ac coercenda gloriæ, & honoris appetitione, Chriſtus nobis exemplar eſſet. Item quando miſit Apoſtolos ſine ſacculo, & pera, teſte Theophylacto, eos mendicare inſtituit: at Dominus priùs cœpit facere, quàm docere. Paulus etiam pro Sanctis qui erant in Ieruſalem, per Eccleſias Gentilium mendicabat. Poſtremò B. Benedictus, Bernardus, Franciſcus, Dominicus, mendicitatem ſuis exemplo Chriſti indixerunt. Romani quoque Pontifices mendicandi officium exemplo item Chriſti comprobant & confirmant. B. Thomas, atque B. Bonauentura peculiaribus aduerſus ſui temporis hæreticos mendicitatem tuentur tractatibus: quemadmodum & noſtri ſeculi Doctores contra Lutherum mendicantium ſaccos aboleri cupientem egregiè diſputarunt.

Cōtra Caiet.
2. Cor. 8.
Matth. 26.
Supra 21.
Luc. 19.
Suprà 8.
2. Cor. 8.
Pſal. 39.
Luc. 22.
Theophyl.
Act 2.
Paupertatis, & mendicitatis Euangelicæ profeſſores.
B. Thom.
B. Bonauent.

Ex quibus concludimus, pauperes eos eſſe cenſendos, qui Spiritus ſancti impulſu, vel voluntate ſpirituali, actu, & re ipſa paupertatem amplectuntur, ſiue cum votis, ſiue ſine illis, ſiue actu mendicent, ſiue non, ſed viuant, vel ex oblatis eleēmoſynis, vel ex communibus Religionis redditibus. Deinde pauperes ſpiritu intelligi poſſunt, qui animo promptiores ſunt omnia relinquere, quàm Deum offendere: qua ratione pauperes ſpiritu eſſe debent omni Chriſtiani. Ab hac beatitudinis ratione excluduntur inuiti pauperes ſeculares, qui libenter raperent, & furarentur, vt diuites fierent. Quorum laborem etſi Deus conſideret, vt tradat eos in manus

Epilogus de vera ſpiritus paupertate dictorum.
Pauperes beati qui minimè.
Pſalm 9.

Luc. 23.

ſuas: ſi pauper æquo animo acceptaret ingruentem inopiam, vt latro crucem patienter tolerauit, haud omnino eſſet ab hac alienus à beatitudine: quemadmodum Baſilius ac Bernardus ſuperiùs allati docuerunt.

Alterum genus pauperũ minimè beatorum.

Deinde excluduntur inuiti Religioſi, vel nomine tantùm in ſtatu paupertatis, vel mendicitatis manentes, ac noſentes in aliquo egere, vel ſuperfluo: quorum cellę omnium rerum ſuppellectile ſunt referta. Proiecti etiam à parentibus in Religionem tanquam catuli, quos matres non valent enutrire: tales quippe non aliter prope Ieſum ſunt quàm iumenta in Natiuitate prope præſepe, in quo Chriſtus erat reclinatus.

Luc. 2.
Tertium.

Tertio loco non comprehenduntur habentes ſtatum paupertatis gratia diuitiarum, vt aſcendant ad dignitates, & Epiſcopatus, inſtar vulpis, quæ ſe mortuã fingit, vt prædam capiat. Tales ſunt hodie hypocritæ & ſimulatores, qui animo, & voluntate affectant diuitias: qui non intrant per oſtium, ſed aſcendunt aliunde, vt furentur, & ſpolient monaſterium, & vt commodiùs ſuos ditare poſſint conſanguineos.

Ioan 10.

Quartum.

Quartò, ad hanc beatitudinem non perueniunt, qui ſuaſione tantùm humana, vel propria ratione duntaxat & voluntate, vel aliorum mundana imitatione temporalia bona à ſe abiiciunt: hi enim vel perſeuerare non ſolent, niſi mutentur in alios viros, vel Euangelicam non ſeruant paupertatem. Socrates propter ſapientiam, vt teſtatur Hieronym. diuitiis renuntiauit. Diogenes Cynicus gloriolæ captandæ gratia, omnia dimiſit imò, vt admirationi eſſet, dolium, & catinum abiecit. Crates ille Thebanus cùm in mare proiiceret opes; *Abite*, inquit, *mala voluptates: demergo vos, ne demergar à vobis*. Verùm iſti omnes receperunt mercedem ſuam: quia non propter Spiritum ſanctum, aut amore Chriſti diuitiis ſuis nuntium miſerunt.

Hier. in c 19. Matth. in fin. tom. 9. in princip.
Philoſophi diuitias quinam, & cur abiecerint ſuas.
Matth. 6.

Pauperes ſpiritu tantùm qui beati.

Soli ergo illi ſunt beati, & verè ſpiritu pauperes qui Chriſtum ſibi ante oculos proponentes, eiusque imitandi amore inuitati, quo liberiùs diuinis valeant intendere, vel diuini verbi miniſterio vacare, diuitiis, & voluptatibus huius ſeculi libenter renuntiarunt, vitamque in diuinis contemplationibus atque ſanctarum meditationibus Scripturarum magno cum ſuo & aliorum fructu exegerunt, auxilio, & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre, & Spiritu ſancto, honor & imperium eſt in ſempiternum,

Amen.

TRACTATVS V.

In eadem verba: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

ANTEQVAM ad hoc tantum præmium explicandum accedat oratio noſtra, non erit ab re rationem inquirere, cur Dominus à paupertate exordium aſſumpſerit legiſlationis. Deinde cur beatos non pronuntiauerit diuites ſpiritu: & quæ ſint illa, quæ in hanc beatitudinem obiici poſſent.

Cur Chriſtus à paupertate initium ſumpſerit.

In primis igitur rectè à paupertate principium ſumpſit, quia diuitiæ vt primum impedimentum ſalutis, ac Domini ſequelæ obſtaculum, occurrunt. Vnde adoleſcens ille vocatus à Domino ad bonorum ſuorum abdicationem gratia perfectionis, abiit triſtis, quia diues erat valde. Vt enim omnium malorum radix eſt cupiditas, ita virtutum baſis eſt voluntaria paupertas. Et vt in diuitiis, & honoribus vulgus ſitam eſſe felicitatem exiſtimat; ideo conueniebat, vt illo reiecto, quod maximè diligunt homines, contrarium eius primo loco induceret, & inde inciperet beatitudo diuino iudicio, vbi ærumna æſtimatur humana, vt docet Ambroſius noſter. Gentiles enim maximè diuitias coluerunt, paupertatem verò abhorruerũt: vnde Paupertatis templum extra vrbem ſtatuerunt, quaſi quid noxium, & peſtiferum eſſet: vt tradit Alexander ab Alexandro libr. Genialium dierum.

Matth. 19.

Alexand. ab Alexan. li. 2. Genialium dierum, c. 4.

Deinde quia homo in paradiſo terreſtri, honore & diuitiis refertus, illis abuſus eſt: dæmon etiam in cœlo, de quo ſcriptum eſt: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum*, illis ſpiritualibus diuitiis in ſuperbiam erectus eſt, indeque ad inferos deturbatus. Quare pulchrum antidotum attulit Dominus, paupertatisque humilitate, tùm ſe, tùm ſuos muniri decreuit.

Ezech 28.

Paupertatem quam auerſarentur Iudæi, & quare.

Ad hæc, Iudæi nonniſi ad bona temporalia aſpirabant, illaque in præmium obſeruatæ diuinæ legis promittebantur: vnde vel ad nomen paupertatis & mendicitatis perhorreſcebãt. Chriſtus verò legem nouam inducens, & qui cùm Deus ſit, id, quod dicit, efficere poteſt, beatos vocat pauperes ſpiritu. Prætereà, diuitiarum impedimentum, cum externum ſit, & in opinione hominum ſitum tantùm, faciliùs poterat remoueri, & gradum facere ad altiora.

Quorum ſit impedimentum paupertas vitiorũ.
Eccleſ. 10.

Denique paupertas ſomentum & materiam vitiorum amputat: nam cùm pecuniæ obediant omnia, nullum non iracundiæ,

impudi-

impudicitiæ, ac auaritiæ ſcelus facile quis, ſi valet opibus, complere poteſt.

I. Ratio. & II.
Pauperes ſpiritu cur beati dicantur.
B. Baſil. to. 2.
Acto. 4.
Geneſ. 4.

Magna autem ratione beati prædicantur pauperes ſpiritu; nam tales paradiſi terreſtris ſelicitatem, & in cœlo futuram beatitudinem, quod ad communionem rerum attinet, deguſtant; vt docet Baſilius in monaſticis ſuis inſtitutis. Deinde imitantur Chriſtum atque Apoſtolos, ac primitiuam Ieroſolymitanam, quibus omnia communia erant: & vbi non eſt rerum communio, difficilis eſt recta diuiſio; vt in Cain docet Scriptura.

III. Ratio.

Tertiò, paupertas peccatorum adimit occaſiones, in quas facilè ægra natura noſtra per peccatum originale inciderat: vnde quo quis pluribus eget, eo faciliùs inficitur.

Quinq; modis contingit diuitiis abuti.
Epheſ. 5.
Eccleſ. 3.
1. Tim. 6.

Facilè quippe eſt diuitiis abuti, vel eas ſupra Deum amando, ex quo auaritia vocatur idolorum ſeruitus ab Apoſtolo; vel in eis confidendo. Quis eſt hic (ſcilicet qui non ſperauit in pecuniæ theſauris?) & laudabimus eum vel propter eas ſuperbiendo. *Diuitibus huius ſeculi*, inquit Apoſtolus, *præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum*; vel pauperem fratrem deſpiciendo, velut ille diues Euangelicus, qui Lazarum contemnebat mendicum;

Luc. 16.

vel denique ob diuitias augendas & cumulandas venalem habendo animum: à quibus omnibus peccandi incitamentis atque anſis liber eſt pauper ſpiritu.

IV. Ratio.

Quartò, à multis laboribus & moleſtiis corpus, animumque excruciantibus, ſubleuat paupertas ſpiritualis. Nemo enim ignorat, quantus labor ſit in comparandis diuitiis, atque augendis; quantus in illis ſeruandis, ac diſtrahendis: vt meritò à Chriſto dictæ ſint diuitiæ, ſpinæ; à Paulo ſtercora, à Propheta denſum lutum, ob ſui vilitatem & infectionem, qua nos contaminant.

Matth. 13.
Philip. 3.
Habac. 2.

V. Ratio.
2. Cor. 8.

Quintò, qui paupertatem amplectuntur, occaſionem habent ferendæ crucis, ob aſperitatem quædam illi coniuncta, quæ cupiditatibus carnis & ſuperbiæ vitæ repugnant, & proinde maiorem occaſionem accumulandi & conſectandi eum habent, qui propter nos egenus factus eſt, cùm bene vti diuitiis ſciret & poſſet: & perinde ſe geſſit nobiſcum, atque bonus medicus, qui cibum infirmi deguſtat, vt eum prouocet & exhortetur ad edendum.

VI. Ratio.
Et quemadmodum paupertas ſpiritus omnes virtutes augeat, atque perficiat.
Matth. 6.

Sextò, paupertas ſpiritus viam munit ad exercitium & profeſſionem omnium virtutum, & inprimis fidei: nam cogitatio victus, ſpinæ ſunt fidei. Si etenim Deus paſcit auiculas, & veſtit lilia campi: quidni hominem, propter quem ſunt aues & lilia, & omnes creaturæ ſub cœlo? Spes virtus in penuria roboratur: *Iacta*, inquit Propheta, *ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.*

Pſal. 54.
1. Pet. 5.

Amorem noſtrum excitat, quia beneficiis peculiaribus, quibus Dei prouidentia nobis conſueuit adeſſe, ad amandum inuitat. Humilitas locum habet, dum criſtæ diuitiarum præſcinduntur. Patientia noſtra probatur, cùm ea, quæ neceſſaria ſunt deſunt: liberalitatem ad alios habere cogimur, dum Dei benignitatem in nobis experimur: miſericordia afficimur erga proximos eſurientes, dum eſuriem noſtram ſentimus: & denique vniuerſis virtutibus locum damus.

Ratio ſeptima, atq; poſtrema.

Septimò, & vltimò, paupertas expeditiorem viam ad omnia bona opera facit, vt, ad ſapientiam addiſcendam, ad prædicationis miniſterium, ad luctam cum dæmone non habente, vnde nos deiiciat, & ad ſpirituales eleëmoſynas, imò etiam ad corporales de alienis impertiendas, & ad curſum ad æternam gloriam faciliùs abſoluendum: nam temporalium onere expediti, dicere poſſumus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

Matth. 19.
Diuitiæ nobis quatenus contemnendæ.

Contemne ergo diuitias, non vt ſunt creaturæ Dei bonæ, ſed vt adferunt impedimentum ad ſalutem, homini præſertim infirmo, ac neſcienti vti illis, vt debet. Proinde paupertas, in qua naturaliter naſcimur, & de qua dicitur: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ:* rurſum in morte recuperat ius ſuum, & ad paradiſum nos reducit: quare qui pauperes ſunt in Eccleſia Dei remanent, dum diuites in ſuis diuitiis confidentes, transferuntur ad regnum diaboli; quemadmodùm Nabuchodonoſor pauperes dimiſit in terra promiſſionis, diuites verò, ac nobiles, tranſtulit in regnum Babel: vt dicitur Ierem. 39. Ob has ergo cauſas meritò pauperes ſpiritu, beati pronuntiantur.

Iob 1.
Ierem. 39. & 4 Reg. 25.

I. Ratio.
Chriſtus quare non dixerit, Beati diuites ſpiritu.
Luc. 6.

Non dixit autem Chriſtus beati diuites ſpiritu, imò illis væ interminatus eſt: *Væ*, inquit, *vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram*: tùm quia in nobis ſitum non eſt, ita fieri diuites, vt poſſumus eſſe pauperes ſpiritu: diuitiæ ſiquidem humanæ anguſtæ ſunt valde, & dum ab vno habentur, poſſideri à pluribus nequaquam poſſunt: pauperes autem omnes à natura ſumus, neque aliud nobis deeſt, niſi vt etiam ſpiritu paupertatem amplectamur, vt ita reddamur beati: ſpiritum autem ille libenter & promptè nobis impendit, qui hoc dixit.

Infrà 18.
II. Ratio.

Deinde, quia ſpiritus ille diuinus nequaquam inſpirat ad diuitias congregandas, quibus plerique ſubmerguntur, ſed mundi ſpiritus, ſiue Satanas, qui ait: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris*

Matth. 4.
Infra 19.
1. Tim. 6.

me: at impoſſibile eſt, diuitem intrare in regnum cœlorum: &, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*. Et diuitiarum, ſiue poſſideantur, ſiue deſiderentur, vt talium, nullum eſt præmiũ; ſed paupertatis & abiectionis potiùs.

Ad hoc reſpondetur obiectum: Non tantùm diuitiæ, ſed & paupertas mergunt homines in interitum & perditionem.

Quòd ſi obiicias; multos demergi paupertate: reſpondeo, verùm eſſe de coacta & minimè voluntaria paupertate: ſecus de ſpontanea & ſpirituali, quæ nonniſi per Spiritum ſanctum habetur. Quòd ſi multi à voluntaria paupertate promiſſa exciderint; haud propterea paupertas ſpiritualis per ſe mala eſt: quid enim mali eſſe poteſt cum præſentia Spiritus ſancti? ¶ Secundò dices, Cur non dixit, Beati diuites qui bene vtuntur diuitiis? Imò, maximè beatos eos indicauit eſſe, cùm inquit: *Beati miſericordes*: &, *Beati mundo corde*: diuites enim, vt diuites ſunt, nihil habent ſortis in beatitudine; ſed vt miſericordes ſunt, communicantes bona cum pauperibus: & vt mundi corde, qui illis non afficiuntur, nec ad illas cor apponunt: & hi ad pauperes ſpiritu ſpectant. Deinde, quia maior erat occaſio meriti pauperibus accipientibus, quàm diuitibus largientibus. Et ſi enim ex ſe melius ſit dare, quàm accipere: vt Deus oſtendit, qui ſemper dat, & nihil vnquam recipit: tamen, vt Auguſtinus libr. de Eccleſ. dogmatibus cap. 71. (ſi tamen eius eſt is liber) teſtatur, *Bonum eſt, facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare. Melius eſt, pro intentione ſequendi Dominum, in ſimul donare, & abſolutum ſolicitudine cum Chriſto egere*. Hæc ille. Præſtantiſſimus ergo vſus diuitiarum in earum abdicatione, deſpoliationeque conſiſtit: vnde Chriſtus Dominus maluit amplecti ſtatum pauperum, qui ex oblatis vel emendicatis viuunt, quàm diuitum, qui bona temporalia diſpenſant.

Cur non etiam à Domino dictum ſit: Beati diuites boni ſpiritu.

Pſalm. 61.

Actor. 20.

Augu. tom. 3. circa finem.

Vſus diuitiarum præſtantiſſimus quis.

Ad ſecundum, in hanc ſententiam inauditam, vereque mundo paradoxam, & quam nos niſi ſciremus eſſe à Chriſto pronuntiatam, diceremus eſſe ſtultam; atque à ſtultiſſimo profectam, vel quam cum auaris & Phariſæis deriderẽmus, multi multa opponunt, quæ operæpretium eſſe exiſtimaui diſſoluere, quamque futilia ſint, eneruiaque, oſtendere: has verò obiectiones in quatuor cuneos diſtinguemus. Primus erit Mundi, ſiue vulgi. Secundus Philoſophorum. Tertius Iudæorum. Hæreticorum poſtremus. Primo igitur loco obiicit Mundus diuites, quos beatos vocat: *Quorum filij*, vt ipſe Dauid explicat, *ſicut nouella plantationes in iuuentute ſua: filia eorum compoſita: circumornata vt ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud*: & infrà: *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*. Præterea bona dicuntur, à beando, teſte Iuriſconſulto, & pecunia ab eodem dicitur fideiuſſor omnium; & Salomon ait: *Pecuniæ obediunt omnia*. Hac acie armatus Mundus procedit contra paupertatem ſpiritus. Verùm vt omnia hæc diſſoluamus, ratio diſcordiæ, Chriſti inter & Mundi dicta, conſideranda eſt non aliunde proficiſci, quàm ex diuerſo iudicio, & ſenſu. Vbi aduerte, quadruplex lumen conſtitui. Primum quidem prudentię carnis, quod iuxta Pauli doctrinam mors eſt, ſimileq; ligno putrido noctu tantùm lucenti, proceditque ex corruptione naturæ, conſonumq; triplici mundi concupiſcentiæ, facit inſuper res fidei quaſi procul & paruas videri: quemadmodum Sol ob diſtantiam ſummam exiſtimatur eſſe latitudinis vnius rotæ currus: cùm contra ratio doceat, & ſcientia Aſtrologiæ oſtendat: nam maior eſt multis partibus tota terra. Hoc lumen etiam læſo organo, falſum iudiciũ efficit, vt mel dulce, febricitanti amarum videtur; & ſomnians pauper ſe in diuitias incidiſſe, decipitur, quoniam ſolo imaginandi iudicio ducitur. Reddit etiam hoc lumen interdum ineptum medium, vt ſpecies ad ſenſum, non vt in ſe eſt, perueniant: veluti dum ſpecies remi in aqua quaſi fracta defertur ad oculum, & Sol per nubem viſus, ſubniger, vel rubeus iudicatur; cùm tamen ſit lucidus. Ad hunc modum hoc lumen prudentiæ carnis, quod tenue, & modicum eſt; dum res diuinas èminus ſpectat paruas ducit atque contemnit, inſtarque pueri auiculam præponit multis aureis: inficit etiã carnem, quæ contraria ſibi & noxia appetit: & quæ dulcia ſunt, ceu amara reſpuit. Per medium etiam turbatum & ineptum reſpicit, id eſt, per rationem perturbationibus atque concupiſcentiis affectam. Sed hoc lumen, quo mundus regitur, præſente Sole iuſtitiæ Chriſto, non aliter lucem ſuam amiſit, ac lignum aliquod putridum, lucidum tamen Sole apparente. Vocauit autẽ Chriſtus hoc lumen tenebras, cùm dixit: *Si lumen quod in te eſt, tenebra ſunt, ipſe tenebra quanta erunt?*

Aduerſariorũ argumenta probantiũ diuites eſſe beatos, proponuntur, ac diluuntur.

I. Argum. Mundi ab Scripturis.

Pſalm. 143.

Eccleſ. 10.

Chriſti, & mundi de diuitiis vnde contraria doctrina: lumen quadruplex, & primum prudentiæ carnis quod nam ſit. Rom. 8.

Quale illud lumen ſit, quid efficiat: de eo quid ſenſerit Dominus.

Matth. 6.

Secundum lumen Naturæ eſt illud, de quo intelligi poteſt? *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*: atque hoc lumine Philoſophi multa de Deo cognouerunt, & inter cætera, quòd in externis fortunæ bonis beatitudo minimè conſiſtit: docet enim Ariſtoteles libr. 7. Politico. triplicia

Secundum lumen Naturæ ſcilicet, explicatur. Pſalm. 4.

eſſe

eſſe bonorum genera : nempe Fortunæ, Corporis & Animi : & illa quidem fortunæ ad corpus tuendum pertinent ; corporis verò bona ad animum ; animi verò bona ad ſe, & propter ſe referuntur. Si itaque in bonis fortunæ conſiſteret beatitudo, homo eſſet propter diuitias : cùm tamen diuitiæ propter ignobiliorem partem hominis, nempe corpus, ſint appetendæ. Alioqui magis perfecta ad minùs perfecta eſſent referenda, quod nihil eſſet aliud, quàm peruertere ordinem & ſapientiam Dei: cùm homini, vt nobiliori, omnia ſubiecerit Deus ſub pedibus eius, & vel Philoſophus. 2. Phyſico. agnouerit hominem finem eſſe omnium. Deinde indignum eſt, in bonis externis perituris, in manu item fortunæ poſitis, ſupremum hominis bonum, id eſt, beatitudinem, conſiſtere. Ad hæc, iniquum videtur, impios, qui ditiores ſunt, & augendis opibus ſtudent, beatiores eſſe, quàm iuſtos, qui pauci ſunt contenti, & qui dicunt, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*. Præterea abſurdum eſt felicitatem comparari poſſe per nefas: ſicut frequenter fit: nam diuitiæ, mammona iniquitatis idcircò dicuntur, ac vt prouerbium habet: *Diues, aut iniquus, aut hæres iniqui*. Falſum item eſt, vt felicitate quis malè vti poſſit : multi ſiquidem fortunas ſuas & pecunias in vſus vitioſos, Deumque ad iram prouocantes expendunt. Nec rurſus dignum, vt felicitas ſemel adepta, amitti poſſit, vel occultè à furibus, vel per vim à raptoribus adimi. Poſtremò, impium eſt dicere, quòd beatitudo in his conſiſtat bonis, quæ nec implent, nec ſatiant animum hominis, quemadmodùm nec granum milij, ſtomachum elephantis impleret, nec figuram circuli concauam corpus triangulare adæquaret, imò vt carnes ſalſæ ſitim minimè extinguunt, ſed adaugent, ita bona fortunæ deſiderium hominis non explent. Quod vel ipſis Poëtis notum fuit, quorum vnus dixit:

Bona Fortunæ homines non efficere beatos, multis offéditur.

Pſalm 8.

Ariſtot.

1. Tim. 7.

Luc 16.

Diuitias cur Dominus vocet mammona iniquitatis.

Matth. 6.

Animum hominis inexplebilẽ quid ſit dicere terrenis bonis expleri.

Crescit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit;

Iuuen. Satyr. 14.

Alius:

Semper auarus eget ; certum voto pete finem;

Horat. lib. 1. epiſt.

Et alter:

Creuerunt & opes, & opum furioſa cupido:
Et cum poſſideant plurima, plura petunt.
Quærere vt abſumant, abſumpta requirere certant:
Atque ipſa vitijs ſunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit ſuffuſa venter ab vnda.
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Ouid. lib. 1. Faſto.

Lumen ergo rationis ſatis oſtendit, falſum eſſe vulgi dictum.

Tertium lumen eſt Fidei, quod dicitur à Zacharia ſcientia ſalutis, à Iacobo fratre Domini, ſapientia deſurſum ; à Paulo, prudentia ſpiritus, quæ traditur eſſe vita & pax, quia ad pacem ducit. Porrò hoc lumine multa ſupra naturam apprehenduntur : nam attingit ad Dei ſupremam potentiam, & Deum multa ſupra ordinem naturæ poſſe facere videt, vt, Virginem parere, in Chriſto duas naturas: in ſimplici diuina natura plures hypoſtaſes. Neque hoc lumen contra lumen naturæ eſt, ſed ſupra illud: quemadmodum poteſtas Principis, quæ latior eſt & amplior, haud eſt contra poteſtatem iudicis ſui, ſeu magiſtratus, quæ ſtrictior eſt & anguſtior, verùm ſupra eam. Lumen Fidei ergo oſtendit homini ægritudinem ſuam, qua diuitijs in perniciem ſuam vti conſueuit, & nihil aliud eſſe diuitias in manu filij prodigi, quàm gladium in manu furioſi : docet in illis felicitatem minimè eſſe ſitam : docet, non eſſe hic ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirendam : docet veras, diuitias in homine interiore poſitas eſſe, iuxta illud : *Omnis gloria filiæ Regis abintus* : docet multos per abuſum diuitiarum ſummam infelicitatem incurriſſe, iuxta illas Dauidicas voces : *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce non erat : & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Dormierunt ſomnum ſuum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum: & præualuit in vanitate ſua*: & ſimilia multa in ſcripturis ſacris contra diuites, ſiue illi tenaces ſint, ſiue epulones, pronuntiata.

Fidei lumen.

Luc 1.

Iacob 3.

Rom. 8.

Ibidem.

Quęnam Fidei lumen nos doceat diuina myſteria.

Iſai 7. & Matth. 1.

Nec ſecundũ hoc Fidei lumen, vltimũ hominis bonum eſſe diuitias probatur.

Pſalm. 44.

Pſal. 36.

Ibidem.

Ibidem.

Pſal 51.

Pſalm. 51.

Quartum lumen eſt gloriæ: de quo : *In lumine tuo videbimus lumen*, quo Angeli, & beati iudicant & diſcernunt : hoc autem lumen maius eſt illo Naturæ & Fidei ; nec eſt contra, ſed ſupra illud : quo lumine anima Chriſti induta, à principio conceptionis ſuæ intelligere cœpit & iudicare. Secundùm autem hoc altiſſimum, & nobiliſſimum lumen dixit Chriſtus : *Beati pauperes ſpiritu*; &, *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram*; infelicitatem verò diuitum explicuit in hiſtoria diuitis Epulonis, Luc. 16. & in parabola diuitis dicentis, *Anima mea, habes multa bona repoſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare*, Luc. 12. & in verbis illis ſeriò & graui-

Lumen gloriæ idẽ multo magis oſtendere.

Pſalm. 35.

Luc. 6.

Infra 10. & ſeq.

Supra 12. Matth. 16.

ter inculcatis, *Impoſsibile eſt, diuitem intrare in regnum cælorum.*

Ad illud quod obiiciebatur pro diuitiis: quòd bona à beando dicuntur, & pecunia eſt fideiuſſor omnium.

Quod ergo vulgus ex ſententia Iuriſconſultorum protulit de bonis, quæ à beando dicuntur: Pecunia, fideiuſſor eſt omnium: hanc habet reſponſionem: legem eſſe hominum; & hominibus loqui, non diis, aut filiis Dei: indignum quippe in illis bonis ponere felicitatem, cùm pecunia inſtrumentum & fomentum ſit ad omnia peccata: inde enim aleæ, furta, vſuræ, rapinæ, ſacrilegia, ſimoniæ, lupanaria, cædes, proditiones, veneficia, vrbium euerſiones. Pecunia Iudam adegit ad ſuſpendium; Giezi aſperſit lepra; Ananiam & Sapphiram ad interitum perduxit; Simonem magum ad emendum & vendendum Dei dona ſolicitauit: vt rectè dixerit Paulus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* ergo cùm de populo dicitur: *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt:* vide quid ſubiungat. *Beatus*, inquit Dauid, *populus, cuius Dominus Deus eius:* quaſi dicat; *Non qui opibus atque diuitiis circumfluit vndique, ſed qui Deum habet, diues eſt:* & Eſai. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſsipant.* Scimus, pecuniam fideiuſſorem pro omnibus, & neceſſariam ad vitam: verùm qui ſe ad eum redigit ſtatum, in quo paucis egeat, magna ex parte ab hac neceſſitate liberatur: & licèt pecuniæ obediant omnia, quæ neceſſaria ſunt ad victum & veſtitum, & commoditatem humanam: facilius tamen & procliuius eſt, pecuniæ obedire omnia vitia, quàm vnam, aut alteram virtutem.

Pecuniarum incōmoda. *Matth. 26. Infrà 27. 4. Reg. 5. Actor. 5. Infra 8. 1. Tim. 6.*

Pſalm. 143. Beatus qui verè populus teſte Propheta. *Iſai. 3.*

Eccleſ. 10.

Secūdum argum. pro beatitudine diuitiarum, ex Philoſophorum doctrina. *Ariſt.*

Secundo loco acies Philoſophorum inſtructa opponit, quòd etſi in his bonis non conſiſtat felicitas, ſine illis tamen conſtare nequaquam poteſt; vt enim ait Ariſtoteles: *Præclaras res agere non poteſt, cui deſunt facultates.* Reſpondemus, de felicitate ciuili & humana illum loqui, præſertim actiua (ſi tamen vnquam aliqua talis, vel in aliquo inuenta eſt; de qua non aliter tractauit, quàm de linea illa inextenſa, quam vocant, de qua agit Geometra, deque puncto, cuius pars nulla eſt, quæ licèt in materia exiſtant, actu tamen non reperiuntur) itaque hæc fœlicitas humana ſine pecuniis conſiſtere non poſſet, imò ſine multis pecuniis: nam felicitas talis comites habet liberalitatem & magnificentiam; at iſta non tantùm pecuniis, ſed etiam multis opus habent. Sed quoniam Dominus Ieſus declarauit, aliam eſſe meliorem felicitatem, & in alia vita: ad eam magis conducit paupertas, quàm diuitiæ. Vt ergo liberalitas, & magnificentia humano modo ſe habent erga diuitias, ſiue paruas, ſiue magnas; quemadmodùm magnanimitas & philotimia ad honores magnos, ſiue paruos; & circa poteſtatem iuſtitia: ita proculdubiò paupertas ſpiritus, quæ hoc loco beata prędicatur, heroico more ſe habet ad diuitias, honorem, poteſtatem, & gratiam, quæ illas conſequuntur, contemnenda: nam Spiritus ſanctus, per quem aſſumitur paupertas, ſumma quadam ratione illuminat intellectum, atque gratia ſua vngit voluntatem, & corroborat, vt qui eam amplectitur, lætus ſit, & gaudeat terrena inopia propter Chriſtum, in quem reiicit curam ſui: eſtque guſtus quidam patriæ, perfectis tantùm conueniens. Vt ergo Philoſophi quidam, natura duce, ab ſe abiecerunt diuitias propter ſapientiam comparandam, vtq; expeditiùs philoſophari poſſent, profectò multo magis propter beatitudinem cœleſtem adipiſcendam id licebit. Quamobrem ratio ipſa, docens pecunias eſſe propter aliud maius bonum, & ſatiare non poſſe animum; & exemplum Philoſophorum illas reiicientium & aſpernantium, ad Chriſti paupertatem acceptandam nos præparant, atque diſponunt.

Quænam ſecundum Philoſophum, ſi non poſſit conſtare felicitas.

Paupertas ſpiritus quā planum atq; expeditū ſit iter ad æternam felicitatem.

Pſal. 54. 1. Petr. 5.

Deinde obiicere poſſunt Philoſophi, non eſſe tentandum Dominum Deum per abiectionem diuitiarum. At profectò non tentatur Deus, cùm, Spiritu ſancto ſuadente, paupertatem amplectimur: ſiquidem promittit ille ſe adfuturum, qui dicit: *Non te deſeram, neque derelinquam:* &, *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Tentatur potiùs Dominus à diuitibus non credentibus verbo Dei, & vel ad minimum defectum trepidantibus timore, vbi non eſt timor.

Philoſophis reſpondetur quoq; dicentibus: Videtur tentari Deus per diuitiarum cōtemptum. *Heb. 13. Pſalm. 36. Pſalm. 13.*

Poſtremò obiectat Philoſophus, intereſſe Reipublicæ, homines eſſe locupletes & opulentos, qui in caſibus calamitatum irruentium, vt belli, famis & pęſtis, incendij ac inundationis illi ſubuenire queant. Quaſi verò periculum ſit, ne omnes pauperes ſpiritu fiant; aut quaſi Spiritus ſanctus ex ſe omnes trahat ad paupertatem; aut quaſi, ſi omnes eſſent pauperes ſpiritu eſſent bella, & calamitates; quæ mala propter amorem pecuniæ Deus immittit ſæpenumero. Illi igitur qui huic mundo moriuntur, non habent hic vllam ciuitatem permanētem: neq; quorundam paupertas obeſt aliorum diuitijs, imò prodeſt, ad hoc vt ipſi plura poſſideant: nec per eam pauperes ſpectant ad lucrum, cùm omnia reliquerint ſimplici victu contenti: & væ ciuitati

Eorundē obiectio illa diluitur: vtiles ſint atque adeò neceſſariæ Rebuspublicis opes atq; diuitiæ.

Heb. 13. & Infra 13.

1. Tim. 6.

uitati carenti pauperibus, propter quos illi Chriſtus beneſacere conſueuit.

Tertium argum. Iudæorum numerũ, contra Euangelii paupertatem.

Gen. 13.
Infrà 26.
Iob. 1. & Infra vlt.
Deut. 15.
Prouerb. 30.
Eccle. 27.
Eccle. 7.
I. Ratio.
Iudæi olim cur diuites, non pauperes eſſe debuerunt.
Eccleſ. 3.

Tertiò loco Iudæus accedit: & ex lege primùm opponit Patres Veteris Teſtamenti, qui diuites erant: dicitur enim de Abraham Patriarcha: *Erat autem diues valde in poſſeßione auri & argenti*; idem teſtatur de Iſaac, & ſancto Iob diuina Scriptura: Deinde obiicit textum Deuteron. 15. *Omnino*, inquit, *indigens & mendicus nõ erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in Terra, quã traditurus eſt tibi in poſſeßionem.* Tertiò producit Salomonem: ait enim ille Prouerb. cap. 30. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceſſaria.* Quartò, Eccle. 27. *Propter inopiam multi deliquerunt*, & Eccle. 7. *Vtilior eſt ſapientia cum diuitiis, & magis prodeſt videntibus Solem. Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia.* Reſpondemus, teſte ipſo Salomone: *Omnia tempus habent. Tempus acquirendi, & tempus perdendi, &c.* Quia ergo ſtatus legis, quaſi ætas puerilis, alios mores poſtulabat ab ætate virili, multa tunc conceſsit illi Deus multæ licentiæ; in multis blanditus eſt; promiſsiones etiam temporales erant: nec dum illis apparuerat Chriſtus pauper pauperum, & nuditatis magiſter, qui mendicauit ipſe, & ſtatum paupertatis ſuo exemplo ſacrauit; tollenti etiam tunicam, pallium adhuc dari præcepit: cũ olim eſſet lex dupli reſtituendi. Spectabat etiam ad promiſſa Dei, vt nullus eſſet tunc mendicus ob opulentiam atque affluentiam bonorum temporalium, ſi legem ſeruarent: à qua cũ deficerent, multi erant mendici, vt Lazarus, & cæcus natus, & cæcus mendicãs ſecus viam, clauduſq; ad portã ſpecioſam tẽpli. Cùm verò ætas perfecta & matura venit, euacuata ſunt quæ erant pueri. Vt enim olim ſterilitas ignominioſa erat, & dabatur probro, in Euangelio autem ſacra & glorioſa facta eſt virginitas, ad eũ modum paupertas olim horrida, & parùm honorifica, exẽplo Chriſti & Apoſtolorũ effecta eſt ſacroſancta, ac ſingulari prouidẽtia ſtatus hic cõmendatus à Chriſto. *Quando*, inquit, *miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerũt: Nihil.* Imò illo ipſo legis tempore ad paupertatem Euangelicam voluit eos diſponere. Helias quidem Propheta mendicauit à vidua, & à coruis paſcitur: Heliſæus item in Suna à muliere illa Sunamitide; de Abraham quoque cui promiſsio terræ facta eſt, cõcionatur Stephanꝰ Act. 7. *Et non dedit illi hereditatẽ in ea, nec paſſum pedis: ſed repromiſit dare illi eam in poſſeßionẽ, & ſemini eius poſt ipſum, cùm non haberet filiũ.* Diſponebat etiã Iudæos ad Euangelium Deus: quia paruam terram ſuis dedit, fecitq; illam deſiderari per quadringentos annos, permittebatq; illos ea à vicinis hoſtibus ſpoliari, & templũ dirui ac pollui: vt aliquando Ieſus aperiret os ſuũ, ac diceret: *Beati pauperes ſpiritu.* In cuius beatitudinis promiſsione primũ locũ ſibi vendicant Iudæi, vt teſtatur Auguſtin. & habetur Act. 2. & 4. Patres ergo non ſibi, ſed aliis diuites erant, qui promptè ſua communicabant: & ad accipiendũ cogebant: cumq; futuram ciuitatem inquirerent, temporalia omnia contemnebant.

Matth. 5.
Exod. 22.
II. Ratio.
Luc. 16.
Ioan. 9.
Luc. 18.
Actor. 13.
1 Cor. 13.
Exod. 23. & Deut. 7.
Luc. 22.
Quinam ſuo exemplo Prophetæ viam veluti parauerint ad Euangelicam paupertatem.
3. Reg. 17.
4. Regu. 4. & ſeq.
Acto. 7.
Gen. 15.
Iudæos etiã Deus quomodo ad Euangelium præparauerit.
Exod. 16.
Beat. Augu.
Actor. 2.
Infrà 4.

Ille locus: Omninò indigens & mendicus non erit inter vos: & ſimiles producti pro Iudæis, quomodo accipiendi ſint.

Quod dicitur: *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos:* promiſsio eſt opulentæ vitæ, non præceptum. Illud verò: *Mendicitatem ne dederis mihi:* ſine ſpiritu intellige quia ſine ſpiritu mendicitas, cauſa eſt multorũ peccatorum: & propter inopiam multi deliquerunt. Vel oratio illa Sapientis ex parte imperfectorum funditur vt ſequentia ibidẽ oſtendunt. Nec dum ẽt rudi illi populo via perfectionis erat aperiẽda, quæ Chriſto Domino ſeruata erat: & Sapiens non abſolutè dicit, vtiliorem eſſe ſapientiã cũ diuitiis, ſed addit, *Et magis prodeſt videntibus Solẽ*; quo indicat, diuitias aliquid conferre ad vitæ præſentis felicitatem: & adiũxit: *Sicut protegit ſapientia, ſic & pecunia.* Atq; ita lex, ſicut ratio, diſponebat ad Euangelicam paupertatem.

Quartum argum. & vltim. hæreticorum contra mendicitatem.

Poſtremò loco congrediuntur Hæretici contra mendicitatem; optimum eſſe ſentientes, ſaccos mendicantiũ deleri. Sed videamus quibus rationibus id euincant. Aiunt in primis, otioſum hominum genus eſſe, ad alioſque grauandos natum, dum ſe ipſos ſpoliant. Ad hoc certè falſum eſt, & alios potiùs graui ſarcina bonorum temporalium exonerant, dum habent ſeruos Dei, quibus cum bona communicent ſua: & ſi rem perſpicaciùs atque ſine affectu expendamus, magis debent pauperibus diuites, quàm pauperes diuitibus. Obiiciunt, eiuſmodi mendicos priuare ſe pulcherrima virtute liberalitatis, atq; miſericordiæ, eo quòd non habeãt quod poſsint tribuere. Sed hoc planè falſum videtur: nam Chriſtus cum Apoſtolis paupertatem profitebatur, & tamen loculos habebat, & aliquando aliquid diſtribui egenis præcipiebat. Boni etiam Religioſi, qui ex emendicatis viuunt, ſolent ex his quæ habent, liberaliter etiam aliis mendicantibus erogare: quòd ſi ex bonis temporalibus non contingat illos tam liberales eſſe, ſatis tamen compenſatur, per hoc quòd ex bonis ſpiritualibus, in quibus ſunt locupletes alios ad bonorum

Quàm illud leue etiam quod obiectant:

Spontanei mendici non poſſunt aliis benefacere.
Ioan. 13.

Ad illud eo tundem: Eiuſmodi homines ſunt palleati fures, otioſi, comedones.

ſuorum communionem admittant. Rurſus obiectant; honeſtos quoſdam eſſe, & palliatos fures, mendicantes, qui in labore hominum non ſunt; & tamen volunt ventrem ſuum ex alieno pane implere: & præſtaret cum Paulo, laborare manibus propriis, quam mendicare, iuxta illud: *Si quis non vult operari, nec manducet.* Adiiciunt eſſe petaces & importunos; neque tam mendicantes, quam manducantes. Dicendum eſt, quòd hominum vitia non ſunt in ipſam legem, aut in ſtatum bonum reijcienda: quemadmodum nec proditio Iudæ, in Apoſtolatum, nec vitia Chriſtianorum, in Chriſtianiſmum. Neque verò hic nos defendimus procaces, petulanteſque mendicantes, qui ad voluptatem, delicias, & ſaturitatem mendicitatem conuertunt: ſed eos duntaxat, qui ad exercitium humilitatis & patientiæ, exemplo Chriſti, pro ſuſtentatione vitæ mendicant. Nec valet quod obiiciunt ex Paulo, qui manibus propriis laborabat: quaſi nō ſit laborare, in actionibus ſpiritualibus verſari; ita vt bonus Religioſus vix reſpirare queat. Sunt enim ſtatæ diuinæ horæ, diu noctuque; eſt prædicatio, contemplatio, preces particulares, iuge ſacrificium, lectio priuata, labor in audiendis criminum confeſsionibus, atque ſimilia multa. Eſt autem regula vitæ in omnibus, Chriſtus, qui non laboraſſe legitur, ſed mendicaſſe. Apoſtoli item non leguntur labori manuum vacaſſe: neque omnes artes nouerunt, vt Paulus; & ſi nouiſſent, non poterant ſimul cum prædicatione, quæ totū hominem requirebat, propter meditationes, precationes, & vigilias, quas habet coniunctas, labori quoq; manuum intendere. Imò Paulus ipſe mendicabat non ſolùm pro ſanctis, qui erant in Ieruſalem, ſed etiam pro ſe inter Gentes: vt habetur. 2. Cor. 11. ad obſtruenda ora pſeudoapoſtolorum: & ne incremento naſcentis Eccleſiæ officeret, ideò ſine ſumptu ponebat Euangelium. Quod etiam ex mendicatione habetur, haud cenſetur inter ſumptus Euangelij, quia hoc quaſi debitum capitur, dicente Domino: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Hinc dixit: *Alias Eccleſias expoliaui, accipiens ſtipendia ad miniſterium veſtrum*; & ſtatim: *Et quum eſſem*, inquit, *apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleuerant fratres qui venerunt à Macedonia: & in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui & ſeruabo*; & ad Timotheum pro Oneſiphori domo miſericordiam à Deo implorat, quòd ipſum refocillaret, multamque Epheſi miniſtrationem exhibuerit: qui tamen laborabat manibus, vt habes Acto. 20. 1. Theſ. 2. & 2. Theſ. 3. Paulus etiā non prætulit labores manuum mendicitati, ſed quod non exigeret, quod ſibi iure diuino debebatur, quaſi ſtipendium prædicationis, vt ſuperaret æmulos Euangelij; qua in cauſa etiam relinqui poſſet mendicatio. Nec Paulus inquit: Qui non laborat manibus, non manducet: ſed ſimpliciter, *Qui non laborat*, qui vacat omnino ab omni opere: quod illis non quadrat, qui nunquàm minùs otioſi ſunt, quàm cùm otioſi videntur, quia ſedent ſicut Maria ſecus pedes Domini, vt valeant vitam fratris quatriduani mortui precibus obtinere: etſi Martha id minimè intelligat, & proptereà ſubmurmuret: ac vt Paulus ait: *Vnus quidem ſic, alius verò ſic*; & in alio loco, *Corporalis exercitatio ad modicū vtilis eſt; quia ad corporis tantùm ſuſtentationem valet*: & Dominus vult, vt quia altari ſeruit, de altario participet: & qui Euangelio miniſtrant, de illo viuant.

Pſal. 72. Epheſ. 5. 2. Theſ. 3.

1. Cor. 4.

Quinā, quāque aſſidui Religioſorū labores, & exercitia.

Act. 18.

Cur Paulus mendicauerit.

2. Cor. 11. 1. Cor. 9.

Luc. 10. 2. Corin. 11.

2. Tim. 1.

Act. 20. 1. Theſ. 2. & 2. Theſ. 3.

Expenditur dictum Apoſtoli: Si quis non vult operari, nec manducet.

Luc. 10.

Ioan. 11.

1. Cor. 12. 1. Tim. 4.

Corporalis exercitatio eſt ad modicum vtilis.

1. Cor. 9.

At obiiciunt quidam; Non omnes prędicant: non omnes altario miniſtrant. Sed certè Chriſtus, ſimul & laborabat, & prædicabat, nihil Apoſtolis facientibus; cum tamen omnes manducarent. Nec Ieroſolymis omnes, verùm pauci prædicabant, tamen Apoſtolus vocat Gentes, debitores eleemoſynæ illis dandæ: & ſatis omnes miniſtrant altari, dum iugibus diuinis laudibus & obſecrationibus vacant, quibus populo ſunt adiumento.

Obiicientibus reſpondetur: Non omnes Religioſi prædicant, nec omnes altario deſeruiunt.

Rom. 15.

Obiiciunt poſtremò hæretici, Religiones eſſe locupletes, & pinguia monaſteria: quomodo ergo dici pauperes poſſunt, qui tot bonis abundant? Verùm ignorant miſeri paupertatē monaſticam in abdicatione adminiſtrationis rerū minimè conſiſtere: nam vel Rex, vel Princeps, bona ditionis ſuæ per ſe non adminiſtrat: & tamen non eſt dicendus pauper; Religioſi etiam officiales rerū adminiſtrationi præfecti à ſuis ſuperioribus, ea ratione à paupertate non cadunt Euangelica. Rurſus non conſiſtit monaſtica paupertas in communi poſſeſsione bonorū: poteſt quippe eſſe Religio ſine communibus bonis, vt multæ ſunt: & communis poſſeſsio rerum poteſt inueniri abſq; paupertate: quemadmodum accidit in multis fratribus, cōmuni eorum parente mortuo, & re indiuiſa permanente: nam illi in communi poſſident, nec tamen pauperes ſunt. Tertiò nō conſiſtit hæc paupertas in ipſa indigentia rerum, quæ ad vitam neceſſariæ ſunt. Nam permulti inueniuntur, qui etſi actu egeāt, pauperes tamē non ſunt Euangelici: multi

Quàm & illud leue Lutheranorum: Num ſunt Religioſi pauperes ſpiritu, quoniam reditus habent ampliſſimos.

Tres modi excluduntur religioſæ ac monaſticæ paupertatis.

rurſus

rurſus ſunt verè pauperes Euangelici, qui non egent, vt conſtat de Chriſto loculos habente, & Apoſtolis ad prædicandum miſsis, quibus dixit: *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* & de primitiua Eccleſia, ſcribit Luc. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos.* Conſiſtit ergo religioſa ac monaſtica paupertas, vel in abdicatione proprietatis & dominij, & iuris, vel poſſeſsionis, vel vſus fructus, vel vſus ſimplicis: cùm penes fratres vel religioſos ſit vſus rei cõmunis. Hanc autem paupertatem comitatur interdum indigentia, interdum nulla Indigentia, nonnunquam etiam comitatur illam habere aliquid in communi, quod tamen perfectionem non tollit Euangelicam vnde Luc. de primitiuis pauperib. Illis ſcribit quòd erant illis omnia cõmunia, & nullus aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed diuidebatur ſingulis prout cuiq; opus erat. Vbi prudens lector aduerte, non derogaſſe perfectioni legis Euangelicæ, quòd erãt illis omnia communia: quemadmodum & modò in cœnobiis habere in communi, perfectioni non derogat. Deinde aduerte, illos nihil ſuum proprium dixiſſe, quòd in abdicatione huiuſmodi proprietatis conſiſteret ſubſtantia ſuæ paupertatis, quæ abdicatio proprietatis ſine promiſsione voto nuncupata nequit conſiſtere: nam illa efficit, ne quiſquam ſuum eſſe dicat, quod dedit. Poſtremò aduerte, rectã diuiſionẽ prout cuiuſque neceſsitas poſtulat, haberi commodè non poſſe, niſi vbi omnia ſunt communia. Et hactenus euacuata ſint argumenta omnia, quæ Mundus, & Philoſophi, Iudæi quoque atque hæretici opponunt contra primam hanc Domini ſententiã: quæ quo magis oppugnata eſt, eo magis eius veritas, & germanus ſenſus ſplenduit, & veritas de mendacio triũphauit, ad Chriſti Filij Dei gloriam, & noſtram ſalutem, ope & ſubſidio eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre, & Spiritu ſancto, reddatur omnis laus, gloria & imperium in ſecula ſeculorum.

Luc. 22.

Act. 4.

Vbi tantum ſita ſit paupertas Euangelica.

Act. 4.

Rerum in cõmuni poſſeſſio Euangelicæ paupertati minimè repugnat.

Eiuſmodi paupertas neceſſariò eſt cum voto cõiuncta.

Omnino rerum diuiſio pro cuiuſque neceſſitate, earum communitatem ponit.

TRACTATVS VI.

In illa verba: *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

QVEMADMODVM meritum huius beatitudinis, id eſt, paupertas ſpiritus, inauditum & paradoxum prorſus fuit, ita præmium illi adſcriptum, nouum atque inauditum videtur. Regnum etenim, quod diuitum eſſe ſolet apud eos qui per diuitias regnant, potentiam, & honorem & fauorem habent, pauperibus accommodatur: cùm enim homines dicere ſoleant, Beati diuites, quoniam ipſorũ eſt regnum terrarum; Chriſtus contrà aſſerit, *Beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorum eſt regnũ cœlorum.* Hinc Gregor. Nyſſenus, admiratus tanti præmij magnitudinem ſub paupertate ſpiritus deliteſcentem, in tractatu de Beatitudinibus, dixit: *Si quis auarus incidit in tabulas, theſaurum alicubi abſconditum indicantes; is autem locus, qui theſaurum continet, multũ ſudorem & laborem aſpirantibus ad eas opes oſtendat; nũquid ad labores oblangueſcet, & in lucro quærendo ſegnis erit? nullumq; præ ſtudio laborem ſumere atq; defatigationem ſubire, diuitijs dulcius iucundius exiſtimabit? Non ita ſe res habet, non ita eſt. Sed omnes quidem ad hoc aduocabit amicos: ex omnibus item partibus, ex quibus poterit, auxilijs ſibi contracta multitudine operarũ opes illas abſconditas, ſuas facturus ſit. Hic eſt ille theſaurus, fratres, quem ſcriptum indicat; abſcondita autem præ obſcuritate diuitia ſunt.* Hæc ille, alludens fortaſſe ad verbum Domini inuitantis iuuenem ad paupertatis perfectionem, cùm dixit: *Si vis perfectus eſſe: vade, vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me.* Eſt autem regere, rem populi agere: Rex verò, ſiue βασιλεὺς Græcè, dicitur quaſi βάσις τοῦ λαοῦ, id eſt, ſtabilimentum populi: qui enim communem pacem & abundantiam, per iuſtitiam fouent ac promouent, regnum ipſum ſtabiliunt. Eſt autem regnũ, populus ſubditus, eodem capite, & eiſdem legibus in ſuam vtilitatem rectus, tametſi locum proprium nõ habeat, quemadmodum Reges Vvandalorum, aut Gothorum, qui regna Occidentis inuaſarunt, vllum habebant: impropriè tamen pro loco, vel terra à ſubditis poſſeſſa atque habitata accipi conſueuit: vnde dicimus, regnum Galliæ, regnum Hiſpaniæ, & ſimilium, quòd in illis prouinciis habitent illius regni ſubiecti. Dixi autem, impropriè; quia animæ & ſenſus expertia, propriè non dicuntur regi; at ſoli homines, qui intellectu vigent. Dixi, in propriam populi vtilitatem; quia aliàs ſi in regendo propriis tantùm commodis conſuleret quiſquam, nequaquam Rex, ſed tyrannus appellaretur. Regnum autem nihil eſt aliud, quàm poſſeſsio Regis, pendens cenſum & honorem Regi ſuo. Regnum verò cœlorum in Scripturis, vox non eſt tam æquiuoca, quàm analoga: nam etſi multa ſignificet, ea tamen omnia ad vnam rationem ſignificationis referuntur. Primò ergo Chriſtum

Paupertatis ſpiritus præmium quantum ſit regnũ cœlorũ, Gregorio Nyſſeno.

Matth. 19.

Regere quid ſit: nomẽ Regis vnde deſcendat: quid regnum.

Regni definitio explicatur.

Regni cœlorum variæ acceptiones.

ſignifi-

Luc. 17. Matth. 3. Infrà 13. Ibidem. Ibidem. Ibidem.

ſignificat, de quo: *Regnum Dei intra vos eſt*: &, *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cœlorum*: quod ſimile perhibetur eſſe theſauro, margaritæ, grano ſinapis, & fermento. Eſt enim Chriſtus prima poſſeſſio Dei, recta & gubernata per Deum in omnibus, ita vt operationes eius non tantùm ſint humanæ, ſed etiam diuinæ: reddidit Deo cenſum gloriæ, & obedientiæ, & honoris: vnde dicebat: *Ego honorifico Patrem meum*: & iterum: *Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Eſt etiam regnum cœlorum, quia quatenus Deus eſt; cœlum eſt: quatenus itẽ homo eſt, & animam ab initio ſanctificatam, diuinitatique coniunctam habet, cœlum eſt. Vnde Origenes tract. 7. in Matthæum initio: *Si regnum cœlorum aſſimulatum eſt cuidam homini Regi; videamus in primis quid ſit hoc ipſum regnum cœlorũ, quod aſſimulatum eſt homini Regi, niſi Filius Dei. Ipſe eſt enim regnum cœlorum. Et ſicut ipſe eſt ſapientia, ipſe eſt iuſtitia, ipſe veritas, ita ipſe eſt regnum. Regnum autem nõ alicuius eorũ qui ſunt deorſum, nec quorundam eorum qui ſurſum, habentur, ſed omnium qui ſunt ſurſum, qui appellati ſunt cœli.* Hactenus ille. Idem docet B. Hilarius in cap. 12. Matthæi ſuper illud: *Peruenit in vos regnum Dei.*

Christus cur regnum cœlorum nominetur. Ioan. 8. Orig. tom. 2. Matth. 10. 1. Cor. 1. Ibidem. Ioan. 14. B. Hila cano. 12. ante med.

Secunda acceptio. Epheſ. 5. 1. Cor 6. Apocal. 5. & Suprà 1. Matth. 25. Suprà 13. Suprà 3 Ibidem. Infra 20. Actor. 20.

Secundò, regnum cœlorum ſignificat Eccleſiam militãtem, quæ Chriſto ſponſo hæreos, vna caro eſt cum illo, & vnus ſpiritus, & idcircò ait: *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes*, & ſimile dicitur decem virginibus, & agro, in quo triticum cum zizania, & areæ, in qua triticum cum palea, & saganæ miſſæ in mare, malos & bonos piſces congreganti, & vineæ, in quam mittuntur operarij. Poſſidetur enim ipſa Eccleſia à Deo per Chriſtum, quam ipſe acquiſiuit ſanguine ſuo, & ſinit ſe regi ſpiritu ſuo, & reddit Deo cenſum honoris.

Eccleſia militãs regnum cœlorum cur dicta. Apoc. 21. Coloſſ. 3. Pſalm. 44. Luc. 22. Suprà 19.

Dicitur porrò cœlorum regnum: quia vt ſponſa de cœlo venit, & ſapientiam cæleſtem habet, per quã ſapit quæ ſurſum ſunt: habet & mores cæleſtes, & politiam in cœlo: & quia data eſt Chriſto in ſponſam: ideo ipſe eſt Rex Iudæorum. Quia verò B. virgo inter omnes ſupremæ ſponſæ locum tenet, ideò vocatur Regina, de qua: *Aſtitit Regina à dextris tuis*: & ſequitur: *Adducentur Regi, virgines poſt eam*: & quoniam cæteri paſtores, & ſacerdotes vocati ſunt à Domino in partem ſolicitudinis: idcircò Reges ſpirituales dicuntur, & illis dixit Chriſtus: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnũ*: item, *Et tu eſto ſuper quinque ciuitates*: & ob id Chriſtus dicitur Rex Regum, & Dominus Dominantium.

Scriptura (hæc eſt tertia acceptio) cur regnum Dei, vel cœlorum dicatur.

Tertiò dicitur Scriptura regnum Dei, vel cœlorum; quia regnum Chriſti, Eccleſiæque continet, de illo loquitur, ad illud hortatur, præcepta illud conſequendi tradit, terret, ne illud amittamus. Vt enim dicitur ius Ciuile, vel ius Canonicum, & libri Regum, ob id quod eiuſmodi iura, vel facta Regum continent: ita regnum Dei eſt Scriptura.

Matth. 21. Illud de Iudæis: Auferetur à vobis regnum Dei &c. quomodo accipiendum. Orig. Tra. 19. in Matth. à medio Theophy. Euthym. c. 50. Matth.

Quanquam in illo loco: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*, non neceſſariò accipiatur pro Sacra Scriptura, vt Origenes & alij quidam tradunt: quoniam Scriptura nondum eſt ab eis ablata; Chriſtus tamen, ſenſuſq; Scripturæ ablatus eſt illis. Vnde Theophylactus & Euthymius docent, regnum Dei eo in loco accipiendum pro cuſtodia peculiari, qua illi tanquam filij Deo charierant. Scriptura ergo vocatur regnum cœlorum, quia Dei eſt poſſeſſio, & à Deo regitur, & honoris cenſum docet Deo perſoluendum; & cœleſtia proponit.

Quartus ſignificatus regni cœlorum

Quartò fidem ſignificat, quia ingreſſus quidam regni eſt: vt quidam Patres interpretantur, ſicut enim medicina ſana, & ſanus cibus dici ſolent, eo quòd efficiant ſanitatem: ita fides regnum cœlorum, quod vt via in illud introducat, & pars eius ſit. Eſt etiam regnum Dei, teſte Apoſtolo, iuſtitia, pax, & gaudium in Spiritu ſancto, quia per hæc dona regnat Chriſtus in nobis, & nos in illo, efficimurque eius regnum, ſicut ipſe eſt noſtrum regnũ, & Patris regnum. Patris quidem, quia poſſidetur à Patre: noſtrum verò, quia poſſidetur à nobis; & nos illius regnum, quoniam poſſidemur ab eo.

Rom 14. Vt regnet Chriſtus in nobis.

Quintus ſignificatus.

Quintò, regnum cœlorum appellatur felicitas & beatitudo æterna, quam expectamus futuram in cœlis: quemadmodum Regnum Hiſpaniæ, vel Galliæ, ſignificat regnum illis prouinciis terminatum, & Eccleſia primùm fideles, deinde locum ibi congretur & apparent, qui Eccleſiæ ſunt mẽbra, ſignificat. De hoc regno ait Chriſtus: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Et in cælis, videlicet incorruptis bonis & æternis, ſitum eſt hoc regnum: vnde dicitur: *Neque corruptio incorruptelam poſſidebat.* Et, *Iis quidẽ qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Continet autem hoc regnũ Deum Regem, & beatos, quos in conſortium regni aſciſcit: quorum beatorũ vtilitatem, & honorem, & delicias ineffabiles quærit, non vt viam, & cum menſura, & paruitate, vt hic, ſed vt finem, ac citra menſuram. Et omnia poſſidet beatus, quia

Matth 7. 1. Cor. 15. Rom. 2.

Regni cœlorum, beatitudinis nempe cœleſtis deſcriptio.

omnia

Matth. 6.

omnia communia Deus ſibi faciet: & in regno hoc continentur veræ diuitiæ, quas nec ærugo, neque tinea demolitur; nec fures effodiunt, nec furantur: verus honor à ſapientibus exhibitus, verus fauor à Deo impenſus, vera poteſtas cum immortalitate coniuncta; vera amicitia, & vera voluptas, & denīq; omnia bona, ſecretis malis omnibus, poſsidebuntur: quæ hic per regnum ſignificantur, quia nos in hoc mundo nihil maius, nihil magnificentius comprehendimus: poſsidet etiam omnia in locis ſuis, quia vbique dominatur beatus, nō vt Reges temporales, qui vt pro libidine ſua regnent, omnia tranſmutant.

Gloria cœleſtis nomine regni cur veniat.

Etſi igitur quinque his modis Interpretati ſimus regnum cœlorum, & omnes poſsint præſenti loco adaptari: maximè tamen poſtremus. In primis enim pauperum ſpiritu eſt Chriſtus, quia frater pauperum, qui illum imitantur, quia pater eſt pauperum, quorum curam gerit, nequid deſit. Ad hæc, ipſe petit per os pauperis mendicantis, & ait: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.* Et, *Quandiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Deinde pauperum ſpiritu eſt Eccleſia, quia præcipua mēbra eius, & Euangelij melior pars paupertatem coluerunt, & à pauperibus nata eſt Eccleſia, id eſt, ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris, & recentior Eccleſia Ieroſolymitan. quæ in paupertate vixit: qui etiam iudicabunt Eccleſiam, iuxta illud: *Vos qui & ſecuti eſtis me in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicātes duodecim Tribus Iſrael.* Tertiò pauperum eſt Scriptura, quòd ibi eorum promiſsio contineatur, & cùm à ſecularibus curis vacent, plus intelligunt, & magis deguſtant, idcircò Scripturarum autores, vti Prophetæ & Apoſtoli, paupertatis cultores, fuêre, earum etiam illuſtres & excellentes expoſitores, vt Irenæus, Baſilius, Auguſtinus, ac Hieronymus, eandem paupertatis virtutem pulcherrimam adamarunt. Quartò, pauperum eſt fides, quia magis illam exercent bonis temporalibus indigentes quàm illis abundantes. *Iacta*, inquit Propheta, *ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Ipſorum etiam eſt iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto: ſiquidem alij, vt opibus inhient, iniuſtè agunt, interna, externaq; pace priuantur, & gaudio, quod in fletu terminari ſolet implentur. Secus, qui ad cœleſtes toto pectore aſpirant diuitias, illiſq́ue comparandis atque cumulandis inſudant. Poſtremò, vita æterna, ſignificata per regnum, pauperum eſt, non vna

Quomodo pauperū ſpiritu ſit Chriſtus.

Matth. 25.
Ibidem.
Vt ſit eorundem Eccleſia.

Actor. 2. & Infra 4.

Matth. 19.

Ad eoſdem pertinere Scripturam.

Quod ad illos ſpectet, etiam Fides.
Pſal. 45.
1. Petr. 5.

Rom. 14.

Prouer. 14.

tantum, ſed pluribus rationibus. Primò quidem electione, qua ratione Epiſcopus electus ius habet ad Epiſcopatum ſuum: Ita pauperes, de quibus Iacobus ait: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe?* Secūdò, iure & merito emptionis: vt qui pendit pretium domus, nec dū tamen illam poſsidet: vt Bernardus epiſt. 208. Ad Regem Siciliæ Rogerium ſcribit: *Suſcipe*, inquit, *illos tanquam aduenas & peregrinos, veruntamen ciues ſanctorum & domeſticos Dei. Parum dixi, ciues, Reges ſunt: ipſorum eſt enim regnum cœlorum iure & merito paupertatis.* Tertiò, ſpe, de qua: *Spe ſalui facti ſumus*, quomodo pueri diuites in ſpe dicuntur, quia heredes, licèt nondum actu poſsideant: vt qui bona habent depoſita in menſa argentarij tuta, diuites cenſentur: multo magis illi, qui ſpem ſuam in Deo habent, qui neminem fallere norunt, vt plerunq; homines faciunt. Quartò, arrha Spiritus ſancti, de qua habetur Epheſ. 1. quæ ſi ſeruetur, ſecuros reddit de obtinendo regno. Quintò, guſtu quodam & poſſeſsione inchoata, accipiente primitias regni, vt qui in menſa ſedens diceret, propina mihi de meo vino, id eſt, de eo, quod ſapit, & placet: ita gloria cœleſtis, potus eſt electorum & perfectorū. Spectat ergo regnū cœlorū ad imperfectos, eſtq́; in illis vt fructus in foliis, id eſt, gratia Dei, quæ ſemen eſt gloriæ: *Gratia enim Dei, vita æterna*: quantum ad guſtū verò, ſpectat ad perfectos, eſtq́; in illis, vt fructus in floribus: in eiſq́; peculiari ratione regnat Deus, qui præciderunt laqueos, quibus dæmon regnat, id eſt, bona ſeculi huius. Illis inſuper ad profligandū cacodæmonē & regnū cælorum propagandū plerunq; vtitur Deus id eſt, ad prædicandū: quia tales ſine commodi proprij reſpectu, animas tantū quærunt & amant, iuxta illud: *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos*: habent etiam regnum Dei intra ſe, & in corde ſuo, quod non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu S. Iuſtitia quidem, nam propter terrena multæ committuntur iniuſtitiæ, pax verò, eo quòd bona tēporalia ſuas habent ſpinas, & lites: at gaudium, nō humanū, ſed in Spiritu S. Meritò ergo Dominus deſpicientibus terrena, illaque calcantibus, qui quodammodo ſupra mundum ſunt, datur regnum cœlorum. Ambiamus ergo, ſi ſapimus, hoc regnum, atq; ad illud expugnandum vim faciamus: nam multis modis illud nobis Deus communicare velle ſignificauit. Vnde Bernar. li. ſententiarū, initio: *Quatuor*, inquit, *ſunt genera hominum*

Prima ratio, pauperes quoque ſpiritu cur vitā mereantur æternam
Iacob. 2.
II. Ratio.

B. Bernar.
Ephe. 2.

III. Ratio.
Rom. 8.

IV. Ratio. & V.
Epheſ. 1. & alibi.

Rom. 6.
Regnum cælorum, id eſt gloria cœleſtis, aliter imperfectorum eſt, aliter perfectorum.

2. Corin. 12.
Luc. 17.
Rom. 14.

Regnum Dei cur ſit iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu S.
Matth. 13.

regnum

regnum cœlorum poſſident. Alij violenter rapiunt, alij mercantur; alij furantur, alij ad illud compelluntur. Rapiunt qui dereliquerunt omnia & ſequuntur Chriſtum: de quibus dicitur: Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Sunt alij inferioris gradus, à quibus metuntur carnalia, dum eis ſpiritualia ſeminantur: & his loquitur in Euangelio Dominus: Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Tales dicuntur mercatores, quia dant in præſenti pauperibus temporalia quæ poſſident, vt in futuro recipiant ab eis æterna, quæ non niſi per os habere merentur. Neceſſe eſt enim, omnes, qui in futuro iudicio examinandi ſunt, vel eſſe iudicis amicos, vel apud iudicem interceſſores habere amicos. Habent ergo primum beatitudinis locũ qui intercedunt; habent hi, pro quibus intercedunt ſecundum. Sunt alij qui nonnulla bona occultè faciunt, pro quibus merentur regnum cælorum: ſed tamen furari illud dicuntur, quia laudẽ humanam vitantes, ſolo diuino teſtimonio contenti ſunt. Horum figuram tenuit mulier illa in Euangelio, quæ fluxum ſanguinis patiens cogitauit intra ſe dicens: Si tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero; quo dicto acceſſit occultè, & tetigit, ſalua facta eſt. Alij ſunt qui compelluntur: verbi gratia, vt pauperes neceſſarij, quos ſcilicet hic igne paupertatis Deo diſpenſante purgat ne in futuro igne iudicij puniat: de quibus ſcriptum eſt: Compelle intrare, vt impleatur domus mea. Compelluntur multi varijs neceſſitatibus & oppreſſionibus afflicti, qui mira Dei prouidentia, dum temporalem pœnam, ſi non libenter, tamen patienter ſuſtinent, vitam conſequũtur æternam. Hæc ille peregregiè, & eleganter.

Si itaque volumus regnare in cœlis, regnemus priùs in terra corporis noſtri, ſenſibus & cupiditatibus adhibeamus frenum, linguam coerceamus, atque nos ab Spiritu ſancto regi permittamus, operando tamen ſimul illi in omnibus. Et quia regnum non eſt omnino pacificum, vigilare oportet, & arma ad congreſſum, cùm opus eſt, aſſumere: nam ita fiet, vt regnum cœlorum fiat noſtrum, & terrenum conuertatur in cœleſte, & imum ac humile ſupernum efficiatur, adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

**

*

Quatuor genera hominũ regnum cœleſte poſſidentium, teſte Bernar.

Matth. 11.

Infrà 19.

1. Cor. 9.

Raptores.

Mercatores.

Luc. 16.

Fures regni cœlorum.

Luc. 8.

Ad regnum cœlorum qui cõpellantur.

Luc. 14.

Quomodo regnum cœlorum conſequemur.

TRACTATVS VII.

In illa verba Matth. 5. *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.*

QVATVOR circa hanc beatitudinem diligenter nobis explicãda ſunt. Primum quidem de ordine ad præcedentem, & ſubſequentem beatitudinem: Secundum, quid luctus & quotuplex ſit, & qui lugentes, qui hoc loco beati dicuntur: Tertium, quid ſit in ſe conſolatio: Quartum, cur lugentibus illa promittatur.

Ad primum igitur explicandum, animaduertere oportet, codices omnes Græcos poſt paupertatem ſpiritus, confeſtim ſubiicere beatitudinem luctus, non mititatis, vt habet textus Latinus: atque illam lectionem Græcorum codicum ſequitur Chryſoſt. in vtroque opere, tam perfecto, quàm imperfecto, quod illi tribuitur ſuper Matthæum. Huic Theophyl. Euthy. Leontiuſq; ſubſcribunt. Et Euangelium Syriacum priori loco ponit lugentes, poſteriori mites. Ratio etiam illam lectionem videtur confirmare. Cùm enim ex ſententia Auguſtini dictum ſit, per has tres priores beatitudines hominum bene diſponi, quantum ad ſe, per duas ſequentes ad proximum, & per alias duas, quæ prædictas conſequuntur, ad Deum: quemadmodum poſtrema perſecutiones patientium propter iuſtitiam, & ad Deum, & ad proximum rectè aſſicitur. Cùm ergo per tres priores homo præparetur rite ad ſe ipſum, nempe circa bona externa, & circa vim concupiſcentem, ac iraſcentem, coerceatque triplicem illam concupiſcentiam, oculorum carnis, & ſuperbiæ vitæ, conſtet verò priorem eſſe concupiſcentem, cui data eſt in præſidium & fauorem iraſcendi vis: ideò potiùs præcedit luctus, quo comprimitur concupiſcentia carnis, quam iracundia, & ſuperbia vitæ coercentur. Prætereà fauet huic literæ ordo ſeruatus à Ioanne, qui ait: *Omne quod eſt in mundo, cõcupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ.* Vbi vides, concupiſcentiam carnis ſuperbiam vitæ præcedere. Facilè eſt autem, dum catalogus variarum rerum deſcribitur, à librariis inuerti numeros, & quod tertio loco dicendum erat, præponi in ſecundo.

Quanquam, ne quid diſsimulem, Gregor. Nyſſe. in tract. de Beatitudinibus, lectionem Vulgatæ editionis ſequitur, reddita etiam ratione ordinis: vnde Græcum

Beatitudinẽ luctus, beatitudine mitiũ ordine priorem eſſe, triplicitèr.

Chryſ h. 15. in Matth. 10. 2.

Theophy.

Euthym.

Leontius.

II. Argum.

Aug li. 1. ſermonis Domini in mõte. c. 3. tom 4. prope finem.

III. Argum.

1. Ioan. 2.

Librariorum familiaris lapſus, quis nã.

Greg. Nyſſ.

codicem

Prima ratio præponentiũ beatitudinẽ mitium, beatitudini lugentium.

codicẽ qui habuit ſimilem illi, quem interpres noſter habuit. ¶At rectè poſt paupertatem, ſiue mendicitatem ponitur lenitas, ſiue mititas: quoniam qui mendicant, ſolẽt eſſe cõtemptui, deriſioniq́; expoſiti, vt rectè dixerit Poeta quidam:

Iuuen. ſaty. 3.

Nil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit.

Ad vincendam autem hanc honoris, gloriæque appetitionem, atque ad contemptum, & deriſionem hominum forti animo ferendam, indigent mendici inſigni quadam atq; hæroica lenitate animi, & mititate: quare poſt paupertatem recto ordine ponitur mititas, quam ſubſequitur luctus ſpiritus, quoniam pauperes ſpiritu ac manſueti ob defectus in paupertate admiſſos, ac mititate, materiam luctus habent.

Secunda ratio.

Adde, quòd in Scripturis illa duo, paupertas, & humilitas, coniunguntur: vt *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*: & in libro Iudith: *Humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio*. Qui enim animo eſt humilis, non facilè iraſcitur, nec contemptui ſe haberi dignatur: & qui ſpõte pauper eſt, cùm honores & diuitias contemnat, ob iacturam, vel honoris, vel bonorum, non ita ad iracundiam prouocatur. Nam quid prodeſt externas aſpernari diuitias, ſi non etiã ſeipſum quiſque contemnat? Et quanquã ſiue luctum, ſiue manſuetudinem præponat, parùm referat; nos tamen hoc loco ordinem à Chryſoſtomo propoſitũ ſeruandum putamus. Hæc de primo.

Matth. 11.
Iudith. 9.

Quid lugentes vulgi iudicio.
Chryſoſt. ead. homil. 15.

Ad ſecundum, vt Chryſoſt. ponderat: *Progreditur*, inquit, *Dominus ad aliud mandatum, quod videtur contra totius mundi pugnare ſententiam. Cùm enim omnes putent gaudentibus, & omnibus delicijs, & voluptatibus affluentibus inuidendum: eos verò qui in luctu ſunt, & mœrere, miſeros, hos beatos vocat*. Vt interim plures Philoſophorum ſententias hoc loco Dominus iugulare videatur. Quidã enim in diuitiis felicitatem conſtituebant, vt Ariſtippus, in quos Dominus ait: *Beati pauperes ſpiritu: & Væ vobis diuitibus, &c.* Alij verò in ſanitate, lætitia, & indolentia, in quos ait Dominus: *Beati qui lugent*. Alij rurſus in honore, & vindicta dẽ hoſtibus ſumpta, in quos Dominus ait: *Beati mites*. Rurſus alij in plenitudine rerum omnium, & voluptate ſectanda, in quos Dominus ait: *Beati qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini*. Rurſus alij, vt Stoici, in animo impatibili, nulliſq́; affectibus obnoxio, in quos Dominus ait: *Beati miſericordes*. Alij item in gloria bellica, & ſubiectione terrarum, ſed contra hos Dominus ait: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*. Ad hæc alij felicitatẽ putabant ſitam in ſcientia humana, in prudentia, & virtutibus moralibus: cõtra verò Chriſtus ait: *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt*. Poſtremò alij in fama, & amplitudine nominis felicitatem collocabant: ſed Chriſtus ait: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*: &, *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, &c.* Et, *Væ vobis, cũ benedixerint vobis oẽs homines*. Vt ita noua, inaudita, & vt verè paradoxa, & abſcondita à cõſtitutione mũdi eructare videatur Dominus Ieſus in primordio huius ſuæ legiſlationis.

Octo opiniones Philoſophorum de ſummo bono per Chriſtum confutatæ.
Luc 6.
Luc. 6.

Luctus quid.

In primis ergo luctus nihil eſt aliud, quã dolor de amiſſo bono amato, vel de præſenti malo odio habito, lacrymis externis expreſſis. Vnde Cicero in Tuſcul. quæſti. dixit: *Luctus, ægritudo, ex eius qui charus fuerit, interitu acerbo*. Eſt etiã lugere, in luctu eſſe, quòd Græcis dicitur, *πενθεῖν*, Hebræis אבל quo ſenſu Liuius dixit Patres conſcriptos cenſuiſſe poſt cladem Cannenſem, ne fœminæ vltra triginta dies in luctu eſſent.

Cic. lib. 4. Tuſc. quæſt.
Liuius.

Lacryma cũ ne dicta.

¶Lacrymę aut (quæ Græcè *δάκρυον* dicitur, & δ in λ mutata, fit lachryma, & *δάκρυον* à *δάκνω*, id eſt, mordeo, quod lacrymæ animum mordeant; vel vt alij dicũt, à lacerando, quod per lacrymas laceretur homo) ſicut nec riſus, nec eſt vllus animi affectus, ſed externa quædam actio, qua vel lætitiã in riſu, vel triſtitiam in fletu exprimimus.

Quid ſit.

Eſt autem lacryma, humor ex calefactione teneri cerebri diſtillans per oculos. Porrò in magna calefactione cùm cerebrũ exiccatur, lacrymæ non ſolent fluere, vt in iracundia virorum: nec, cùm antè eſt deſiccatum cerebrum, vt in longo mœrore, vel ſenectute; vel cũ ſuapte natura eſt ſiccũ, vel in melancholicis. Fluunt autem lacrymæ, vel cùm cerebrum eſt humectatũ, vt in ebriis, vel cùm molle ac tenerum eſt, vt in pueris, & fœminis, & ægrotis: exiſtũt ſæpè lacrymæ à vento valido, ex fumo, ex cœparum eſu, ex aduerſa valetudine, ex nimio riſu, quãdò incaleſcit cerebrum: educuntur etiam ab affectibus, vt ab amore fruendi re chara, ab ira, quæ non valet vlciſci ſe; ab inuidia, vt in mulierculis; à pudore, vt in pueris; à commiſeratione ſui ipſius, vel alterius indigni malo (noſtro iudicio) quod ei accidit. ¶ Datæ ſunt autem à Deo naturæ autore lacrymæ homini; tùm ad teſtificandum noſtrum dolorem, vt dolor propterea diminuatur; tùm vt alios ad noſtri miſerationẽ, opemq; ferendam adducamus, tùm ad teſtandum alienis malis nos affici, ex quo mutua amoris conciliatio oritur, vnde Paulus aiebat: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*. Et hactenus de lacrymis.

Vnde fluant lacrymæ.
Lacrymæ cur homini tributæ.
Rom. 12.

Triplex luctus, & prior quidem naturalis, quinam ſit.

Eſt autem triplex luctus: quidam naturalis, alter deliberatus, & ex electione, malus tamen; quidam verò deliberatus eſt, bonus tamen & beatus. Naturalis autem luctus eſt, dolor de priuatione boni nobis cōuenientis, ſiue oriatur ex dolore ſenſus externi, vel ex aliqua re, quæ quidem rationi moleſtiam attulit. Gregor. verò Nyſſe. in lib. de beatitudini. ſic definit: *Luctus eſt triſtis animi habitus & affectus, qui exiſtit propter priuationem rei alicuius quæ placeat, & accepta ſit: qui luctus in his qui cum lætitia vitam tranſigunt, conſiſtendi locum non habet.* Sic ille. Hic autem neq; bonus eſt, neq; malus, quod attinet ad mores: nam per naturalia nec meritò, nec demerito digni exiſtimus; acceptatus tamen à ratione, poteſt eſſe bonus, & in eo ratio meriti inueniri: vt dum conuertimur ad Dominum, dolor quidam naturalis de amiſsione bonorū olim amatorum nos inuadere conſueuit. Sed conſtāter ferendus eſt: nam propter illum Dominus conſolari ſolet peccatores à peccatis redeūtes, & illis delicias facere, ſecundùm Auguſtinum: qua ratione filius iunior à regione lōginqua rediens, magnis lætitiæ ſignis exeptus eſt: Eunuchus quoque à Philippo baptizatus, ibat gaudēs per viam, vt ait Lucas, nam delectatio, vita eſt animæ, quemadmodum triſtitia mors quædam eius eſt.

Luctus quid Gre. Nyſſen.

Quatenus indifferēs, quādo etiam bonus exiſtat.

Au. quodam loco.

Luc. 15.
Actor. 9.

Luctus deliberatus, ferè malus, vnde naſcatur: quorum maximè proprius.

Secundus luctus, eſt deliberatus, ſed malus, & vitioſus plerunque, & hic ex amore proprio, quaſi ignis ex materia fœtida proficiſcitur; propter lacturam videlicet, vel tenuitatem bonorum temporaliū, vel ſanitatis, vel dignitatis, vel aliorum bonorū, vel propter vindictæ impotentiam, & ſimilia. Hic luctus inuenitur in damnatis: de quibus Dominus: *Ibi erit fletus, & ſtridor dētium.* Sap. 5. de reprobis gehennæ addictis, dicitur: *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, gementes præ anguſtia ſpiritus: Dicentes intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes.* Hic autē luctus ſignum eſt animi immoderato amore fruentis creaturis: nocetq; corpori, quia teſte Salom. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa:* deinde nocet cordi, vt tinea veſti, vermis ligno; & iuxta Apoſtolū: *Triſtitia huius ſeculi, mortem tum corporis, tū animæ operatur.* Vnde Aman miſerè excruciabatur, quòd à Mardocheo honorem non acciperet. Nocet prętereà animo; quoniam illum triſtitia affectū omnis peruerſa cogitatio tentatioq; ingreditur; non ſecùs ac in domū habitatore carentem, omnes qui volunt, ingrediuntur; ac quemadmodū ad ollam calore feruoreq; deſtitutam muſcę accedunt, id eſt, immundi, moleſtiq; dæmones. Ad hæc aperit animum falſis & temerariis iudiciis, tum de Deo, tum de factis & moribus aliorum, & omnia quæcunq; videt, in ſiniſtram partem interpretatur: vrgetque ad quærendas externas conſolationes, internæ cùm deſunt: difficile quippè eſt, hominem viuere vtraq; delectatione deſtitutū. Prætereà vt delectatio ad bona opera vrget, ſic triſtitia frangit brachia bonorum operum, vel ſi contingat illa præſtare, malo condimento inficiuntur triſtitiæ. Vnde Aaron inuitatus à Moyſe ad edēdum de hoſtia: *Quomodo potui,* inquit, *comedere eā, aut placere Domino in ceremonijs mente lugubri?* Scriptum eſt enim: *Seruite Domino in lætitia,* & Deus magis probat cor donantis hilare, quàm ipſum donū: ideòteſtatur tibi placere promptum obſequium ſine triſtitia, in quamcunq; tandem rem vocauerit Dominus. Hinc illud dictū Prophetæ: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* nempè ad proſpera & aduerſa, ad fauores & flagella. Eſt autem huiuſmodi cor ita paratum ſimile ſeruo dominum diligēti, qui vultus alacritate inuitat dominum, vt illi aliquid præcipiat, & ſimile ceræ liquefactæ, quæ figuram pro arbitrio obſignantis accipit; nec non virgæ viridi, quæ facilè flectitur in quam velis partem. Poſtremo ille luctus fletui damnatorum hominum eſt perſimilis. Nam vt illi lugent propter ſe ipſos, ſic & iſti cum Eſau lugent iacturam primogenituræ pro ruffa decoctione lentis venditæ.

Matth. 8. & infrà 22.
Sap 5.

Luctus ille quid oſtendat: quàm ſit homini perniciolus.
Prou 17.
2. Cor. 6.
Eſther. 5.

Dæmones quos, quomodo ingrediatur.

Leuit 10.
Pſalm. 99.

Pſal. 107.

Quid illud Prophetæ, Paratū cor meū Deus, paratū cor meum.

Luctus ille immodicus de temporalium iactura bonorū cui ſimilis.
Gen 25.

Vanus eſt autem luctus Chriſtianorū immoderatus, quē declarant in obitu charorum: de quo Apoſtolus 1. Theſſalon. 4. *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent.* Deinde Hieronymus huiuſmodi luctum ad Paulam de obitu Bleſillæ filiæ inſectatur his verbis: *Nequeo ſatis Scripturæ laudare myſteria, & diuinum ſenſum in verbis licèt ſimplicibus admirari; quid ſibi velit, quòd Moyſes plangitur; & Ieſus Naue, vir ſanctus, ſepultus refertur, & tamē fletus eſſe nō ſcribitur. Nempe illud, quod in Moyſe, id eſt, in lege veteri, ſub peccato Adam, omnes tenebantur eloggio, & ad inferos deſcendentes, conſequenter lacryma proſequebantur, ſecundū Apoſtolum, qui ait: Et regnauit mors ab Adam vſq; ad Moyſen, etiam ſuper eos qui non peccauerunt. In Ieſu verò, id eſt, in Euangelio, per quem paradiſus eſt apertus, mortē gaudia proſequuntur.* Ad hęc Auguſtinus lib. 1. Confeſſ cap. 13. *Cogebar Aeneæ neſcio cuius errores, oblitus errorum meorū, & plorare Didonem mortuam, quia ſe occidit ob amorem; cùm intereà me ipſum in his à te moriētem, Deus meus, vita mea, ſiccis oculis ferrem miſerrimus.*

Cōtra nimiū luctum mortuis propinquorum, vel amicorum.
1. Theſſal. 4.
Hieron. epiſt. 25. circa med. to. 1. ante dimedium.

Deut. vlt.
Ioſu vlt.
Iudæorū ſuper Moſis, nō autem Ioſue mortis myſterium.

Auguſt. tom. 1. in prim.
Virg. 4. Aen. in fine.

ſerrimus. Quid enim miſerius miſero non miſerãte ſe ipſum; & flente Didonis mortẽ, quæ fiebat amando Aeneam, non flente autem mortem ſuã, quæ fiebat non amando te? Hæc illi ſancti Patres, & docti. Ad hæc, vel mortuus, quem luges, in inferno detinetur, vel in purgatorio moratur, vel ad cæleſtẽ gloriam peruenit: quorum nullus dignus eſt planctu. Nam ſi in gehennæ carcere cruciatur: profectò fletu, aut dolore dignus non eſt, quia præciſus omninò à Chriſto, tametſi pater ſit, aut mater, vel vxor, vel vir, vel chariſſimus frater, aut filius, aut alius quicunque amore coniunctiſsimus tibi, neque illis lacrymis tuis inde eũ reuocare potes. Si verò fruitur cœleſti gloria, non eſt fletu dignus, vel commiſeratione; ſed quia regnat & triumphat, gaudio & congratulatione proſequendus: ſi verò ad tempus purgante igni expietur: aliter iuuandus eſt, quàm lacrymis, triſtitiæ immoderatæ, atque deſperationis teſtibus: & gaude, quia eſt in via, ſtatuq; ſalutis: quòd ſi infans ſine baptiſmo diſceſsit in limbum, ex parte lætandum: quia etſi non videt Deum, nec viſurus eſt vnquam, haud tamen carentia illius affligitur, nec vlla pœna vexatur. Neque verò flendus eſt, quaſi immaturè ablatus: quia eſt velle ſapere plus quàm Deus; vel quaſi magis amarent defunctos quàm ille, qui pro illis mortuus eſt, & licèt dicatur: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius:* iudicio potiùs noſtro, quàm diuino, dicitur raptus. Deus ſiquidem propterea rapit de hac vita hominem; ne vel ex bono malus, vel ex malo deterior fiat. Nec quia mortem violentam pertulit aliquis, propterea eſt illachrymandus: quandoquidem etiam illa mors à Deo eſt, de quo dicitur: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas, à Deo ſunt*; & Iob, cuius filij, procurante dæmone, extincti erant, & domus corruerat, magna animi æquabilitate & conſtantia, dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Si verò luctum amplecteris, quia mortuus tibi deeſt, qui te alat, & ſuſtentet: videris non verè diligere defunctos, quoniam propter te tantũ diligebas: nam ſi verè & ex animo amares, etiam tuæ vitæ illius gloriam, bonumque præferres: & licèt tibi homo ille charus, vtiliſq; deſit, non tamẽ deeſt Dominus Deus: & ſimpliciter maius bonum eſt quòd abſit à nobis, quàm quòd abſit.

Mortuos vel in cœlo, vel in purgatorio, vel in inferno exiſtentes, non eſſe lugendos.

Non eos etiã, immatura, vel violenta morte qui pereunt, eſſe lacrymis proſequendos.

Sap. 4.

Eccleſ. 11.

Iob. 1. & ſeq.

Ibidem.

Ad illud q obiicitur: Deeſt mihi is, vnde mea vita pendebat.

Quartò loco ſuccurrunt ſentẽtiæ quædam pulchræ, acutæ, & elegantes Senecę in libro De remediis fortuitorum, ad Gallionem; quas ille extra Fidem poſitus, ad reprimendam immoderatam triſtitiam in euentis fortuitis compoſuit; quarum bonã partem hoc loco ſubiectam, ait enim: *Pecuniam perdidi: fortaſſis de illa perdidiſſet. Perdidi pecuniam, & illa quidem quam multos. Eris nunc in via expeditior, domi tutior. Perdidiſti pecuniam? nempè quam tu vt haberes, alius antè perdiderat. Pecuniam perdidi. O te felicem, ſi cum illa auaritiam perdidiſti: ſed ſi manet illa apud te, es tamẽ vtcunq; felicior, quod tanto malo materia ſubducta eſt.* ¶ *Morieris, Gentium ius eſt, quod acceperis, reddere. Morieris, Peregrinatio eſt vita. Multa cùm deambulaueris, domũ redeundum eſt. Morieris, Putabam te aliquid noui dicere. Ad hoc veni, hoc ago, huc me ſinguli dies adducũt. Naſcenti mihi natura protinus hunc poſuit terminum. Quid habeo quod indigner? In hæc verba iuraui. Morieris, Nec primus, nec vltimus. Multi me anteceſſerunt, omnes ſequentur. Morieris, Hic eſt humani officij finis. Quis ſenex exauctorari moleſtè tulit? Quo tranſit orbis, ego tranſibo. Quid ergo? neſcio me eſſe animal rationale & mortale? Ad hanc conditionẽ cuncti gignuntur. Quod cœpit & deſinit. Morieris, Nihil graue eſt, quod ſemel eſt.* ¶ *Malè de te opinantur homines. Sed mali. Moueret, ſi de me M. Cato, ſi Lælius ſapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones, iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt vllam autoritatem habere ſententia, vbi, qui damnandus eſt, malè de te loquitur. Malè de te loquuntur. Moueret, ſi iudicio hoc facerent, nunc morbo faciunt, Non de me loquuntur, ſed de ſe. Malè de te loquuntur, Benè neſciunt loqui, qui faciunt, non quod merear, ſed quod ſolent. Quibuſdam enim canibus ſic innatũ eſt, vt non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent.* ¶ *Dolor imminet. Si exiguus eſt: feramus. Leuis enim eſt patiẽtia. Si grauis eſt: feramus. Nõ leuis eſt gloria. Dolor clamorẽ exprimit, dum ſecreta non exprimat. Non poteſt homo par doloris eſſe, nec rationis dolor. Durares eſt dolor. Imò tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt: ſimus ex paucis. Imbecilles natura ſimus. Naturam infamare nolite, illa nos fortes genuit.* ¶ *Non ſum potens. Gaude quia impotens non eris. Iniuriam accipere potero. Gaude, quia facere non poteris. Magnam pecuniam habet. Hominem illum iudicans? arca eſt. Quis arario, quis pleno loculis inuidet? Et iſte quem dominum pecuniæ æſtimas, pecuniæ loculus eſt. Multum habet. Vtrùm auarus, an prodigus eſt? Si auarus; nõ habet. Si prodigus, non habebit, Iſte, quem beatum credis, ſæpè dolet, ſæpè ſuſpirat. Multi illum comitantur. Mel muſcæ ſequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ. Prædam ſequitur iſta turba, non hominem.* ¶ *Aegroto. Venit tempus quo experimentum mei caperem. Non in mari tantùm, aut in prælio vir fortis apparet. Exhibetur etiam in lectulo virtus. Cum morbo mihi res*

Diuini Senecæ ſalutaria aliquot remedia futurorũ euentuum.

Remedium contra mortem ineuitabilem.

Remed. contra infamiã.

Remed. contra dolorem inſtantem.

Remedium contra impotentiam.

Contra ægritudinem & exilium.

eſt; Aut vincetur, aut vincet. ¶ Exulabis: Erras, cùm omnia fecerim, patriam meam tranſire non poſſum. Omnium vna eſt. Extra hanc nemo proficiſci poteſt. Exulabis; Non patria mihi interdicitur, ſed locus. In quamcunque terram venio, in meam venio. Nulla terra exilium eſt, ſed altera patria eſt. Non eris in patria. Patria eſt, vbicunque bene eſt. Illud autem, per quod bene eſt, in homine, non in loco eſt. In ipſius poteſtate eſt, quid ſit illa fortuna.

In illud: Peregrè moriar.

¶ Peregrè morieris; Vndecunque ad inferos vna via eſt. Peregrè morieris; Ego quod debeo, ſoluere paratus ſum. Videat fænerator, vbi me appellet. Peregrè morieris; Nulla terra eſt aliena mortuo. Peregrè morieris; Non eſt grauior foris, quàm domi ſomnus. Peregrè morieris; Hoc eſt, in patriam ſine viatico peruenire.

Remed. contra immaturam mortē.

¶ Sed iuuenis morieris. Optimum eſt, antequam optes, mori. Hoc vnū eſt quòd æquè tam ad iuuenem, quàm ad ſenem pertinet. Non citamur ex cenſu, nec exigitur numerus annorum. Et adoleſcentes, & impuberes, eadem fati neceſſitas ducit. Optimum eſt mori, cùm iuuat viuere. Iuuenis morieris. Quicunque ad extremum fati ſui venit, ſenex moritur. Non enim refert, quæ ſit hominis ætas, ſed quæ ſit meta. Iuuenis morieris: Fortaſſe alicui malo ſubducit me fortuna, ſi nulli alij, certè vel ſenectuti.

In id: Inſepultus iacebo.

¶ Inſepultus iacebis. Quid aliud reſpondeā, quàm illud Maronis:

Facilis iactura ſepulchri?

Si nihil ſentio, nō pertinet ad me iactura corporis inſepulti. Si ſentio, omnis ſepultura tormentum eſt.

Virgilius.

Cœlo tegitur, qui non habet vrnam.

Quid intereſt ignis me an fera conſumat, an tempus omnium ſepultura? Non ſepelieris: Quid inter (aliàs, in re) tutiſſima trepidas? Vltra pœnarum omniū terminum iſte locus eſt. Vita multa debemus morti nihil. Non defunctorum cauſſa, ſed viuorum inuenta eſt ſepultura: vt corpora & viſu & odore fœda amouerentur: alios terra obruit, alios flamma conſumpſit, alios lapis oſſa redditurus incluſit. Non defunctis, ſed noſtris oculis parcimus.

Remedium paupertatis.

¶ Paupertas mihi grauis eſt: Imò tu grauior paupertati. Non in paupertate vitium eſt, ſed in paupere. Illa expedita eſt, hilaris, tuta. Pauper ſum. Neſcis de opinione, non re laborare. Pauper es, quia videris. Pauper ſum. Nihil deeſt auibus. Pecora in diem viuunt, feris ad alimenta ſolitudo ſua ſufficit. Accepit ille grandem pecuniam: Abſque dubio ſuperbiam accepit.

Remed. oculorum iactu ræ.

¶ Oculos perdidit: Habet & nox ſuas voluptates. Quàm multis cupiditatibus via inciſa eſt, quàm multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant. Non intelligis partem innocentiæ eſſe cæcitatem. Huic oculi monſtrant adulterium, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcat, huic vrbem & mala omnia. Certè irritamenta ſunt vitiorum, ducesq; ſcelerum.

Iacturæ liberorum remedium.

¶ Amiſiſti liberos: Stultus es, qui defleas mortem mortalium. Quid iſtud aut nouum, aut mirum eſt? Quàm rara eſt ſine iſto caſu domus. Quid ſi infelicem voces arborem, à qua, ſtante ipſa, cadunt poma? Et hic tuus fructus eſt. Nemo extra ictum vulneris poſitus eſt. Ducuntur ex plebeia domo immatura funera, ducuntur & ex regia. Non eſt idem ordo fati, qui & ætatis. Non quomodo quiſque venit, emittitur. Quid inde eſt quod indigueris? Quid contra expectationem tuam euenit? Perierunt pueri tui. Sed ego illos ſuperſtites optabam. Verùm hoc nemo tibi promiſerat. Perierunt liberi mei. Habebant illi cùm eſſent magis quàm tui, apud te precariò morabantur. Educandos tibi fortuna mandauerat, recepit illos, non abſtulit. Naufragium feci. Cogita nō quid perdideris, ſed quòd euaſeris. Nudus exij, ſed exiſti. Omnia perdidi. Sed perire potuiſti vnà cum omnibus. ¶ In latrones incidi. Sed alius in accuſatores, alius in fures, alius in fraudatores. Plena eſt inſidijs via.

Remed. contra odium & maleuolentiam.

¶ Inimicos graues habeo. Quomodo aduerſus veras munimenta conquiris, quomodo aduerſus ſerpentes, ſic aduerſus inimicos auxilia circumſpice, quibus illos aut arceas, aut compeſcas: aut, quod optimum eſt, places. Inimicos habeo. Illud eſt peius quod amicos non habeas. ¶ Amicum perdidi. Iam enim te habuiſſe certum eſt. Amicum perdidi. Alium quære, & ibi eum quæras, vbi inuenire poſſis. Quære inter liberales artes, inter honeſta & recta officia, quære in laboribus. Ad menſam aſtantes non quæritur, quære aliquem frugi. Perdidi amicum. Fortem animum habe, ſi vnum, erubeſce, ſi vnicum: quid tu in tanta tempeſtate ad vnicam anchoram ſtabas?

Bonæ vxoris amiſſæ prima conſolatio.

¶ Vxorem bonam amiſi. Verùm inueneras bonam, an feceras? Si inueneras, habere adhuc te poſſe ex hoc intelligas licèt, quòd habuiſti. Si feceras: benè ſpera. Res perijt, ſaluus eſt artifex. Amiſi vxorem bonam. Quid in illa probabas? Pudicitiam? Quàm multa diu cuſtoditam perdidére. Decus? Quàm multæ inter probatas matronalis ordinis eſſe cœperunt, poſtea inter exempla naturarum: (aliàs mutatarum, aut fortè notatarum.) Delectabat te fides eius? Quàm multas ex optimis coniugibus peſſimas videmus, ex diligentiſſimis ſolutiſſimas. Omnium quidem imperitorū animus, maximè tamen muliebris in lubrico eſt. Si bonam vxorem habuiſti, non potes affirmare in illo eam permanſuram fuiſſe propoſito. Nihil tam mobile, quàm fœminarum voluntas, nihil tam vagum. Mors effecit, vt affirmare ſine periculo poſſis.

Secunda conſolatio.

Bonam vxorem amiſi. Inuenies, ſi nihil quæris, niſi bonam, dummodò ne imagines, proauosque reſpexeris, nec patrimonium, cui iam ipſa nobilitas ceſſit. Iſta diu cum forma non repugnabunt. Faciliùs reges animum nulla vani-

tate

tate tumentem. Non multum abeſt à contemptu viri, quæ ſe nimis ſuſpicit. Duc bene inſtitutam, nec maternis inquinatam vitijs. Non cuius auriculis vtrinque bina patrimonia dependent. Non quam margaritæ ſuffocent; cui minus ſit in dote, quàm in veſte; quàm in patente ſella circumlatam per vrbem populus ab omni parte æquè, vt maritus inſpexerit; cuius ſarcinis domus non ſit anguſta. Hanc facilè ad tuos mores redíges, quam nondum corruperunt publici corruptores. Vxorem bonam amiſi. Non erubeſcis flere, & intolerabilem vocare iacturam. Hoc vnum deeſt, vtrùm illam lugeas, an non. Cùm maritum te cogitaueris, cogita & virum. Amiſi vxorem bonam. Soror bona non poteſt recuperari, nec mater. Vxor, aduentitium bonum eſt. Non eſt inter illa quæ ſemel vnicuique contingunt. Amiſi vxorem bonam. Multos tibi numerare poſſum, quibus bonam vxorem lugentibus ſucceſsit melior. ¶ Mors, Exilium, Luctus, Dolor, non ſunt ſupplicia, ſed tributa viuendi. Neminem illæſum fata tranſmittunt. Felix eſt, non qui alijs videtur, ſed qui ſibi. Videas autem quàm domi ſit iſta felicitas rara. Vicina eſt miſeria, habet enim aliquid, trahitque ex ea.

Vxor qualis docenda.

Tertia conſolatio.

Quarta & quiota.

Mors, exiliũ, luctus, dolor ait Seneca, non ſunt ſupplicia, ſed tormenta viuendi.

Hactenus ille: quæ tam longè produxi, vt noſtri conſiderent, quò peruenerint externi Philoſophi; & confundantur Chriſtiani, quibus tanta lux Euangelij affulſit, qui tam deiecto & conſternato, ac muliebri animo ictus aduerſæ fortunæ ſuſcipiunt, in voceſque querulas, & eiulatu plenas, præ doloris impatientia erumpunt.

Tertius luctus, verè bonus & ſanctus.

Tertius eſt luctus Chriſtianus, & beatus: de quo dicendum eſt. Nam vt temperantia humano more moderatur vires cõcupiſcentiæ, & vitæ in delectationibus & voluptatibus poſitæ: ita virtutes Chriſtianæ, diuinæ atque heroicæ, ſenſum virtutis concupiſcentis reprimunt, & contraria vitæ voluptuoſæ propter CHRISTVM aſſumunt. Conſiſtit autem luctus hic in conſideratione Adæ primi, & ſecundi, quorum vterque ad luctum amplectendum nos adhortatur. Rectè enim dicitur à Salomone: *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem*: ideò cum ſtulti irrideant, ſapientes tamen magis habent quod lugeant. Scientia itaque fidei oſtendit peccatum Adæ, nec non bona amiſſa, & mala propter illud immiſſa. Vident enim in primis proprium peccatum, vt ſolum, verum, & magnum malum, dignumque lacrymis & planctu. Hinc Ieremiæ cap. 6. dicitur: *Filia populi mei, accingere cilicio, & conſpergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum, quia repentè veniet vaſtator ſuper vos*: & capite 9. *Docete filias veſtras lamentum.* Quare Petrus agnito peccato ſuo, fleuit amarè; peccatrix lacrymis cœpit rigare pedes IESV, & capillis tegere; Ezechias, *Recogitabo*, inquit, *tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; Dauid: *Lauabo per ſingulas noctes*, (id eſt, peccata,) *lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Iuſtitia etiam Dei hîc ſuo iure exigit, vt vitioſa lætitia in peccato habita, amaro luctu compenſetur. *Quantum*, Ioannes Euangeliſta inquit, *glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Auulſio etiam ab ita ſibi vnitis obiectis, ac coniunctio cum ita remotis, nonnulla cauſa luctus exiſtit: & impoſsibile eſt, hominem nouam vitam inchoare, quin eum pœniteat veteris, vt ait Auguſtinus: vt enim luxatum membrum ſuo loco ſine magno dolore non reſtituitur; vel infixa ſpina ſine ſenſu moleſtiæ non adimitur: ita peccatum ſine animo contritionis ſenſu non remittitur. Porrò vt tradunt Patres, triſtitiæ affectum non ob aliam cauſſam inſeruit natura homini, quàm vt peccatum deleret & extingueret. Audi verba Chryſoſtomi homilia 7. ad populum Antiochenum, initio: *Triſtitiam nobis Deus non ob aliud indidit, niſi propter ſolum peccatum, & hoc per ipſam rerum experientiam manifeſtauit. In pecuniarum enim mulcta, & morte, & ægritudine, & alijs nobis ingruentibus moleſtijs, dolentes & mœrentes, non tantùm nullam conſolationẽ capimus, verùm & moleſtias augemus. In peccatis verò ſi doleamus & contriſtemur, peccati magnitudinem minuimus: & quod erat magnũ, reddimus paruum: ſæpè & funditùs ipſum totum delemus.* Hæc ille doctè & eleganter. Cùm enim mœrore & lachrymis noſtris corpus parentis, aut vxoris, aut filij ſuſcitare non valeamus, valent tamen ad animum noſtrum à peccati morte reuocandum. Gregorius Nyſſenus beatum & vtilem hunc luctum tradit his verbis: *Quemadmodùm enim in corporis morbis, quibus aliqua pars corporis ex violenta quadam læſione tabida facta fuerit, indolentia argumento eſt, mortuam eſſe, tabidam ac languidam illam partem: ſed ſi arte quadam medica, vitalis denuò ſenſus corpori reſtitutus ſit, tam is qui laborat, quàm qui curationem adminiſtrant, dolente iam parte gaudent, quippe certiſsimo argumento vtentes, ad ſanitatem conuertiſſe ſe morbum, eo quòd membrum ſentire iam cœperit ea, quæ faciant dolorem: ita nonnulli, postquam amiſſo ſenſu doloris*, vt inquit Apoſtolus, *tradiderint ſe vitæ peccatrici; quum, quod ad vitam cum virtute degendam attinet, re vera mortui quidam tabefactiq; ſint, nullum eorum quæ faciunt, ſenſum habent.* Hæc ille.

Eccle. 1.

Prima eius cauſſa præcipua ex parte Adæ primi.

Ierem. 6.

Infrà 9.

Matth. 26.

Luc. 7.

Pſalm. 6.

Altera.

Apoc 18.

Tertia.

B. Au. lib. 50. hom hom, 50. 10.10.

Triſtitiam homini Deus cur dederit.

B. Chryſo. ſe. 5. in prin.

Luctus peccatorũ quomodo vtilis & beatus. Gre. Nyſſe.

Ephe. 4.

Peccata etiã dimiſſa quorum exempla ſanctorũ lugenda. *Pſal.24.* *Pſalm.70.* *Eccleſ.5.* *Matth.26.*

Sunt præterea peccata antiqua, quę etſi condonata ſint, ſunt tamen, vbi occurrunt, perpetuis lachrymis proſequenda. Vnde Dauid dicebat: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*; & iterum, *Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarũ, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ.* Salomon etiam: *De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu*: Petrus crimen negationis, quod Deus iam ignouerat, continuis per totam vitam lacrymis eſt proſecutus: Apoſtolus etiam Paulus vocat ſe blaſphemum, & perſecutorem, & contumelioſum ob antiqua peccata, quæ ante cognitum Chriſtum admiſerat. Vnde Ambroſ. in Lucam li.1.c.6. *Paulus*, inquit, *nõ habebat quod lugeret, ex quo in Chriſtum credidit, & tamen priora deflebat, dicens: Quia non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.*

1.Tim.1. *B Amb.to.4.* *1.Cor.15.*

Venialia quoque delicta eſſe lacrymis digna. *Matth.6.* *1.Ioan.1.* *Pſal.118.*

Ad hæc, præter peccata antiqua, habemus etiam recentia, & venialia antiqua ſic dicta, quæ perpetuò lugẽt ſancti homines, & pro quibus dicunt: *Dimitte nobis debita noſtra*; ac propter quæ nos peccatores profitemur, iuxta illud: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*: rurſus de iſtis ait Dauid: *Exitus aquarum deduxerũt oculi mei: quia nõ cuſtodierunt legem tuam.* Etſi autem delicta hæc leuiora, pro fragilitate noſtra, impoſsibile ſit euadere: diuina tamen prouidẽtia pro ſua erga filios charitate, maiora emolumenta atq; commoda ex illis nos elicere conſtituit, quàm ſit detrimentũ quod inferunt: multis quippe modis illorum expiationem inſtituit: materiamq́; promouendi humilitatem, ac cæterarum virtutum merita in illorum luctũ, atque quotidiana precatione, quam pro illis effundimus, ſtatuit atq; decreuit.

Leuia nobis peccata quid conferant.

Quarta cauſſa Chriſtiani luctus, nempè ſalutaris. *Rom.7.* *Sap.14.*

Accedit quartò, fletus cauſſa ex innata atque intrinſeca ad peccandum pronitate ex reliquiis, maliſq́; habitibus ac propenſionibus, quę ſolicitant ad relabendum: ita vt iuſtus cogatur cum Paulo ingemiſcere: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*: tanta ſe offert ſeges, atque occaſio peccatorum: tùm ex parte animæ: tùm ex parte corporis; tùm ex creaturis ſeſe offerentibus in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium; tum ex proximis noſtris vana ſuggerentibus, vel ad iram inſtigantibus: tùm denique ex cacodæmonibus acriter tentantibus, ſalutique noſtræ malignè inſidiantibus.

Quinta cauſſa.

Accedit quintò ratio fletus ex peccatis proximorum noſtrorum: quos ſi ex charitate, vt par eſt, diligimus, non poſſumus, nec debemus, tum ob Deum ſummè dilectum maxima iniuria affectum: tũ ob damnum fratribus noſtris illatũ, non etiã grauiter deflere: ita vt nõ minus cogamur pro illorum, quàm pro noſtris lugere peccatis: hinc illa vox Dauidis: *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.* hinc Paulus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* & in alio loco: *Ne iterum quũ venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitiam quam geſſerunt.* Ideò Chriſtus videns Ciuitatẽ, fleuit ſuper illam, eòquòd non cognouerit tempus viſitationis ſuæ, & ingratam ſe præſtiterit tanto aduentus Meſsiæ beneficio. Vnde elicimus, Prælatorum eſſe, ſiue perfectorũ, qui in hac ſecunda beati à Domino prædicantur ſententia, inferiorũ ac imperfectorum ſcelera atq; flagitia, iugib. & viuis proſequi lacrymis ac eiulatibus: ex quo de Ambroſio Paulinus teſtatur: *Quotieſcunq; illi aliquis ob percipiendam pœnitentiã lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, vt & illum flere compelleret: videbatur etiam ſibi cum iacẽte iacere.* Hæc de illo. Habent ergo qui ſenſu rationis vigent, & oculos ſuos in Eccleſiam contemplandam cõuertunt, permultaq; lugere valeant, dum conſiderant hæreſes, ſchiſmata, eorum qui foris ſunt, errores & cæcitatem paganorum, obſtinationem & perfidiam Iudæorum, prælatorum abuſus, & negligentiam, Sacerdotũ ſolutam vitam, religioſorũ apoſtaſias, principũ bella & ſeditiones, populorum factiones, diuitum tenacitatem, fœminarum pompam & impudicitiam, & deniq; homicidia, adulteria, furta, vſuras, & plus quàm ſexcentas ſcelerum formas ingemiſcendas, ac deplorandas, ita vt dicere poſſumus cũ Propheta; *Non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & nõ eſt ſcientia in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinẽ tetigit.* Quibus quidem malis omnibus deplorãdis opus eſſet altero Ieremia qui diceret; *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontẽ lacrymarum; & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Adiicitur his poſtrema ratio, & cauſſa lugendi, ex cõſideratione ſcilicet innumerabiliũ malorũ, quibus vndique cruciantur, & vexantur Chriſtiani, tũ inter Paganos, & Turcas, tùm inter nos ipſos, qui mutuis inſidiis, cædibus, & calamitatibus cõficimur; tũ ex diuerſis dolorib. febribus, membrorũ truncationibus, atq;

Pſalm 118. *2.Cor.11.* *2.Cor.12.* *Luc.19.* *Maximè lugere qui debeãt, & quæ.* *Paulin. in vita S. Ambro. tom. prim. operum eiuſdem.* *Oſe.4.* *Quanta mũdi nequitia cuiuſq; digna lacrymis & planctu.* *Ierem.9.* *Sexta & vltima cauſſa Chriſtiani luctus.*

mor-

morborum conflictationibus variis, quibus vndique obruimur (proh dolor) & affligimur, vt vel à ſtupidis, ſenſuq; carentibus lacrymas excutere valeant. Vnde Iob: *Flebam*, inquit, *quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi*: & Paulus pręcipit flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus. Vt vita hęc mortalis magis Heraclito communes calamitates deflente indigeat, quam Democrito: meritò vt hic mundus vallis lacrymarum dicatur, cui non magis quadrat lætitia, quã muſica in luctu, vel fructus æſtatis intempeſtiuè in hyeme quæſiti. Quanquàm autem multas ſępè calamitates, & aduerſa immittat in nos Deus, ex magna miſericordia id præſtat, vt puniat peccata noſtra, & ad reſipiſcentiam inuitet. Atque ea ratione mala hæc minimè digna ſunt fletu: quatenùs tamen offendunt proximum, & grauiter vexant, merentur commiſerationem, & luctum ex ratione illa, qua ſumus inuicem membra in Christo. Atque hæc ratio fletus ex parte Adæ primi deſumpta, irriguum eſt illud inferius, de quo Ioſu. 15. & Iudic. 1. Secunda conſideratio, quæ ad luctum excitat Chriſtianum, ſecundus Adã, ſiue Chriſtus eſt: qui oculis fidei conſpiciatur, quemadmodum à natiuitate ſua initium lugendi ſumpſit, ac fletum pro peccatis noſtris continuauit vſque ad mortem Crucis, in qua cum clamore valido, & lachrymis exauditus eſt pro ſua reuerentia, lacrymas profectò excutiet, & ad luctum ſeuocatum intelliget. Cùm autem & per Ioannem Baptiſtam, & per ſeipſum, & per Apoſtolos ad pęnitentiam vocauerit, & ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos; ſanè quiſq; cognoſcat ſibi eſſe lugendum. Si etiam non ignoremus, Chriſtum pro peccatis noſtris cruci ſuffixum, flagellatum, cõſputum, ſpinis coronatum, ſanguine cruẽtatum, mortique addictum, quid aliud rationabimur, quàm nobis eſſe perpetuò dolendum, atq; triſtandum? Vnde ipſe dixit; *Venient dies, cùm auferetur ab eis Sponſus; & tunc ieiunabunt in illis diebus*. Hi ergo hoc loco beati prædicantur, non quidem ſimpliciter lugentes, cùm multi malè, aut imperfecto modo luctum amplectantur; ſed tãtùm hac generali ſententia illud in genere deſignare voluit, id quod omnes, vt miſerum horrent, viam parare ad æternæ vitæ felicitatem, ſi modo quis eo benè vtatur, & nihil alioqui deſit, quòd aut Dei gratiam, aut vitam æternam impediat. Sicut cùm in genere dicit; *Væ vobis diuitibus: Væ vobis qui ridetis: Væ qui ſaturati eſtis*, non in vniuerſum diuites omnes, aut ridentes, aut ſaturatos condenat, ſed in vniuerſum ex circunſtantiis, vel aliis locis eruendum, quomodo illæ generales ſententię ſint accipiendæ. Lugentes ergo hoc loco dicuntur, qui pauperes ſunt ſpiritu, & mites, & qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. Incolatus etiam noſtri in hoc mundo prolongatio ad ſundendas lacrymas plurimùm nos valet excitare, ſi gemens Dauid dicebat; *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*: & alibi: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quãdo veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerũt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidiè vbi eſt Deus tuus?* Et Apoſt. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Quòd ſi nos viua fide apprehenderemus, patriam noſtrã eſſe in cęlis, & illic nobis repoſita bona omnia noſtra, diuitias, voluptates, honores, amicitias, & denique omnia quę expeti ſolent, ac poſſunt, ſanè propter moram quamcunq; gemeremus, ad illam feliciſſimam patriam ſuſpiraremus, & cum Dauide diceremus; *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus dum recordaremur tui, Sion*. Flumina Babylonis, delectationes ſunt & voluptates ſeculi huius inſtar aquarũ fluẽtes, & ſtabilitatẽ non habẽtes: ſed quia Babylonis ſunt, per illas confundimur, ad peccatumq; trahimur, & ſubinde ad æternam confuſionẽ. Decurrunt autem omnia flumina in mare, id eſt, in amaritudinem, ſiue cruciatũ conſcientiæ: quia niſi hic pęnitentiam pro illis aſſumamus, ad cruciatus meritò adducendi ſumus ęternos. Ait autem, *Sedimus*. Non, tracti ab illis, nec ſpõtè illas ſequentes, ſed Dei gratia ſedato animo illas fluere conſiderantes, ac comparãtes illarum voluptates & delectationes ad ęternas illas delicias & gaudia. A quibus cum longiſſimo interuallo diſtent, & caduca ſint, & fluxa, atque impura, ſitimque potiùs excitantia, quàm ſedantia, huius ſeculi & carnis gaudia quæ captamus, magno animo illa cõtemnamus. ¶ *Dum recordaremur tui, Sion*. Mirum eſt, Iudæos in captiuitate poſitos, tãto affectu aſperaſſe ad terrenã illam, & iã dirutam Siõ, vt vel eius recordatio excuteret illis lacrymas: & nos Chriſti cultores poſt tantũ lumen, ad cęleſtẽ illã Ieruſalẽ, quæ eſt mater noſtra; vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, vbi multorũ Angelorum frequẽtia, vbi ſempiterna gloria, & voluptatis torrẽs exundat, nullo deſiderio, affectuve tangi. Miſeri, terq; infœlices Chriſtiani, tantoq; nomine indigni, qui vel cogitatione illuc aliquando ſe transferre neſciunt; vel pro tantis bonis ſibi repoſitis, neq; gemunt, neque ſuſpirãt. Sunt enim hi gemitus pretioſi, atq; de cęlo profecti, irriguumque illud ſupe-

Iob 30.
Rom. 12.
Quàm lacrymabilis hic mundus.
Mala huius vitæ quatenus lugenda.
Ioſu 15.
Iudic. 1.
Prima ratio lugendi, ex parte ſecundi Adæ Chriſti.
Hebr. 5.
Matth. 3.
Infrà 4.
Infra. 10.
Secunda ratio.
Marc. 2.
Beati qui lugentes dicãtur tantummodò.
Luc. 6.
Tertia ratio.
Pſal. 119.
Pſalm. 41.
Philip. 1.
Quàm deſiderabilis nobis patria cęleſtis & amabilis eſſe deberet.
Pſalm. 136.
Flumina Babylonis quæ ſint iuxta prophetam.
Eccleſ. 1.
Quid eſt q Iudæi ad flumina Babylonis ſedebant.
Expenditur illud; Dũ recordaremur tui Sion.
Galat. 4.
Coloſ. 3.
Pſalm. 35.
Ioſu. 15 &
Iudic. 1.
Irriguum ſuperius loque quid myſticè.

ſuperius, quod Axagemens a parente impetrauit: cùm tamen Apoſtolus exhortetur: [*Coloſſ. 3.*] *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Dicamus ergo cum Dauide: [*Pſalm. 121.*] *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus,* Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſemper viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS VIII.

In illa eadem verba: Beati qui lugent.

[De luctu externo diſſeritur.]

HACTENVS de luctu interno dictum ſit: quem comitari ſolet externus: hic autem conſiſtit in aſſumendis illis, quæ contraria ſunt vitæ iocundæ ac voluptuoſæ. Quæ vt meliùs intelligantur, in memoriam reuocandum eſt, quod Chriſtus Phariſæis reſpondit, obiicientibus cur diſcipuli eius frequenter non ieiunarent: dixit enim: [*Matth. 9.*] *Nunquid poſſunt filij Sponſi lugere, quamdiu cum illis eſt Sponſus? Venient autem dies quum auferatur ab eis Sponſus: & tunc ieiunabunt.* Ex quibus habes, vitam Chriſtianam nihil aliud eſſe, quàm ſtatum viduæ [Quid vita Chriſtiana.] lugentis mortuum ſponſum: quod his verbis Chryſoſtom. homil. 15. in Matth. confirmatur: [*B. Chryſto. 15. in princip.*] *Si enim illi, qui vel filios mortuos lugent, vel alium quempiam proximorum, toto illo doloris ſui tempore, non pecuniarum tenentur amore, non corporum; non gloriam concupiſcunt, non conſumuntur inuidia, non iniuriis permouentur, non aliis vitiis obſidentur, vtpote ſolis luctibus mancipati: multò magis qui propria peccata lugent, ſicut ea lugere dignum eſt, celſiorem philoſophiam mentis oſtendunt.* [Quales Chriſtiani ſint lugẽtes Chryſoſtomo.] Sic ille. Qui ergo luctuoſos dies agũt: patrem vel filium, vxorem vel virum, fratrem vel ſororem deplorantes, ſolent omnia quæ carni debentur, abiicere, videlicet cibum, veſtem, habitationem ſomnum, recreationem & iocos, poſtremò propagationi ſobolis præ triſtitia minimè vacãt: prioribus illis quinque indiuiduo, ſexto verò ſpeciei ſuccurrere ſoliti ſumus. Vt ergo Fides ſine operibus mortua; [*Iacob 2.* *1. Ioan. 3.*] & Spes ſine rectè factis arrogans, & Charitas ſine veris fructibus diligit tantùm verbo & lingua: ita profectò luctus internus ſine externo non ſufficit.

[Lugẽtes qualem ferè ciborum delectum obſeruent.] Ad primum igitur, ſolent lugentes vix capere cibum, illumque non niſi coacti ac quomodocunq; paratum; reiiciunt ſplendorem omnem atque delicias, vt ille lugens, qui dicebat: [*Hieron. ad Heliodorum.*] *Cum ibi languentes monachi aqua tantùm frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit:* [*epiſt. 1. tom. 1. in princ.*] modicum ergo tales accipere conſueuerunt, & quantum ſat ſit ad vitam ſuſtinendam, & ſemel in die: ad hũc modum qui luctum Chriſtianum amplectitur, habet delectum cibi quantum ad ſubſtantiam: vt non niſi contemptis & vilibus, carniſq; petulantiam & laſciuiam reprimentibus vtatur: Quod ad quantitatem verò attinet cotinuam, [*Luc. 21.*] cauent ne grauentur corda eorum in crapula & ebrietate: Quantum ad diſcretam, abiiciunt multitudinem epularum: circa qualitatem, fugiunt ſplendorem, pretij magnitudinem, & omnia quæ in deliciis ſunt. Placet autem Domino hic noſter delectus ciborum: [Prima ratio, Chriſtiani cur debeant eundem ſeruare.] nam vel homo innocens debet recognoſcere omnia ſe ab illo accepiſſe, & cultu illud proteſtari: vnde vel in ſtatu innocentiæ, vt ſe dominum oſtenderet, [*Geneſ. 2.*] certæ arboris fructum illi interdixit. Secundò, [Secunda ratio.] hac ratione compenſandum eſt peccatum: iuſtitia ſiquidem diuina exigit, vt per ieiunium & ciborum delectum ei ſatisfaciamus, qui ferculis & poculis nos ingurgitauimus, & ſic fiat quod Ariſtoteles vocat Contrapaſſum. [*Philoſophus.*] Vnde ieiunio Niniuitarum ſe placatum oſtendit Deus. [*Ionæ 3.*] Tertiò, [Tertia ratio.] ſeruit præſeruationi à peccatis: hinc Paulus caſtigat corpus ſuum, [*1. Cor. 9.*] vt in ſeruitutem redigat, ne fortè cùm aliis prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur; idem quoque, *Omnis autem,* inquit, *qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* [*Ibidem.*] Quartò, [Quarta ratio.] hic delectus gignit imitationem Chriſti, qui ſuo exemplo & verbo docuit luctum, & præcepit ieiunium: [*Luc. 19.* *Matth. 9.*] ac vt ſponſa mortua in deliciis, Chriſtum ſponſum adegit in Crucem, & in luctum, vt ſic eam à morte perpetua excitaret: ita illa ſeruare tempora luctus debet, quoad illi mortuo ac lugenti hic confirmata, poſteà viuenti, ridentiq; occurrat conglorificanda. [Cur lugubrẽ Iudæis vitã non mandauerit Moyſes.] Ideo Moyſes nequaquàm indixit hanc vitam luctuoſam atq; acerbam: quia nondum apparuerat luctus, & mors ſpõſi. [*Ibidem.*] Deinde verò quo perfectiores ſunt viri, eò magis luctui, mœrorique ſtudent: Chriſtus verò ſponſus excuſauit Apoſtolos non ieiunantes, quia nondum erant ſpirituales, [*Actor. 2.*] ac muſto Spiritus S. pleni, necdum ante oculos eorum Chriſtus erat Cruci ſuffixus.

[Hæreticorũ contra Eccleſiæ ciborum delectũ, quæ ſunt, argumenta ſoluuntur.] Sed obiiciunt hæretici, omnia propter hominem creata eſſe: [*Geneſ. 1.*] Item, *Omnis creatura Dei bona eſt, quæ cum gratiarum actione percipitur.* [*1. Tim. 4.*] Nos verò non negamus, creaturas eſſe per ſe bonas: ſed ſi ob corpus mala valetudine affectum, medico iubente, abſtines: quidni propter animum & conſcien-

tiam

tiam Deo præcipiente, & Eccleſia dies ieiunij, & ciborum qualitatem præſcribente? Deinde opponunt verbum Domini:

Secundum argum.
Matth 15.
Tit. 1.

Non quod intrat in os, coinquinat hominem; & illud: *Comedite quæ apponuntur vobis*; item, *Omnia munda mundis*; coinquinatis autem & infidelibus, nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia.

Tribus de cauſis à Deo olim prohibitus ciborũ delectus.
1. Tim 4.

Reſpondemus, in Scripturis ſacris tantùm prohiberi delectum ciborum, quaſi natura mali eſſent cibi, & à malo Deo conditi, vt peruersè ſentiebant Manichæi: contra quos Apoſtolus ſcribit 1. Tim. 4. Interdicitur etiam ciborum diſcrimen, quaſi illotis manibus ſumpti inquinare animam valeant, vt Phariſæi turbiter errabant: in quos Dominus inuehitur Matt. 15. vbi dicitur, quod egreditur de ore, contaminare hominem: quia inobedientia inde proficiſcitur:

Geneſ 3.

vnde vel pomum ab Adam per inobedientiam ſumptum, ipſum, atque adeò totam eius poſteritatem contaminauit. Tertiò, prohibetur ciborum delectus quaſi ex vi legis Moſaicæ obligans, ſeruanteſque iuſtificans; cùm tamen vſque ad mortem CHRISTI tantùm,

Ioan. 19.

in qua dixit: *Conſummatum eſt*, vmbræ legis, & præcepta Moyſi ſe extenderent, nec ampliùs vim iuſtificandi haberent; cùm ſint infima & egena elementa reddita. In hunc delectum agit Paulus pluries, ſed maximè 1. Corinth. 8. Colloſſ. 2. & ad Roman. 14.

Galat. 4.
Quàm laudabilis ciborũ delectus.

Præter ho autem ciborum delectus, abſtinere à quibuſdam, vel propter valetudinem tuendam, vel ob ſcandalum vitandum proximi, vel propter ſanitatem animi comparandam, vel gratiam Dei in nobis ſeruandam, augendamque, vel propter obedientiam Eccleſiæ præſtandam; ſanctiſſimum eſt, iuſtiſſimum eſt, imò prorſus Euangelicum, & Chriſti, & Apoſtolorum exemplis confirmatum.

III. Argum.
Luc. 5.
B. Epipha. in compendiaria doctrina, prope finem
Matth. 27.
Geneſ. 2.

Obiiciunt prætereà, ieiunium nullibi eſſe præceptum à Domino: cùm tamen Epiphanius in illis verbis: *Cùm ablatus fuerit ab illis Sponſus, tunc ieiunabunt*, præceptum viderit. Moris ſiquidem erat in Eccleſia tunc non niſi poſt nonam horam, in qua Chriſtus expirauit, ſoluere ieiunium. Et illud, *ieiunabunt*, more Hebræo perinde eſt ac ſi diceret, tũc cogentur ieiunare: quemadmodum illud: *Erunt duo in carne vna*, id eſt, eſſe adſtringentur in carne vna; id etiam:

Deut. 6. & Matth. 22. & alibi.

Diliges Dominum Deum tuum, nimirum dilige. Exiſtente etiam cauſſa ieiunij, id eſt, morte Sponſi, erit & ieiunium. Sed de præcepto hoc latiùs alibi eſt diſputandum, & cap. 6. Matth. fuſiùs diſſeretur.

Quibus vtãtur veſtimẽ-

Agendum ſecundo loco de indumentis:

tis lugentes,

qui etenim lugent, minimè ſplendidam, vel pretioſam, vel delicatam veſtem aſſumunt, ſed pullam, vilem & deſpectam, quæ indicet vitæ tædium, & mœrorem ſpiritus: nã vſus veſtium introductus eſt, tùm vt tueantur hominem à verecundia, quam dignitas humana naturaliter expetit: ſi enim haberes vulnus in facie, non deberes detegere; tùm vt ab iniuriis frigoris, æſtus, pluuiæ, ventorumque defendat.

Eadem Chriſtianos indumenta ſumere debere lugentes.
Geneſ. 2.

Et quod ad primum attinet; indignum profectò videtur, quòd corpus tantæ & tam pulchræ creaturæ re viliori tegatur: nam etſi veſtis tota ex auro eſſet, gemmiſq; contexta, ipſo humano corpore vilior eſſet. Ideo ab initio nudi homines erant, eò quòd nulli pudoris, aut temporis iniuriæ ſubiacebant; eruntque electi omnes in gloria. Verùm ex peccato nata eſt hæc infelicitas: vt feri ac belluini ferantur homines nudi; & meritò, ob innatam ſcilicet verecundiam, quam qui non ſentit, deterior eſt omni beſtia.

Infra 3.
Ibidem.
Contra Cynicos, obſcœnum genus hominum.
D. Auguſt. tom. 5.

Ideo natura duce Adam confugit ad folia ficus, & Deus pelliceas contulit veſtes. Quamobrem ſtulti inter Philoſophos planè Cynici, qui nudi incedebant, & opera nuptiarum palàm exercebant, vt canes: quos reprehendit Diuus Auguſtinus libro 14. de ciuitate Dei, cap. vigeſimo, licèt haberent rationem apparentem ad ſpernendum verecundiam: quòd nihil naturale videretur eſſe inuerecundum: excuſari tamen nequaquàm poſſunt, quòd ab ipſa natura tacitè loquente, etiam ipſos culpante, confutabantur: quæ quidem prædicatio naturæ in omnibus vim obtinuit.

Homini à natura inditæ argumentũ verecundiæ.

Etenim vt primùm vſus rationis aperitur in pueris, reprehenſionem verecundiæ ſentiunt, & pudenda tegunt, & iniuria fit humanæ dignitati, ſi non tegantur. Quare illud crimen ſeueriſſimè puniuit Deus in Cham; & filios tegentes patrem Noë, benedixit.

Geneſ. 5.
Cynicorum imitatores hodie qui.

Eundem Cynicorum errorem ſecuti ſunt Adamitæ, Petro Piccardo duce, in Bohemia, qui nudi incedebant: & nuper in Holandia noſtro ſeculo quidam homines dementati in eundem errorem delapſi ſunt. Qui ergo nudus audet incedere, teſtatur vel naturam integram eſſe, vt in innocentia; vel beatam & glorioſam, vt in cœlo & in patria. Eſt etiam naturalem pudorem negare, ac inſenſibilitatem (vt ſic dixerim) vel ſtupiditatẽ profiteri: ideo in ludis Romæ lege cautum erat, ne quis in ſcenam ſine ſubligaculo prodiret, & riſum præberet filiis Cham.

Cic. lib. 2. de Offic.
Chriſtianorum in veſtibus abuſus damnabilis.

Deinde peccatur in veſtibus pompoſis, laſciuis, pretioſis, curioſis, ſiue peregrinis; multiplicibus diſcoloribuſque: ex

4.Reg.1. Matth.3. Luc.2.

quo Helias, & Ioannes Chriſti præcurſores facto ipſo ſtatum luctus expreſſerunt, & Chriſtum pannis inuolutum, & reclinatum in præſepi; id eſt, in carne paſſibili, & veſte egenti præcurrerunt. Vnde de altero dicitur:

Matth.11.

Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.

Luc.16.

Apud Lacedæmonas quibus tantum veſtes pretioſas ferre liceret.

Diues autem, qui induebatur purpura & byſſo, præcurſor eſt Antichriſti. Lacedæmoniorum ciuitas, vt teſtatur Clemens libr. 2. Pędagogi, ſolis meretricibus pretioſas veſtes, & aurum mundum geſtare permiſit.

Clem. Alex. cap. 10. poſt med. tom. 1. Homer. ſapiſſimè.

Homerus ſuperbos, & ambitioſis indutos veſtibus, vocat ἕλκεσι πέπλους, hoc eſt, trahentes veſtes. Qui ergo veſtium ſplendorem ſectantur, vltra ſuperbiam, & malum exemplum ac damnum quod inferũt fratribus, ſtatum luctus negare videntur.

1.Tim.2.

Paulus enim ait: *Similiter & mulieres in habitu ornato: cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa.*

Veſtium inter Chriſtianos qualis debeat eſſe diſtinctio.

Et quanquàm aliqua diſtinctio ſit ſeruanda inter Regem & ſubditos; inter Patritios & plebeios, inter ſenes & iuuenes: omnes tamen ſuo modo dare operam debeant, vt agnoſcant ſtatum luctus, illumque teſtentur. Vnde Auguſtinus dicebat:

Auguſt.

Fateor, de pretioſa veſte erubeſco: quæ cùm mihi dono datur, vendo eam; vt, quia veſtis non poteſt eſſe communis, commune ſit pretium.

Quadruplex hominũ genus hodie in Eccleſia in veſtitu peccantium.

Vtinam multos imitatores haberet Auguſtinus. Nam hodiè omnes ſuo more, quod attinet ad cultum, fugiunt ſtatum luctus. Siquidem Eccleſiaſtici, declinarunt ad pretioſa atque ſplendida; Religioſi, ſeruato colore, ad mollia; Seculares, ad noua & peregrina: hinc enim introductæ deformes illæ braccæ oſtendentes deformia, quæ natura texit: fœminæ verò, non ſolùm ad aureas, acuque pictas & elaboratas, verùm etiam ad mollitiem & laſciuiam excitantes veſtes, quibus etiam bina patrimonia ex auriculis pendent, deuenerunt: eorum vt peccata in exceſſu veſtium redundent in viros, qui talia permittunt in vxoribus ſuis, verbiſque non inſectantur tanta flagitia; ac in partes ſpirituales, atque Sacerdotes, qui fœminas tales ſine ſcrupulo vllo abſoluunt. Vt planè deplorandi ſint magna ex parte Chriſtiani,

Qualem illi mereantur Domini vocem audire.

qui maiori cum licentia, & aliorum ſcandalo, indumentis vtuntur, quàm Ethnici vel Gentiles: non ſolùm ſtatum luctus & mœroris negantes, verùm etiam Deum ad iram & indignationem prouocantes: de quibus Eſaias ſic loquitur:

Eſai.3.

Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo & nutibus oculorum, ibant & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, &c. tandem longo veſtium catalogo enumerato, ſubdit: *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Quòd ſi hæc reprehenſa ſunt in pueris Iudæis; quid de vobis diceret Spiritus ſanctus, quorum oculis propoſitus eſt Chriſtus crucifixus ad imitandum?

Remedium illorum abuſuum.

Quiſque ergo ſibi conſulat, neque facilè ſe à mundi conſuetudine abduci patiatur; cogitans illud Paulinum dictum:

Rom.12.

Nolite conformari huic ſeculo: mundus enim neſcit ſtatum viduitatis & luctus. Cogita etiam, quòd breui tegẽdus ſis terra, & vermium eſca futurus: ſapienterque dictum à Paulo:

1.Tim.6.

Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.

Domus qualis conueniat Chriſtianis lugentibus.

Tertio loco dicendum de habitatione: ait namque Sapiens: *Initium vitæ hominis, aqua & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.*

Eccleſ.29.

Protegit enim domus à pluuia, ventis, frigore, calore, animalibus atque hoſtibus. Verùm in hoc grauiſſimè peccatur à multis, qui vaſtas & ſpatioſas ac ſpecioſas domos inſtruunt, quaſi hic eſſent perpetuam manſionem habituri, & in æternum victuri:

Eorum ſumptuoſa ædificia notantur.

cùm tamen ita cibo, potui & genio indulgeant, quaſi cras eſſent morituri: ignorant hic eſſe tempus tabernaculorum & locũ deſerti & luctus: quod eſt, ignorare fidei fundamenta.

Heb.13.

Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus: Apoſtolus inquit.

Eſai.5.

Væ, ait Eſaias Propheta, *qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vſque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Ideo puer Ioannes deſertum ingreditur, ſicut & CHRISTVS poſt baptiſmũ, qui alienis domibus ſemper eſt vſus, in Bethania in die Cœnæ, in domo Zachæi, ac dixit ipſe de ſe:

Matth.3. Infrà 4. Infra. 26. Luc.19. Suprà 9. Infra 23.

Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis nõ habet vbi caput ſuũ reclinet: imò nec poſt mortem ſepulcrum proprium habuit.

Chriſtiani multa hic, & magna conſtruentes palatia, quid agere videantur.

Nec iam homo contentus eſt vno palatio; ſed vbi conſtruxit in ciuitate, aliud condit in villa ad delicias: nutrit ſuperbiam hoc immoderatum fabricandi ſtudium, fraudat pauperes eleẽmoſynis, ſtultitiæque plenum eſſe videtur: non ſecùs ac ſi quis Romam iturus, domum vellet extruere in via pro vna aut altera nocte, in qua eſſet diuerſandum. Multis Hebræis fuit in cauſſa, ne redirent in natale ſolum, & ſanctam Ieruſalem, ædificaſſe domos in Babel, & plantaſſe vineas: vt liber Deuter. cap. 20. narrat:

Deut.20.

vbi

vbi ineptus ad bellum reiicitur, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam, hoc eſt, necdum cœpit eam inhabitare. De Abraham & ſanctis patribus teſtatur Paulus: *Fide, qui vocatur Abraham, obedиuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, & exijt, neſciens quò iret. Fide, demoratus eſt in Terra repromiſsionis, tanquàm in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac, & Iacob cohæredibus repromiſsionis eiuſdem. Expectabant enim fundamenta habentem Ciuitatem: cuius artifex & conditor, Deus.*

Hebr. 11. Geneſ. 12.

Somnus tria præſtat.

Quarto loco, de quiete ſiue ſomno agendum videtur. Eſt autem ſomnus à natura animanti datus ad reſtaurandum ſpiritus vitales, qui per vigiliam conſumuntur: vt enim ait quidam:

Ouid. epiſt. 3.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt:
Hæc reparat vires, feſſaquè membra leuat.

Seruit etiam homini ad vitandum vitium, ad quod procliuiores quàm ad bonum ſumus: quanquàm hodiè vniuerſa peccata, atque flagitia nocturno ferè tempore admittantur. Confert & ad memoriam mortis, atque præparationem ad illam: quia ſomnus, imago eſt mortis. Solet ergo vidua, quæ in luctu & mœrore verſatur, malè dormire, & interrupto ſomno, ac durioribus lectis vti, tantumquè ſomni capere, quãtum extorquet neceſſitas: noctis quippe magnam partem occupat deſiderium ſponſi ablati. Contra primum finem ſomni faciunt, qui nimium dormiunt: ex quo inſania, & phrenesis oriuntur. Deinde peccant qui nimis ſomno indulgẽt: vnde molles & effœminati ac delicatuli fiunt ad ferendam crucem. Non talis erit Dauid, qui aiebat: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meũ, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. In matutinis meditabor in te.* Paulus & Sylas media nocte ſoluunt Deo laudes: Chriſtiani quoque primitiui, Plinio teſte ad Traianum, in nullo erant vitio; niſi quòd antelucanos quoſdam hymnos Chriſto, quaſi Deo, canerent. Item peccãt, qui laſciuiam in mollibus ſtratis & pretioſis exercent: vnde defraudantur pauperes, & tales oſtendunt ſe immemores duri tori, quem Chriſtus in Cruce habuit, & futuri lecti poſt mortem: de quo Propheta: *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* In quos propheta Amos, *Væ vobis*, inquit, *qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris.* Poſtremò, delinquunt qui noctem mutant in diem; & diem in noctem: quare impeditur ſanitas, & res domeſticæ negliguntur, ac ſtudium philoſophiæ, cui aptum

Chriſtianorum abuſus circa ſomnũ duo 10 primi notãtur

Pſalm. 6. Pſalm. 118. Pſal. 62. Actor. 16.

Tertius abuſus.

Eſai 14.

Amos 6.

Quartus abuſus.

Philoſophus li. 2. c. 6. to. 3.

eſt tempus matutinum? namque hos tres fines matituno tempore ſurgendi, conſtituit Ariſtoteles in œconomicis. Oſtendunt ſe iſti planè Deo contrarios, qui aduesperante die ſurgunt, & illuceſcente dormiũt: quibus illud contingit, quod Seneca ait ex Poeta de iis qui dicuntur Antipodes:

Tria noctem in diem, & diem in noctem vertentium, exponuntur incommoda.

Nosquè vbi primus equis oriens afflauit anhelis,
Illis ſera rubens accendit lumina Titan.

Virgil. lib. 1. Georg. Seneca li 22. epiſt 123. in ſitio.

Videntur etiam vitam agere belluinam, qui noctem beſtiis deſtinatã, ad ſuas transferunt actiones. Hinc Pſaltes: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum: & ad operationem ſuam vſque ad Veſperum.* Imitantur etiam diabolum, qui tenebras amat, lucem fugit, & noctu potiſſimùm operatur. Contra ſecundum finem ſomni agunt, qui adulteria, furta, proditiones, vt filij noctis & tenebrarum, noctu machinantur. *Oculus*, inquit Iob, *adulteri obſeruat caliginem*; Ethnici quoque quidam dixit:

Pſalm 103. Geneſ. 1.

Quintus abuſus, & vltimus circa ſomnum.

Iob 24.

Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones.

Horat libr. 1. epiſt. 2. ante medium.

Et hactenùs de ſomno ſit dictum.

Quinto loco ſtatuendum de oblectationibus animi quas recretiones vocant, illas eſſe neceſſarias, ſiue conſiſtant in verbis, vnde ioci, facetiæ, colloquia dulcia; ſiue in factis, vnde ludi ſpectacula, horti, choreæ, curſus in ſtadio, conuiuia, deambulationes cum amicis, luſus alearum, ac ſimilia multa. Solent autem qui luctui vacant, ſubtrahere ſe ab illis propter mœrorem. Sunt autem quæ eiuſmodi ſunt, licita, ſi moderatè, & recto ordine fiant: vt ſcilicet animus intentus, paullulùm remittatur à ſtudiis ſeriis, & grauioribus negotiis, atque curis. Hinc legitur Iſaac iocari cum Rebecca; & Chriſtus Marc. 6. eduxit Apoſtolos in montem, dicens: *Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum.* Ioannes etiam Euangeliſta, quòd auiculam manu contrectaret, deriſus eſt ab homine, qui eius ſpectandi gratia, tanquàm magni & dilecti CHRISTI Apoſtoli, longè ad eum venerat. Sed Apoſtolus rem minimè ignorans, præcepit illi, vti arcum, quem habebat in manibus, tenderet: cùm obiiceret ille, diutenſum, fractum iri; *Ita*, inquit, *frangitur homo, ſi ſemper ſeriis & grauibus ſtudiis intendat.* Vnde egregiè Poeta quidam dixit:

Quibuſnam oblectamentis animi alioqui neceſſariis ſponte ſoleant carere lugentes.

Licita eiuſmodi eſſe honeſta, & moderata tantũmodò.

Geneſ 26. Marc. 6.

Caſſian. collat. 24. c. 21.

Neque ſemper arcum
Tendit Apollo.

Horat. lib. 2. carm. ode. 10.

Et alter:

Ouid lib. 1. de Ponto.

Otia, corpus alunt: animus quoque paſcitur illis.
Immodicus contra carpit vtrunque labor.

Dictæ animi relaxationes & quietes Chriſtiano homini quales captandæ.

Porrò illicitæ redduntur huiuſmodi quietes & remiſſiones; ſi immoderatè fiant, atque in re parum pudica & honeſta. Et quia natura omnes ad has iocundas animi oblectationes tendimus: idcirco Philoſophi, & leges ciuiles, circa eas præcepta quædam indixerunt. Quæ autem à Chriſtiano captantur, ſobriæ eſſe debent & ſtrictiores, quàm vel Philoſophi, vel leges ciuiles permittant. Nam in primis Ariſtoteles: *Parum*, inquit, *delectationis ſufficit ad vitam, quemadmodum parum ſalis ad condimentum cibi:* quid dixiſſet, ſi Chriſtum, eiusque luctum nouiſſet? Deinde non parum ad rem facit, quod Sara illa Tobiæ iunioris vxor, apud Tobiam cap. 3. dixit: *Nunquàm cum ludentibus miſcui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui.* Mirum eſt enim, puellam in Veteri Teſtamento, tanto ſpiritu fuiſſe præditam. Paulus quoque ad Epheſ. 5. prohibet non ſolùm turpem ſermonem, ſed ſtultiloquium: & quã Philoſophi poſuêre virtutem εὐτραπελίας, quam interpres Scurrilitatem vertit, cum ſit vrbanitas quædam, vel facetia; non vult eam inter Sanctos ne nominari quidem. Vbi vides, virtutem, quæ à Philoſophis poſita eſt ad moderandos iocos & facetias, eam à Spiritu ſancto per Apoſtolos à Chriſtianis ablegari: & B. Hieronymus in eum locum de ſcurrilitate loquens, ait: *Verùm & hæc à ſanctis viris penitus propellenda: quibus magis conuenit flere atque lugere: vt in Hebraico quoque Euangelio legimus, Dominum ad diſcipulos loquentem: Et nunquàm, inquit, læti ſitis, niſi cùm fratrem veſtrum videritis in charitate.* Hæc ille. Dominus etiam inquit: *Væ vobis qui ridetis: quia flebitis.* Et nos materiam ridendi requirimus, vt hic ad tempus ridentes, illic perpetuò lugeamus. Ad hæc, Tertullian. lib. de ſpectaculis, omnia Chriſtianis ſpectacula ſtatuit eſſe interdicta, ob eam, vt arbitror, rationem, quòd ad honorem deorum falſorum eſſent inſtituta; quibus qui adeſſent, proteſtabantur, ſe illos colere. Ambroſius lib. 1. de officiis cap. 23. *Non ſolùm profuſos; ſed omnes etiam iocos declinandos arbitror*, inquit. Quartò, omnis regula ſanctè inſtituta, ſilentium ſanctificauit: quod ignorantes quantum valeat, facilè ſoluunt, & ſoluẽtes, facilè reſoluuntur, & euaneſcunt: *Bonum eſt*, Propheta inquit, *præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei*; & infrà: *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſe ſuper ſe.* Habent ergo qui ſilentium cuſtodiunt, expectationem ſalutis in præmium, & eleuationem mentis ſupra humanos ſenſus, & cogitatus. Quintò, non eſt tempus ludendi, quibus Chriſtus eſt mortuus: & quia puerorum eſt ludere; nos autem viri ſumus: vt Paulus docet 1. Cor. 13. Qui verò magno affectu ſectantur ludos, ex illorum ſe eſſe numero clarè teſtantur, de quibus Propheta: *Puer centum annorum morietur.* Salomon Sapien. 15. in cultores idolorum agens, ſic inquit: *Sed & æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere.* Ariſtoteles libro 10. Ethicor. ſententiam eorum reprobat, qui felicitatem in ludo poſitam aſſererent. Cicero lib. Officiorum pulchrè ait: *Neque enim ita generati à natura ſumus, vt ad ludum & iocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeueritatem potius, & ad quædam ſtudia grauiora, atque maiora. Ludo autem & ioco vti illis quidem licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris, tum, cum grauibus ſeriisq; rebus ſatisfecerimus. Ipſumque genus iocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum, & facetum eſſe debet. Vt enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, ſed eam, quæ ab honeſtatis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat.* Vides quid externus Philoſophus concedat pueris? quid exegiſſet à Chriſtianis, ſi CHRISTVM nouiſſet? Fugiendæ ergo ſunt recreationes, quæ ſine peccato, aut periculo peccandi non capiuntur: vt in choreis, fœminarum ſpectaculis, ex quibus vix pudicus quiſquam reuertitur. Fugiendæ popinæ ganeæque, in quibus periculum eſt ebrietatis, & crapulæ, profundendæque pecuniæ, atque detectionis ſecretorum. Fugiendi ludi teſſerarum, & taxillorum, qui cum auaritia inſatiabili, & ſcandalo & fraudibus per noctem totam protrahuntur. Quanquam multi dicant, ſe non ſatis poſſe delectationem captare ex ludo, niſi vbi immodica pecuniæ quantitas, in qua proximum maximè lædimus, aut ab eo lædimur, vincenda, vel perdenda exponatur. Fugienda conuenticula dicacium; ſalſorumque hominum, qui aliorum vitia detegunt, proximos infamant: qui turpiſſimis cantionibus, narratiúculisve ad omnem impudicitiam excitantibus intendunt. Sint ergo ioci noſtri momentanei, ſint moderati atque honeſti, ſint quaſi per vim extorti, & magis oblati quàm quæſiti. Contendamus igitur, vt omnes pueriles iocos, & oblectamenta ſecularia reſpuentes, ad æternas illas ſolidasque delectationes affectandas aſpiremus: de quibus ſcriptũ eſt: *Delectationes in dextera tua vſque in finem: Intra in gaudium domini tui: Et ego diſpono vobis, ſicut diſpo-*

Philoſophus lib. 4 Ethic. c. 11. & 12. & alibi tom. 3.

Tob. 3.

Εὐτραπέλεια. Ariſtoteli virtutem, Apoſtolo vitium ſonat. *Epheſ. 5.*

D. Hier. in ca. 5 ad Eph. tom 9.

Quando lætandum tantùmmodò iuxta Domini præſcriptum.

Luc. 6.

Tertull.

D. Ambr. tom. 1 [illegible]

Silentium quoq; Chriſtianis ſeruandum.

Thren. 3.

Ibidem.

Debent à iocis illi etiam, & luſibus abſtinere. *1. Cor. 13.*

Eſai. 65.

Sap 5.

Philoſophus cap 6.

Cic lib 1. de offic. procul à medio.

Ludo, & ioco pueris quomodo vtendum, iuxta Ciceronem.

Diſſolutiones quænam Chriſtianis fugiendæ.

Loci Chriſtianorum quales erũt.

Pſalm. 15.

Matth. 25.

ſuit

Luc. 22. Pſalm 86. Cæleſtium præ ſtantia gaudiorum.

ſuit mihi Pater meus, regnum; vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Vbi enim hęc gaudia animum ſubeunt noſtrum, ſordere nobis omnia, quæ haberi poſſint in terris, debent, proque illis comparandis ingemiſcendum ac flendum, vt digni illis aliquaodo inueniamur: quod fiet gratia, & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat per omne æuum.

TRACTATVS IX.

In illa eadem verba: *Beati qui lugent.*

De luctu Chriſtianorum circa tempus nuptiarum ſeruãdo agitur.

POSTREMO loco agendum eſt de luctu, qui modum ac moderationem indicit in his, quæ conſeruant ſpeciem: quemadmodum indixit in prioribus ſpectantibus ad vitam indiuidui. Conſtat autem ex veterum, ethnicorum etiam, diſciplina, viduam obſeruare debere tempora luctus, quibus abſtinendum erat à nouis nuptiis: turpis enim exiſtimabatur inter Romanos, intra decem menſium ſpatium à morte viri, noua inire coniugia, & generationi prolis vacare. Vnde vt Octauia ſoror Auguſti, matrimonio copularetur M. Antonio, ad conciliandam pacem inter eos diſſidentes, neceſſaria fuit Senatus autoritas, quæ in lege de viduali toro intra illud tempus ſeruando, diſpenſaret. Quamobrem Dominus noſter magna ſapientia proſpectum nobis eſſe volens, rem ita temperauit, vt eſſent propter neceſſitatem duo in Chriſtiana Repub. ſtatus: quorum alter primus & præcipuus, & qui perfectè luctum obſeruat, eorum eſt, qui virginitatem, & caſtitatem profitentur, per quam omni facultate nubendi ſe ipſum quis priuat & ſpoliat; alter verò inferior paullò, eorum ſcilicet, qui nuptiis propter conſeruationem mundi vacant; ita tamen, vt interim aliquo luctu non careant. Porrò per luctum in hoc ſecundo ſtatu intelligimos in primis prohibitas nuptias cum pluribus ſimul, præter vnam: deinde interdictum eſſe coniugium cum propinquis & affinibus. Tertiò, non licere quauis ratione repudiare ſemel acceptam coniugem, ita vt ſit locus, quamdiu illa viuet, ſecundis nuptiis. Q rtò, Chriſtiani coniuges habent ſua tempora, quibus ab operibus carnis abſtineant, nempè orationis & ieiunij tempore: vt ait Paulus. 1. Cor. 7. Tempore etiam abſentiæ, vel inualetudinis alterius coniugis: denique tempore menſtruo, vt traditur Leuit. 18. ne contingat prolem inſectam atque corruptam concipi, & in lucem edi. Quintò, ſunt onera matrimonij inſtruenda & toleranda vxore, in alenda familia, in educandis & benè inſtituendis liberis. Sextò, pars eſt luctus, non habere pro fine voluptatem, nec illam intendere, ſed prolem; memores ſeptem Saræ virorum, qui cùm ob libidinem, ad vxorem cognoſcendam accederent, ab Aſmodeo ſuffocati ſunt: vt legitur in libro Tobiæ. Tobias autem alio animo accedens ad coniugium, in precatione ſua cap. 8. dicebat: *Et nunc, Domine, tu ſcis quia non luxuriæ cauſſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſeculorum.* Septimò, eſt & luctus aliquis tribulatio carnis, quam habent coniugati, ſed maximè ob inſolubilem nexum, vt ita qui habent vxores, tanquàm non habentes ſint, vt nemo propter vxorem Deum offendat, vt fecit Adam propter Heuam non contriſtandam. Eſt ergo matrimonium ſanctum, & vt Paulus ait, honorabile connubium, & torus immaculatus in omnibus.

Plutarch. in vita M. Antonij.

Duplex ſtatus hominũ in Republica Chriſtiana, virginalis, & coniugalis.

Coniuges luctum ſeptem in rebus debent oſtendere.

1. Cor. 6.

Leuit. 18.

Finis matrimonij. proles.

Tob. 6.

Infra 8. Intentio Tobiæ pudica.

Nec obſtat quod in contrarium obiiciunt hæretici. In primis verbum Chriſti: *Beati qui lugent; &, Sunt eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum.* Nam, vt diximus, ſuum luctum habet matrimonium: & ſi eunuchi beati prædicentur, non deſpiciuntur vxorati propterea, quia *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Nec rurſus, quòd Chriſtus ſine coniuge vixit; & Maria cœlebs & virgo manſit; & Apoſtoli ſi quas vxores habuére, cõſilio Chriſti illas dimiſere. Sed non eſt omniũ Chriſtum imitari in omnibus; & ipſe meliorem partem elegit, quia nõ poterat ſimul vtrorumq; eſſe exemplum, coniugum ſcilicet, & virginum; ſicut nec diuitum & pauperum. Sanctiſſima verò Deipara, cum ſanctitate matrimonij, habuit gloriam virginitatis. Diſcipulos verò ſoluit à coniugio, quia ad opus Euangelij propagandi illis opus haboit: & ratio præſcribit, bonum minus & inferius cedere debere ſuperiori.

1. Cor. 7. Geneſ. 3. Heb. 13. Hæreticorũ cõtra ſtatum coniugij primum argumentum diluitur. Matth. 19.

Ioan. 14. II. Argum.

Eſai. 7. Luc. 1. Matth. 1.

Nec obſtat, quod aiunt; peccatum eſſe opus generationis: quia in eo actu cognoſcitur neſcio quid turpe, & indecoru.ii, natura dictante: vnde & latebras quærit, & qui malè agit, odit lucem. Verũ enim verò Deus olim inſtituit matrimonium in paradiſo, & illud ſanxit, ſanctificauitq;: tempore Noë repetiuit & inculcauit legé coniugij: ſua præſentia primo ſigno in Cana Galilçæ edito honorauit: ipſe de matre de-

III. Argum.

Geneſ. 2. Iaſ. 19. Ioan. 2.

Matth. 19.
1. Cor. 7. & ſeq.
1. Tim. 4.
Geneſ. 2.

ſponſata naſci voluit, & Matth. 19. legem coniugij ad primæuam formam reſtituit, & per Paulum, tùm 1. Corint. 7. tum. 1. Timoth. 4. confirmauit, ſtabiliuitq́;. Ille autem pudor, & turpitudo, ſeu indecentia, vt illi dicunt, ab initio non erat, ſed à peccato venit. Nec concluditur, quòd ipſa turpitudo ſit peccatum; nam alia ſunt maniſeſtè turpia & indecentia, vt nuditas, & alui ſolutio, quæ ſecretò fit, quæ potiùs ſunt pœna, quam culpa: & Chriſtus Dominus non abſtulit pudorem rei huius, vt pudor ipſe frænum eſſet coitus: nec abſorptio, vel priuatio rationis, quæ in illo actu ex neceſſitate contingit, peccatum per ſe eſt. Fideli enim cui Chriſtus omnia mundauit, illa turpitudo, & abſorptio non eſt peccatum: nam, vt Apoſt. docet: *Omnia munda mundis*: vt egregiè exponit Clem. libr. 3. Strom. in fine. Ad hæc, voluptas aut delectatio, qua naturaliter conſequitur opus generationis, quę omni animanti ingenita eſt à Deo, nec propter ſe expetitur, peccatum vllum non eſt: quemadmodum, & delectatio quæ conſequitur edentem & bibentem, aut ſomnum capientem, non cenſetur illicita. Non ſolùm ergo nuptię non ſunt peccatum, ſed ille, qui eſſet ſolutus & liber à voto, ne vellet ſe continere, crimen non effugeret, ſi vxorem non quæreret: nam de ſimilibus ait Paulus: *Quòd ſi non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quàm vri*, hoc eſt, quàm vinci à libidine: vt interpretatur Ambroſ. Et hæc de primo ſtatu.

Nec coitum coniugij nec abſorptionē rationis, neque verò delectationem eſſe peccata.
Tit. 1.
Clem. Alex. tom. 2.
1. Cor. 7.
B. Ambr. tom. 4.

Eorundem Hæreticorū contra virginalem ſtatū & cœlibem prima ratio confutatur.

Ad ſecundum veniamus, nempè cœlibatum, ſiue virginitatem, quę maximè Eccleſiam decorat & illuſtrat. Hæretici, alia extrema ratione, ducti, illam, tāquàm rem ſterilem & reprobam, cōdemnarunt: tùm quòd naturæ repugnare videatur, quæ ſe ipſam propagat & diffundit; cœlibatus verò, ſterilis & infructuoſa res eſt. Sed quis, quęſo, fructus eſt, ſpinas & tribulos gignere, hoc eſt, peccatores? Cœlibatus etiam ſuam habet excelſam & ſpiritualem progeniem, cœlo potiùs, quàm terra dignam. Quamobrem ſi Philoſophus de beatitudine humana diſputans, negabat eſſe plenam felicitatem homini ſolitario ſine vxore, liberis, amicis, ſplendida menſa, & veſte pretioſa: mirum eſſe non debet, quia nón nouerat Chriſtum ſponſum, quemq́ue exigit luctum à nobis. Ille etenim politicum deſcribebat hominem, quem metiebatur iuxta naturam ſuam, animal eſſe natura ſociabile & gregale. Rurſus cœlibatum eleuāt, tum quòd videatur eſſe in legem Dei: *Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua.* Enimuerò illa lex Moyſi eſt, nihil autem ſpectat ad nos, qui ſub Euangelio, & Chriſto viuimus: Tum quòd videatur eſſe in antiquum Dei præceptum: homine enim condito, legem tulit: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Sed illud ab initio vim præcepti obtinuit: vbi verò terra impleta eſt, aliud Deus ipſe nobis indicauit, qui lugentes & eunuchos propter regnum cœlorum factos, beatos prædicauit: & ita ille ipſe qui præceptū dedit, mutauit; alioquin Chriſtus ipſe, & Præcurſor eius, & Apoſtoli, blaſphemi fuiſſent, & iniurij in legem Dei. Nam & ipſi abſtinuerunt à nuptiis, & aliis ſuo exemplo & verbo abſtinendum eſſe docuerunt, ac perſuaſerunt. Tum deniq;, quòd eſſet in verbum Apoſtoli: *Bonum eſt homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquaque ſuum virum habeat.* Sed ſi verba Apoſtoli diligenter examines, inuenies, ibi ſermonem eſſe de coniugatis, vt rectè B. Hieronymus docuit eſſe exponendum: non eſt ergo cœlibatus, vel infructuoſus, vel in vllam legem diuinam, ſiue Apoſtolicam.

Ariſt. libr 9. Ethic. cap. 9. tom. 3.
Secunda ratio ex triplici ... Scripturæ.
Exod 23 & Deut. 7.
Geneſ. 1.
Matth. 19.
1. Cor. 7.
B. Hier. lib. 1. in Iouinia. circa princ. & alibi, to. 2. ſub initium.

Præſtantiorem eſſe cōiugio virginitatem, ſeu cœlibatum.

Quòd verò quidam matrimonium virginitati, vel pręferre, vel æquare auſi ſunt; abſurdiſſimus eſt error. Eſſet enim trigeſimum fructum præferre centeſimo, & terram cœlo: nam cœlibes à cœlo, quaſi cœlites dicuntur, vt cœleſtis vitæ imitatores, in qua nec nubunt, nec nubūtur, vt dicit Dominus. Proinde in carne extra carnem viuere, Angelicum eſt, non humanum. Nec à perfectiori ſtatu, id eſt, coniugio, Chriſtus abduxiſſet Apoſtolos, nec Ioannem à nuptiis auocaſſet, nec proponeret relinquentibus vxores præmia, nec ipſe Dominus, aut eius B. Mater ſtatum perfectiorem fuiſſent amplexati, nec Chriſtus eunuchos ſe caſtrantes ob regnum cœlorum, prædicaſſet beatos: cùm etiam matrimonium minus luctus Chriſtiani habeat, quā virginitas, minorem luctum præpoſuiſſet maiori, & minùs bonum, relicto maiori, ſuaſiſſet Paulus, qui ait: *Conſilium autem do, tanquàm miſericordiam conſecutus à Deo, vt ſim fidelis*: ſed quam miſericordiam, niſi liberationis ab vxore & vſu matrimonij? *Qui ſine vxore eſt*, inquit, *ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt.*

Marc. 4.
Matth. 22.
1. Ioan. 2.
Matth. 19.
Ibidem.
II. Argum.
1. Cor. 7.

Hæreticorū in contrariū obiectiones diluuntur.

Sed arguit hæreticus: Matrimonium habet multas lugendi occaſiones, tribulationesq́ue, quibus caret cęlibatus. Reſpondeo, quoniam contra Domini conſilium, & ob carnem eiuſq́ue concupiſcentiam, ſępè & imprudenter nuptiæ ineuntur: pro-

ptereà

pteréà tribulationes illæ, & moleſtiæ meritum potiùs minuunt, quàm augent.

Secunda obiectio.

Secundò argumentantur hæretici, cœlibatum fructu carere, quem tamen matrimonium habet. Reſpondeo, ipſum fructum carnem & ſpinam eſſe & tribulum: vt docet Auguſtinus lib. de ſancta virginitate, ca. 10. Omne enim quod ex carne naſcitur, caro eſt, inimica Deo. Et quid magnum, ex matrimonio oriri fructum, cùm de ſtupro naſcatur virgo? Melius ergo eſt bonum indiuidui, quòd aſſiduè Deo ſeruit, quàm incertum carnis, quod neſcimus, Dei ne, an dæmonis ſit futurum. Et certè quale à natura proficiſcitur, dęmonis eſt. Et ſi ergo matrimonium ad prolem tendat: non tamen adeò æſtimatur à Deo, cùm plures ſint qui id faciant, cœlibatum autem pauciſſimi ſectentur.

Aug. tom. 5.
Ioan. 3.
Rom. 8.
Coniugij fructus, & cœlibatus conferuntur.

Tertia obiectio.
Epheſ. 5.

Tertiò, *Matrimonium* (inquiunt) *eſt magnum Sacramentum, vt Apoſtolus tradit: ergo nobilius virginitate, quæ ſacramenti ratione caret.* At ſi hoc aliquid virium haberet, præſtaret matrimonium martyrio, quod nequaquàm eſt ſacramentũ. Dico ergo, quòd etſi matrimonium in eo quod ſacramentũ eſt, & gratiam pręſtat, ſit nobilius, & excellentius, quàm cœlibatus, non tamen inde licet colligere, quòd ex ſuo genere præſtátius ſit opus, quàm cœlibatus Deo dicatus, quia hic ſimpliciter præſtat matrimonio. Dico etiam, quod non ob id quòd aliquid magnum eſt ſacramẽtum, hoc eſt, ſignum rei ſacræ, propterea præſtat maiorem ſanctitatem; ſed id, quod illo ſignatum eſt, præſtantius eſt, nempè vnio Chriſti cũ Eccleſia, ſiue cum anima. Ideo cùm Apoſtol. dixiſſet: *Sacramentum hoc magnum eſt*; continuò ſubiunxit vbi ſita eſſet magnitudo, dicens: *Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Matrimoniũ quatenus ſanctum.
Epheſ. 5.

Quarta obiectio.

Quartò arguunt: *Periret mundus, ſi omnes cœlibes eſſent.* O ſingularem ſolicitudinem charitatis pro mundo. I tu, & nube, & permitte nos cœlibes: nam hoc eſt plus ſapere velle, quàm CHRISTVM, qui omnibus in communi, quanquàm non præceperit, conſuluit tamen, & propoſuit caſtitatem; & Paulus ait: *Volo autem omnes vos homines eſſe ſicut me ipſum.* Chriſtus ergo volentibus amplecti hunc ſtatum, illum conſuluit: *Qui poteſt*, inquit, *capere, capiat*, etſi ſciret, non omnes debere capere; ſua ſit tamen propter eos, quaſi capturi erant & ſeruaturi non ſolùm ſine vlla mundi fœditate & ruina, ſed cum maiori eius decore atque ſplendore. Eſt etiam ſententia Auguſtini lib. de bono viduitatis, cap. 23. *Si omnes*, inquit, *virginitatem amplecterentur, citò repleretur cœlum.* Hieronymus quoque in Iouinianum huic argumento ſatisfaciens, ait: *Par pari referam: Si omnes viduæ fuerint, vel in matrimonio continentes, quomodo ſtirps mortalium propagabitur. Hac ratione nihil omninò erit, ne aliud eſſe deſiſtat. Verbi gratia, ſi cuncti Philoſophi ſint, agricolæ non erunt.* Et infrà: *Noli metuere, ne omnes virgines fiant. Difficilis res eſt virginitas: & ideo rara, quia difficilis. Multi vocati, pauci electi.* Hæc ille. Reſpondet etiam egregiè Ambroſius libro 3. de virginibus huic argumento. Quare inexpiabile prorſus eſt, quòd aſtrictus vinculis continentiæ Lutherus, Abbatiſſam in vxorem duxit, ne periret mundus; & Bucerus ſacrilegus tres iuuencas nouit. Vereque mundi, & carnis cauſſam agunt carnales, & mundani.

Matth. 19.
1. Cor. 7.
Matth 19.
B. Aug. to. 3.
Hier. libr. 1. aduerſ. Iouinian. inter med. circiter, & ſinem, tom. 2.
Matth. 20. & 22.
Ambr. to. 2.
Luther, & Buceri mira impudicitia.

Quinta obiectio.

Quintò argumentantur: *Continentia non eſt omnium, neque hoc donum omnibus datur.* Reſpondeo, cœlibatum, & continentiam donum Dei eſſe, iuxta illud Salomonis: *Non poſſum eſſe continens, niſi Deus det:* & illud Pauli: *Conſilium autem do, tanquàm miſericordiam conſecutus à Deo, vt ſim fidelis.* Dicere ergo, multos, qui habent hoc donum, non poſſe cõtinere, falſum eſt & blaſphemum. Præterea, multi ſunt qui poterant continere, & tamen Dei donum hoc ſpreuerunt, & propterea lapſi ſunt, & meritò illis ad culpam imputatur. Nam CHRISTVS, inuitans iuuenem ad paupertatem, quam ille noluit amplecti, oſtendit illi, multos non capere conſilia, qui tamen poſſent, ſi vellent. Continentes igitur poſſunt, ſi volunt, continere, & non continere, ſi volunt cedere carni. Nec bonus Deus ſinit tentari ſupra vires: illi verò, qui non continet, continere poterant, ſi voluiſſent, quia & illis hoc dediſſet Deus, qui tùm per ſe, tùm per Apoſtolos omnibus liberis, & ſolutis conſuluit. Non tamen omnes capiunt, qui capere poſſent, ſi vellent: quia Dominus, vel non dat omnibus ex ſe non rogatus, vel non omnibus, qui prece humili, & frequenti non petunt, vult enim à quibuſdam rogari. Non eſt tamen peccatum, conſilium non amplecti. Nam, vt ait Paulus: *Si nupſerit virgo, non peccauit.* Sed ſunt qui accipiunt, & voto promittunt cœlibatum, quorum multi occultè non ſeruant, quorum plenus eſt mundus: qui damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt. Alij verò palàm docent, & laudant cœlibatum, vt hæretici quàm plurimi; ſed de cœno potiùs, quàm de cœlo ſapientes, aiunt ſe temerè promiſiſſe, nec Deum eiuſmodi vota acceptaſſe: & Auguſtinum, Benedictum, & Franciſcum, homines fuiſſe,

Sap. 8.
1 Cor. 7.
Omnes poſſe, ſi velint, cœlibes eſſe, atque continentes.
Matth. 19.
1. Cor. 10.
Non recipiẽtes continentiæ cõſilium non peccare.
1. Cor. 7.
In eos qui votum continentiæ perfregerunt.
1. Tim. 5.

& ſe continere nequaquàm potuiſſe. At ſtringunt ad pręceptum Pauli ſequendum, qui ait: *Quod ſi non ſe continent, nubant, melius eſt enim nubere, quàm vri.* Quos vt vrgeamus, dicimus: Vnde noſti te non poſſe continere? experientia, reſpondes. Tu ergo vel aliquando continuiſti, vel nunquàm. Si aliquando continuiſti: babebas ergo donum continendi, atque id tua culpa perdidiſti: quoniam ſine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei. Quòd ſi perdidiſti: vales luctu, & pœnitentia per Dei gratiam illud recuperare. Si verò nunquàm continuiſti: ergo diuturna fuit tua hypocriſis, & ſimulatio, & occultè aliorum virorum commiſcebaris vxoribus. Quis ergo ſanæ mentis, perſuadere ſibi queat, cœlibatum ſimulantes, adulteros tamen & fornicarios, omnique impudicitia contaminatos, Spiritum ſanctum nunc docuiſſe quę ad ſalutem ęternam ſpectant, cùm ſcriptum ſit: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*, impuriſque potiùs detexiſſe ſultificationis, Sacramentorumque myſteria pluſquàm aliis caſtis, & ſimpliciter in via Dei incedentibus, votaque emiſſa perſanctè integreque ſeruantibus? Hi verò cùm à promiſſionibus Deo factis, ad nefarias & impuras nuptias conuolauerint, volunt tamen dici Apoſtolici, cùm contraria his, quæ Apoſtoli geſſerunt, prorſus faciant? vocantque nos Cybelis gallos, quòd ipſi tanto tempore fuerunt, & tunc diaboli miraculo euaſerunt in paſſeres, delicias puellarum, ſed non ſolitarios in tecto, ſed ex his, qui cadunt in terram. Falsò ergo dicunt hi perfidi Apoſtatæ, ſe nequaquàm teneri cœlibatus lege: nam Eccleſia inſtituens legem eorum, qui ſacris initiandi ſunt, & probans regulas Religionum, tacitè confirmat cœlibatum omnium non fictè accedentium. Qui autem fictus accedit, in pœnam peccati & ſimulationis, decernit, vt in cœlibatu permaneat: quemadmodum de fictè baptizato ſtatuit habendam eſſe baptizatum, & de ficto animo ducente vxorem, decernit cum vxore permanere debere. Atque hactenùs dictum ſit de iis, in quibus externè luctus Chriſtianus conſiſtit, atque in illis intelligi volo reliqua, ſi qua ſunt alia, adiacentia, vt illud certè nullius eſt ponderis, quòd leges ciuiles, aut cœlibatum damnauerint; aut præmia coniugatis, & plures proles habentibus propoſuerint: vnde ius trium, vel quinque, vel duodecim liberorum, & ſimilia alia multa. Sed quid poterant altiùs cogitare homines huius mundi, & Spiritu Dei deſtituti, quàm illa, quæ ad fructum carnis ſpectant, & ad Reipublicæ defenſionem, & ornamentum faciunt? Hinc Ambr. in libro de Viduis rectè ait: *Vnde & illi, qui deorum ſuorum adulteria & probra venerantur, cœlibatus, & viduitatis ſtatuere pœnas, vt æmuli criminum, mulctarent ſtudia virtutum. Specie quidem quaſi fœcunditatem quærerent, ſed ſtudio, quo propoſitum caſtitatis abolerent.* Hæc ille.

1. Cor. 7.
Omninò Lutheranos quam Deo vouere continentiam, poſſe, ac debere ſeruare.
Rom. 11.
Sap. 1.
Lutherani quàm verè ſibi nomen tribuãt Apoſtolicorum.
Illos tametſi fictè, vt dicunt, haud tamen inualidè continentiam nouiſſe.
Eoſdem cœlibatum humanis legibus prohibitum aſſerentes, apertè mentiri.
B. Ambr lib. 3. de Viduis, part. 4. to. 3.

Hæc ergo ſecunda ſententia iudicio mundi verè paradoxa, primò iugulat malorum beatitudinem voluptuariam, quam Epicurus, ſiue Sardanapalus, aut Heliogabalus aliquis, in oblectamentis carnis, & ſenſus ſitam, & collocatam putabant. Nam tales miſeri ſunt, qui ſe helluas putant, ac vt tales ſe tractant; deſtituunturque virtute, & vera voluptate, Deoque ipſo, gaudio ineffabili: qui enim ſenſu, eiuſque delectatione ſola capiuntur, famem validam in regione illa voluptatis carnis cum filio prodigo ſentiunt. Secundò, excludit humanam felicitatem, quam nouit Ariſtoteles, quæ etſi vitam voluptuoſam reprehendit, non tamen talem luctum agnoſcit, cùm ignoret primum, & ſecundum Adamum. Tertiò, vincit legis beatitudinem, quæ lætitiam ob rerum abundantiam, & vxorem, & liberos, & proſpera cũcta promittebat: vnde illorum luctus ex temporalium amiſſione bonorum proueniebat; vt eiulatus Eſau, & gemitus ob onera Aegypti, quibus premebantur, & fletus, ob amiſſam Ieruſalem, in Babel, & denique, quia inueniebant eos mala; rarò autem ob purè ſpiritualia lugebant: vnde vel in feſtis ſolennibus, vt afficerentur ad Dominum, volebat eos coram ſe epulari & gaudere: hinc illa vox Dauidis: *In voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis*, aliàs enim Deo non ſeruirent, cùm idololatræ coram ſuis diis epularentur, & ſacrificiis veſcerentur. Quartò, reiicit beatitudinem Lutheranam, quæ planctum omninò tollit, & continentiam, & ieiunia, & peccatorum dolorem, & obedientiam maiorum: & votorum vincula, & omnia, quæ carnem coercere poſſint ac reprimere, abnegãt. Beatæ verò Chriſtianæ hoc loco prædicantur lachrymæ, quæ oculum hominis interioris purificant; vt natatorium Siloe, in quo cæcus viſum recepit, & Petrus grauitatem criminis ſui vidit: irrigant animam & fœcundant, & ille dixit: *Anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi*: refrigerant ab æſtu concupiſcentiæ carnis, & lacrymæ Peccatricis: animam à peccatis permundant, vt mare æneum intrantes in tabernaculum: Pharaonem & Aegyptios ſubmergunt, vt mare

Prima per Chriſtũ hoc loco luctum beatificantẽ Epicureorũ damnata felicitas.
Luc. 15.
Secunda Ariſtotelica.
Tertia legalis, ſiue Moſaica.
Geneſ. 27.
Exod. 2.
Pſalm. 136.
Pſalm. 41.
Quarta Lutherana felicitas.
Quàm beatę lacrymæ pœnitentium, atque lugentium.
Ioan. 9.
Matth. 26.
Pſal. 142.
Luc. 7.
3. Reg. 2. & alibi.
Exod. 14.
Geneſ. 1.
Pſalm. 4.
Luc. 15.

Rubrum.

Rubrum. Suntq; lacrymæ prima Spiritus ſancti actio ſuper aquas: quia nouo modo. flentes cóſolatur. *Flabit*, inquit, *ſpiritus tuus, & fluent aquæ*. Angelos lætificant lacrymæ: nam *Gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Deum vincunt: nam vt fletus pueri patris flectit animum, vt in ſententiam filij deſcendat; ad hũc modum oratio luctui cõiuncta, omnia dona à Deo impetrat. Vnde Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis: in quæ verba ſcribit Gloſſa: *Oratio Deum lenit, lacryma cogit: hæc vngit, illa pungit*. B. Maximus: *Lacryma*, inquit, *veniam non poſtulant; & tamen merentur: cauſam non dicunt, & tamen miſericordiam conſequuntur. Quia ſermo interdum non totum profert negotium: lacryma verò totum prodit affectum*. Prætereà, paupertatis, virginitatis, & obedientiæ ſacrificia, aquæ lacrymarum impinguant: quòd Hellas dum ſacrificium ſuum circumquaq; impleuit aqua, adumbrate viſus eſt. Nam, vt in Ezechielem Gregorius ſcribit: *Holocauſtum ſiccum, eſt bonum opus, quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocauſtum verò pingue eſt, quando hoc quod benè agitur, etiam per lacrymas irrigatur*. Rurſus lacrymæ mentem eleuant, & ad diuina contemplãda oculos cordis præparant; quemadmodum aquæ diluuij eleuauerunt arcam in ſublime; & flenti Ioanni reuelationes fiunt, Apoc. 5. Demùm lacrymæ tanti fiunt apud Deum, vt manu Domini mereãtur abſtergi: vnde ſcriptum eſt: *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum*. Ideo hæretici, qui luctum fugiunt, & Catholici, qui peccata tempeſtiuè non lugent, ſed riſui atque genio vacant, non habent quid Deus ab illorum oculis abſtergat, ſed tales ad æternos gehennę fletus ſe ipſos addicunt: de quibus illud, *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Poſtquàm ergo tanta ſe offert in hoc mundo fletus, lacrymarumque ſylua & ſeges nobis (nam cœlum ipſum, à quo abſumus, terra quam pedibus calcamus, & in quam mortui conuertimur, præterita peccata admiſſa, futurorum periculum, dæmonum inſidiæ, pręſentes Dei iniuriæ, tot animarum, & fratrum noſtrorum ſtrages, tot corporum miſeriæ & calamitates, ad perpetuum luctum nos excitant atque permouent) poſtquàm tanta eſt, inquam, plorandi occaſio, & materies; non committamus, ne per negligentiam & ſocordiam à re tam vtili, tamque pretioſa ſalutarique abſtineamus: cùm non ignoremus, certiſſimam eſſe Dei promiſſionem, tantum conſolationis præmium noſtris lacrymis pollicentis noſtras lacrymas videntis & exaudientis per Chriſtum Dominum noſtrum, cui cum Patre & Spiritu ſancto omnis laus ſit, gloria, & imperium per infinita ſecula, Amen.

Mira lacrymarum vis.

Tob. 3.
Gloſ. Interlin.

B. Maximus Epiſcopus in quodam ſermone.

Quęnam ſacrificia lacrymarũ aquis pinguefiant.
3. Reg. 18.
B. Greg. hom. 20. in Ezech. circa finem.

Geneſ. 7.
Apoc. 5.

Infrà 7. & 21.

Matth. 8. & Infra 22.

Ad luctum Chriſtianum exhortatio.

TRACTATVS X.

In illa verba: *Quoniam ipſi conſolabuntur*.

QVEMADMODVM gratus eſſe ſolet cibus poſt ieiunium; poſt morbum ſanitas iocunda eſt, poſt noctem obſcuram aurora lucida, amœna eſſe ſolet: ita poſt lacrymationem & fletum gratiſſima ac iocundiſſima diuinæ conſolationis infuſio contingit. Dicendum ergo, quid ſit in genere conſolatio; & quæ ſit Chriſtiana conſolatio, quæ luctui debetur. Tertiò, quam ob cauſam lugentes conſolationem accipiant.

Qualis lugentium conſolatio.
Tob. 3.

Ad primum igitur, conſolatio, quod ad nomen attinet, Græcè dicitur παράκλησις, à verbo παρακαλεῖν, quod eſt euocare, ſiue exhortari, nam propriè verbis viuis fit, & idcirco præſentia amici, vel illius qui nobis charus eſt; ſed extenditur ad eam, quæ ſcriptis, vel etiam donis ſiue muneribus fit, quibus interdum lenitur & mitigatur doloris acerbitas. Atque ita conſolatio Chriſtiana eſt quoddam colloquium Dei in nobis ex præſentia Spiritus ſancti: de quo Sponſa: *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt*. Non differt autem conſolatio à gaudio vel lætitia, niſi quia iſta non ponunt dolorem vel triſtitiam pręcedentem, quemadmodum conſolatio illam ponit, præſentiaque & verbis eam mitigari. Et quanquàm conſolari, actiuæ, & paſſiuæ ſit ſignificationis, id eſt, dandi & accipiendi conſolationem: hic tamen paſſiuè dicitur *Conſolabuntur*: vnde alij claritatis gratia dixerũt, Conſolationem accipient. Quantum ad rem verò cóſolatio nihil eſt aliud, quàm acquieſcẽtia quædam, vt ſic loquar, quæ oritur ex conuenienti vnione potentiæ cum obiecto; vt oculi cum luce, auris cum melodia, linguæ cum melle: ideo delectatio naturæ omnibus amabilis exiſtit; ſicut triſtitia in horrore habetur. Vnde autor naturæ Deus, eam perficere volens, non niſi per accidens præcipit triſtitiam, quia Deo vnit, & ſalutem ſpiritus operatur: quemadmodum medicus amarum pharmacum non niſi ad recuperandam ſalutem porrigit: gaudium autem per ſe præcipit, quoniam perfectio eſt omnium operationum, cauſaque aggrediendi operis, & perſtandi in bono, vel malum ſuſtinendi. Vnde ſcriptum eſt: *Gaudete in Domino ſem-*

Conſolatio nomine tenus quid.

Cant. 5.
Conſolatio, gaudium, vel lætitia, quatenus diuerſa.

Quid re ſit conſolatio.

Cur imperet nobis triſtitiam Dominus.
2. Cor. 7.

Philip. 4.

2. Cori. 13.
Eſai. 40.

per: iterum dico, gaudete; item, *Gaudete, perfecti eſtote, exhortamini*, &c. &, *Conſolamini, conſolamini, popule meus.*

Conſolatio quotuplex ſit.

Diuiditur autem conſolatio ſic; vt alia quidem increata ſit & eſſentialis, alia verò creata & participata. Rurſus creata, alia quidem eſt naturalis, alia verò Euangelica, & ſupra naturam: cùm etenim conſolatio quies ſit ex vnione formæ cum obiecto conuenienti: propterea Deus ſummum eſt gaudium ex vnito Patre cum Filio tanquàm obiecto in Spiritu ſancto, qui eſt nexus & vnio vtriuſque, ac infinitum gaudium, & conſolatio: ipſeque gaudium in omnes effudit ex vnione commenſurata ſui ipſius cum creaturis; non tantùm per eſſentiam, ſed & per operationem. Quo autem eſſe, & operatio altior eſt & nobilior, eo excellentius & præſtantius eſt gaudium: vnde planta maius naturale gaudium ſuo modo habet, quàm quæ eſſe tantùm habent; plus etiam brutum, quàm planta; & conſequenter homo pluſquàm brutum, & Angelus pluſquàm homo, ſi ſenſus ſit de gaudio naturali quantum ad intentionem: quanquàm quod attinet ad extenſionem, maius gaudium ſit in homine quàm in Angelo. Gaudium autẽ, quod ſupernaturale dicitur, ſecundum altius eſſe diuinum, & operationem diuinam accipitur. Hinc eſt, quod quidam homines maiorem Angelis conſolationẽ accipiunt. Deniq; in omni facultate cognoſcente inuenitur delectatio, vt in internis ſenſibus & externis, atq; adeò in mente ipſa: & quo altior virtus, eo eſt & purior, & generoſior, atque diuturnior conſolatio.

Vnde maior, vel minor conſolatio naturalis, atque etiam ſupernaturalis.

Quales ſenſuum delectationes internorum, externorũq;.

Infima omnium illa eſt, quæ ex tactu percipitur: honeſtior, quæ ſpectat ad guſtum; ſed & illa pecunia eſt; leuis in odoratu, qui leuiſſimus ſenſus eſt in homine; nec tam ſuauis eſt odor gratus, quam fœtidus moleſtus: auditus, qui ad aërem pertinet, aliquid pulchrius habet; oculi, qui ad igneam naturam accedunt, aliquid habent celſius, quia plures rerum demonſtrant differentias. Celſiores porrò ſunt inferioris animi voluptates; puriſſimæ quæ in mente, atque celſiſſimæ: durabiliores voluptates animi quàm ſenſuum, quæ citò defatigantur, & multum habent moleſtiæ; & inter illas ſenſuum diuturnior eſt & acrior illa aſpiciendi vis. Durabiliores & ſtabiliores phantaſiæ, quàm voluptates ſenſuum: ideo cibi, potus, veneris, & ſpectaculorum citò ſatietas irrepit; & quo rariùs vſurpâtur, eo ſunt gratiores; vt rectè quidam Poëta dixerit:

Denuò comparantur inuicem.

Quia ſunt talia quoque gaudia vita
Magna, voluptates commendat rarior vſus.

Iuuenal. Satyr. 11. in fin.

Mentis delectationes quantæ illæ ſunt, ſecundum Philoſophum.

Non ita eſt de delectationibus poſſidendæ vel acquirendæ pecuniæ, potentiæ, honoris, gloriæ nobilitatis, famæ, gratiæ popularis, quæ in phantaſia, & falſa opinione conſiſtunt. Defæcatiſſimæ & ſtabiliſſimæ voluptates ſunt, quę mente captantur, quibus non defatigatur, imò reficitur homo: quare Ariſtoteles felicitatem conſtituit in contemplatione. Has autem nemo nouit, niſi qui accipit, & propter quas multi magni viri ſe ipſos omnibus ſenſus & carnis voluptatibus ſpoliarunt: ſed populus, qui ad illas non aſſurgit deceptus, ad viles voluptates in venando, vel piſcando, vel ludendo, vel communicando poſitas declinauit.

Philoſophus lib. 10. Ethic. cap. 7. & ſeq. & alibi, 10. 3.

Opera naturæ, quàm artis, cur magis oblectent, & afficiant.

Hoc autem loco non erit ab re admonere, artificialia omnia, quę in auro, argento, vel elegantibus picturis, domibus inſtructis, pulchris veſtibus, ſita ſunt: ſi ter, aut quater ſpectentur, ſtatim ſatiare oculos. Naturalia verò, vt prata, montes, valles, maria, fluuij, horti, nunquàm ſic videndo hæc ſatiant, vt priora: quia opera natura nobis, qui ſumus naturæ opus, magis placent; magiſq; congruunt quàm opera artis. Deinde perfectio rei & integritas, maior eſt in quocunq;, vel minimo, operæ naturæ, quàm ſit in artis maximo. Ad hæc, ipſi arti opera naturæ magis, quàm ſua ipſius probantur, illaque intendit & affectat imitari; & ſi poſſet artifex opera ſua facere naturalia; magis vellet quam artificialia: & qui magis ad naturam acceſſerunt artifices, maiori ſunt in admiratione. Et hactenùs, quid nomine & re, & quotuplex conſolatio ſit, eſt dictum à nobis.

Secunda ratio, ac tertia.

Chriſtiana conſolatio duplex, quænam illa.

Expediamus ſecundum. Conſolatio ſupernaturalis dicta, ſiue Euangelica, quam luctus meretur, duplex eſt. Altera quidem præſens, quæ nihil aliud eſt, quàm plena quies facultatum ſuperioris hominis directè; inferiorum verò ex redundantia in Deo, in ſe ipſo, vel in ſuis creaturis cognito, & vnito potentiis. Vnitur autem fide, ſpe, & charitate, quæ virtutes gaudium ſecum adferre ſolent: nam de fide ait Petrus: *In quem nunc quoq; non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata.* De ſpe dicitur à Domino: *Gaudete & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*; & à Paulo: *Spe gaudentes: in tribulatione patientes.* De charitate ait idem Apoſtolus, *Fructus autem ſpiritus, eſt charitas, gaudium, pax.*

1. Petr. 1.

Matth. 5.

Rom. 12.
Galat. 5.

Conſolatio cœleſtis beatifica in tribus conſiſtit.

Altera verò conſolatio futura eſt in cœleſti regno per vnionẽ cũ Deo, quam habemus cum ipſo per viſionem, comprehenſionem ac fruitionem: vt verbis ſacræ Theologiæ vtamur. Cùm ergo triplex ſit conſolatio; & altera quidem cor-

porea

porea & naturalis, altera verò ſpiritualis & præſens; tertia verò futura & cœleſtis: textus quidem præſens non intelligitur de corporea & naturali, quia illa communis eſt nobis cum belluis; nec ſpectat ad Nouũ Teſtamentum, in quo ſpiritualia promittuntur tantùm; etſi olim data fuerit pro inuitamento alliciente ad obſeruantiam legis: vt ordine quodam primò eſſet corporea, deinde verò ſpiritualis in Nouo Teſtamento: ſicut vtraque in gloria dabitur. Ad hæc, cõſolatio corporea, venenum eſt ſpiritualis delectationis; ſicut ſpiritualis venenum eſt carnalis, quæ ſimilis eſt vino myrrhato, non puro, quod inducit ad obliuionem Dei; *Incraſſatus eſt*, inquit Moyſes, *dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus; dereliquit Deum factorem ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo*. Quare quod nonnulli temerè quærunt, cur Deus nobis ſimplicem interdixerit fornicationem: cùm fœmina, ac vir, id quod poſitum eſt in eorum voluntate, mutuo concedant: vt propterea videri poſsit Deus noſtris delectationibus inuidere: reſpondendum eſt, pio ſatis eſſe, noſſe voluntatem Dei, quæ non poteſt eſſe non iuſta, & ſumma cũ ratione, ſapientiaque coniuncta. Stultum etiam eſſet à ciue quærere: Cur non permittis vxorem tuam, vel filias tuas proſtitui? multò magis à ratione alienum eſt, à Deo id quærere: cùm nos illius ſimus filiæ, ſiue ſponſæ. *Deſpondi enim vos*, Paulus inquit, *vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto*. Non ſumus etiã noſtri, ſed empti ſumus pretio magno: tollentes ergo membra Chriſti, faciemus membra meretricis? Abſit. Vt ergo pater non permittit filias ſuas proſtitui; ſed vel illas ſeruat virgines, vel viro legitimo nuptui tradit: ita Deus Pater magna ratione filias iure creationis, & redemptionis ſuas, non niſi in coniugium, vel in monaſterium abire permittet. Quærere item, cur Dominus in re ſua aliquid prohibuerit, non eſt aliud, quàm quærere, cur in re aliquod retinuerit ſignum dominij. Opus ergo magnæ DEI prouidentiæ fuit, ſcortationem vetare, tùm ob viros, tùm ob mulieres, tùm ob prolem, tùm denique ob Rempublicam. Ob viros quidem; qui ſpoliari ſolent à ſcortis & concubinis, quæ neſcientes quamdiu cum viris permanendum ſit ſibi, expilant interim & furantur: quamobrem inſtituit matrimonio legitimo fœminam, tanquam adiutorium ſimile ſibi, cum viro coniungere. Ob mulieres verò; ne præter expectationem à viris deſerantur poſt conceptum, & in geſtando ventre, ac in pariendo, & nutrienda prole, viri ſolatio careant. Ob prolem, quia ſemper periret, ſi licita eſſet ſimplex fornicatio; & extra matrimonium, vel per abortum ederetur, vel exponeretur, vel malè educaretur. Poſtremò, ob Rempublicam; quia ſic magis paci conſulitur, vbi quiſq; ſuam vxorem, & quæque ſuum virum habet.

Spiritualem conſolationẽ non corpoream & naturalem lugentibus à Chriſto promittit.

Qualis corporea conſolatio.

Deut. 32.

Quæſtioni quorundam impiæ reſpõdetur; Cur Deus ſimplicẽ nobis fornicationem prohibuit.

2. Cor. 11.

1. Corin. 6.

Simplicis fornicationis à Deo prohibitæ quatuor cauſæ.

Geneſ. 2.
Matth. 19.

1. Cor. 7.

Deinde non intelligitur de futura, & cœleſti conſolatione, tametſi dicatur de futuro, Conſolabuntur: ſiquidem in præſenti etiam infunditur conſolatio à Deo, & interdum etiam non flenti. Quia verò multi Chriſtiani conſolatione præſenti deſtituuntur, dicendum eſt de ſpirituali præſenti pariter & futura cœleſti conſolatione reſpectu fletus, eſſe ſermonem: licèt gratis detur illius guſtus, non tamen abundanter & affluenter: ſicut qui vinum venale exponunt, gratis quidem ad guſtandum prębent; volenti tamen in copia, pretium prius eſt pendendum. Quòd ſi Chriſtianorum non pauci huiuſcemodi ſpirituales non ſentiunt delectationes ac guſtus, ſibi ipſis imputent, qui quod debent, nempè viuere ſecundùm rationem atque ſpiritum, non faciunt. Paulus tamen & Petrus Apoſtolorum Principes, in Chriſtianis illis primitiuis, huiuſmodi guſtus confitentur: *Sicut modò geniti infantes*, ait Petrus, *rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite: vt in eo creſcatis in ſalutem. Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus*; & Paulus de quibuſdam qui exciderunt; ait, guſtaſſe illos bonum DEI verbum, & donum cœleſte, virtuteſque ſeculi venturi.

Lugentium conſolationem non futuram illam & cœleſtem, ſed ſpiritualem præſentem intelligit.

Einſmodi cõſolationes ſpiritus internas, multi Chriſtiani cur minimè percipiant.

1. Petr. 2.
Pſal. 33. & Pſal. 24.

Hebr. 6.

Eſt autem conſolatio hæc, quæ in præſenti habetur maxima, tùm ex Deo trino & vno; vnde Pater, dicitur Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; Filius, cõſolatio Iſrael vocatur à beato Luca: & in Eſaia ipſe ait: *Ego ipſe conſolabor vos*, & iterum: *Spiritus Domini miſit me, vt conſolarer omnes lugentes*: vt non minus Deus Pater & Chriſtus obiectum luctus exiſtant, quàm gaudij, & conſolationis; cùm propter eos ſit & lugendum & gaudendum. Spiritus ſanctus nominatur Paracletus, ac conſolator, hinc Act. 9. dicitur: *Eccleſia quidem ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione Spiritus ſancti*.

Vnde nam conſolatio illa ſpiritualis conſurgat.

2. Cor. 1.
Luc. 2.
Eſai. 9.
Infrà 6.

Act. 9.

Deinde colligitur magnitudo conſolationis ex facultatibus ampliſsimis, curioſiſsimis, ac inſatiabilibus, nempè memoria, intellectu, & voluntate, & ad maiorem captandam delectationem varia, diuerſaq; commiſcentibus, nec alia in re vlla perfectè impleri, aut quietem conſequi,

Secũda ratio.

quàm

Tertia ratio & quarta.

quàm in Deo valentibus. Tertiò, penſanda eſt conſolatio ex vnione tam fixa, vt propter eam retinendam omnia contemnantur: & cùm hîc incipiat, conſummatur in gloria. Quartò, ex vinculis perfectiſſimis Fidei, Spei, & Charitatis, quæ diuinæ & Theologicę prorſus virtutes ſunt.

Quinta.

Quintò, ex effectu magnitudo conſolationis colligenda eſt, qua fit, vt tribulationes ipſæ ſapiant, & omnes carnis & ſeculi voluptates deſipiant, cuius micæ ac reliquiæ apparent in Virginibus, Eremitis, præclaris Confeſſoribus, & Martyribus, qui horréda ſupplicia pertulére, ſola muniti conſolatione diuina.

Sexta.

Sextò, apparet etiam ex pretio quo empta eſt, videlicet ex luctu Chriſti continuo, & acerbiſſima Cruce: ideò dum ingreditur Ieruſalem, cantantibus præ lætitia omnibus, ſolus ipſe fleuit. *Luc. 19.*

Septima.

Septimò, conſpicitur magnitudo eius ex hoc, quòd illam oſtendit in creaturis, per quas non conſolatur: *Quia delectaſti me*, inquid Dauid, *in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.* *Pſal. 91.* Creaturę enim quod habent, non agnoſcunt, bonum, ideò totum earum gaudium, quod poſſet habere Sol de luce, cœlum de influxu, aqua de ſua claritate, roſa de ſuauitate, planta de maturitate fructuum & bonitate; animalia de diuerſis & variis virtutibus ac proprietatibus, noſtrum meritò eſt, & ad noſtrũ ſolatium ſpectat.

Spiritalis, & diuina conſolatio quomodo ex Scripturis colligitur.

Deinde oſtendit hanc conſolationem per omnes Scripturas: de quibus ab Apoſtolo dicitur: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpẽ habeamus.* *Rom. 15.*

Eandem cognoſcendi ratio perfectiſſima.

Eſt enim Scriptura ſacra nihil aliud, quàm epiſtola conſolatoria quędam, à Deo per Prophetas, & Apoſtolos ad nos tranſmiſſa. Atque hæc quidem omnia, magnam eſſe conſolationem Chriſtianam ex parte oſtendunt; ſed exactiùs & melius docet experientia: quemadmodum de mellis ſapore & dulcedine plus cognoſcitur, vel tantillum eius guſtando, quàm multis horis de illo diſputando. Talis eſt, tamque delicata diuina conſolatio, vt verè illá agnoſcere poſſit, niſi qui accipit, nemo. Hęc de ſecundo dicta ſunt capite: ad tertium veniamus.

Prima ratio, cur lugentes conſolationẽ accipiunt à beatitudine diuina.

Lugentes ergo meritò conſolationem accipiunt. Primò quidem, quia Deus natura beatus eſt, & felix, Deuſque proinde conſolationis totius, id eſt, perfectæ; quia nimirùm in cor ipſum illabitur, in quod alia intrare non poſſunt; & ideò Deus effundit de ſuo gaudio, quo plenus exiſtit, & propter ipſum Angeli & beati ob naturam & gratiam nos conſolantur. Vnde Zacharias ait: *Et reſpondit Dominus Angelo qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria*; *Zachar. 1.* Dominus etiam conuocat vicinas, & amicas, dicens: *Congratulamini mihi*: *Luc. 15.* Omnia denique nobis ſolatium exhibent; ſi dæmon ob naturam diſſimulata malitia interdum conſolationem exhibet: vt ait Guilielmus Pariſienſis. *Gul. Pariſie.*

Secunda, à Dei miſericordia.

Deinde ratio miſericordiæ Dei: quia enim propter eum à ſenſibus & delectantibus auellimur, quod ſine triſtitia & magno mœrore non fit; vt miſericors eſt, cùm magno gaudio ſuccurrit. Hinc prodigum reuertentem; cum gaudio & lætitia excepit, *Luc. 15.* vnde Dauid: *In conuertendo Dominus*, inquit, *captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati*: & rectè ait: *Sicut conſolati*: quia plena conſolatio in patria erit. *Pſalm. 125.*

Expenditur illud Prophetæ: Facti ſumus ſicut cõſolati.

Quare Apoſtoli ſemper erant læti cum Chriſto, id eſt, vt plurimum: nam in eius morte cõtriſtati fuerunt. Atque hoc Deus ſapienter ſatit: ne nouerca, id eſt, mundus hic, contra patrem verum murmurans, nos decipiat, obiiciendo quòd non largiatur vel hœdum, vt cum amicis epulemur.

Tertia ratio ab eiuſdem iuſtitia.

Tertiò, æquitas diuina exigit, vt Deus ipſe pro ſua bonitate dolorem, quem pœnitens ſuſtinet, auulſionis ab ita vnitis & dilectis, ob ita remota & à ſe aliena obiecta, propter amorem ipſius libenter amplectatur; illumque in gaudium lætitiamq; conuertat: iſte enim lugendi actus, quia de malo turpi eſt, bonus eſt atque laudabilis, ergo de illo actu honeſta erit, ſanctaq; conſolatio; vt ſimul ſit animus beatus ac dolens: hinc illud acutè dictum Auguſtini; *Auguſtin.* *Pœnitens doleat, & de dolore gaudeat*: & Paulus, *Gloria*, inquit, *honor, & pax omni operanti bonum*: *Rom. 2.* & Salomon, *Gaudium eſt iuſto, facere iudicium.* *Prou. 21.* Etſi enim triſtitia naturalis nec bona per ſe ſit, nec mala: ſed tamen vt ex culpa immoderata ſi qua ſit, mala eſt; ita illam propter Deum ſi acceptes, bona & vtilis erit.

Ligni in aquas Marà olim miſſi myſterium. *Exod. 15.*

Atque hac ratione aquæ Marà miſſo ligno aloes, vt tradunt Hebræi, id eſt, crucis memoria, in dulcorem vertuntur, Exod. 15. & aqua frigida ad imperium Domini, in dulce & lætificans vinum mutatur, Ioan. 2.

Quartà ratio à diuina ſapientia.

Quartò, Dei ſapientia non patitur vas viuum, quod ſe aqua delectationis terrenæ ſponte euacuauit, diuinæ conſolationis balſamo vacuum permanere: nam vtrumque liquorem, id eſt, conſolationem corpoream & ſpiritualem capere nõ valet: ſecùs erit in cœlo; cùm ſapientia diuina vacuum non admittat, & oleum Spiritus ſancti infundat in vaſa vacua, & non edentes de menſa mundi huius, edunt

de mi-

Exo.16.

de micis quæ cadunt de menſa cœleſti; & deficiente AEgypti farina, pluit Dominus de cœlo manna dulce & delicatum.

Quinta ratio ab hominis natura.

Quintò, homo animal eſt capaciſſimum conſolationis, vt ad delectationes ſolas captandas videatur natū. Nam etſi ſolus inter cuncta animantia, vt magis delectari valeat & conſolari, colores miſcear, odores, ſapores, vocum harmonias, & quas Philoſophi vocant primas qualitates: nunquam tamen conſolatione vlla hîc ſatiari poteſt; multò minus in tanta luctus occaſione. Hoc aūt delectationū capiendarum ſtudium fruſtra Deus naturæ ingeneraſſet noſtræ, niſi aliquando foret implendum.

Sexta ratio.

Sextò, homo recedens à peccato, conſequenter à nó eſſe, quò per accidens tendebat; per ſe autem ad bona ſenſibilia recedit; quæ quia deſinunt in nihilum, minimè ſatiant: *Nihil*, inquit Dauid, *inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis*. Ergo accedens ad Deum, per talem à peccato receſſum, ex conſequenti per ſe tendit ad eſſe, & ad veras, ſolidaſque conſolationes, ſecundùm illud: *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum*. Atque ita nihil eſt aliud, à peccato conuerti ad Deum, quàm vanas conſolationes creaturarum, cum ſolidis illis Creatoris gaudiis permutare. Atque ita flentibus datur illud centuplum, de quo Chriſtus in Euangelio: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. In quę verba Bernardus ſermone De verbis Petri ad omnium: *Ecce nos reliquimus omnia*, ſic ait: *An nō centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu ſancto, qui Chriſtum habet in pectore? Niſi quòd longè plus quàm centuplum eſt viſitatio Paracleti Spiritus, & præſentia Chriſti. Quàm magna* inquit, *multitudo dulcedinis tuæ, Domine quam abſcondiſti timentibus te; perfeciſti eis qui ſperāt in te, &c. Hoc ergo centuplum, adoptio filiorum eſt; libertas & primitiæ ſpiritus, deliciæ charitatis, gloria conſcientiæ, regnū Dei, quod intra nos eſt; non vtiq; eſca, vel potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Gaudium ſanè non modò in ſpe gloriæ, ſed etiam in tribulationibus, &c. Hæc gratia deuotionis & vnctio docens de omnibus, quā expertus nouit; inexpertus ignorat: quoniam nemo ſcit, niſi qui accipit*. Hæc ille.

Pſalm.72.
Pſal 76.
Quid à peccato ad Deū conuerti.
Matth.19.
B. Bern. in fine ſerm.
Centuplum quiaccipiant in hoc ſeculo.
Pſalm.30.
2.Cor.1.
Luc.17.
Rom.14.
Suprà 9
1.Ioan 2.
Apoc.2.

Septima ratio.

Septimò, indignū eſt etiam diuina bonitate, vt tantùm delectationis, & voluptatis in peccato & deliciis huius mundi collocauerit, quantū in virtute ac ſpiritualibus. Vnde Iſaac, id eſt, gaudium ſpirituale & rationale, ab Abraham non iugulatur, ſed aries inuētus inter vepres, videlicet gaudiū mundanum, & ſenſibile, quod non niſi ex ſpinis, id eſt, ex diuitiis, animum pungentibus, elicitur. Cū ergo lætitia iuſti in corde ſit; delectatio verò Impij in ſenſu; qui minor & inferior eſt corde; triſtitia verò iuſti in externis, & corpus affligentibus cōſiſtat rebus; illa autē impij in corde: hinc eſt quòd iuſtus plus lætatur, cùm etiam in ſenſu patitur, quàm impius, cùm extra delectatur. Mirum porrò eſt, cùm omnes ſitiamus delectationem ac voluptatem, & mundus non aliam proponat, quàm falſam & inanem; caro verò fœdantem atq; inquinantem; dæmon autem fallacem, & transfiguratam, veram ac ſolidā Chriſtus, corq; noſtrū purificantem, Deoq; cæleſti vnione coniungentē: omnes tamen ad falſas, fucataſq; & immundas confugimus. Cuius rei aliam reddere rationem non poſſumus, quàm nos ex peccato ita debilitatos eſſe, vt aquę furtiuę videantur nobis dulciores, & panis abſconditus ſuauior. Ad hæc, quia ſophiſta & cauillator dæmon, tanquam fraudulentus mercator, parùm delectationis patenter & extra ponit, vt eſcam, ſub qua delitescat hamus, vt illa deglutita, ad æternam famē, & ſitim perducamur. At Chriſtus contra, nunc patētem tribulationem, & in ea abſconditum regnum conſolationis conſtituit, vnde dixit: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro*. Quid enim magis abſconditum, quàm ſub paupertate latêre diuitias, ſub luctu conſolationem, ſub dedecore gloriam? Citas Gellius lib.16.ca.1. pulchram Muſonij ſententiam Græcam, quæ ſic habet; *Ἀντὶ ποιήσῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει ἀντὶ ποιήσῃς αἰσχρὸν μετὰ ἡδονῆς τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει*. i.e. *Si quid feceris honeſtum cū labore: Labor abit, honeſtum manet. Si quid verò turpe feceris cū voluptate: voluptas quidē abit, turpitudo verò manet*. Quāombrem opera honeſta, etſi laborioſa, amplectenda nobis ſunt, quia tempore ſuo metemus: *Et qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metūt*, vt inquit Dauid.

Gene.21.
Suprà.22.
Arietis inter vepres hærentis, pro Iſaac immolatio, quid myſticè.
Vnde fit, Chriſtianos terrenæ conſolationes atque carnales quàm cœleſtes, ac ſpiritalis vt magis afficiant.
Prouer.9.
Altera ratio.
Matth.13.
Aul. Gel.
Muſonij cuiuſdam ſapiētis aureum dictum.
Pſal.125.

Octaua ratio atque poſtrema, cur lugētes conſolabuntur.

Octauò & vltimò, hæc omnia præſentis vitæ gaudia, arrha quædam ſunt futuræ in vita æterna conſolationis: nam cùm luctus opponatur conſolationi, non poteſt ſtare luctus cum omnimoda & plena conſolatione vitæ huius; partim ob impedimenta carnis, partim quia cùm paruæ cognitionis ſimus, impleri nequaquam poſſumus; ſed quo plus guſtat, eo magis ſitit animus, & ſentit ſibi aliquid ſupereſſe, imò infinitum quid, quo vetatur frui. At in alio ſeculo inenarrabiles prorſus conſolationes habebit, tùm in Deo ſummo gaudij ob-

iecto,

Matth. 25.

iecto, ſummeque viſo ac coniuncto, qui ad ſua gaudia non admittens, dicet: *Intra in gaudium Domini tui.*

Nunc lugentes, quomodo in cœlo, animo & corpore conſolabuntur.

Pſalm. 83.

Et conſolabuntur, ait, nempe ſimul anima, & corpus, quod hîc vix conceditur, niſi interdum ex redundantia portionis ſuperioris in inferiorem, dicente Dauid: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Illîc autem ſummæ corporis deliciæ felicitatem animi non impediunt; neque contra hæc illas, ſed ſimul coniuncta omni ex parte perfectam, & omnibus numeris abſolutiſsimam reddet beatitudinem. Cõſolabuntur etiam, non ſoli, verùm cum aliis beatis, & intelligentiis illis ſeparatis, quarum conſortium iocuodiſsimam planè efficiet felicitatem: communicatiſque inuicem gaudiis ineffabilis ac incomprehenſa reddetur omninò conſolatio: quam non ſolùm in Deo, in Chriſto, in Virgine, Angelis, beatiſque haurient, ſed etiam ex omnibus creaturis propter eos renouatis; imò in damnatis ipſis, quia *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam*; & alibi, *Et egredientur*, inquit Eſaias, *& videbunt cadauera mortuorum, qui præuaricati ſunt in me: Vermis eorum non morietur; & ignis eorum non extinguetur, & erunt vſque ad ſacietatem viſionis omni carni.* Ibi rurſus conſolabuntur in peccatis & flagitiis quæ admiſerunt; nõ quidem quatenus in Deum ſunt, ſed ea ratione, qua illa per Dei miſericordiam euaſerunt, & materiam præbent diuinæ beneficentiæ atq; clementiæ illuſtrandæ. Cõnſolabuntur in omnibus laboribus, afflictionibus, ærumnis, & tormentis propter iuſtitiam & Chriſti nomen perpeſsis ac toleratis: non quidem quatenus corpori noxia, & moleſta extiterunt; ſed propter immenſum gloriæ pondus illis comparatum. Atque ita immenſa in Adam veteri erat deſolatio, ſed multò maior in ſecundo erit conſolatio. Non erit tunc tempus luctus, ſed tempus ridendi: non dabitur cibis potuſque parcè, & cum menſura, *Sed vt edatis*, inquit, *& bibatis ſuper menſam meam, in regno meo*, ac rurſus: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Tunc, depoſitis ſordidis, & luctuoſis veſtibus, ablatoque omni nuditatis pudore, veſtes ſplendidas incorruptionis accipiemus: cùm mortale hoc induet incorruptionem: & corruptibile hoc induet incorruptionem. Tunc erit habitatio ac mãſio firma: *Scimus enim*, Paulus inquit, *quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, ſed æternam in cœlis.* Et Eſaias: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Tunc erit ſomnus profundus in DEO, & quietus: de quo: *In pace in ipſum dormiam & requieſcam*, & iterum: *Dormietis, & non erit qui exterreat.* Tunc erit tempus iocunditatis & ſolatij, in illa pura & ſyncera cũ Angelis & Sanctis conuerſatione, de qua dictum eſt: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Tunc denique, nuptiæ Agni, & vxor ſiue Sponſa eius præparata erit ad ſummas delicias cum Spouſo vſurpandas. Quis ergo ad tantum ac tale conſolationis præmium ambiendum & affectandum nõ excitetur? Quæ poterit eſſe legitima excuſatio, vbi tales ac tantæ pro legis obſeruatione promittuntur deliciæ? Quid poteſt iuſtæ cauſæ obtendi, ſi tantorum bonorum non tangamur ſenſu? Quæ laborioſa certamina, aut horrenda ſupplicia impedire nos poterunt à tantæ felicitatis conſecutione, vt non glorioſum ducamus pro nomine Ieſu contumeliam & flagella pati? cùm ſcriptum ſit: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non vidẽtur, æterna ſunt.* Faxit Chriſtus, vt pro ſua incomperabili bonitate, tantorum gaudiorum participes nos efficiat, cui cum Patre & Spiritu ſancto reddatur omnis laus & gloria in ſempiternum, Amen.

Iidem ex beatorum ſocietate quantũ conſolabuntur.

Apoc. 21. & alibi.

Pſal. 57.

Eſaiæ vlt.

Mar. 21.

Qualem de peccatis conſolationem percipient: qualemq; de laboribus atque moleſtiis.

2. Cor. 4.

Quot præterea & quanta cœleſtis argumenta lætitiæ illis ſuppeditabat.

Apoc. 21.

Luc. 22.

Pſal. 35.

1. Cor. 15.

2. Cor. 5.

Eſa. 32.

Pſalm. 4.

Leuit. 26.

Pſal. 26.

Apoc. 21.

Nihil pro tali, ac tanta beatitudine cœleſti non faciendũ nobis ac tolerandum.

2. Cori. 4.

TRACTATVS XI.

In illa verba: *Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram.*

NVLLA profectò inter alias virtutes ita exornat & decorat animum apud Deum, atque commendabilem coram hominibus reddit, ac manſuetudo; per quam Chriſtus Dominus peccata tolerans noſtra, & ad pœnitentiam expectans, amabilem ſe exhibuit nobis; Patres verò Veteris Teſtamenti, & Sancti, qui ad Nouum pertinent, propter animi lenitatem promiſsiones de poſſeſsione terræ acceperunt. Hæc autem virtus ſummè conducibilis eſt, tùm Doctori, vt patienter ferat tardiora ingenia: *Seruum enim Domini*, ait Apoſtolus, *non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe ad omnes*: tum etiam adiutori in primis neceſſaria: vt meritò frater Domini dixerit, *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.*

Quàm grata & amabilis manſuetudinis virtus: eadẽ vtilis quibus, & neceſſaria.

2. Tim. 2.

Iacob. 1.

Hæc igitur tertium locum obtinet: de qua explicandum quid ſit, & voce, &

re,

re, ac quotuplex; deinde, quare beati dicantur mites; poſtremò, quæ ſit hæc poſſeſsio terræ, quam manſuetis Dominus pollicetur.

Mititas, ſeu Manſuetudo quid nomine.

In primis igitur, quod ad nomen attinet, Mites dicuntur dulces, placabiles, teneri, faciles, lenes, maturi; ceu fructus qui dicuntur mites, vt ille dixit:

Virg. Eclog. 1.

Sunt nobis mitia poma.

Manſueti verò, id eſt, manu aſſueti: quòd omnia quæ ſunt natura fera, manuum præmulſione miteſcant, vnde Poeta:

Idem lib. 7. Aeneid.

Ille manum patiens, menſaq; aſſuetus herili: cuius oppoſitum eſt, immanis, ferus, aſper, intractabilis, ac inflexibilis: Græcè verò mites, dicũtur Πρᾳεῖς παρὰ τῷ πάντα ῥᾳδίως ποιεῖν, nimirũ quod facilè efficiant omnia.

Quid re Manſuetudo. Speuſippo. M. Tull.

Re verò, Manſuetudo apud Speuſippum citatum à Cicerone, eſt conſtantia animæ aduerſus iræ impetum immobilis, moderata temperies animi. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum: *Mites autem ſunt*, inquit, *qui inſidam qua eſt in anima pugnã ſedauerunt iræ, & cupiditatis, & eorum, quæ ſub eas cadunt. Mites autem laudat eos qui tales ſunt ſponte, & ex animi inſtituto, non autem eos qui ex neceſſitate.* Hæc ille. Auguſtinus verò in ſermone Domini in Monte: *Mites ſunt, qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt malo, ſed vincunt in bono malum.* Idem lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 7. *Miteſcere*, ait, *eſt non contradicere diuinæ Scripturæ, ſiue intellectæ ſi aliqua vitia noſtra percutit: ſiue non intellecta, quaſi nos meliùs ſapere, meliùſq; percipere poſſimus.* Ita Auguſtinus.

Clem. Alexa. paulò remotius à princi. tom 2.

B. Au. li. 1. de ſermone Domini in monte, ca. 11 to. 4. Roman. 12. Idem to 3. ſub initium.

Tertium inter beatitudines locum Manſuetudo cur teneat.

Rectè ergo poſt deuictum affectum ad bona temporalia per primam beatitudinem; & poſt ſuperatos animæ concupiſcentis motus per luctum, perturbationes animæ iraſcentis per mititatem compeſcuntur. Sunt autem mites in triplici differentia.

Mites triplicis generis ſunt. Theophyl.

Nam quidam ſunt natura ſua tales, vt facilè aliis cedant, & difficulter, vel nunquam iraſcantur, alij verò, qui motus iræ compeſcunt, Ideò ait Theophylactus: *Mites ſunt non qui prorſus non iraſcuntur: tales enim inſipientes ſunt, & inſenſati; ſed qui iræ vim habent, continent autẽ, & quando oportet, iraſcuntur.* Sic ille, & rectè. Nam, vt docet Gregorius Nyſſenus hoc loco,

Greg. Nyſſen.

Mundus boni legislatoris quod.

Non penitus vacuitatem affectuum, & impatibilitatem humana natura præſcribit (non enim æqui legislatoris eſt ea iubere, quæ natura non capit, nec admittit. Nam id perinde eſt, ac ſi quis aquatilia traducat ad aëream vitam, aut cõtrà ad aquam deducat ad ea, quæ in aëre viuũt: ſed conuenit ad proprias & naturales vires, aptam & accommodatam eſſe legem) Idcircò vt moderati pariter & lenes ſimus, non vt affectuum prorſus expertes, & à perturbationibus omninò vacui ſimus, beatificatio nos hortatur: nam hoc quidẽ excedit naturam, illud verò virtute conficitur. Hactenus Gregorius. Tertiò autem fieri poteſt non humano modo per manſuetudinis virtutem humana prudentia dirigente, ſed heroico & excellenti modo, atque hoc (ob Dei legem, Chriſti imitionem, & cordis ſerenitatem ſeruandam) per mititatis beatitudinem, quæ motiones virtutis iraſcentis, id eſt, ſpem, & deſperationem; timorem, & audaciam, coercet, atque moderatur; ſed præſertim iram, id eſt, vindictæ appetitum, & vitæ ſuperbiam.

Manſuetudo Clementia, Epikeia, Miſericordia & Pietas quo modo diſtinguantur.

Et quanquam manſuetudo, clemẽtia, epikeia, miſericordia & pietas, in materia conueniant, & in moderanda parte vindictam appetente cõſiſtant; habent tamen diſtinctas rationes formales, quibus inter ſe diſtinguantur. Nam clementia, propriè exterioris punitionis eſt moderatrix; Mititas prorſus minuit rationem iræ & concitationis internæ; Pietas remouet mala proximi ex reuerentia quam habet ad aliquẽ ſuperiorem, vt, parentem, Deum; Miſericordia verò, ſenſus eſt alienæ miſeriæ, & remouet mala proximi ex hoc quòd in eis aliquis contriſtatur, qui exiſtimatur ad nos pertinere; Epikeia, eſt virtus diminuens pœnas ſecundùm mentem legislatoris, licèt non ſecundùm verba legis. Et quanquàm omnes iſtæ virtutes idem eſſe videantur, & in auferendo malo proximi conueniant; diſtinctæ tamen ſunt: vt idem pilus capitis qui in radice eſt vnus, duplex eſt tamen; vel etiam triplex, ob duos vel tres terminos in quos deſinit.

Manſuetudinẽ ſuperbiæ & vindictæ in motibus reprimendis verſari.

Quòd verò hæc virtus manſuetudinis ſuperbam, & vindictæ appetitum compeſcat, ex eo elicitur, quod hæc duo coniuncta ſint vitia; quemadmodum humilitas non eſt ſine manſuetudine, vnde Dominus illas coniungens: *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum, & humilis corde:* & Apoſtolus: *Cum modeſtia corripientes, &c.* & Iudith: *Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.*

Matth. 11. 2. Tim 2. Iudith 9.

Quid ſuperbia.

Vt igitur nonnihil de ſuperbia & iracundia dicamus; expende, ſuperbiam motum eſſe vel appetitum tendentem ad magna atque excelſa, homini à principio à Deo ingenitum, vt ſe excellentibus bonis dignum duceret; ſed per peccatum defecit ad vana, vilia ac contemptibilia.

Magnanimitas quid.

Eſt autem Magnanimitas, virtus ad magnos impellens honores, à qua per defectum puſilli animi vitium diſcedit; ſicut oppoſitum vitium per exceſſum eſt ſuperbia; quæ aliud non eſt, quàm tumor animi ex opinione boni, vel amor excellentiæ peruerſus & immoderatus: oriturque ex amore proprio, quo veluti

conſpi-

Radix ſuperbiæ, ea peccatum quàm graue.

conſpicillis quibuſda parua ſua bona perſpecta, magna apparent: qualia ſunt, ſcientia, ingenium, nobilitas, pulchritudo, & cætera huiuſmodi. Per ſuperbiam ergo quiſque nulli ſubeſſe, & liber eſſe ab omni vinculo præcepti, cæteriſque dominari vellet. Eſt autem graue peccatū, vt Regis vel Reginæ nomen obtineat, vnde dictum eſt: *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* verbum autem ſuperbire, non eſt aliud, quàm ſuper alios, & ſuper ſeipſum ire, & verbum Græcum, ὑπερηφανίαν, eminentiam ſuper alios, & oſtentationem deſignat; eſtque primum peccatum in cœlo, & in terra natum: ideò vt Regina coronam defert: hinc Eſaiæ 28. *Væ coronæ ſuperbiæ*: Comitatum magnum vitiorum quaſi Rex, multorumque criminum ſecum adfert, vt, inuidiæ, contemptus, odij, rapinæ, iracundiæ: vnde dicitur: *Qui tenebit illam* (ſcilicet ſuperbiam) *adimplebitur maledictis*: facit magnas expenſas in veſte ſplendida, domo inſtructa, menſa lauta, & ſeruorum multitudine, quibus ſuſtinendis vix ſatis ſunt regna, vel imperia: atque vt Rex tuetur caſtrum, & domos vicinas, etſi paruas, ita ſuperbia alia peccata minora atque leuiora. Sola ſuperbia apertè ſe Deo opponit, illique erecto collo reſiſtit: atque ea, quæ Dei ſunt, id eſt, tempora, loca, perſonas, res, actiones, principium & finem operum, & gloriam quaſi per vim vſurpare contendit, dominiumque Dei ſibi adſcribere audet. Quippe, *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo.* Per mititatem ergo animus diſponitur, vt ſubditus ſit Deo, & his qui ſub Deo ſunt, loco eius, & præter hoc, omnibus hominibus propter Deum. Qui ergo præceptis, & voluntati Dei non acquieſcit, vel ſuperiori non obedit, quem aut natura dictat, aut Chriſtus, aut lex humana conſtituit, aut ipſe ſibi propria voluntate per profeſsionem vitæ Monaſticæ in aliqua Religione probata elegit; mitis non eſt, aut humilis, ſed ferus, ſuperbus, contumax & acerbus. Eſt etiam mititas circa eos, quibus non ſubdimur: cùm circa ea, quæ ſunt intellectus, vbi non periclitatur fides, cedimus. *Honor eſt enim homini, qui ſeparat ſe à contentionibus: & ſeruum Domini nō oportet litigare; ſed manſuetum eſſe ad omnes; patientem, docilem.* Beatus Gregorius in homilia ſuper Euangelium Matthæi cap. 22. *Melius*, inquit, *puto, ſalua fide, alieno intellectui cedere, quàm contentionibus deſeruire.* Hæc ille. Vbi verò periclitatur fides, non eſt vllo modo cedendum: ſed acriter inſtandum, & verbum Pauli ſeruandum: *In modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati.*

Iob. 41.

Superbire, quid.

Eſai. 14. & Apoc. 12.

Iſai. 28.

Quorum caput vitiorum ſuperbia: eius proprietates

Eccle. 10.

Ibidem.

Manſuetudinis virtus. Illa quibus deſit.

In non ſubditos quomodo nos mites geramus.

Prou. 20.

2. Tim. 2.

B. Grego. homil. in Euang. 30. in prin.

2. Tim. 2.

Mitis etiam, quantum ad animi motus, cognoſcit ex ſe nihil ex ſe ipſo habere, ſed omnia eſſe Dei dona; & gloriam Dei quærit, illique gratias agit. Neque curat hominum iudicia; quia, vt Paulus ait: *Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*: quia ſententia lata ab alieno iudice, nulla eſt, Nulla agnoſcit ex ſe merita, ſed tanquam dona Dei, ſi quæ ſunt, nec vt per illa erigatur, ſed potiùs vt humilietur: ſed vt granum ſolidum frumenti deſcendit in aquam, vanum verò tendit ſurſum; ita plenus Dei donis deprimitur: vanus verò in ſe ipſo exaltatur. Superbia, circa linguam, os iactabundum habet, in laudes proprias ſe effundit, nec humiliatur niſi fictè, quo plus aſcendat, quemadmodum retrocedit qui vult tranſilire foſſam; vtitur ſono graui, verbis tragicis, conuitiis, iniuriiſque in proximum; adhibet pertinaciam, clamorem, contentionem; conatur maiorum ſuorum præcepta, & obedientiam ſoluere, à quibus omnibus manſuetus humilitate indutus longè abeſſe debet; veluti fugere habet oculos ſublimes, collum erectum, ſuperbum inceſſum: cumq; mundus totus ſuperbia plenus exiſtat; vix agnoſcitur, quia infirmitas eſt ſub aſpectum non cadens, vt phreneſis; & quia mons eſt oppoſitus Soli iuſtitiæ, ne lumen ingrediatur, & quia ex omnibus rebus etiam præclaris innaſcitur, & publicè fit. At qui verè manſuetus eſt, id eſt, manui gratiæ Dei aſſuetus, humiliatur ſub potēti manu Dei, ſeruatque præceptum Tobiæ cap. 4. *Superbiam*, inquit, *nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Expende verbum, dominari: quia tametſi exurgat motus ſuperbiæ; continendus tamen eſt, ne vltra pergat. Et hactenus de ſuperbia ſit dictum.

Mitis, & manſueti hominis indicia.

1. Cor. 4.

Ibidem.

Superbi contra hominis inſignia.

Humili quænam fugienda.

1. Pet. 5.

Tob. 4.

Addendum aliquid & de Ira: quæ & paſsio naturalis, & virtus & vitium eſſe poteſt: & vt eſt paſsio, ſignificat concitationem animi ob iniuriam, vel contemptum, tendentem ad vindictam. Efficitur autem quaſi ex materia, euaporatione fellis, ex quo ſanguis & ſpiritus ebulliunt circa cor, & inde aſcendunt in cerebrum, (vt cùm vinum epotum ebrietatis eſt cauſa: aſcendunt enim eius vapores ſurſum) vnde ardent oculi, vultus color mutatur, verba impediuntur. Hæc autem paſsio, quia naturalis, & à Deo data, & communis omnibus animantibus ad ſe conſeruandum in ſtatu ſuo; & ad reſiſtendum contrariis; neque bona, neque mala eſt; neque manſuetudo illam tollit, ſed tantummodò moderatur.

Ira & paſſio quid ſit: vnde naſcatur.

Animāti cur neceſſaria: nimia quomodo corrigenda.

Secundò

Ira bona atq; laudabilis quæ.

Ioan. 2. Pſal. 68. Matth 19. 1. Reg. 11.

Secundò eſt ira per zelum, ſeu nemeſis, qua propriis, alienis ve peccatis, quatenus Dei honorem obſcurant, indignamur iraſcimurq́ue: de qua Chriſtus dixit: *Zelus domus tuæ comedit me*; & indignatus eſt propter pueros, quos abigebant à ſe Apoſtoli: de Saul quoque dicitur: *Et inſiluit Spiritus Domini in Saul, cum audiſſet verba hæc, & iratus eſt furor eius nimis.* Hac ſancta ira præditi Phinees, & Helias, Deo placuerunt; Iudæi etiam audientes blaſphemias Dei, veſtes de more ſcindebant. Quòd ſi modò eſſet quarta pars zeli Iudaici in Chriſtianis, nullas veſtes geſtaremus integras: tanta eſt licentia, & impunitas Deo ac Sanctis eius maledicẽdi ac blaſphemandi. Quòd ſi plaſphemi, vt olim, lapidibus eſſent necandi; profectò euertendo forent ædificia ciuitatis, vt lapides ſufficerent ad eorum cædem & internecionem, ac ita fieret, vt ſartores diteſcerent, & architecti. Sed quia caremus zelo Dei; hinc eſt, quòd tam horrẽdis blaſphemiis, quas viliſsimi atque impudentiſsimi homines in Deum, & Chriſtum in ſanctiſsimam Deiparam, & diuos omnes iactare non deſinunt, quaſi ſtupidi & inſenſati non tangimur. Hanc iram, quæ per zelum eſt, non tollit, ſed potiùs auget manſuetudo hæc.

Num 25. 3 Reg 19.

Iudæi olim Chriſtianis hac in parte quanto meliores.

Leuit. 24.

Vnde nunc tanta Chriſtianorum in diuos maledicentia.

Mala ira ac vitioſa quænam: eius effectus.

Philoſ. cap. 5. tom 3. Ephe. 4. D. Greg lib. 5. Mor c. 30. & 31 tom. 1. Pſal. 72. B. Auguſt. in hunc Pſ. to. 8.

Tertiò, inuenitur quædam ira vitioſa, quæ Iracundia, vel Iraſcibilitas, ab Ariſtotele verò 4. Ethic. dicitur ὀργιλότης: eſtq; vnum è peccatis capitalibus ſeptem; per quam contriſtamus Spiritum ſanctum, & & perturbamus eius quod factũ eſt in pace habitaculum, incendimus, violamuſque templum Dei; tollimus ſimilitudinem Dei, in pace & tranquillitate, vt ait Gregorius, poſitam. Proinde in ciuitate tua cœleſti, Deus, imaginem ipſorum ad nihilum rediges: quia, vt Auguſtinus ait. *Ipſi in ciuitate ſua terreſtri imaginem tuam deleuerunt.* Tollitque hoc vitium Dei dominium, id eſt, vindictam, quã inferre proprium Dei eſt, ſecundùm illud: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Fitq́ue per iracundiam homo aliis intractabilis: vnde Salomon Prouer. 18. *Spiritum ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere?* & alio loco. *Noli eſſe amicus homini iracundo.* Et meritò: nam igne excandeſcentiæ, vinculum amicitiæ, imò etiam conſanguinitatis ſoluitur: nam inuenti ſunt, qui hac perturbatione agitati, filios, vel parentes, vel vxorem occiderunt: efficiturq́ue homo per hoc vitium, vt lignũ ignitum vrens, vel ſpinoſum pungens vndique, quod nemo illæſus valet apprehendere. Nocet autem in primis ipſi iraſcenti, non ſolùm in vita & fortunæ bonis, verum etiam in bonis animi: non enim ſolũ rationis lumine, ſed etiam Dei gratia, & iure ad gloriam ſpoliat. Hanc iram manſuetus premit, ſiue contingat illi in Deum, ſiue in ſe ipſum, ſiue in proximum iræ motum exurgere. Homo etenim adeò imprudens & impudens redditur, vt in Deũ ipſum iram & rabiem euomat, quòd putetur omnium rerum eſſe cauſa, neq; prohibuerit. e. g. vel pluuiam, vel morbum, vel iactum teſſeræ, vel aliud ſimile quippiam, quod ſibi nocuit: neque contentus motu animi irati in Deum ferri, diſtringit gladium linguæ per verba maledica & blaſphema in diuinum numen: vnde ſtare audet ſuperbia vermiculi, & cum omnipotenti congredi: quod multo indignius eſt, quàm ſi formica machinaretur in hominem, deniq́ue eo vltionem ſumere ſe poſſe exiſtimaret. At mitis, acquieſcit in iudiciis Dei iuſtis, & ſapientia plenis, & ex peculiari amore factis: conſiderat dictum illud Eccle. 27. *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet.* Qui etiam emittit ſputum venenati verbi in cœlum, recidet in caput eius. Si quid etiam aduerſi accidit; ait cum Iob: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.*

Deut. 32. Rom. 12.

Prou. 18.

Infra. 22.

Cur nemo, iuxta Sapientem, debeat eſſe amicus homini iracundo.

Iracundorũ ac furentium mores.

Eccleſ 27.

Mitis quo modo aduerſus inſurgentes iracundiæ motus ſe cõparet.

Iob. 1.

Deinde iraſcitur homo in ſe ipſum, quando non poteſt ſumere vindictam, vt vult; qua ratione pueri ac fœminæ in ſe ipſas indignantur; damnati etiam ſæuiunt contra ſe ipſos, deq́ue ſe ipſiſmet pœnas ſumunt, & deſperant præ rabie, vt Iudas, qui præ indignatione ad ſuſpendium, ac præcipitium cucurrit. Mitis autem, omnia æquo animo tolerat, neque quicquam contra ſe machinatur: cùm non ignoret, ſe non eſſe ſui iuris, ſed alterius.

Vt contingat quempiam in ſe ipſum iraſci.

Matth. 27.

Tertiò iraſcitur homo in proximum ob iniuriam, ſiue veram, ſiue exiſtimatione ſua: eſt autem triplex iniuria: aut illata, aut mox inferenda, aut præſens quæ infertur. Primò ergo mitis, iniuriam illatam excitantem ad iram, ſiue ad vlciſcendi deſiderium, non protinus per ſe, aut per ſuos vindicat, quia nouit eſſe ſcriptum: *Mea eſt vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum*: &, *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Nouit etiam, minimè decere, vt quis ſit in propria cauſa iudex; neq; congruere, vt quis propria autoritate ſe iudicem conſtituat: eſſet eamq́ue ſimul actor & iudex: ſibi etiam plus noceret odio, quã alter illi nocuiſſet iniuria, Quia verò in offenſo ius eſt accuſandi offendentem coram Deo, aut coram Republica, ſiquidem

Vt verò in proximum iraſcatur.

Triplex iniuria.

Mitis cur nõ ſtatim illatã vlciſcatur iniuriam.

Deut. 32.

Matth. 5.

Offenſus offendentem apud Deum, aut Magiſtratum quomodo deferre non debeat.

vnuſquiſq; Dei eſt, & Reipub. membrum: ſi offendens petat veniam, lege tenemur non accuſare eum coram Deo, ſed iuri cedere, quia ſe humiliando iam ſatisfecit: quòd ſi non petit veniam; haud cogimur ſemper accuſare, ſed orare vt reſipiſcat:

Ibidem.

Orate, inquit, *pro perſequentibus, & calumniantibus vos*: ne in alia vita à Deo acerbè puniatur: quam punitionem in finem vſque in peccato perſiſtenti, optare poſſumus amore iuſtitiæ, non odio proximi. Vnde iuſti & beati lætantur, cùm vident vindictam: & Paulus de Alexandro ærario ait: *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi Dominus ſecundùm opera eius: quem, & tu deuita.*

Pſal. 57.
2. Tim. 4.

Eius licita quatenus accuſatio.
Rom. 13.
1. Petr. 2.

Quoniam verò peccans in alium ſe etiam ſubiicit vindictæ pollicitæ, iuxta illud Apoſtoli: *Si male feceris: time, non enim ſine cauſſa gladium portat*: Petrus quoque inquit: *Siue ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*: licitum eſt, eum, qui iniuriam intulit, accuſare, non autem vt ſe vlciſcatur, ſed vt putridum membrũ de ſano corpore præcidatur: vel vt frater in criminibus non ſordeſcat; ſed pœna admonitus reſipiſcat: hoc tamen non ita decet religioſos, ob ſtatum religionis, in quo conſiliorum viam profitentur.

Id iuris cur aliis potiùs Chriſtianis, quã religioſis conceſſum, & quatenus.

Omni autem Chriſtiano conſilium eſt non accuſare, & animo paratus eſſe debet omne damnum tolerare: niſi vbi malus acciperet anſam, vt Reſpublica læderetur; aut ſeminando hæreſes, & ſchiſmata; & in vniuerſum quando contra cõmune bonũ conſpirarent: tunc enim præceptum eſt accuſare. Ideo Auguſtinus hortatur ad accuſandos, & detegendos Pelagianos, & Leo Papa ad deferendos Manichæos.

B. Aug. quodam loco.
Leo Papa, ſer. 4. in Quadrageſima, ſub finem.

Quantam ad actum autem licèt accuſare, vt ſibi reſarciatur damnum, non pergendo ad vindictam offenſæ. Religioſis autem non decet per ſe ipſos litigare, ſed poſſunt per Oeconomos, & procuratores.

1. Cor. 6.
I. Ratio.
Cur Apoſtolus forenſia Corinthiis vetet iudicia.

Etſi verò Paulus 1. Corint. 6. ſcribat: *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* & infra: *Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis; & hoc fratribus. An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt?* Haud tamen ſimpliciter prohibet his verbis iudicia, ſed in primis illa damnat, quæ coram infideli iudice fiunt: dicatus enim Deo, litigare apud infideles non debet, ſi fieri poſſit, niſi in cauſſa Euangelij, vt Paulus, qui dixit: *Ad Cæſarem Appello*: & Athanaſius, qui contra Arrium diſputauit coram Probo Præfecto Geotili.

Actor. 25.
B. Athana. tom. 4.

II. Ratio.

Deinde damnat iudicia apud eos ob libidinem eorum, qui inferebant iniurias, & defectum eorum, qui illas moleſtè accipiebant, ob quam noſtram duritiam permittit iudicia: hinc ſubdit: *Etſi in vobis iudicabitur mũdus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis?* Licèt illi, qui eſt iniuria affectus, potiùs ſuadeat fraudem pati, quàm litigare; & inferenti iniuriam, comminetur regni priuationem.

Quare forenſia Chriſtus iudicia minimè inſtituerit.
Deut. 17. & ſeq. & alibi.

Vnde iudicia forenſia non ſunt ex Chriſti lege, quandoquidem ea non inſtituit, vt in lege Moyſis illa mandata ſunt. Nam ſi aurea pax Dei, & proximi à Chriſto præcepta, vt par eſt, floreret; profectò nec iudicibus, nec tribunalibus; nec carceribus, nec ſuppliciis opus eſſet.

Cur tamen illa permittit.

Rurſus iudicia contra legem Chriſti minimè ſunt, quoniam ea non damnat, ſed potiùs ob duritiam, & imbecillitatem noſtram ſinit; non tamen vt peccata ex ſe ipſis: poſita enim imbecillitate hominum, & regno ſenſus, qui vix tam horrendis cohibetur ſuppliciis, & pœnis, opus eſt illis, tùm vt bonum commune illæſum ſeruetur, tum ob charitatem, ne videlicet frater marceſcat in flagitio, vel peior euadat.

Lex quæcunque quæ præcipiat, vetet, ſuadeat, quæ permittat.

Quæuis autem lex ſuo fini neceſſaria præcepit, quæ verò illum finem tollunt, prohibet; quæ conducunt ad finem, ſuadet; quæ verò non conducunt, permittit: ita lex Chriſti charitatem præcipit, iniuriam inferre prohibet; iniuria affecto ſuadet illam pati, non petito iudicio; imperfecto verò permittit petere.

Chriſtianorum cauſſæ apud infideles cur minimè (iuxta Apoſtolorum) iudicandæ.
Rom. 2.

Prohibet quoque iudicia agitare apud infideles iudices, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur: & quia per peritos legis Chriſtianæ eſt iudicandum: & quia ſtrictius eſt vinculum Chriſtianorum, quàm domeſticorum, quorum cauſas non licebat Romanis, ſine licentia Prætoris, ad magiſtratum perduci. Et hactenus de iniuria illata.

Mitis & humilis quomodo circa iniuriam inferendam ſe gerat.
Actor. 9 & 2. Cor. 11.
Matth. 10.

Si verò iniuria ſit ventura in cauſſis præparata iam; bonum eſt, & conſultum ſine damno hoſtis, eam fugere: vt Chriſtus ſæpe ſubtraxit ſe: & Paulus in ſporta ſe demitti paſſus eſt per muros in Damaſco: & Apoſtolis dictum eſt: *Cum perſequentur vos in iſta ciuitate, fugite in aliam*: Scita fuga, ſicut morbi præſeruatio, licita eſt. Quod ſi ſine damno fieri non poteſt, defenſio eſt potiùs, quàm aggreſsio: etſi peccetur ab eo, cùm ob timorem, vel ferocitatem præproperè lædit illaturũ iniuriã: iam enim non tam ſe tueretur, quàm in alterum machinaretur.

Eidem vt præſens in-

Porrò ſi iniuria ſit præſens, non ſolùm

per-

iutia toleranda: quibus licita defenſio ſui ipſius, & quatenus.

perſectis, vt Chriſto, Apoſtolis & martyribus, ſed vniuerſis qui Chriſto nomen dederunt, non licèt reſiſtere, nec quouis modo ſe defendere, ſi fidei confeſsio, vel Chriſti gloria, vel aliud ſpirituale & commune bonum id expoſcere videretur. Quando autem talis abeſt cauſſa, licita eſt omnibus, etiam perſectiſsimis, ſui ipſius defenſio; quamuis conſilium ſit non reſiſtere, ſi reſiſtendo periculum vitæ agreſſoris, vel aliud malum vitaretur, vel aliquod bonum conſequeretur: *Non vos*, inquit Paulus, *defendentes, charißimi, ſed date locum iræ*. Publicis autem magiſtratibus, & miniſtris iuſtitiæ, præceptum eſt Iniuriam propulſare, & ſuorum vitam & facultates tueri.

Rom. 12.

Non defendens ſe ipſū, ſtudio perfectionis Euangelicæ, legi ne naturali exiſtat inimicus.

Quòd ſi quis obiiciat, legem naturæ, & ſimiliter humanam, etiam priuato defenſionem dictare, & propterea non ſe defendentes peccare in legem naturæ: reſpondemus, legem naturæ, & humanam bonum hominis pro fine habere; at diuinam legem bonum diuinum: & vt dictum eſt, in qualibet lege præcipiuntur actus neceſſarij ad finem; ſuadentur, qui conducibiles exiſtunt; prohibentur abducentes à fine, permittuntur qui nec omnino abducunt, nec omnino conducunt.

Lex naturæ, & lex gratiæ quòd non ſibi inuicem aduerſentur.

Quia ergo natura Dei gratiæ non repugnat, nec fines vtriuſque legis inter ſe ſunt contrarij, ſed ordinem inter ſe habent: leges proinde non ſunt contrariæ; ſed inuicem ordinatæ, ita vt ſi naturalis ad diuinam referatur, oculis eius videret, quod ſuis cernere non poſſet. Vt ergo lex naturæ, humanaque dictat, præcipitque priuatam defenſionem, quando contra bonum animæ eſſet eam deſerere; ita ſi eſſet è re communis boni, eam negligere præciperet ei nequaquam ſe defendere: ergo ob commune bonum, & Dei, Chriſtiq; gloriam, æternamque ſalutem negligi poteſt.

Omiſſio defenſionis ſui ipſius quando præcepti ſit, quando conſilij.

Et quoties euidenter apparet ex defenſione oriri maius malum, nempe ſpirituale, præceptum eſt non ſe defendere: conſilium vero eſt, quando maius malum impeditur, ſiue quoties ex omiſsione maius bonum elicitur. Hinc Petrus dixit: *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam* (ſcilicet qua ſcitis Deum dediſſe Filium ad mortem) *ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè*. Si enim bonum eſt, Chriſtum ſectari in ieiunio, & paupertate, cur non in perferendis iniuriis ab improbis, & dyſcolis, quod eſt durius? Quare Paulus inquit: *Non voſmetipſos defendentes, charißimi, ſed date locum iræ*; Dei ſcilicet vindicaturi (vt exponit Occumen.) ſi non præueniatis eum. Quando autem omiſſio defenſionis, vel aggreſsionis officeret fidei: vel ipſis aduerſariis, non foret omittenda: vt cùm Paulus appellauit ad Cæſarem; & iubenti ſe percutere, magno animo reſpondit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.*

1. Pet. 2.

Rom. 12.

Occum. c. 18. in epi. ad Ro. auſſo à med

Eadem ſui ipſius defenſio quãdo nõ citra ſcelus omittitur.

Actor. 25.

Supra 23.

Iam verò explicandum eſt, cur huiuſmodi mites, ſiue manſueti beati dicantur, non enim rationibus ſuis id carere putandum eſt.

I. Ratio cur beati mites.

Sunt ergo primum beati ſupra mundi ſenſum & iudicium, qui manſuetos, puſillanimes, & deſpicabiles cenſet: contrà verò, vindictæ appetentes, feros, & intractabiles, pro magnanimis habet. Supra legē etiam carnis ſunt, quæ dictat propriā defenſionē, & iniuriæ propulſationē. Supra legem item Moſis, in qua bellicoſi, & qui terram promiſſam armis & gladio ſunt conſecuti, laudantur celebranturque: quia Deus in nonnullis carnis licentiis, atque ad fomitem ſpectantibus illis ſe attemperabat; dicebat enim: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, &c.* Commendat pariter Dauid, Saulem, & Ionatham, à bellica fortitudine, *Aquilis*, inquit, *velociores, leonibus fortiores*. Sed, vt Chriſtus dixit, *Sufficit, vſque nunc*, &, *Conuerte gladium tuum in locum ſuū*, id eſt, hactenus bellica gloria floruit, vſuſque gladij habitus in pretio eſt; nunc alia ratione, id eſt, patientia, & manſuetudine pugnandum atque vincendum.

Exod 21.

2. Reg. 1.

Luc. 22.

Matth. 26.

Sunt etiam beati mites, quia ſupra manſuetudinem, quam ſuadet ratio naturalis, iram iuſtam comprimunt propter Deum, & de contumelia tolerata propter nomen Ieſu, gaudere ſolent. Et cùm hi mites comprimuntur, reddunt dulcem ſuccum, & guſtatui ſuauem; vt cum fructus maturi comprimuntur: & ſi percutiuntur in vna maxilla, præbent alteram: ſi angariantur mille paſſus, vadunt cum angoriante & alia duo: ſi maledicuntur, benedicunt: ſi blaſphemantur, obſecrant: ſi lapidibus cæduntur, vt Stephanus, ad Deum pro eis preces fundunt.

Actor. 5.

Matth. 5.

1. Cor. 4.

Act. 7.

II. Ratio.

Deinde beati ſunt, qui talem iracundiæ belluam tam glorioſe vincunt; maximè cùm ira velox ſit, & ratione ſe tegat, & honorem minimè contemnendum eſſe ſit perſuaſa: maximè cùm ad contumelias inferendas magis apti ſimus, quàm ad ferendas: *Magis autem*, inquit B. Gregorius Nyſſenus, *id aliquis cernere poßit in ea perturbatione, quæ per iracundiam contingit, quàm beata res habenda lenitas ſit. Poſteà quam enim, vel verbum, vel factum, vel ſuſpicio moleſtior, minusq; iocunda eū morbum commouerit, & ſanguis circa cor efferbuerit, & animus concitatus fuerit in vltionem: quemadmodum fabula per medicamentorum*

Greg. Nyſſ. in hæc verba prope finem.

Lenitas quā beata ſecundum Gregorium.

quantam potionem, in brutorum animalium ſpecies naturam tranſmutari fingunt: ita virum repentè videre licèt aprum, aut canem, aut pantheram, aut aliquampiam ſimilium ferarum, ab ira factum eſſe. Oculi ſanguine ſuffuſi ſunt: capillus erectus ſurgit, & inhorreſcit: vox aſpera ac verbis incitata: lingua perturbatione torpens, & nō ſubſeruiens motibus inteſtinis: labia conſtricta, & non articulatè verba exprimentia, neque cohibentia in erepta perturbatione innatum humorē, ſed indecorè ſpumā ſimul cum voce expuētia, tales manus, tales pedes, tales corporis diſpoſitio tota: vnoquoque membro, prout animi motus fuerit, ita diſpoſito, pariterq́; affecto. Si igitur hic quidem talis fuerit, is autem, qui beatitudinem ante oculos habeat, rationibus morbū mitiget ac leniat, conſtanti, ſedatoq́; vultu, ac ſubmiſſa, placitaq́; voce tanquam medicus quidam ex phrenetide turpiter ſe gerentem arte curans: an non etiam ipſe, comparatione illius cum hoc facta, dices, quòd miſerabilis quidem & abominandus ille efferatus, beatus verò iudicandus hic lenis ſit, qui non imitatus ſit vitium proximi, nec decernin habitum oris peruerterit. Hęc ille verè, & eleganter. Tertiò, liberat ab affectibus, fructibuſque iracundiæ: nam ex illa furor, clamor, inſania, contentio, rixæ, odia, cædes, & cæterorum criminum ſatellitium: de quo Salomon: *Vir iracundus prouocat rixas.* &: *Qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum procliuior: & virtutes omnes contaminat.* Hinc frater Domini dixit: *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur:* & quidam ſapiens externus: *Niſi iratus fuiſſem*, inquit, *verberaſſem te.* Ideò demus operam, ne ira quæ furor breuis eſt, vt ille inquit, diuturnitate temporis fiat odium: ac meminerimus verbi Apoſtolici: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram:* & Paulus ſuadebat: *Sol*, inquit, *non occidat ſuper iracundiā veſtrā*, volens vltra Solis occaſum vindictę appetitum non retineri. Inter ſymbola Pythagoræ refertur ſignum: *Ollæ veſtigium in cinere confundendum eſſe*: quod ad irā cito præcidendam ſpectabat, vt docet Clemens in lib. Stromatum. Athenodorus apud Plutarchum legitur Octauiano Auguſto id dediſſe conſilij: *Ne quid iratus, aut diceret, aut faceret, priuſquam quatuor & viginti literas ſecum percurriſſet:* exiſtimans, vel exiguam morulam temporis iræ inardeſcenti nonnihil demere poſſe.

Elegans hominis iracundi deſcriptio.

Iracundia quomodò mitiganda, ac lenienda.

III. Ratio. cur beati mites.

Prouerb. 29.

Iacob. 1.

Hor. li. 1. epi.

Iacob. 1.

Epheſ. 4.

Quid illud Pythagoricum: Ollæ veſtigium in cinere ne turbato.

Clem. lib. 5. Strō remotè à princ. co. 2.

Pluta. in Auguſto.

Lactantius lib. inſtitutionum diuinarum ſcribit: *Cicero in iiſdem illis officialibus libris: At verò ſi quis voluerit, inquit, animi ſui cōplicatam notionem euoluere, iam ſe ipſe doceat, eum virum bonū eſſe, qui proſit quibus poſſit, noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria. O quàm ſimplicem, veramq́; ſententiam duorum verborum adiectione corrupit. Quid enim opus fuerat adiungere, Niſi laceſſitus iniuria, vt vitium bono viro quaſi caudam turpiſſimam apponeret, patientiaque, quæ omnium virtutum maxima eſt, faceret expertem:* & infra: *Denique M. Tullius contra ſuum præceptum, de quo paullò antè dixi, obliuionem iniuriarum in magnis laudibus poſuit. Spero inquit, Cæſar, qui obliuiſci nihil ſoles, niſi iniurias.* In Dione Caſsio lib. 52. Auguſtalis hiſtoriæ ita Mœcenas alloquitur Auguſtum Cæſarem, perſuadens ne Imperium deponat: *Nam quod contumeliam tibi quiſque fecerit, aut obtrectauerit, neque deferente aliquo audire, neq; vlciſci debes: turpe enim fuerit id te credere inuictum, qui te neminem lædentem, omnibus benefacientem ignominia affecerit: idq; mali ſoli credunt Principes, quos ad fidem dictis habendam conſcientia monet. Deinde iniquum eſt ea ægrè ferre velle, quæ ſi dura ſunt, præſtat non admiſiſſe; ſin falſa, diſsimulare, cùm multi hæc vindicantes, pluribus, ac grauioribus de ſe ſermonib. occaſionem præberent. Hic igitur eſt meus ſenſus de obtrectationibus, ac cōuenit de omni altiorem eſſe iniuria, & neque ipſum id in animum tuum inducere, neq; alijs eam opinionem ſubijcere, exiſtare, qui in te contumelioſus eſſe auſit, vt iam idē de te quod de dijs immortalibus iudicetur eſſe te venerandum.* Sic ille ſanè ſcitè, & prudenter. Hinc Auguſtinus quoties audiebat ſibi à quibuſdam obtrectatum, ſolitus erat dicere, teſte Tranquillo *Cuique liberas linguas eſſe oportere.*

Lact. lib. 6. cap. 18 circa med.

Cic. li. 1 de off. non procul à princ.

In boni viri definitione Ciceronis quid docet Lactantius.

Mira Cæſaris clementia.

M. Tull. in oratio. pro M. Marcello.

Quibus rationibus Mœcenas imperij depoſitionē, teſte Dione, Auguſto diſſuaſerit.

Octauius Auguſt. quid dicere de ſuis obtrectatoribus ſoleret.

Suet. in Aug. cap. 51.

Quartò, beatitudo hæc facit filium Noui Teſtamenti, hoc eſt imitatorem Patris miſericordiarum, & Dei totius conſolationis; imitatorē Chriſti, de quo: *Non contendet, neque clamabit: neque audiet aliquis in plateis vocem eius; Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus:* &, *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Facit Spiritus ſancti imitatorem: *Neſcitis*, inquit Chriſtus, *cuius Spiritus eſtis.* Vnde māſuetudo inter fructus Spiritus collocatur, & peccantes vult Apoſtolus inſtrui à nobis in ſpiritu lenitatis. Facit & imitatorem Apoſtolorum, quorum illa eſt vox: *Propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Deniq; ſanctorum Patrum facit diſcipulum: mitis enim fuit Abraham, qui iurgia orta inter paſtores gregum ſuorū, & paſtores Loth, mox ſedauit. Mitiſsimus fuit Moſes ſuper omnes homines, qui erant ſuper terram vt ipſe de ſe teſtatur: vnde tantæ multitudinis tam querulæ, tamq; intractabilis, & indomitæ, qualis Iſraeliticus populus fuit mores, & ingenia æquo animo tulit, ne frangerentur. Mitiſsimi atq; leniſsimi animi Dauid fuit, tùm cum Abſalone filio

IV. Ratio. beatitudinis mitium.

Matth. 5.

Iſai. 42. & Matth. 12.

Zach. 9. & Matth. 21.

Ierem. 11.

Luc. 9.

Galat. 5.

Infrà 6.

Pſalm. 43.

Rom. 8.

Mitium exēpla ſanctorū.

Geneſ. 13.

Num. 12.

2. Reg. 16. 17.

con-

1. Reg. à 18. cap. vſq; ad 20.

contumaci, tùm cum Saule à quo toties cũ eſſet ad mortem quæſitus, bis ei vitam donauit; vt ipſe tanquam donum Dei agnoſcens tantam mititatem, propter eam ſe exaudiri à Domino poſtulauerit :

Pſal. 131.

Memento, inquit, *Domine, Dauid, & omnis manſuetudinis eius.*

V. Ratio.

Quintò, manſuetudo doctrinæ, etiam Euangelicæ, capacem, & habilem hominẽ reddit : Tùm quòd ſedatæ perturbationes quietẽ præſtant ad diſcendũ neceſſariam : vnde Dauid: *Diriget manſuetos in iudicio: docebit mites vias ſuas*; & alio loco, *Audiant mãſueti, & lætentur* : & filius eius : *Eſto*, inquit, *manſuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas*: tùm etiam quia manſuetudo non reſiſtit diuinis præceptis, ſed inſtar terræ ſinit ſe coli, ſine murmuratione.

Pſal. 24. Pſal. 33. Eccleſ. 5.

Mitium cur preces à Deo exaudiantur. *Iudith. 9. Matth. 7.*

Exaudiuntur etiam mites à Deo, ſecundũ illud : *Humiliũ & manſuetorũ tibi ſemper placuit deprecatio.* Et meritò : quia ipſi alios ſe offendentes exaudiunt : & in qua menſura metimur aliis, remetitur nobis Deus. *Sufferentiam*, inquit Iacobus, *Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis : quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.* Hinc factum eſt, vt Moſes pro populo orans ſit exauditus.

Iacob. 5. Pſalm. 65. Exod. 32.

VI. Ratio, ac poſtrema.

Poſtremò, cùm immites, ac ſuperbi ab omnibus odio habeantur; manſueti & chari, & amabiles ſunt, & in pretio habentur ab omnibus, vt meritò Salomon dixerit : *Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.*

Eccleſ. 3.

Nec tantùm mites grati ſunt hominibus, ſed etiam Deo ſummè placent. Exemplo ſunt Moyſes, qui ore ad os, tanquam amicus ad amicum, cum Deo loquebatur : & Dauid, qui inuentus eſt iuxta cor Dei. Erant enim Dei in lenitate animi ſimiles. Sapiens quoq; ait : *Beneplacitum eſt illi fides & manſuetudo, & adimplebit theſauros illius.* Cumq; omnia diuino iudicio permittant manſueti, ſolet Dominus eorum cauſſam agere. Vt meritò de Meſſia ſcriptum ſit : *Arguet in æquitate pro manſuetis terræ.* Quo fit vt cùm Maria locuta eſſet ad Aaron cõtra mitiſſimum Moyſen, qui nullam meditabatur vindictam, textus dicat : *Quod cũ audiſſet Dominus, iratus eſt valde. Erat enim Moyſes vir mitiſſimus, &c.* Et infra; *Et ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix.* Tanto ergo iudicio admoniti caueamus, ne mitibus iniurij ſimus: quinimo demus operam, vt ſimiles illis per omnia efficiamur : ad quod promptum auxilium ſuppeditabit nobis exoratus mitiſſimus omnium agnus Ieſus Chriſtus, cui cum Patre, & Spiritu S. detur omnis laus, gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Exod. 33. 1. Reg. 13. Eccleſ. 1. Eſai. 11. Num. 12.

TRACTATVS XII.

In illa verba : *Quoniam ipſi poſſidebunt terram.*

DOMINVS Ieſus, vt perfectus àc conſummatus Doctor, ac magiſter à Patre de cœlo in terram demiſſus eſt, quia à primo die, quo ingreſſus eſt mundum, cœpit facere, & docere, & octo iſtas beatitudines exemplo ſuo ſacrauit, quas ſuo tempore verbo erat edocturus.

Actor. 1.

Homo quando renaſcatur in Chriſto, vel Chriſtus in homine.

Nec homo Chriſto renaſcitur, vel Chriſtus in homine, niſi affectu imitandi concipiat paupertatem ſpiritus, & luctum, ac manſuetudinẽ eius, reliquaſq; virtutes. Cùm ergo dixerimus, qui nam ſint mites, reliquum eſt, vt de præmio poſſidẽdi terram aliquid Chriſtianè philoſophando edilleramus.

Poſſidere vnde dicatur.

Poſſidere à pos, id eſt, potente, verbo obſoleto, & ſedeo, id eſt, potenter ſedeo, ſiue in poſſe, ſeu in poteſtate mea habeo tanquam rei dominus : Græcè autem legitur *κληρονομήσουσι*, quod eſt, hæreditare, ſiue hæreditate poſſidere ; vt mites intelligantur filij Dei, qui ad hanc beatitudinẽ perueniunt. Quam idcirco pretioſam & glorioſam eſſe oportet, & quam tantum Patrem decet donare filiis ſuis chariſſimis. Eſt autem maius hæreditare, quàm poſſidere : quia multi ſunt, qui non hæreditario iure poſſident tanquam filij.

Quid eſt quod Dauid Pſal. 36. iuſtos, & manſuetos terram hæreditaturos ſæpe pręnũtiat.

Aduerte autem in Pſal. 36. quinquies dici iuſtos, ſiue benedicentes Dominum, ſiue manſuetos, ſiue timentes, ſiue ſuſtinentes Dominum, terram hæreditaturos, vt intelligas, Chriſtum in his, quæ in præſenti pollicetur, à notis, & familiaribus Scripturæ locutionibus non recedere, vt in eo quoq; ſe indicet filium Dauidis.

Mites quam terram poſſidebunt, ſecũdum Chryſoſt. to. 2. *Theophy.*

Iam verò dubium exiſtit, quæ terra hic ſit ſermo. Et Chryſoſt. quidem (quem ſequitur Theoph. in Mat. ho. 15.) de terra intelligibili accipi non poſſe contendit, nec in ſcripturis vſpiam reperiri intelligibilem terram. *Quidnam hoc ergo eſt*, inquit, *quod dicitur? Senſibile hic præmium ſtatuit, ſicut & prius: Honora, inquit, patrem tuum, & matrem tuam, ſic enim eris longæuus ſuper terram: & rurſus Dominus ipſe latroni, Hodie mecum eris in Paradiſo. Neq; enim de futuris ſolummodo bonis, verũ etiam de præſentibus cohortatur, propter tardiores ſcilicet auditores, & antequam futura veniant, præſentia requirentes. Propterea igitur in proceſſu Euangelij dicit; Eſto cõſentiens aduerſario tuo citò. Deinde iſtiuſmodi philoſophiæ ponẽs præmiũ, ait. Ne tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro. Quia ergo mitis quiſq; propria putatur amittere, contrariũ pollicetur,*

Deut. 5. Luc. 23. Matth. 5.

dicens quod ipſe ſit qui tutiſsimè cuncta poſsideat non audax ſcilicet, at proteruum. Sic ille.

Altera ſententia Hieronymi, probabilior quadruplici ratione.
Tom. 9. in princ.
Geneſ. 3.
Pſal 26.

At Hieronymus oppoſitum ſentiens ſcribit: *Beati mites. Non terram Iuda, nec terram iſtius mundi, non terrā maledictam ſpinas, & tribulos afferentem, quā crudeliſsimus quiſq; & bellator magis poſsidet, ſed terram quam Pſalmiſta deſiderat, dicens: Credo videre bona Domini in terra viuentium:* & paullò poſt: *Nemo enim terram iſtam per manſuetudinem, ſed per ſuperbiam poſsidet.* Hæc ille. Videtur autem potior ſententia Hieronymi: Tum quia Nouū Teſtamentū nihil tēporale promittit, niſi tanquam additamentū: tum quia in his beatitudinibus, omnia quæ promittuntur, ſpiritualia ſunt, vt prima, & vltima beatitudo docent: tū quia mites, vt Chriſtus & Apoſtoli, nihil hic bonorū temporalium poſſederunt: tùm deniq; quia Scriptura agnoſcit terram intelligibilē in illa promiſsionis terra præfiguratam: de qua: *Credo videre bona Domini in terra viuentiū:* & in alio loco: *Portio mea in terra viuentiū:* &, *Placebo Domino in regione viuorum*, & quā in Pſal. 36. quinquies dixit hæreditandam, vt notauimus.

Matth. 6.
Pſal. 26.
Pſal. 41.
Pſal. 114.
Pſal. 36.
Ibidem.

Aureę Auguſtin. regulæ duæ pro diſſidentium intelligentia Scripturarū.
Tom. 1 ſub initium.

Verū ad cōciliandas iſtas Patrū ſententias, proferendæ ſunt in mediū B. Auguſt. quædam regulæ: qui li. 12. confeſ. c. 31. ait: *Ita cū alius dixerit, Hoc ſenſit quod ego, & alius, imò illud quod ego, religioſius me arbitror dicere: Cur non vtrumq; potius ſi vtrūq; verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartū, & ſi quid omnino aliud verū quiſpiam in verbis videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem vnus Deus ſacras literas vera, & diuerſa viſuris multorum ſenſibus tēperauit?* Idem confirmat Chryſo. loco iam dicto, his verbis: *Manſueti autem hæreditabunt terrā: à familiaribus iam illi populo, notiſq; verbis ſermonem texuit, vt non in omnibus inuſitatè loqueretur. Hæc verò dicit, nō tantum ad præſens vſq; tempus ſua promiſſa perducens, ſed cum futuris etiā iſta promittens. Nam cum & ſpiritualia pollicetur, hæc certè nobis quæ ſunt in præſenti vita, non eripit. Et rurſus cū præſentia repromittit, nō tamen magnitudo promiſſionum ſolummodo vſq; ad iſta pertingit. Quærite, inquit, primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Et rurſus. Quicunq; dimiſerit domum aut fratres, centuplū accipiet in ſeculo iſto, & in futuro habebit vitam æternam.* Hæc ille.

B. Chryſ.
Matth. 6.
Infra 19.

Altera Auguſt. regula.
Tom. 3.

Altera regula traditur ab eodē Auguſt. li. 1. de Doct. Chriſt. c. 36. vbi habet: *Quiſquis igitur Scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexiſſe ſibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet iſtam geminam charitatem Dei, & proximi, nondum intellexit. Quiſquis verò talem inde ſententiā duxerit, vt huic ædificandæ charitati ſit vtilis, nec tamē hoc dixerit quod ille quē legit eo loco ſenſiſſe probatur, non pernicioſe fallitur, nec omnino mentitur.* Sic ille.

His duabus regulis inſtructus, cùm nomen Terræ plura in Scripturis ſignificet, & varij ſenſus charitatem ædificantes elici poſsint, non ita vnum debemus amplecti, vt alios reſpuamus, quamquam, vt quod ſentio liberè dicam, ſenſus ille Hieronymi mihi ſolidior cæteris, præſtabiliorque videatur.

Triplicē terram, præter hanc elementarem Scripturæ commemorant.
Luc. 8.

Præter terram igitur iſtam quā pedibus calcamus, triplex alia terra occurrit: altera quidem animæ, ſiue cordis, de qua in Parabola ſeminantis: *Quod autem* (cecidit) *in terram bonā*; hi ſunt qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum adferunt in patientia: & Dauid: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Eſt etiam corpus noſtrū terra, vt dicitur Gen 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: quia in eo terra dominatur; *Quid ſuperbit*, inquit, *terra, & cinis?* Deniq; cœleſtis terra, terra viuentiū dicitur, vt probauimus. Et quoniam illuſtrior ſenſus, & amplior eſt, qui plura, ſalua veritate, complectitur, proptereaque omnibus hic locus eſt interpretandus.

Pſalm. 142.
Geneſ 3.
Eccle. 10.

Prædicti ſenſus oēs præſenti loco ſua viter accommodantur.
Primus de ſenſibili terra.
Homil. 9 p 2. to. 2. operum D. Chryſ.

Primò igitur intelligitur de terra iſta, & tēporalibus bonis eius, ſecundum Autorem Oper. imperf. in Matt. quia mites his contenti ſunt quę habent, nec murmurant in Deū, vel in alios plura poſsidentes. Deinde poſsident, quæ non poſsideant, nec à diuitiis poſsideantur. Tertiò diſtribuunt bona ſua, vt ita poſsideant in æternū, quæ breui tēpore aliàs erant duratura. Quartò, qui nil habent, ſed pauperes ſunt Euangelici, iure charitatis in aliis, quos vt fratres æquè ac ſe ipſis diligunt, omnia poſsident. Adde, quod cum Chriſto ſubijciendus ſit orbis terræ futurus, vt docet Apoſtol. ad Heb. 2. mites autem hæredes ſint Dei, cohæredes autem Chriſti, ſimul cum eo hæreditario & proprio iure poſsidebunt totam terram, cum dominabuntur iuſti omnibus iniquis in matutino. Hunc ſenſum nō ignorauit ſanctus quidam vir, qui quodam loco ſcripſit: *Humilibus*, inquit, *datur cœlum; & mitibus terra. Quid ſupereſt immitibus & crudelibus, niſi infernalis miſeria?* Sic ille ferè. Illi enim bona terrena magnificè poſsident, qui ita poſsident, vt non poſsideant; & vt non turbētur, ſi ea amiſerint: qui enim turbantur, non poſsident ea, ſed poſsidentur ab eis. Non dominantur eis, ſed ſeruiunt potius. Secus ille qui dicebat:

Hebr 2.
Rom. 8.
Pſalm. 48.

Terrena bona qui bene poſſideant.
1. Cor. 7.

Et mihi res, non me rebus ſubmittere conor.

Horat. lib. 1. epiſt. 1.

Melius eſt, inquit Salomon, *humiliari cū mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis*: & alio loco: *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus*

Immites & ſuperbi quidam quomodo à Deo tractati.

(id eſt.

Prou.16. Eccleſ. 10. 1 Reg 16. Num 20. Ioſue & ſeq.

(id eſt, Chananæos) *& ſedere fecit mites pro eis*, id eſt, ſuperbis: quemadmodùm pro Saule ſuperbo mitem Dauidem conſtituit. Ideò in huius rei ſignũ Moyſes terra promiſſa priuatus eſt ob impatientiã; & murmurantes omnes; præter Ioſue & Caleb, qui ſoli murmurationis expertes Terram ſunt ingreſſi: vt ait Scriptura.

Alter ſenſus de terra cordis.

Epheſ. 3.

Secundus ſenſus eſt, vt terra accipiatur pro corde, quod inſtar terræ hominem ſuſtinet, ac alimenta præbet, & in eo moratur iuſtus, imò Chriſtus, ſicut ait Paulus, habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris: poſſidet illam terram manſuetus, dicente Domino: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*; & Eccleſiaſtici 10. *Fili, in manſuetudine ſerua animam tuam*; & Salomon; *Melior eſt patiens, viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium*. Eſt enim manſuetudo in animæ caſtro tanquam antemurale, dura & lapidea verba leuiter accipiens, ictusq; eorum fruſtrans, hominemque illæſum ſeruans. Ac quemadmodum vaſa vitrea iŋ fœno vel palea, ne frangantur, ſolent inuolui: ad eum modum anima, quæ vitri inſtar fragilis eſt, molli manſuetudine, quam inſignis Dei gratia præſtat (quia nemo ſuprà ſcipſum poteſt) conſeruatur: immitis autem & impatiens, animæ ſuæ poſſeſſionem amittit, ſpiritualem cibum gratiæ perdit, & extra vadit, quia ira, eſt ire foras: quemadmodum qui placatur, ad ſe redire dicitur. Et cùm omnia velimus poſſidere; ſolum animum poſſidere nequaquam contendimus, quo vno amiſſo, linguæ & manuum, ac corporis, & bonorum omnium iacturam facimus.

Luc. 21. Eccleſ. 10.

Prou. 16.

Manſuetudo animæ duo præſtat officia.

Tertius ſenſus de terra corporis.

Philip 3.

Tertiò, de corporis terra exponit hunc locum homil. 9. Autor oper. imperſ. vbi ait: *Alij dicunt, quia corpus noſtrum terra eſt, & quandiu quidem ſubiacet morti, terra eſt mortuorum: cùm autem fuerit transformatum, & conforme factum corpori gloriæ Chriſti, erit terra viuentium, & hæreditabunt eam æternam, æterni; & ſpiritualem, & ſanctam, ſpirituales & ſancti*. Item Bern. ſerm. 1. de feſto omnium Sanctorum: *Hanc ergo terram* (inquit) *corpus noſtrum intelligo. Quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper membra ſua neceſſe eſt, vt ſit ipſa mitis, & ſuperiori ſuo ſubiecta; quoniam tale inueniet inferius ſuum, qualem ſe exhibuerit ſuperiori. Armatur enim creatura ad vlciſcendam ſui iniuriam Creatoris. Et ideò nouerit anima, quæ rebellem ſibi inuenit carnem ſuam, ſe quoque minus quàm oporteat, ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſubiectam. Manſueſcat ipſa, & humilietur ſub potenti manu Dei altiſſimi; ſubiecta ſit Deo, & his pariter, quibus vita eius habet obedire prælatis: & continuò corpus ſuum inueniet obediens & ſubiectum. Veritas enim eſt quæ loquitur: Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram*. Hæc ille. Dauid proinde hanc poſſeſſionem à Domino poſtulabat, cùm diceret: *Da imperium puero tuo*, id eſt, dominium in potentias animæ, in ſenſus externos, in membra, & in dolores corporis, & mortem ipſam. Nec tantùm poſſidebit hic corpus ſuum, ſed hac ipſa poſſeſſione comparat ſibi meritum poſſidẽdi corpus ſuum ſuſcitatum in gloria. Quare Ambroſius in Lucam lib. 5. cap. 25. *Poſt reſurrectionem*, inquit, *tuam terram incipies poſſidere. Ille enim, cui dicitur: Terra es, & in terram ibis, non poſſidet terram ſuam: non enim poteſt eſſe poſſeſſor, qui non capit fructum*. Sic ſanctus ille Doctor. Adde Irenæum, qui libr. 5. cap. 9. *Si enim*, inquit, *oportet verum dicere, non poſſidet, ſed poſſidetur caro, ſicut Dominus ait: Beati mites, quoniam ipſi hæreditate poſſidebunt terram*. Eandem ſequuntur ſententiam Hieronymus, & Chromatius, vterque in caput 5. Matthæi ſcribentes. Hic autem corpus multa patitur inuitum, & mortem, velit nolit, vel gladio, vel ſerpentis morſu, vel febri, vel alia ratione ſubibit. Poſtremò intelligitur de terra viuentium: de qua ſcriptum eſt: *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*; Finis enim vltimus, qui cum felicitate conſentit, omnium deſideriorum eſt finis & obiectum; & alio loco: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*: eſt enim terra hæc plena iniuſtitiã, vt illa iuſtitia, & pace, vtpote in quam ex hoc mundo Aſtrea, iuxta Poëtarum commenta ſe receperit; rurſus, *Portio mea in terra viuentium*: hæc namq; terra noſtra, quæ vanitati ſubiecta eſt, vt ait Autor operis imperſ. in Matth. mortuorum eſt, & nequaquam deſiderabilis, minimè ſatiat; multa etiam terribilia, & pericula continet.

B. Bern. circa mid ſermon.

Sap. 5. Rom. 13.

Anima noſtra corpus noſtrũ quando inueniet ſibi obediens & ſubiectũ.

2. Petr. 5.

Pſal. 71. Quid illud: Da imperiũ tuum puero tuo.

B. Ambr. tom. 5. Geneſ 3.

B. Irenæus.

Hier. tom. 9. init. Chromatius. Matth. 5.

Quartus ſenſus de terra viuentium.

Pſalm. 105.

Pſalm. 142.

Pſalm. 41. Rom. 8.

Homil. 9.

Dicitur autem æterna illa beatitudo, terra, in primis ratione cæli Empyrei, quia eſt admodum corporibus glorioſis commoda ſupra terreſtris paradiſi delicias. Cùm enim locus conformis eſſe debeat rei locatæ; corpora autem beatorum clara ſint & ſubtilia, atq; omnis expertia corruptionis: ita etiam ſimile erit cœlum Empyreum, & eas dotes ſortietur, quæ ſeruandis corporibus beatis ſint accommodæ.

I. Ratio. Gloria cœleſtis cur terra nominetur.

Secundò, dicitur terra; quia ſignificata fuit per terram promiſſionis: nam antiquæ res vocabula erant, earum rerum, quæ ſunt in Nouo Teſtamento: vt, ſerpens æneus, vocabulum erat ſerpentis Cruci ſuffixi; Mare & nubes, baptiſmi; Manna, Euchariſtiæ; Regnum Dauidis, regni

II. Ratio. Num. 21. Ioan. 3 Exod. 14. 1. Cor 10. Exod 16. 1 Cor. 10.

Chriſti. Quemadmodùm enim qui diceret: Dabo tibi aurum, non vocem, ſed rem ſignificatam per vocem intelligeret; & Rex qui in tabula, in qua deſcriptus eſſet totus orbis, diceret filio ſuo, Hanc prouintiam tibi donabo, puer ille eam partem chartæ, quæ prouintiam illam contineret, ſibi dandam iri perciperet; vir tamen qui ratione vigeret, terram in illa charta figuratam intelligeret: ad hunc modum ſancti illi patres Veteris Teſtamenti, qui columnæ erant, vt Patriarchæ & Prophetæ, dum ſibi promitti Terram audiebant, non hanc, quæ pedibus teritur, ſed illam cœleſtem & æternam intelligebant: de quibus Paulus: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus; ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes, & cõfitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* Qui enim hoc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Proinde Abraham, vt Stephanus ponderat, terram non poſſedit, nec paſſum pedis: vt opus fuerit pecunia ſibi locum ad ſepulturam comparare, vt ad æternam terram aſpiraret, eamq; expectaret. Simili ratione mitiſſimus Moyſes, non eſt permiſſus intrare in terram promiſſam; quod ille neglexit, ſolicitus de ſucceſſore Num. 27. ideò etiam Iſraëlitis permittebat ab hoſtibus terram diripi, & ad alienos conuerti: quo inſinuaret, maiora ſe bona illis promiſiſſe, quàm illa terrena. Quare Dauid, qui Rex erat, & Dominus terræ promiſſæ, dicebat: *Portio mea in terra viuentium.* Tertiò, æterna illa felicitas terra dicitur, vt ſcribunt Irenæus lib. 3. ca. 32. & lib. 5. c. 9. & Tertullianus libr. de carnis reſurrectione, ob Chriſtum incarnatum in cœlo videndum & fruendum, vt locus naturalis ſiſtens beatos, illoſque ſtabiliter paſcens; non aliter quàm terra hæc ſuſtinet, ac paſcit corpora noſtra. *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, verum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ad hunc modum de terra corporis Chriſti poſſidenda exponit hunc locum B. Hilarius: *Mitibus*, inquit, *terræ hæreditatem pollicetur: id eſt, eius corporis, quod ipſe Dominus aſſumpſit habitaculum. Et quia per manſuetudinem mentis noſtræ habitauerit Chriſtus in nobis; nos quoque gloria glorificati eius corporis veſtiemur.* Sic ille in Matthæum, canone 4. Neque terra, corporum noſtrorum in aliam terram tendere poteſt. Ibi enim Chriſtus quantum ad diuinitatem viſus terra eſt fluens melle; ſicut quantum ad humanitatem terra eſt fluens lacte. Et quemadmodum exploratores miſſi in terram promiſſam, attulerunt inde ficum, vuam, malogranata; retulerunt ciuitates eſſe munitas, & homines proceræ ſtaturæ, quibus comparati locuſtæ videbantur: ſimili ratione Angeli & beati, qui tanquam exploratores ad nos aliquando diuertunt aut libros canonicos ſcripſerunt, in quibus nobis tradiderunt ficum dulciſſimæ viſionis Dei, vuam fruitionis ſanctiſſimæ Humanitatis, malogranata beatarum illarum mentium, & ſanctorum cateruas & myriadas, ciuitates munitas ob tutiſſimam ſecuritatem, & trãquiliſſimam pacem. *Qui poſuit*, inquit Dauid, *fines tuos pacem. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.* Homines proceræ ſtaturæ ſunt ſancti omnes, habitatores illius regionis, quorum comparatione vix ſumus locuſtæ aut formicæ: nam qui minor eſt in regno cœlorum, maior eſt Ioanne Baptiſta, Domino teſte. Quartò, dicitur terra ciuitas illa cœleſtis. Nam, vt ſcribit Clemens Alexandrinus libro quinto Stromatum in fine, Pythagorici cœlum vocant *ἀντίχθονα*, id eſt, terram ex aduerſo ſitam vel oppoſitam. Cuius rei cauſſa arbitror Dominum dixiſſe: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* His ergo de cauſis meritò factum eſt, vt nomine terræ exprimatur cœleſtis illa beatitudo.

Qualis illa Patriarchis, & Prophetis à Deo olim facta terræ cœleſtis ſub huius nomine terræ promiſſio. *Hebr. 11.* Quid eſt q Patriarchæ nullam terræ ſtus poſſeſſionem acceperunt, & eorum filij frequentes paſſi ſunt hoſtium direptiones. *Acto. 7.* *Geneſ. 23. & ſeq.* *Num. 27.* *Pſalm 41.* III Ratio. *Irenæus.* *Tertull.* *Ioan. 17.* *Num. 14. & ſeq.*

Terra fluens lacte, & melle, ficus quoque, vua, malogranata, ciuitates munitæ atque homines tandem proceræ ſtaturæ, quibus cõparati, Iudæi locuſtæ videbantur, quid ſignificauerint. *Pſalm. 147.* *Matth. 11.* IV. Ratio. æternæ beatitudinis terræ nominatæ. *Clem. Alex. ſtrom. 5.*

Mites autem meritò poſſidebunt terram viuentium; quia in præſenti pacificè poſſidentur à Deo, cui non reſiſtunt, tanquam animalia domeſtica facta, & domino ſuo obedientia: & vt Auguſtinus ait: *Nullius Deus erit poſſeſſio, niſi eius, quem prius ipſe poſſederit.* Deinde, quia poſſiderunt ſe ipſos, & cor ſuum, & qui fidelis eſt in modico; fidelis erit & in maximo. Ad hæc, meritò poſſidebunt terram, quia ſimiles ſunt Chriſto, qui dixit: *Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam quam dediſti mihi.* Et quia Eccleſia manſuetudine Chriſti, Apoſtolorum & Martyrum parta eſt & propagata. Similes etiam ſunt Deo patri, & ſanctæ Eccleſiæ matri, quæ piè & manſuetè ſuſcipit errantes in gremium, & lacte doctrinæ alit, fouetque; à qua iracundi per hæreſes, infeliciter egrediuntur; & tanquam filij dæmonis in Eccleſiam malignãtium ſe recipiunt. Interim ergo dum viatores ſumus, neque conceditur tanti boni poſſeſſio per gloriã, ſatagamus à Deo poſſideri, & eum poſſidere, ductum eius ſequentes, monitis eius acquieſcentes, præceptaq; implentes: poſſideamus Chriſtum vt noſtrum: corda noſtra volitantia tanquam poſſeſſores ac domini reprimamus, & in manibus Domini reponamus: corpus noſtrum continentia & abſtinentia, veluti

I. Ratio. cur mites poſſidebunt terram. *B. Aug. lib. de ſalutarib. documen. ca. 10. tom. 4.* *Luc. 16.* II. ac III. Ratio. *Ioan. 17.* Quo modo nos terræ cœleſtis poſſeſſionem aſſequemur.

aureis catenis duabus vinciamus, eiusque effrænes motus & belluinos frangamus: vt hoc merito comparemus æternæ terræ viuentium hæreditatem: de qua Auguſtinus in hunc modum pulchrè philoſophatur: *Tunc verò*, inquit, *poßidebis terram, quando inhaſeris ei, qui fecit cælum & terram. Hoc eſt enim eſſe mitem, non reſiſtere Deo tuo; vt in eo quòd benefacis, ipſe ſibi placeat, non tu tibi: in eo quòd male iuſtè pateris, ipſe tibi non diſpliceat ſed tu tibi. Neque enim parum eſt, quia placebis ei diſplicens tibi: diſplicebis autem ei placens tibi.* Hæc ille Chriſtianè, & acutè, vt ſolet. Hæc terra ambienda eſt à peregrinis & aduenis, quales omnes ſumus, donec euadamus ciues Sanctorum, ab exulantibus ob peccatum, vt poſſint patriam repetere; à nauigantibus poſt tempeſtates maris, vt illam amplectantur, exoſculenturque. Diligamus igitur manſuetudinem, qua Stephanus munitus, redditus eſt inuictus: quia non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur; per quã apparuit vultus eius, vt Angeli: quia mititas res prorſus eſt Angelica, per quam videt cęlos apertos ad ingreſſum manſuetorum: per quam videt Ieſum ſtantem, id eſt, manſuetudinem Chriſti, qui agnus eſt, paratam nobis ad opem ferendam: per quam orauit pro inimicis, & vincens in bono malum, obtinuit Saulum: per quam denique obdormiuit in Domino; quia vindictę appetens inquietus, & intractabilis eſt & ſibi, & aliis. Qui verò animo miti ac facili alij condonat illatas iniurias; ille eſt, qui inenarrabili dono pacis poſſidet cor ſuum, & ad poſſidendum æternam pacem & quietem, meritum ſibi heroicum & illuſtre comparat, opitulante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu S. ſemper viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Aug in feſto omnium Sanctorum. hom. 14 c. 2. to. 10.
Geneſ. 1.
Quid eſſe mitem, Auguſtino.
Epheſ 2.
Quale pro ſe martyr Stephanus nobis manſuetudinis exemplum reliquerit.
Actor. 7.
Ioan. 1.
Luc. 23.
Rom. 12.
Actor. 9.
Mitis, & clemens verè quis.

TRACTATVS XIII.

In illa verba: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.*

AD huius beatitudinis faciliorem intellectum, in hunc modum diſſeremus. Primò dicam de ordine, quo quartum locum ſibi hæc beatitudo vendicat; deinde, quid ſit iuſtitia, & quotuplex, explicandum; tertiò, quid ſit fames, & ſitis; & quomodò excitetur hæc fames; poſtremò, cur tales beati dicantur: & qua ratione iſti ſaturantur.

Ad primum igitur, dicendum: Cùm hactenus per tres priores beatitudines homo ad ſeipſum benè ſit compoſitus; duabus ſubſequentibus quomodo rectè ſe habeat ad proximum, inſtituitur; tam in his quæ illi debita ſunt, iuſtitiæque rationem habent, quàm in his, quæ gratuita ſunt, & prorſus indebita, Deinde moderatis ſiue extinctis affectibus triplicis concupiſcentiæ, tanquam morbis quibuſdam, incipit eſuries ac ſitis iuſtitiæ, anima à conſolatione irritata, vt amplius quærat, vt ait Bernardus; quemadmodum etiam Ambroſius inquit: *Aeger cum in graui morbo eſt, non eſurit, quia ægritudinis dolor excludit famem.* Ad hæc, excluſa falſa voluptatis beatitudine, actiuam ponit felicitatem in his, quæ proximum reſpiciunt. Ac rectè poſt mititatem ſequitur eſuries iuſtitiæ: ne animus tepidus fiat; & poſt luctum, quia inanes & exhauſti lugendo ſitiunt; & videntes peccata in ſe, & proximis, quæ lugeant, deſiderant iuſtitiam, fructus dignos pœnitentiæ facere cupientes. Facit ergo hæc quarta beatitudo perfectum & quadratum hominem. Et hæc de primo.

Ad ſecundum: exponendum quid iuſtitia & voce, & reipſa, atque quotuplex. Iuſtitia igitur ab illa voce Ius deriuatur: eſt autem ius quaſi iuſſum: quod ſit id, quod Deus, vel naturalis ratio, vel res publica iubet, vel præſcribit: atque ita iuſtitia illa eſt, qua ius illud impletur. Quantum ad rem verò; Iuriſperitus ita illam definit; *Iuſtitia, eſt conſtans & perpetua voluntas, ius ſuum cuique tribuens*; Cicero verò libro quinto de finibus, *Iuſtitia*, inquit, *eſt animi affectio ſuum cuique tribuens, atque hanc quàm dico ſocietatem coniunctionis humanæ munificè & æquè tuens.* Eſtque res adeò excellens, vt Deus & Chriſtus abſolutè dicatur Iuſtus, & vir iuſtus in Scripturis ſit ille, qui eſt omni virtute præditus, & iuſtitia ſit omnis virtus. Habet autem iuſtitia hæc pacem & abundantiam temporalem pro fine, iuxta illud: *Fiat pax in virtute tua; & abundantia in turribus tuis.* Eſt autem duplex, alia diuina, alia humana. Humana quidem, qua lumine humano, humaniſque viribus, & videmus debita cuique, & reddimus: quæ rurſus diſtribuitur in vniuerſalem ſiue legalem, quæ cum virtute conuertitur; & in particularem, quæ bipartita eſt; nam alia quidem commutatiua dicitur, quæ iuſtum Arithmeticum reſpicit, & ſeruat; altera verò diſtributiua, quæ iuſtum Geometricum: & præter has omnes eſt alia iuſtitia metaphorica

Quartũ hæc beatitudo cur locum ſortiatur.
B. Bern. De conuerſione ad clericos, c. 22. in fine.
B. Ambr. li. 5. c. De beatitud. ante med. tom. 5.
Luc. 3.
Iuſtitia quid ſit nomine, quid re.
Cicero procul à med.
Huius præſtantia virtutis, & excellentia eius finis.
Pſalm. 121.
Quotuplex illa, quid humana iuſtitia: eius partes.

De hæc non eſſe hoc loco ſermonem.

ad ſeipſum, cui quod agnoſcit eſſe debitum reddit. De hac autem iuſtitia humana, quam in tot ſpecies diſtinximus, non eſt in præſenti ſermo, quia hæc debita Deo, cui maximè ſumus debitores, non agnoſcit, vt conſtat in Iudæo, & Pagano, & Mahometi cultore: quia lumen naturæ per peccatum obſcuratum eſt, ita vt quod debet, vix agnoſcat: quanquam verò eſſet integrum, fide deſtitutum, myſterium Trinitatis, incarnationis, mortis Chriſti, & vitæ æternæ, pro quibus tantopere Deo obſtringimur, non caperet. Ad hæc, quæ ſibi debet, vix agnoſcit; nam ſeipſum ſanum exiſtimat, & vt ſanum tractat; cùm tamen peccati ægritudine, eiuſque reliquiis miſerè affligetur ac conficiatur: atque ex hac ignoratione orti ſunt Pelagiani peccatum originale negantes; & naturam ad præſtandum legem Dei, atque tentationes vincendas, vitamque æternam comparandam, ſanam per ſe ipſam ac robuſtam affirmantes.

II. Ratio: & vnde Pelagiana eruperit inſania.

III. & IV. Rationes.

Item, non perfectè cognoſcuntur naturæ lumine, quæ, & quanta ſint debita, quæ cum proximo habemus, pro cuius ſalute etiam homo paratus eſſe debet occumbere. Deinde, vt maximè daremus, ratione nobis indita omnia hæc debita poſſe cognoſci; non tamen reddere poſſent, propterea quod viribus reddendi ſit deſtitutus: quemadmodum, vtroque pede claudus, & prope ciuitatem exiſtens, videt quidem, quò ſit illi eundem, at viribus ad ingrediendum deſtituitur; debitor etiam videt creditorem exigentem, neque ignorat cui ſit debitum exoluendum; ſed non habens vnde ſatisfaciat, non reddit.

Moſaica qualis iuſtitia.
Matth. 5.
Rom. 3.
Galat. 2.
Rom. 8.

Atque hæc eſt illa iuſtitia Moſayca; quia per legem cognitio peccati, non autem eius abolitio: quia ſi ex lege eſſet iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſſet, & Paulus, quod impoſſibile erat legi, nempe Iuſtificare, Chriſto tribuit. Iudæus namque minimè ignorabat, Deum eſſe ſuper omnia diligendum; neque eſſe concupiſcendum: vires tamen ad hæc præſtanda, ex vi legis minimè habebat.

Legis infirmitas.
Rom. 7.
Exod. 20.
Deut. 5.
Pſalm. 13.

Vnde Paulus: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.* Ob id Propheta dixit: *Non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*; & Gentiles quidam, exprimens hunc ſtatum, dicebat:

Ouid. lib. 7. Metam.

Mens aliud ſuadet; video meliora, probóque,
Deteriora ſequor.

Diuina iuſtitia quæ nam illa, quid enim

Alia verò eſt iuſtitia diuina, quæ habet pro fine pacem æternam, & abundantiam, ſiue ſaturitatem diuinam & ſpiritualem: quæ duplex inuenitur, alia quidem increata, & per eſſentiam, quia Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſe ipſos infinitè agnoſcentes, infinito honore, amoreque proſequuntur: erga creaturas autem, etiamſi propriè nullum debiti ius habeant, illud tamen qualecunque eſt, ex miſericordia, vel gratia diligenter obſeruant: de hac iuſtitia, inquit, Propheta: *Iuſtitia tua ſicut montes Dei; Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit*; &c. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*; & Chriſtus iuſtitia noſtra appellatur à Ieremia, & iuſtitia ſempiterna à Daniele capite 9. à Paulo verò, *Qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.*

increata iuſtitia.
Pſalm. 35.
Pſalm. 10.
Pſalm. 118.
Ierem. 23.
Dan. 9.
1. Cor. 1.

Diuina iuſtitia quæ creata: quæ item inchoata, quę verò perfecta iuſtitia.

Altera verò diuina iuſtitia creata eſt, & participata, per quam lumine diuino illuſtratus animus, diſtinctè agnoſcit debita omnia; ac viribus diuinis ſuffultus illa reddit cuique: quæ duplex eſt, alia inchoata in viatoribus; altera verò perfecta & conſummata in beatis: per hanc priorem animus ſanatur à peccato, & iuſtificatur in filium Dei, redditurque potens ad præſtanda debita legis, & ad præmium æternæ vitæ conſequendum.

Iuſtitiæ illius creatæ efficiens finis, mediator, ſubiectum, exemplar, ſeu forma.
Iob 14.
Ioan. 15.

Huius iuſtitiæ efficiens & finis, Deus eſt, qui ſolus propter ſe ſolùm iuſtificat, & ſolus mundum facere poteſt ex immundo conceptum ſemine; mediator verò, ſiue redemptor per modum meriti, Chriſtus eſt, propter cuius ſanguinem & obedientiam iuſti efficimur, & habemur à Deo. Humanitas enim Chriſti ſuſtentat, atque inſundit humorem à terra deitatis tanquam vitis in omnes palmites: & in Spiritu Chriſti, omnes ſpiritus humani & Angelici ſuſtentantur; vt in corpore Chriſti, vt fine omnia corpora. Subiectum verò huius iuſtitiæ diuinæ ad nos deriuatæ, ſpiritus noſter præcipuè exiſtit; exemplar porrò, ſeu forma formans (non informans tanquam pars, vt reliquæ formę creatæ) Deus Ipſe eſt, vel Spiritus ſanctus, vel Trinitas tota, nos per dona creata Fidei, Spei, & Charitatis inhabitans: qui Spiritus caput hominis eſt: (vt in homine Spiritus, caput eſt corporis) teſte Irenæo libro quinto, quemadmodum huius Spiritus caput eſt Chriſtus, & Chriſti Pater. Vt enim ſine Deo ſe nobis attemperante & accommodante, creatum gloriæ lumen ad videndum Deum minimè ſufficit; ita nec ad iuſtitiam coram Deo ſatis ſunt dona infuſa, qui per illa, & in illis Ipſe ſe nobis communicaret, & nobiliſſimo quodam ac diuino modo noſtra efficeretur iuſtitia. Quemadmodum autem omnia creata

Ad creatam illam, increatam quoque ac Diuinam iuſtitiam neceſſariò requiri.
Iren. ca. 6.
1. Cor. 11.

mediis

Iuſti omnes tam cœleſtes, quàm terreſtres, quomodo ſuam ex diuina illa, & increata iuſtitiam detinent.

mediis ſubſtantiis & qualitatibus naturalibus Deum participant, per quas, & nequaquam per Deum inter ſe creaturæ diſtinguuntur; & mali à bonis diſcernuntur: ad eum modum ſancti viatores & beati diuinam participant iuſtitiam, mediis tamen diuinis dotibus & qualitatibus, pro quarum maiori, vel minori quantitate, magis aut minus iuſti & beati ſunt, & dicuntur. Atque in hunc modum explicandum eſſe hunc locum docet Gregorius Nyſſenus libr. de beatitudinibus, his verbis: *Cæterùm ſi etiam aliquem audacem attingere ſermonem oportet; forſitan per virtutis & iuſtitiæ mentionem ſeipſum audientium appetitui proponere mihi Dominus videtur: qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, quin etiam panis de cœlo deſcendens, & aqua viuens; quam ſitire ſeſe Dauid in quodam pſalmo confitetur, hunc beatum affectum animæ Deo offerens his verbis: Sitiuit anima mea ad Deum illum validum, viuentē; quando veniam & apparebo in conſpectu Dei? Qui Dauid mihi videtur, virtute Spiritus has magnificas Domini doctrinas iam antè edoctus, etiam expletionem eiuſmodi appetitus ſibi prædixiſſe. Ego enim, inquit, in iuſtitia apparebo in conſpectu tuo, ſatiabor videndo gloriam tuam.* Hæc ille. Hanc etiam doctrinam tradit Auguſtinus epiſtola ad Conſentium: *Ita cùm in ſe ipſa ſit iuſtitia, cùm ei cohærendo iuſtè viuimus: & tanto magis minuſve iuſti ſumus, quanto magis illi, minuſve cohæremus. Vnde ſcriptum eſt de vnigenito Filio Dei, Cùm ſit vtiq; Patris ſapientia, atque iuſtitia, & ſemper in ſeipſo ſit, quod factus ſit nobis à Deo ſapientia, & iuſtitia, & redemptio.* Idem docet Bernardus ad Innocentium Papam: *Iuſtum me dixerim, ſed illius iuſtitia. Quænam ipſa? Finis legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Denique qui factus eſt nobis, inquit, iuſtitia à Deo Patre. Quæ ergo mihi iuſtitia facta eſt, mea non eſt: Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta iuſtitia.*

Gregor. Nyſſ

Ioan. 6.

Pſalm. 41.

Pſalm. 16.

Auguſt epiſt. 85 ſub fin. tom. 2.

1. Cor. 1.

Bernar epiſt longè à medio.

Rom 10.

1. Cor. 1.

Similia propemodùm tradit Dionyſius Areopagita, qui in libro de diuinis nominibus ait; Deum eius quod informe eſt, formam eſſe, ſcilicet exemplarem, & formantem, non informantem: quia inhærere, & eſſe partem totius, formæ imperfectæ, & creatæ tantùm conuenit. Conuerſione autem ad Diuinam illam, ſiue eſſentialem iuſtitiam iuſti ſimus: conuerſio autem fit ſimilitudine quadam, quæ ſpiritum humanum cum Deo connectit, & coniungit: ita vt dicat Paulus, *Qui adhæret Domino, vnus Spiritus eſt*; & iterum, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Iob quoque; *Si direxerit*, inquit, *ad eum cor ſuum, ſpiritum illius, & flatum ad ſe trahet.*

Dion. Areopag. li. de diu. nomi c. 4. p. 1.

Deus, teſte Dionyſio eius quod informe eſt, qualis ſit forma tantummodo.

1 Cor. 6.

Rom. 5.

Iob 34.

Fructus fidei diuinæ, & infuſæ.

Rurſus per fidem, non tantùm in remiſſionem peccati, & iuſtitiam, ac renouationem ſpiritus inducimur, ſed vt etiam accipiamus Spiritum ſanctum, de quo Paulus; *Vt pollicitationem*, inquit, *Spiritus accipiamus per fidem.* Facit etiam illa coniunctio, & colligatio, vt diuino modò planè cognoſcamus, diligamus, operemur: & modo noſtro, id eſt, Fide, Spe, amore, atque operibus progrediamur, vt imago viua ſe ſuo exemplari conformans: quæ iniuriam faceret exemplari pulchro, ſi illud, vt fœdum ac deformè repræſentaret. Quare pulchrè Apoſtolus ait: *Igitur, ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* Iuſtitia itaque diuina participata illa eſt, qua Deo, nobis & proximo quod ſuum eſt, reddimus: qua ſobriè, & iuſtè, & piè viuimus in hoc ſeculo: qua ſpiritus, anima, & corpus in diem Domini integra ſeruantur: qua ſimiles efficimur Lazaro, Marthæ, ac Mariæ. Hoc autem donum creatum iuſtitiæ, in Fide, Spe, & Charitate poſitum eſt. Imò, vt docet Beatus Auguſtinus libro de natura & gratia, *Per Spiritum ſanctum diffunditur charitas in cordibus noſtris, qua vna iuſti ſunt, quicunque iuſti ſunt.* & infrà: *Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: Charitas magna, magna iuſtitia eſt: Charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt.* Sic ille. Prætereà charitas, eſt vinculum perfectionis, adoptio faciens Deum in nobis manere, & nos in Deo. Eſt finis legis: Nam *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum, &c.* & *Proximum tuum ſicut te ipſum.* Vbi vides præcipi dilectionem Deo & proximo, & ſibi reddi. Et ſicut qui diligit proximum, legem impleuit; ita qui diligit Deum, & qui diligit ſeipſum, vt debet, legem impleuit. Et ſi quis vellet intelligere quid illud, quod in luce lampadis vrit, in qua eſt & lux, & calor, & raritas, deberet illa à ſe inuicem ſeparare: & cùm videat per ſe neque rarum, neque lucidum vrere, eliciet calorem eſſe illum qui vrit. Ad hunc modum cùm ſimul à Domino infundantur Fides, Spes, & Charitas in iuſtificatione, ſi quis vellet ſcire, quid ſit illud, quod per ſe iuſtum facit, ſeparet illa à ſe inuicem, & videbit quòd nec Fides, nec Spes iuſtitiam efficiunt: quia ſine illis iuſti ſunt Angeli, & beati; ac fidem dæmones, & peccatores poſſunt habere, & ſine amore quis aliquid eſſet; cùm tamen Paulus fidem dicat ſine Charitate, nihil prodeſſe: & rurſus, *Si habuero omnem Fidem, ita vt montes*

Galat. 3.

Noſtri ſpiritus cum Deo aliud cōiunctionis beneficium,

1 Cor. 15.

Tit. 2.

1. Theſſ. 5.

Iuſtificationis fundamētum ſunt Fides, Spes, & Charitas.

Aug. libr. de natu & gratia 42. tom. 7.

Cap. 70.

Coloſ. 3.

Effectus charitatis.

1 Ioan. 4.

Rom 10.

Deut. 6 & Luc. 10.

Rom. 13,

Charitatem per ſe ſolā iuſtificare, non fidem, nec ſpem propriè, exēplo monſtratur.

Iacob 2.

Quibus conſtet ſine ſpe, & fide iuſtitia, ac ſine charitate fides.

1. Cor. 13.

Ibidem.

trans-

tranſferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum. Pro ratione autem creatæ, & inhęrentis iuſtitiæ, quæ participatio quędam eſt diuinæ illius, & per eſſentiam iuſtitiæ, & vi eius valens, ac fructum ferens, eſſentialem ipſam, atq; diuinam iuſtitiam participamus. Atq; hactenus quid iuſtitia ſit, & quotuplex, dictum ſit.

Quid eſt q̄ Lucas tantū dixit, Beati qui eſuriunt, & ſitiunt, omiſſo Matthæi verbo, Iuſtitiam? *Luc. 6.*

Quod ad tertium attinet, perpende in primis, Lucam ſimpliciter dixiſſe; *Beati qui nunc eſuritis*, non addens, iuſtitiam. Nec addi quidem poſſe videtur, quia ex oppoſito ſubiungit: *Va qui ſaturati eſtis: quia eſurietis:* quod de ſatietate corporea accipiendum videtur, non de ſpirituali, de qua Matth. Sed facile eſt reſpondere, quòd vt in prima beatitudine Lucas non appoſuit verbum Spiritu, quia loquebatur Dominus cum diſcipulis ſuis, vt exinde conſtet, quales pauperes beatos prædicaret, qui nimirum Apoſtolis voluntariam paupertatem profitentibus perſimiles eſſent: ita in hac beatitudine non adiunxit accuſatiuum Iuſtitiam, eo quòd id ſatis intelligi poſſet ex his, ad quos orationem haberet. Et certè eſuries, & ſitis, cùm ſint res naturales, vt tales ſunt præmium, vel meritum non habent.

Eſuries, & ſitis propriè quid ſit.

Deinde aduerte, cùm eſuries propriè aliud non ſit, quàm appetitus calidi & ſicci; ſitis autem, appetitus humidi, & frigidi ad reſtaurationem eius, quod in animali quotidie vi caloris deperditur, non eſt hic ſermo de cibi anxia appetitione: nam talis naturalis eſt, & communis cum belluis, Deuſque pro ſua bonitate non tantùm coruos, rapax animalium genus, ſed vel hoſtes etiam ſuos Turcas affluenter paſcit. Et quoniam illa, quæ ad vitam tuendam ſpectant, non tanquam præmium principale, ſed velut additamentum quoddam quærenti Dei regnum, & iuſtitiam eius adiicere conſueuit: & quia ſtultum eſt, vexari pro voluptate gulæ, quæ ad horam vix duos gutturis digitos recreat, atque afficit, & per quam ſtomachus, velut cloaca, & ſentina quædam impletur, & coqui vermium, qui cadauera inuadunt, efficimur cum iactura valetudinis & ingenij, quod ciborum multitudine ſubmergitur ac ſepelitur, necnon cum diſpendio virtutis præſtantiſſimæ temperantiæ: hinc eſt, vt iuſtitia non propriè edatur, nec bibatur.

Pſalm. 146.

Chriſti hanc phraſim eſuriendi, ac ſitiendi iuſtitiam, tantùm eſſe metaphoricam, modus oſtenditur.

Matth. 6.

Gulam quæ mala conſequantur.

Hier. lib. 1. in Matt tom 1. Chryſ ho. 15. in Matt. 10. 2.

Eſuries & ſitis myſticè quid.

Eſuries ac ſitis, teſtibus Hieronymo, ac Chryſoſtomo, metaphoricè nihil aliud ſignificat, quàm voluntarium & deliberatum, vehemenſque, atque intenſum deſiderium iuſtitiæ, id eſt, charitatis, & doni ipſius increati, id eſt, Spiritus ſancti, & Chriſti, qui eatenus à nobis participantur, quantum magis, vel minus habemus de dono inhærentis iuſtitiæ: de qua eſurie & ſiti dicitur à Domino: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat:* & ab Eſaia: *Omnes ſitientes venite ad aquas:* & à Dauide; *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea? Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum;* nec non à beata Virgine; *Eſurientes impleuit bonis; & diuites dimiſit inanes.* Vt videas, familiarem eſſe Prophetis hanc loquendi rationem. Indicatur etiam qualitas indigentiæ, quòd videlicet iuſti non aliter iuſtitiam deſiderent, quàm tanquam cibum, & potum, quo indigent ad vitæ conſeruationem eſurientes & ſitientes. Atque hac ratione iuſtitia, vt cibus eſt, & potus animam paſcens, reficiens, & in vita ſpirituali conſeruans. De quo cibo Dominus dixit; *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me Vt perficiam opus eius.* Sunt ergo beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam; id eſt, qui eo animi ardore iuſtitiam conſectantur; quo cibum, & potum perſequuntur, eamq; veluti ad vitæ conſeruationem neceſſariam requirunt, atque in ea oblectantur, vt homo in cibo, & potu. Adhæc non dixit: Qui eſuriunt ſcire, vel facere iuſtitiam, ſed abſolutè; vt vtramque & ſciendi, & faciendi iuſtitiam complectatur. Rurſus non dixit, Beati qui amant, vel ſectantur, vel faciunt iuſtitiam, vt alio loco per Prophetam dixit, *Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore:* Quia non nobis ſufficit velle iuſtitiam, niſi & iuſtitię quamdiu viuimus, patiamur & famem, non tantùm in nobis, ſed etiam in proximis noſtris. Sunt autem quatuor ſalutis, & iuſtitiæ deſideria. Et primum quidem ad peccatorem ſpectat, qui cùm in peccato quietus indormiat, ſingulari Chriſti gratia à Deo excitatur, quatenus per ſidem agnoſcat malum quod incurrit, & quod niſi reſipiſcat, habiturus eſt, & ſimul intelligat bonum quod amiſit, atque ineffabilia cæleſtis gloriæ præmia, quæ ſibi comparabit, ſi peccatum deſerat. Prima ergo diſpoſitio ad iuſtificationem adipiſcendam, fides eſt, quæ neceſſaria eſt, vt cum Deo, qui cum agimus, atque cum mediatore Chriſto Deo, & homine, & mortem pro noſtra iuſtificatione paſſo agere poſſimus: & vt Sacramentum, vel regenerans vel remittens peccata, nec non cæleſtis gloriæ beatitudinem, quæ præmium eſt iuſtitiæ, apprehendere valeamus. Sine fide enim, id eſt, oculis diuinis, hæc à nobis ne cogitari quidem valent. Hæc ergo fides oſten-

Ioan 7. Iſai 55. Pſalm. 62. Pſalm. 41.

Luc. 1.

Alterum per eſuriem illā ac ſitim iuſtitiæ myſteriū à Chriſto ſignificatum.

Ioan. 4.

Beati quinā eſurientes ac ſitientes iuſtitiam.

Eſurientes potius, & ſitientes, quā amantes, ſectantes, vel facientes iuſtitiam, cur beati.

Pſalm. 105.

Primum de quatuor ſalutis, ſeu iuſtitiæ deſideriis, peccatori conueniens cur fides.

I. Ratio.

Rom. 4.

Eccleſ. 1.

oſtendit Deum ſcelerum vindicem: vnde

II. Ratio.

timor Dei concipitur, quo peccatum expellitur. Oſtendit & criminum hoſtem, quibus offenditur Deus: vnde pœnitentia,

III. Ratio.

peccatique deteſtatio. Indicat quoque bonum non ſolùm in ſe ipſo, ſed etiam nobis:

IV. Ratio.

vnde amor, & fiducia ingeneratur. Poſtremò cùm ſacramentum ſuſcipiendum, & legem obſeruandam proponat, votum Sacramenti, & diuinæ legis perficiendæ concipi facit. Hæc eſt quæ iuſtificat, quia prima eſt diſpoſitio, & nos vt oleaſtrum inſerit in oliuam bonam, & cæteræ diſpoſitiones, quæ illum conſequuntur, eius virtute valent.

Rom. 11.
Si quando Doctores ſolam fidem aiunt iuſtificare, quo id ſenſu dicant.

Et cùm dicitur à quibuſdam antiquis, quòd ſola fides iuſtificat: intellige ſine præſidiis legis, vel Sacramentis, ceremoniisq; Moſaicis, non tamen ſine his, quę eam conſequuntur, videlicet timore, pœnitentia, & voto melioris vitæ.

Qualis illa forma loquendi.

Quemadmodum cùm dicimus, Solus Cæſar vincit, haud excludimus eius exercitus, aut duces, ſed tantùm alienos exercitus. Ac vt medicina efficit ſanitatem, & labor, ſiue induſtria facit hominem diuitem. Sumus autem diuites per diuitias: nam longè aliud fieri, aliud eſſe. Ad eum modum per fidem quidem, quæ primaria eſt diſpoſitio, & cæteras adducit, eiuſq; vi valent, & ſemper neceſſaria fuit etiam in Angelo iuſtificando, efficimur iuſti, ſiue ad iuſtitiam accipiendam præparamur, & illam fide, quaſi manu apprehendimus: ſumus autem iu-

Aliter charitas, aliter fides noſtræ ſunt cauſſa iuſtitiæ.

ſti per iuſtitiam, hoc eſt, per charitatem, vt explicuimus, & per conſequens dij, & in filiorum dignitatem aſſumpti. Ante fidem enim diuinum nihil operari poſſumus, licèt humana gloria digna operemur, iuxta

Rom. 4.

illud: *Si Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt; habet gloriam, ſed non apud Deum.* Beatus itaque eſuriens, & ſitiens iuſtitiam hanc diuinam, quoniam à vilitate, & ruſticana vi-

Reſpuentes iuſtitiā Dei, quales illi ſint.

ta aſcendit ad gloriam filiorum Dei: quam qui oblatam reſpueret, ſimilis profectò eſſet ruſtico in vita ex obſcuriſſimis parentibus nato, qui dignitatem, & decus filij Regis oblatum repudiaret.

Secundum iuſtitiæ deſiderium, iuſti nimirum proprium.

Secundum deſiderium ſpectat ad iuſtum, per quod in ſemel acquiſita iuſtitia progreſſus facere, eamq́ue augere contendit, iuxta illud: *Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari*: &, *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.*

Eccleſ. 18.
Apoc. vlt.
Matth. 3.
Infra. 21.

Planta etenim vbi primùm nata eſt, ſui augmentum facere ſolet: nam alioqui omnis arbor exciditur, & in ignem mittitur: & Dominus ficui infructuoſæ maledixit: &

Geneſ. 30.

Rachel dicebat: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Et puer, qui ſemper eſſe puer vellet, nec ad ætatem virilem peruenire, in qua eſt hominis perfectio, & maturitas, ſtultus

Eſuriei & ſitis iuſtitiæ modum qui præſcribant.

videretur. Quare neque tempori benefaciendi, neque vocationi, neque quantitati operum vllus eſt terminus, aut finis imponendus. Nam ſunt, qui huic ſiti modum

Aug. lib. 2. Confeſſ. ca. 7. 10. 2. ſub init.

præſcribant in tempore, vt Auguſtinus, qui in libro Confeſſionum, de ſe olim loquens: *Da mihi caſtitatem, & continentiam: ſed noli modò, timebam enim ne me citò exaudires, & citò ſanares à morbo cõcupiſcentia, quam malebam expleri, quàm extingui.* Hæc ille.

Iudith. 8.

Iudith illa prudentiſſima acerbè reprehendit certum numerum dierum diuinæ miſericordiæ.

Qui verò in vocatione.

Deinde alij ſibi rationem præfigunt in vocatione: nam cerrum vitæ genus carni conſonum, & plauſibile eligentes, obthurant oſtium, ne vocentur ad altiora, id eſt, ad Religionem, ad Caſtitatem, & paupertatem, dicentes: Satis mihi eſt, ſi vel pnſtremum, ac infimum in paradyſo ſortiar locum. Hinc infelices matrimoniorum, Sacerdotiorum, & Religionum electiones.

Greg. lib. 2. Regiſt. c. 100. tom. 2.

Et Gregor. epiſt. ad Mauritium Imperatorem ſcribens, ait: *Sunt plerique, qui niſi omnia reliquerint, ſaluari apud Deum nullatenus poßint.*

Qui tertiò eſuriem & ſitim iuſtitiæ in gradu determinent.

Tertiò ſunt, qui in gradu iuſtitię, & ſanctitatis legeni Deo ponant: vt qui tãtùm volunt orando vacare, tot eleẽmoſynas erogare; tantum temporis ieiuniis, vel delectui ciborum impendere. Sed profectò noſtrum non eſt, qui noſtri non

Pſalm 99.

ſumus, DEO, qui multis rationibus Dominus noſter eſt, legem præſcribere ſanctitatis: ſed vt ipſe eſt qui fecit nos, & non ipſi nos, ita eius eſt, iuſtiores nos, ſanctioresve pro ſua voluntate facere; noſtrum verò eſt illi per omnia obſequi, eiuſq́ue ſequi ductum.

Quartum genus hominum tepidè ac frigidè eſurientium, ac ſitientium iuſtitiā Dei.
Prouerb. 13.

Quartò ſunt, qui iuſtitiam amplecti deſiderant, verùm deſideriis neque fortibus, neque efficacibus, de quibus Salomon: *Vult, & non vult piger.* Verùm quę efficacia ſunt ad iuſtitiam aſſequendam deſideria, omnia adiumenta & præſidia, quæ norunt eſſe opportuna, alacri animo ſuſcipiunt: qualia ſunt, auditus verbi Dei, deprecatio, lectio ſacra, & denique Sacramenta, per quæ iuſtitia Dei ad nos deriuatur, vel perficitur. Non ergo vllo modo ex dictis, terminos diuinæ iuſtitiæ pręfigamus; ſed cum Apoſtolo, quæ retro ſunt,

Philip. 3.
Sine modo vt nos eſuriamus, ac ſitiemus iuſtitiam.

obliuiſcentes, ad anteriora nos conuertamus, maiores progreſſus faciendo per ſtudium bonorum operum, per legis præceptorum obſeruantiam, per pugnam continuam in mundum, carnem, & dæmonem.

B. Hier. tom. 9. in princ.

Vnde Hieronymus exponens hunc locum ait: *Non nobis ſufficit velle iuſtitiam, niſi iuſtitia patiamur famem; vt ſub hoc exemplo nunquam nos ſatis iuſtos, ſed ſemper eſurire iuſtitiæ opera*

intelligamus. Hæc ille. Beati ergo, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi per ampliorem iuſtitiam ſaturabuntur.

Tertium iuſtitiæ deſiderium, diuinæ illius ſcilicet & cœleſtis.

Tertium deſiderium ad eos pertinet iuſtos & ſanctos, qui huius vitæ iuſtitia non contenti, ad illam ſupremam & cœleſtem iuſtitiam adipiſcendam toto pectore incumbunt. Eſt enim iuſtitia hæc noſtra non ſine macula & ruga, cùm ſit ruga fomitis ac mortis, velimus nolimus, ſuſtinenda: cùm etiam ſit labes & impuritas venialium delictorum, propter quæ venialia, ait Bernardus, vniuerſam iuſtitiam noſtram ſimilem eſſe panno menſtruatæ; inſuper & periculum grauiorum & lethaliū criminum. Non contingit etiam in hac vita exacta illa, atque perfecta, quæ ex toto corde Dei præcipitur dilectio: vnde Auguſtinus libr. de ſpiritu & litera, capite vltimo ait: *Sed ideò nobis hoc etiam nunc præceptum eſt, vt admoneremur quid fide expoſcere, quò ſpem præmittere, & obliuiſcendo, quæ retro ſunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda eſt iuſtitia, multum in hac vita ille profecit, qui, quàm longè ſit à perfectione iuſtitiæ, proficiendo cognouit.* Hactenus ille. Cùm ergo illa, quæ expectatur in præmium iuſtitia, ab omnibus vitiis, atque defectibus ſit libera; cùm nihil coinquinatum poſſit in illam intrare ciuitatem, & abſolutiſſimam dilectionis Dei & proximi obſeruantiam præſtemus: rationis eſt, vt omnes iuſti ad illam poſſidendam aſpirent: qui quotidie dicunt, *Adueniat regnum tuum:* & Paulus, *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu:* & alibi: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto;* alio etiam loco vbi commemoraſſet iuſtitias ſuas, quas in hac vita fecerat, expectans illam in præmium, dicebat: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius.* Dauid etiam Rex aiebat: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Beati ergo qui eſuriunt, & ſitiūt iuſtitiam, quam poſſident cœleſtis Hieruſalem ciues: quoniam illa tandem implebuntur.

B. Bern. ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum à medio, & alibi.
Aug tom 3. poſt medium
In ea quę perficienda eſt iuſtitia, vt ait Auguſtinus multum qui in hac vita proficiat.
Apoc 21.
Matth. 6.
Philip 3.
Tali iuſtitiæ deſiderio flagrauerunt qui maximè Sanctorum.
Suprà. 1.
2. Tim. 4.
Pſalm. 41.

Quartum iuſtitiæ deſiderium paſtoribus Eccleſiæ conueniens, maximè ac viris perfectis.

Quartum deſiderium iuſtitiæ, ad perfectos etiam, & maximè prælatos, ac paſtores Eccleſiæ ſpectat: qui non ſolùm contenti iuſtitia ſua, illam quoque eſuriunt ac ſitiunt in proximo, imò & in Eccleſia, & toto mundo, vt omnia renouentur, & iuſtitiam colant: hoc autem non tantùm votis & precibus à Deo contendunt, ſed etiam vitæ exemplo, verbis & factis; præceptis & pœnis propoſitis, ſi ſuperiores ſint, qui leges ſtatuere poſſint, obtinere nituntur, neq; dicunt cum Caim, *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* quia intelligūt illud: *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo:* Et cum lege teneamur diligere fratres ſicut nos ipſos; eadem lege tenemur, pro eorum ſalute & iuſtitia ſolicitari atque laborare. Hinc illæ Pauli voces: *Filioli mei; quos iterū parturio, donec formetur Chriſtus in vobis:* item, *Adimpleo quæ deſunt paſſionū Chriſti, in carne mea, pro corpore eius quod eſt Eccleſia:* Atque alibi Galatas exhortans, inquit, *Alter alterius onera portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Vt enim Deus & Angeli in nobis eſuriunt iuſtitiam, ita perfecti quique, & maximè paſtores eſurire illam debēt in inferioribus; illorum eſt ſacrificare, doctrina & vita paſcere, cū in hoc ſolùm ſint à reliquis curis ſecularibus ſemoti, de quibus Dauid: *Sacerdotes tui induantur iuſtitia; & ſancti tui exultent* Horum ergo eſt, ſitire iuſtitiam primam in proximo peccatore; in eo verò, qui iuſtus eſt, iuſtitiam ſecundam; porrò in eo, qui proximus eſt morti, cœleſtem illam & glorioſam iuſtitiam: & in quauis illarum Deum ipſum, ſiue Chriſtum, & Spiritum ſanctum. Quanquam defectus amoris Chriſti, & zeli honoris eius, vitium etiam amoris proprij, ac ſtupor quidam nos, quo minus iſta cogitemus, aut faciamus, auocant, & ad falſam quandam & Phariſaicam iuſtitiam inclinant, quæ dedignationem aliorum criminum habet. Cùm vera iuſtitia, teſte Gregorio, commiſerationem aliorum habeat: imò exultant, cùm cæteris peccatoribus ſe audent comparare. *Non ſumus,* inquiunt, *ſicuti cæteri hominum, raptores, adulteri, iniuſti, & velut hic Publicanus:* ſimiles exiſtenti in celſiſſima turri, vnde ſpectet homines puſillos, velut formicas, non autem ſurſum aſpicienti, vt conſideret, quantum ad cœlum vſque ſibi viæ ſuperſit: ſic enim criſtas deponeret is, & pēnas glorioſi pauonis inſtar colligeret. Vnde Bernardus in ſermone quodam: *Alij,* inquit, *rā vehementer contra aliorum delicta zelātur, vt videri poſſent eſurire, & ſitire iuſtitiam: ſi eſſet apud eos de ſuis quoque peccatis idem iudicium: ſed nunc pondus & pondus vtrumque abominatio eſt apud Deum.* Secundò, error eſt eorum qui ſitiunt pro aliis iuſtitiam; ſiue amicis, ſiue conſanguineis, illaque in eis grauiter inſectantur, cùm ipſi interim ab illis ipſis vitiis, aut grauioribus nequaquā abſtineant. Sed iſti non ſunt conchæ, ſed potiùs canales nil ſibi tranſeuntis aquæ retinentes, ſicci & aridi manent, & ore ſe damnāt ſuo:

Geneſ 4.
Eccleſ. 17.
1. Ioan. 4.
Galat. 4.
Coloſ. 1.
Galat. 6.
Paſtores Eccleſiarum ... item eſurire, & ſitire iuſtitiā debent ... omnibus ſuis.
Pſalm. 131.
Vnde nam ... ſunt talis ac ſuis defectu in illis ſit.
Matth. 5.
Greg. hom. 34. in Euang. in prin. to. 2.
Luc 18.
In Phariſaicos alienæ præ ſua iuſtitiæ contemptores.
Bern. ſerm. 4. de aduent. Domini.
Prou. 20.
In alios item alienæ duntaxat, nō ſuæ iniuſtitiæ accuſatores, ac vindices.

Luc. 6.

de quibus Dominus: *Hypocrita*, inquit, *eijce primùm trabem de oculo tuo : & tunc perſpicies vt educas feſtucam de oculo fratris tui.*

Aliud eſuries, aliud ſitis iuſtitiæ. 1.Cor. 3. & Hebr. 5.

Diſtinguitur porrò eſuries à ſiti: nam eſuries difficiliùs expletur: faciliùs ſitis: & in Euangelio quidam vt inſipientes, edunt & bibunt, vt paruuli lac, id eſt, Chriſti humanitatem alentem & delectantem : qui verò progrediuntur, & proficientes ſunt, edunt panem verbi Dei, & veritatem Verbi incarnati, & opera digna Verbo efficiunt: bibunt verò perfecti, quia cum facilitate ardua & heroica opera aggrediuntur, & pati pro veritate, & virtute, tanquã calicis potiunculam aſſumere ſe exiſtimãt: ex quo Chriſtus ſuam, & aliorum mortem calicem vocabat. Vt enim viride lignum igni appoſitum, non tam citò abſumitur; ſecùs ſi ſiccum ſit: ita qui mundi amore, ſeculique cupiditatibus deſiccati ſunt, amore Dei facilè incenduntur. Vnde Bernard. ſerm. 2. de Annunciatio. Dominica: *Veruntamen*, inquit, *donec ſapit tibi veritas, non ſine difficultate ad interiora traijcitur. Vbi verò cœperis in ea oblectari : iam non cibus, ſed potus eſt, & ſine difficultate intrat in animam, quò videlicet ſpiritualis cibus intelligentiæ, potu ſapientiæ digeratur, ne ipſius interioris hominis artubus, id eſt, affectibus ſiccitate laborantibus, oneri magis ſit quàm vtilitati.* Hæc ille. Poteſt etiam diſtingui eſuries à ſiti : vt illa ſit imperfectorum, hæc perfectorum, & qui promptè, & cum delectatione operantur. Eſuries etiam, quæ eſt calidi, & ſicci, reſpicit verbum, quatenus fide firmat intellectum, & ad opera laborioſa & ardua, tanquam ad panem ſolidum, maximè verò ad iniuriarum patientiam propter Chriſtum inuitat: ſitis verò, quoniam frigidi & humidi appetitio eſt, ad verbum reſpicit, quatenus per ſpem vt aquæ potus refrigerat, & vt vinum per amorem lætificat, & inebriat, & maiorem ſitim ingenerat, & ad facilia dulciaque opera inducit.

Matth. 20. & infra 26.

Bern. in fin. ſermonis.

Eſuriei, & ſitis diſcrimen alterum.

Quã neceſſaria Chriſtianis omnibus eſuries, ac ſitis iuſtitiæ.

Tanta ergo beatitudine excitati eſuriamus, atque ſitiamus iuſtitiam : nolle ſiquidem primam iuſtitiam, nõ eſt aliud, quàm nolle egredi de Babel, ſiue reſpuere oblatã Regis filij dignitatem : rurſus nolle progredi in parta ſemel iuſtitia, quid aliud eſt, niſi poſt egreſſum de Babel, pergere in terram promiſſam non velle? Præterea cœleſtem illam coronam iuſtitiæ non affectare, quid aliud ſignificat, quàm egreſſum de Babylone, & in terram promiſſam proficiſcentem, in illam ingredi nolle. Poſtremò aliorum fratrum noſtrorum iuſtitiam, in illaque progreſſus non deſiderare, quid aliud erit, quàm bonos itineris habere comites nolle? & ſocios ſanctitatis habere non velle, Deumque & Chriſtum, & Angelos eius non imitari? Cùm ergo tantus eſuriendæ, ac ſitiendæ iuſtitiæ campus pateat, indignum eſt, & à Chriſtiano viro prorſus alienum, ſtuporis, & inſenſibilitatis, vt ſic dicam, affectu tangi, neque reſpicere in autorem iuſtitiæ fidei, & conſummatorem vitæ Ieſum, cui cum Patre & Spiritu ſancto honor, gloria, & æternitas in ſecula ſeculorum.

Hebr. 12.

TRACTATVS XIV.

In illa verba : *Quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Cur beati eſurientes, & ſitientes iuſtitiam.

I. Ratio.

DICENDVM primo loco, cur beati dicantur eſurientes, & ſitientes iuſtitiam : & quomodo tam pretioſa fames ſit excitanda. Ac vt à primo exordiamur; beatum efficit hominem hic appetitus iuſtitiæ, quia in primis vincit cæteras omnes cupiditates, vt cibi, gloriæ, diuitiarum, ſanitatis, vitæ ipſius & conſeruationis ſpeciei, quæ ob vehementem voluptatem, ardens & intenſa eſſe ſolet: nam multi ab vxoris congreſſu ſe abſtinuerunt propter iuſtitiam; & vt ait Dominus: *Sunt eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum.* Atque hic quidem naturalem appetitum Dei includit, qui eſt ante omnem noſtram cognitionem, & dirigitur ab intelligentia non errante, vt Philoſophi loquuntur: animalis autem, & rationalis appetitus eſt in ipſo homine; hic autem diuinus deliberatusque appetitus prædictum naturalem includens, tendit ad Deum maioribus viribus, quàm ſolus naturalis; valdeque eſt excellens & capax, minimeque corrugatus: vt enim docet Vercellenſis, Areopagitæ Dionyſij paraphraſtes; terrena bona & temporalia, pro paruitate ſua, cordis ſtomachum corrugant; ſpiritualia verò, pro ſua magnitudine, dilatant & amplificant. Proinde ait Dauid: *Dilata os tuum, & implebo illud*, & Paulus: *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt.* Habent autem cor dilatatum, qui, vt Deus, omnium prouidentiam habent, & quoad poſſunt, eorum ſalutem promouent, & qui in omnibus Dei iudiciis requieſcunt: de quo quidam illud Dauidis ſic exponunt: *Extendens cælum ſicut pellem: qui tegis aquis ſuperiora eius.* Cęlum, vocat mentem, quæ inſtar pellis multitudine, magnitudine donorũ dilatatur, vt aqua Spiritus operiatur.

Matth. 19.

Duplex appetitus iuſtitiæ. Diuinus, volũtariusq́; ac naturalis, ſiue rationalis.

Diuini illius præ altero appetitus excellentia.

Pſalm. 80.

2.Cor. 6.

Pſal. 103.

II. Ratio.

Secundò, beatus eſt eſuriens iuſtitiam: quia

quia à ſe expellit plenitudinem ſuperbiæ, qua ſibi quiſque complacet, ſeq; ipſo contentus eſt, & dicit, quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: cùm tamen ſcriptum ſit: *Diuites dimiſit inanes*: &, *Non veni vocare iuſtos*: id eſt, tales ſe ipſos ducentes ac profitentes, ſed modeſtos, & ſe peccatores agnoſcentes. Sunt enim inſtar vtris inflati, & non ſolidè tumentis, ſecundùm Auguſtinum, qui punctura, aut ſaltu in altum, & motu ponderis probatur: ita eſt de falſa iuſtitia, de qua dictum eſt Regi Balthaſar: *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* Talis erit Pbariſæus ille, plenus in oculis ſuis, ſed in oculis Dei vacuus: cui dici illud poterat Apocalypſis: *Non enim inueni opera tua plena coram Deo meo.* Vt ergo vter punctus, rumpitur, & in altum facilè ſalit, & leuiter quo velis mouetur: ita ſuperbus ſi tantillum pungatur, prę impatientia frangitur, & in altum erigitur per arrogantiam, deq́ue ſtatione virtutis leui de cauſſa mouetur. Quemadmodum autem quo vas plenius eſt, eo minus locum exhibet vento, & vbi omninò plenum eſt, nullum: ita qui repleti Spiritu ſancto dicuntur, nullum ventum vanitatis admittunt: qui verò ſemiplenus eſt, periculo expoſitus exiſtit inanis gloriæ. Proinde oremus Dominum, vt impleat omnia noſtra, ne ſeptem annos abundantiæ, quã nos ſomniamus veluti diuites, & plenos, ſequantur ſeptem famis anni interminati, quibus anima perpetuus erit cibus dæmonum.

Apoc. 3. *Luc. 1.* *Matth. 9.* *B. Auguſt.* *Dan. 5.* *Luc 18.* *Apoc. 3.* Superbi quã ſimiles vtri. Humiles cõtra quales vtres. *Geneſ. 41.*

Eſt etiam beatus eſuriens, quia expellit multitudinem humorum, præſertim negligentiæ, & tepidatis, quæ mater eſt, & fomes omniũ vitiorum, ob quem nos Deus euomit de ore ſuo: ac vt fera peſſima deuorauit Ioſeph, ita temporis peſſimũ vitium, omne virtutum augmẽtum deuorat. Sunt autem tepidi animi ſigna, detrahere vocationi, in quam quis vocatus eſt; cùm iuſtus ſe ipſum, non autem ſtatum accuſare ſoleat: loqui libenter de Chriſti Cruce, & martyrum tormentis; & nihil velle pati. Ore inuocare Spiritum ſanctum, imò hymnis diuiniſq́ue officiis; & obicem illi ponere: Frequenter confiteri, neque vnquam de quibus corrigitur, emendari: Aſſiduè communionem Euchariſtiæ ſuſcipere, & cor coniunctum cum Deo nũquam habere: Dei verbum frequenter audire, factis autem quod audit, nequaquam exprimere: Peccata leuiora, ex quibus gradus fit ad maiora, & grauiora, non magni facere: cùm ſcriptum ſit: *Qui minima negligit, paullatim defluet*: Parem ſe aliis in ſanctitate facere, aut etiam præferre: Ad aliorum, vel minimos defectus, habere oculos lynceos; ad proprios autem, vel grauiſſimos, lippos, cœcoſq́ue. Aliorum laudibus intus torqueri, ad proprias verò exultare. Iſti, totius mundi iudices fiunt, & cenſores, præterquam ſui ipſorum: cùm vera virtutum eſuries in eo ſita ſit, vt ſe nihil eſſe exiſtimet coram Deo: vt ſeipſum in principio ſermonis accuſet, & aliorum defectus, neque detegat, neque aſpiciat. Beatus eſt ergo eſuriens, quia purgato palato animæ à prauis peccati humoribus, eſurit, & ſitit, id eſt, delectatur iuſtitia, quia gaudium eſt iuſto, facere iuſtitiam: Contrà verò anima ſaturata bonis huius mundi atq; peccatis, calcauit fauum, dicetq́ue cum Iſraëlitis de diuino illo cibo: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.*

Eſurientes quoq; ac ſitientes iuſtitiam, quam felices. *Geneſ. 37.* Tepidi animi plurima ſigna proferuntur. *1. Cor. 9.* *Eccleſ. 19.* Veræ ac perfectæ eſuriei virtutum indicium. *Prouerb. 18.*

Tertiò, ſatisfacit quoque hic appetitus iuſtitiæ fami, & ſiti, quam quis in ſtatu peccati habebat: nam in AEgypto erat fames, & in regione longinqua, in qua ſeceſſit prodigus, facta eſt fames valida: & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant: & nemo illi dabat: *Diuites eguerunt*, Vates inquit, *& eſurierunt*: &, *Vẽter impiorum inſaturabilis*, quia auaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Itaque huic eſuriei reſpondet in iuſto eſuries iuſtitiæ, iuxta illud Apoſtoli: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete mẽbra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem.*

III. Ratio. eſurientes ac ſitientes iuſtitiam, cur beati. *Luc. 15.* *Pſalm. 33.* *Prou. 13.* *Rom. 6.*

Quartò, hęc eſuries traducit ſecularium hominum ſapientiam, qui iuſti ſimplicitatem irrident, & ardens comparandarum virtutum ſtudium: quare Dominus promittit ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum. Excedit prætereà Philoſophorum in conſtituendo medio virtutum ſapientiam, quia in his quæ carni ſunt contraria, medium infimum, & carni proximum inuenerunt: proinde non attigerunt ad virtutem virginitatis, vel paupertatis, vel humilitatis, vel eius mititatis, qua quis ab omni ſui defenſione ſe abſtinet: quocirca in his, quæ ferè ſunt carni conſona, ac conformia, verſabantur. Excedit etiam legis iuſtitiam: nam apud Iudæos erat fames gloriæ, & temporalium bonorum, ac abundantiæ filiorum, nequaquam autem ſpiritualium. Vnde Paulus eiuſmodi iuſtitiam à ſe abiicit, dum ait: *Vt & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt.* Noſtra verò, ad æterna, & ſpiritualia bona in ſe, & in aliis comparanda, & augenda contendit: hinc illa erat externa iuſtitia, hæc

IV. Ratio. *Ioan. 14.* Error Philoſophorum, legiſq; defectus in conſtituẽda perfecta iuſtitia. *Philip. 3.* *Rom. 3.*

interna.

interna. Illa erat lex factorum, hæc fidei. Illa literæ, hæc Spiritus.

V. Ratio. beatitudinis eſurientium iuſtitiam.

Quintò, hic iugis appetitus iuſtitiæ, commenſuratus eſt non ſolùm ipſi iuſtitiæ Chriſti, quæ infinita eſt, quæ nunquam exhauritur, quo magis deriuatur, nec tantùm ipſi danti Deo, qui infinitus eſt, & infinita magnificentia, ac beneficentia præditus exiſtit, ſed etiam proportionem habet ad ipſos habentes, id eſt, ad nos, qui non tantùm corpore & ætate, ſed etiam artibus, diſciplinis, virtutibusque indies creſcimus & proficimus, neque ſumus apti, vt omnia ſimul comprehendamus.

Sexta ac poſtrema ratio ab effectis talis eſuriei. *Luc. 7.* *Matth. 26.*

Poſtremò affligit, patique facit propter iuſtitiam hic appetitus, fletumque efficit in peccatoribus iuſtitiam quærentibus, vt conſtat de Dauide, peccatrice, & Petro: augmentum etiam iuſtitiæ, ſine dolore aliquo, & ſui victoria, & labore in extirpandis vitiis, atque comparandis virtutibus, non contingit. Porrò, deſiderium iuſtitiæ, aliis luctum, & lachrymas interdum excutit, hinc Paulus dicebat: *Timeo, ne iterum, quum venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex iis, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.* Denique extrema pati, tùm pro ſe, tùm pro aliis facit, ſecundùm illud: *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia.* Et hactenus de cauſis, propter quas eſurientes dicuntur beati.

2. Cor. 12. *Eccleſ. 4.*

Vnde primùm excitetur eſuries ac ſitis iuſtitiæ.

Iam dicendum eſt de his, quæ tam pretioſam famem ac ſitim excitare queunt: ſunt autem non pauca. Et in primis quidem inedia terrenorum, & temporalium bonorum eſuriem hanc efficit: ait namque Eſaias: *Domine, in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Quare Euſeb. lib. 8. de demonſtratione Euangelica, Deum aſſerit diſtuliſſe Chriſti aduentum, & prius mundum vexaſſe diluuio, ignibus, bellis, vt ſyluam agreſtem: vt pacem daret ſuo tempori, & ſatiaretur mundus ſub Auguſto, nato etiam Chriſto dicitur: *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Hinc filius prodigus fame afflictus ad menſam patris rediit: & ſicut qui mane parcè prandet, deſiderio cœnæ tenetur: ita abſtinentia terrenorum, gignitur fames iuſtitiæ. Deinde generatur hęc fames inchoatione, multi etenim propterea non guſtant quia non incipiunt guſtare, nam inſurgeret fames, vt in cibo corporali. Ideò Petrus hortatur: *Sicut modò geniti infantes, rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite,* rurſus: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Tertiò, vt corporis exercitio fames cibi redire ſolet, ita exercitio virtutum eſuries ſpiritus. Ideò exerce te ipſum ad pietatem, & inſurget amor iuſtitiæ, charitatis, fidei, patientiæ, perſeuerantiæ. Propterea pulchrè dicitur à Dauide: *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum: & defecit ſpiritus meus,* ſcilicet præ fame eius, & ſubdit: *Et meditatus ſum nocte cum corde meo: & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum,* id eſt, purgabam à repletione carnis, & mundi, vt eſurirē Deum. Quartò, excitare debet eſuriem ſpiritus, tantum gloriæ præmium, quantum propoſitum eſt eſurientibus. Hinc Stephanus vidit cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis DEI: quemadmodum ſalſum condimentum excitat famem corporis. Formica in æſtate congregat quod edat in hyeme: cuius exemplo nobis hic operandum eſt quod poſt hanc vitam edamus: vt docet Aug. in Pſal. 36. Manna etiam ſex diebus colligitur, non in die Sabbathi, quia hic præparandum, & colligendum, quo fruamur in cœleſti gloria. Impij dicunt: *Manducemus & bibamus; cras enim moriemur.* Nos verò dicamus, Eſuriemus & ſitiamus: cras enim comedemus, & bibemus, & ſaturabimur: nō videre bona quæ hactenus fecimus, neque quantum comedimus, ſed longum iter, quod facturi ſumus, & gratiæ dandæ copiam, & cibum iuſtitiæ, qui adhuc non eſt à nobis eſus: pariter conſiderare quātum diſtemus in charitate à Chriſto, in obedientia ab Abraham, in manſuetudine à Dauide, in patientia à Iobe, in miſericordia à Tobia, in fide à Centurione, in remiſſione iniuriarum ab Stephano, in dolore & pudore de peccatis à peccatrice, in pudicitia à Ioſepho, & Suſanna. Quintò, excitatur fames ſpiritus, conſiderando eſuriem malorum, & peccatorum, qui tantoperè pro ſiliquis porcorum affliguntur, ac pro rebus caducis & momentaneis tot labores ſubeunt, tantisq; periculis ſe exponunt: conſiderando inſuper dæmonis inſatiabilem appetitum, qui circuit tāquam leo rugiens quærens quem deuoret, vt nos perdat. Sextò, conſideratione iuſtorum, quorum deſiderium eſt omne bonum, & qui viri deſideriorū ſunt, vt Daniel: de quibus Salomon, *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectam diem.* Iuuat quoque videre beatos, qui edentes eſuriunt, atque pro noſtra iuſtitia perficienda iuges preces offerunt: & inter hos maximè expedit videre Chriſtum, qui cum puer eſſet, proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines; & cùm grandior eſſet, ſitiebat noſtram ſitim, & eſuriebat noſtram eſuriem.

Eſai. 26. *Euſeb. cap. 1.* *Luc. 2.* *Pſal. 71.* *Luc. 15.*

Altera efficiens cauſſa eſuriei, ſitisq; iuſtitiæ.

1. Pet. 2. *Eccle. 24.*

Tertia.

Pſalm. 76.

Quarta.

Actor. 7. *Prouerb. 6.* *B. Aug. concione 2. ante mediū to. 8.* *Exod. 16. & ſeq.* *1. Cori. 15.*

Quorum nobis ſanctorū virtutes varias Scriptura proponat ad imitandū.

Geneſ. 22. *Pſal. 131.* *Iob. 1.* *Tob. 12.* *Matth. 8.* *Acto. 7.* *Luc. 7.* *Geneſ. 39.* *Dan. 13.*

Quinta.

1. Pet. 5.

Sexta.

Dan. 9. *Prouerb. 4.* *Luc. 2.*

Eſurierit & ſitierit iuſtitiam quando Chriſtus.

Ioan. 7. Matth. 11. Luc. 12. Ioan. 19.

riem. *Si quis*, inquit, *ſitit, veniat ad me, & bibat*: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos*: & de baptiſmo, quo erat in Cruce baptizandus propter noſtram iuſtitiam, aiebat: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor, vſque dum perficiatur.* Idem in Cruce ſalutis noſtræ deſiderio incenſus clamauit: *Sitio*, & in ea ſaturatus eſt opprobriis, vt ſaturaret nos iuſtitia, atque vt doceret, omnem iuſtitiam pro Chriſti honore, & fratrum ſalute nobis eſſe implendam.

Septima eſuriei, ac ſitis iuſtitiæ cauſſa.

Septimò, excitatur contemplatione pulchritudinis iuſtitiæ, quæ iuſtam animam reddit, nec non Chriſti ſponſam, & beatam. Eſt enim iuſtitiæ ſplendor maximus, non Heſperus, non Lucifer, non Sol tam clarus ac iuſtitia, teſte Ariſtotele libr. 5. Ethicorum. Plato etiam dixit: *Si iuſtitia conſpici poſſet, miros ſapientibus excitaret amores ſui.* Atque hoc quidem de humana: quid dixiſſet, ſi diuinam iuſtitiam cognouiſſet? Eſtque neceſſaria iudicibus: *Diligite*, inquit, *iuſtitiam, qui iudicatis terram.* Eſt Regum ornamentum, quia miſericordia, & iuſtitia confirmant thronum Regis: Commendat viros Dei, vnde Paulus ait: *Tu autem homo Dei, ſectare iuſtitiam.* Dum viuimus, exercenda: *Ante obitum tuum*, inquit, *operare iuſtitiam*: In morte ſeruanda, quia virum iniuſtum mala capient in interitu, & ille dicebat: *Moriatur anima mea morte iuſtorum*: In iudicio ſine iuſtitia, comparere non debemus, quia iuſtis tantùm datur corona iuſtitiæ, & ſeminanti ad iuſtitiam merces fidelis, & Iacob dicebat: *Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea*: nam hodie, tempus eſt operandi, & cras, recipiendi præmium. Denique iuſtitia, hominem Deo ſimilem reddit, reſtituitque ad ſtatum, innocentiæ, in quo homo rectus non tantùm corpore, ſed & animo conditus à Deo eſt: Cuſtodit à culpa, vnde dicitur lorica iuſtitiæ à Paulo: reſtringit concupiſcentiam boni tranſeuntis, & temporalis, ob id zona vocatur, & cingulum lumborum iuſtitiæ, Eſai. 11. Demum inter latrones, ſine adiumento iuſtitiæ, vita conſtare non poteſt: vt rectè propterea dixerit Cicero libro 2. de Officiis: *Tanta eſt vis iuſtitiæ, vt ne illi quidem, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, ſine vlla iuſtitiæ particula viuere poſſint.* Qui ergo luminibus intellectus hæc præconia, & alia innumera, quæ volentes ſuppreſſimus, ornamenta iuſtitiæ conſideraret, profectò eius conſequendæ, atque perficiendæ amore excitaretur.

Philoſoph c. 1. in fine, to 3. Socrates in Phædro Platonis. Sap. 1. Prouerb. 25. 1. Tim 6. 2. Tim. 2. Eccleſ. 14. Pſalm 136. Num 23. 2. Tim. 4. Geneſ. 30. Eccleſ. 7.

Iuſtitiæ quibus à Paulo & Eſaia commendatur, iuſtitia cognomenta.

Epheſ 6. Eſai. 11.

Iuſtitiæ quãta vis Ciceroni. *M. Tull.*

De eſurientium, & ſitientium ſaturi-

Poſtremò, de præmio differendum eſt: *Quoniam ipſi*, inquit, *ſaturabuntur.* Deſiderium enim ſi compleatur, delectat animam, vt dicitur Prouerbiorum 13. Verba hæc ſatiandi, & ſaturandi, ab aduerbio ſatis deriuantur: & quanquam priùs ad animum, ſecundum ad corpus ſpectare doceant Grammatici: interdum confunduntur tamen, etiam apud bonos autores, vt hoc loco, id eſt, ſaturabuntur, & in alio loco: *Anima ſaturata calcabit fauum.*

-tate diſſeritur. *Prou. 13.*

Satiari, & ſaturari, non ſemper in Scripturis diſtinguuntur. *Infrà 27.*

Saturantur ergo iuſti in primis bonis terrenis, quoniam Deus abundè largitur, ad ſatietatemque affectus noſtri ad gloriam cœleſtem tendentis, atque contemnentis quæ mundi ſunt. Qui enim cœleſtium tenentur amore, faſtidiunt terrena, vnde ſcriptum eſt: *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Secùs erat de orationibus Patrum Veteris Teſtamenti, quæ pactum habebant temporalium bonorum: vt Auguſtinus docet in prædictum locum Pſalmi: Pauca etiam, quæ Deus donat, amore condit, ita vt ſatient iuſtum. Et meritò: quia qui paſcit Chriſtum, promiſſionem habet, vt paſcatur à Deo. *Primùm quærite*, inquit, *regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adiicientur vobis*: &, *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas.* Iuſteque hoc facit Dominus, vt iniuſti confundantur, qui nullum non admittunt peccatum, vt ſaturentur, etſi in mediis aquis poſiti, vt Tantalus, perpetuò ſitiant.

Pſalm. 36. B. Auguſt. Matth. 6. Pſalm. 36.

Deinde ſaturantur hic cœleſtibus, ac ſpiritualibus, videlicet bonis operibus, de quibus: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me Patris*: & fructu gratiæ, de qua: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Saturantur etiam eſurientes ac ſitientes iuſtitiam, quoniam in eiuſmodi eſurie ſancta ac ſiti poſita eſt noſtra perfectio: vt his elegantibus verbis docet Bernardus epiſtola ad Abbatem Garinum Alpenſem: *Porrò*, inquit, *vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur. Vnde eſt illud: Charitas nunquam excidit*: & item, *Patientia pauperum non peribit in finem*: &, *Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi. Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit, Satis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper, quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui. Audi denique vocem iuſti: In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas: quia in ipſis viuificaſti me*: & rurſum: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum.* Non

Secunda ſaturitas iuſtorum. *Ioan. 4. Ibidem. B. Bern. epiſt. 253. propè initium. 1. Cor. 13.*

Veræ virtutis conditiones, ex Bernardo. *Pſalm. 9. Pſal. 18. Pſal 118. Ibidem.*

igitur

Pſal. 111. *Sap. 4.*

igitur ad tempus. Proinde iuſtitia eius manet non aliquanto tempore ſed in ſeculum ſeculi: Sempiterna itaque iuſti eſuries, ſempiternam meretur refectionem. Et licèt in breui conſummetur pro tempore, iudicatur tamẽ expleſſe tempora multa pro virtutis perpetuitate. Et infra: *Itaque indefeſſum proficiendi ſtudium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quòd ſi ſtudere perfectioni, eſſe perfectum eſt: profectò nolle proficere, deficere eſt. Vbi ergo ſunt qui dicere ſolent, Sufficit nobis, nolumus eſſe meliores quàm patres noſtri?* Hactenùs ille. Iuſtitia etiam, quę omnem amplectitur virtutem, omnis ſapor eſt: ideo Dauid dicebat: *Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Chriſtus item, cùm in virtute, & iuſtitia inhærente appetatur, omnes voluptates ſpiritus, & delectationes in ſe eminentiſsimè habet. Hæc autem diuina dona non capit, qui non deſiderat: nec deſiderat, qui non nouit; nec rurſus illa conſeruat. Proinde dicebat Dominus: *Sedete in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto*: Deus enim eſt, qui replet in bonis deſiderium noſtrũ. Ideo magnum Dei donum, magna ſunt deſideria, ſi in illis nequaquàm quieſcamus. *Nam deſideria*, inquit Sapiens, *occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari*, & in deſideriis homo ſemper eſt otioſus; & væ eſt prægnantibus, & nolentibus parturire, aut parere. Quædam etiam deſideria peculiaria, ac ſancta Dei ſunt, vt Dauidis ædificandi Templi, & Abraham immolandi filij, & Pauli eundi Romam, & pluries impediti, tametſi non impleantur, quia Deus impedit, & in aliis, quæ magis ad Dei gloriam ſpectabant, occupauit; haud ſunt tamen ſine magno merito apud Deum: & deſiderium martyrij, quo anxiè ſolicitati ſunt beati viri, Franciſcus, & Dominicus, præmium ſuum apud Deum habent repoſitum. Ex hac autem plenitudine donorum ſpiritus noſtri interna, eructant Sancti extra, ſecundùm illud: *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: & iuſtitia tua exultabunt*: Cùm enim recordantur internæ iuſtitiæ, quaſi eructant foris ad alios: vt Apoſtoli, qui in die Pentecoſtes pleni erant, & in precatione laudant Dominum: *Eructabunt*, inquit Dauid, *labia mea hymnum, quum docueris me iuſtificationes tuas.* Poſtremò, ſaturabuntur in gloria cœleſtibus bonis, quia ibi perfecta, & omnibus numeris abſoluta iuſtitia erit: nihil ibi erit inquinatum, aut ſordidum, & ideo Propheta ait; *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*: & Dominus: *Ego*, inquit, *diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*: ibi enim verba Eſaiæ locum habent: *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibẽt, & vos ſitietis: ecce, ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce, ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.* Erit enim felicitas completa, non in anima ſolùm, ſed in corpore ſuſcitato, & dotibus glorioſis conſpicuo. Ibi erit plenitudo, quia nihil deerit, vel poteſtatis, vel honoris, vel ſcientiæ, vel amoris, vel perpetuitatis: erit perfecta eructatio, à ſacietate profecta, vnde & miſericordias Domini in æternum cantabunt: erit & ſatietas cum fame ſitique cõiuncta, ne fortè plenitudo nauſeam, & tædium pariat: vnde de Angelis aſſerit Petrus: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, & Salomon: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.*

Tertia ſaturitas eſurientiũ & ſitientium iuſtitiam.

Pſal. 18.

Luc. vlt. *Pſal. 102.*

Mala quorũdam eſuries, ac ſitis iuſtitiæ.

Prouc. 21.

Matth. 24.

Quorum eſuriem bonam, ac ſitim iuſtitiæ, tamen Deus ſaturare voluerit.

2 Reg. 7. *Geneſ. 22.* *Rom. 1.*

Signum ſaturitatis iuſtorum euidens in hac vita.

Pſal. 144. *Actor. 2.* *Pſal. 118.*

Quarta ſaturitas iuſtorũ.

Apoc. 21. *Pſal. 16.* *Lucæ. 22.* *Iſai 65.*

Beatorum quanta ſaturitas.

Pſal. 88. *1 Pet. 1.* *Eccle 24.* *Ioan. 4.*

Cùm verò dicitur: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*: intellige de ſiti temporalium bonorũ cruciante; non autem de ſiti æternorum delectante: cuius ſitis cauſſa eſt, in primis æternorum infinitas bonorum, quæ quidem & ſatiat, & ſimul ſitim excitat. Deinde: vt pulchrè docet Nicolaus de Cuſſa, non eſt conuerſio cibi in alitum, ſed potiùs aliti hominis in Deum cibum. Cibus enim noſter inferior eſt corpore, quod illo paſcitur: at Deus longè eſt ſuperior anima noſtra paſcenda; quare eſſe in gloria, nihil eſt aliud, quàm deificari, vt ſic dicam, ſiue transformari in Deum. Ad hæc, vbi ſemper eſt conueniens obiecti proportio eodem modo ſe habentis; & potentiæ ſtabilis, & fixæ, ibi nulla poteſt eſſe in edendo nauſea, aut faſtidium: ſecùs modò, vbi vel potentia relaxatur, vel obiectum mutatur, vt in muſica, cibo, ac venereis voluptatibus contingit: quare hîc non poteſt eſſe ſatietas niſi cum faſtidio. Item, illius iuſtitiæ diuinæ, quæ cibus eſt beatorum, nulla ſunt prorſus excrementa, quæ reiicere oporteat, vt in cibo iſto noſtro contingit: vnde magnum ſit oportet augmentum, quod beato edenti accedet. Hinc Gregorius Nyſſenus in hanc beatitudinẽ dicit: *Quemadmodum enim inſenſibili cibo, ſi nihil eorum, quæ nutrimenti cauſſa ſumuntur, pro excremento eijceretur, ſed totum ad adiectionem corporeæ proceritatis aſſumeretur, quotidiano nutrimento per ſeſe adaugente magnitudinem, in multam proceritatem corpora excreſcerent, & attollerentur: itidem illa iuſtitia, & omnis vnà cum ea virtus, quoniam ſecundùm eum qui mente percipitur, cibi modum comeſta non egeritur, altiores ſemper per ſe participantes efficit,*

Illud: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, de temporalium ſiti bonorum tãtummodò eſſe accipiendum, multis oſtenditur.

Nicol. de Cuſſa.

Cœleſtis eſus potuſque, & terreſtris diſcrimina.

Greg. Nyſſ. in fine huius tractatus.

ſui ſemper adirectione magnitudinem augens. Sic ille perpulchrè. Saturabuntur ergo beati, non ſolùm io Deo, & CHRISTI humanitate, & in Angelis & Beatis, ſed etiam in omni creatura renouata iam atque perfecta. Nam ibl fluminis impetus lætificat ciuitatem Del, & torrente voluptatis ſuæ, id eſt, Deo ipſo, & non ex aliquo vaſculo donorum creatorum Deus beatos ſitientes potat.

Pſalm. 45.
Pſalm. 35.

Qualis huius vitæ pţæ cœleſti ſaturitas iſtorum.
Ibidem.

Eſtque illa gloria nobis hîc, tanquàm ientaculum matutinæ lucis, in cœlo verò, vbi in lumine Dei videbimus lumen, prandium meridianum; cæterum in iudicio, vbi ad animam accedet corpus, atque illi vinculis indiſſolubilibus coniungetur, erit cœna illa magna Euangelica, ad quam Dominus vocauit multos: inter quos nos quoque vocatos eſſe non ignoramus. Sed vt vocationem noſtro vitio non fruſtremur, tum in nobis ſitum eſt, tum præſertim in diuina gratia: cui ne deſimus, omnibus votis à nobis precandus eſt, & inuocandus ille ſalutis noſtræ ſitientiſsimus IESVS CHRISTVS Dominus noſter, cui par ſit cum patre, & Spiritu ſancto gloria in ſecula ſeculorũ, Amen.

Luc. 14.
Hebr. 12.

TRACTATVS XV.

In illa verba: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

CVM extrema duo hominum peccata inueniantur, per quæ ſtulti gradiuntur, nempè ſuperbia, & puſillus ac deiectus animus: contra illa Deus Opt. Max. duo egregia epitheta ſibi attribui voluit: dicitur enim iuſtus, & Miſericors, ſecundum illud Prophetæ: *Exortum eſt in tenebris lumen rectis, miſericors, & miſerator, & iuſtus.* Iuſtus quidem in ſuperbos, miſericos verò affectu, at miſerator effectu erga puſillanimes. Cùm autem Deus nos velit ſibi ſimiles reddi, cùm priori beatitudine noſtrã deſideraſſet iuſtitiam, præſenti nos ad miſericordiam hortatur, dicendo: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Qua de beatitudine dicturis nobis primùm conſiderandus eſt ordo, ſiue continuationis ſeries; deinde, quid nomine re miſericordia; & quibus impertienda, explicandum; tertiò, quo iure aut obligatione ad eam communicãdam obſtringamur. Poſtremò, quod ſi eius præmium hoc loco à Domino propoſitum.

Deus cur iuſtus appelletur, & miſericors, ac miſerator.
Pſal. 111.

Ad id igitur, quod primo loco eſt propoſitum, reſpôdeo, quòd vt in ſcala Iacob varij erant gradus; & iuſtus aſcenſiones in corde ſuo diſponit; ita magna ſapientia iſti gradus beatitudinem conſtituti ſunt à Domino. Miſericordia ergo rectè poſt iuſtitiã ſequitur, quia eius comes indiuidua eſſe ſolet. Iuſtitia enim ſine miſericordia, ſeueritas; miſericordia ſine iuſtitia, remiſſio eſt. Ideo vtramque virtutem Deus infinito modo poſsidet, de quo eſt illud: *Vniuerſæ viæ Domini: miſericordia, & veritas:* vtramque erga nos magna ſuauitate exercet, ita vt vtriuſq; laudes celebrare debeamus, ſecundùm illud: *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine:* & nos proximo impendere debemus vtramque. Et eſurie quidem iuſtitiæ illi bona deſiderãda ſunt; ſicut miſericordia eius mœrendum malis: vt his beatitudinibus duabus tota lex Naturæ abſoluatur, quæ habet: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & quod tibi vis fieri, alteri facito.* Præcedit autem iuſtitia miſericordiam: quia prius debitum reddendum, poſteà indebitum donandum, vt ſit recta diuiſio; ne faciamus ex rapina eleèmoſynam, vel holocauſtum: nam ingratum erit Spiritui ſancto quicquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. Ad hæc, rectè eſuriem iuſtitiæ ſequitur miſericordia: nam deficiens noſtra iuſtitia, & tanquàm pannus menſtruatæ ob venialia delicta, quibus eſt coniuncta, ſecundùm Bernardum, eget Dei miſericordia: neque Deus magnam ſuam miſericordiã donare decreuit, niſi vtẽti miſericordia ſua, quæ modica & exigua eſt, ergo proximum. Hinc illud: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* & conſeruis dimitti à nobis centum denarios pro decem mille talentis, quæ ipſe remittit, magna ratione decreuit. Tu ergo debes ignoſcere iuſtitiæ proximi deficienti, & ille tuæ imperfectæ ignoſcat, atq; vtrumq;, pro charitatis merito, ſua magna remuneret Deus miſericordia.

Quæ ratio ordinis huius beatitudinis cum præcedenti.
Geneſ. 28.
Pſalm. 83.
Pſalm. 24.
Pſalm. 100.
Tob 4.
Matth 7.
Iuſtitiam ſequitur miſericordia dupliciter.
B. Berna. ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum à medio.
Matth. 6.
Infra 14.

Ad ſecundum dicẽdum, miſericordiæ nomen, alienæ miſeriæ commiſerationem denotare, eamque ad molle cor ſuum, tanquàm oleum trãsfert: hinc appellata, quòd miſerum cor faciat aliena miſeria. Quod ad rem verò attinet, dicendũ de ea, & quatenus paſsio eſt, & quatenus virtus. Miſericordia igitur, ſecũdùm Damaſcenum libro 2. ſpecies triſtitiæ eſt, ſiue triſtitia in alienis malis. Cicero 3. Tuſculana ait: *Quemadmodum miſericordia ægritudo eſt ex alterius rebus aduerſis, ſic inuidẽtia ægritudo eſt ex alterius rebus ſecũdis* Sic ille. Eſt enĩ ſpecies quędã triſtitię, qua dolemus de eo malo, quod

Quid nomine, & re miſericordia.
Damaſcen. cap. 14.
M. Tull longè ante mediũ.
Duplex malum hominis

accide-

dignum com miſeratione.

accidere videtur immerenti: quod quidem malū aut corrumpit corpus, vt mors, morbus, ſames ſitis, torméta, plagæ, ſpoliatio, deſormitas, & membrorum truncatio: aut mentem fœdat, nam miſeramur tardos ingenio, rudes, ſtultos & improbos. Immerentes autem malorum, opinione noſtra illi ſunt, aut boni viri, innocétes, & ſimplices, vt ſunt Inſantes, & mente capti, aut impares etiam malis, vt pueri, fœminæ, ſenes, ægroti, delicati, & qui magnis laboribus premuntur, magna etiá fortuna deturbati, vt hæredes, & ad magiſtratum deſignati, ſi immatura morte præueniantur: pericula item, quia malis proxima, miſericordiā excitant, vt bellum, nauigatio, via latronibus expoſita. Adhæc, ſimilitudo συμπαθείαν atq; cómiſerationé efficit, vt erga ſimiles ætate, moribus, ingenio, dignitate, genere: quippe inter ſimilia facilis eſt tranſitus. Hinc rogatus Philoſophus quidam, cur diuites plus elargiatur cæcis, & ſurdis, quàm Philoſophis egentibus, acutè reſpódit: *Quia diuites*, inquit, *homines ſe cæcos & ſurdos potiùs futuros putant, quàm Philoſophos*: ex quo fit, vt diuites, qui ſe exemptos à communi ſorte putant, duri ſint & immiſericordes. Ieſus verò, vt Paulus ait, debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deū, vt repropitiaret delicta populi. Efficiunt autem miſericordes & ſympaticos homines, cordis mollities ac teneritudo, vt in pueris & fœminis, quę interdum pendétes debitas pœnas, etiam latrones ac parricidas miſerantur. Experientia malorum etiam idem facit: vnde quædam Regina dixit:

Qui ferè dolori ſuccumbant.

Similitudo cauſa cómiſerationis in quibus.

Diuites cæcis & ſurdis quàm Philoſophis, vt eorum vnus dixit, cur magis largiantur.

Hebr. 2.

Quę res quos faciant ad miſericordiam pruniores.

Dido apud Virgil. 1. Aeneid. à medio.

Non ignora mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Generoſi ac ſimplices facilè tanguntur miſericordia, vt Principes, iuuenes, impudentes, inexpertiq́; facilè miſeratur de paruis malis: qui verò prudentes ſunt & edocti, de magnis malis, & de iactura animarum dolent, vt Sancti; de paruis autem, id eſt, corporum & fortunæ malis, non curant, niſi quatenùs ſpectant ad animos.

Contra Stoicos, miſericordiā, ægritudinem animi eſſe, ac vitium, opinantes.

Apparet ergo magna Stoicorum ſtultitia, qui hunc affectum, vt ægritudinem quandam bono & honeſto viro indignā, ſuis quibuſdam cauillatiunculis tollere de medio volebant: cùm nihil magis naturæ hominis conueniat, quàm malis aliorum mœrere, afflictoſq́; miſerari; vel tollenda eſſet naturæ congruentia, ſimilitudo morum, & amor, qui facit ſibi cómunem dolorem amici, fruſtrà eſſent oculi dati ad ſpectandas alienas calamitates: fruſtrà lacrymæ, quas ſæpè aliena excutiunt mala, cùm ad propria nó emittantur. Quid erit virtus iuſtitiæ, ſublata miſericordia, niſi feritas & immanitas? & quid homo eſt excuſſa humanita, niſi fera? At Seneca Photini Stoici diſcipulus, ait: *Miſericordia, vitium eſt animorum nimis miſeria fauentiū, quam ſi quis à ſapiente exigit, propè eſt vt lamentationē exigat, & in alienis funeribus gemitus.* Hæc ille; & paullò ante dixerat: *Ergo non miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret.* Sed poterit aliquando ſuccurrere, at non ſemper: & alij non poterunt: & quidam ſunt, quibus opus eſt interno calcari ad progrediendum in opus: nec potiorem opem afflicto potes afferre quàm ſi dolenti condoleas. Deus dicitur miſericors, & miſerator, & habere viſcera miſericordiæ: Chriſtus, miſericordia motus eſt ad viduam filio orbatam, illacrymatusq́; in ſuſcitatione Lazari, & beatos prædicat miſericordes. Vnde vel Cicero, qui Stoicos in tertia Tuſculana ſecutus eſt, & in ſapientem cadere ægritudinem miſericordiæ, aut Inuidentiæ negauit; tamen in oratione pro Q. Ligario tanquàm Peripateticus, in laudem Cęſaris dixit: *Nulla de tuis virtutibus plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt*: quod Auguſtinus libro 9. de ciuit. Dei cap. 5. diligenter notauit. Et hactenùs de miſericordia vt affectus eſt. De virtute verò, ſiue beatitudine miſericordiæ in paullò antè allegato loco ita tradit Auguſtinus: *Quid eſt autem miſericordia, niſi aliena miſeriæ quadam in noſtro corde compaſſio, qua vtique ſi poſſimus, ſubuenire compellimur? Seruit autem motus iſte rationi, quando ita præbetur miſericordia, vt iuſtitia cōſeruetur: ſiue cùm indigenti tribuitur, ſiue quum ignoſcitur pœnitenti.* Hactenùs ille. At Gregorius Nyſſenus tract. de beatitudinibus: *Miſericordia*, inquit, *vt eam aliquis definitione comprehenſam interpretari, & explicare poſſit, voluntaria triſtitia eſt, quæ conflatur ob incommoda aliena. Quòd ſi non plenè quid per eam intelligatur, expreſſimus, forſitā alia ratione magis dilucidè ac planiùs explicari poſſit: Miſericordia eſt erga eos qui ob res aliquas triſtes, ac moleſtas ſeſe diſcruciant, cum dilectione coniuncta affectio.* Sic ille. Duo ergo ſunt, quæ continet miſericordia: alterum eſt, internus commiſerationis in corde ſenſus; alterū, externa mali propulſatio, ſi fieri queat, & vtrumq; debet eſſe ratione moderatum. Compaſſio quidem, ne vel triſtitia abſorbeat, vel ne in impatientiam, deſperationem & furiam inducat, vt multis accidit, externa autem ſubuentio juxta ſapientiam Chriſtianam, & vires, attemperata eſſe debet, ne nihil ſit. De iuſto enim dicitur: *Tota die miſeretur & commodat*; & in alio loco, *Iocundus homo qui miſeretur & commodat*; & dilectus diſci-

Sene lib. 2. de Clem cap. 6.

Pſal. 110.
Luc. 1.
Luc. 7.
Ioan. 11.

Quāta virtus miſericordia Ciceroni.

Auguſt. to. 5.

Miſericordia quid Auguſtino: vt ſeruiat rationi.

Quid Gregorio Nyſſeno miſericordia.

In miſericordia ſunt duo.

Pſal. 111.
Pſal. 30.

pulus

Ioan. 3.

pulus: *Qui habuerit ſubſtãtiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clanſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Frater Domini quoq; Iacobus Iuſtus oſtendit ſimiliter fidem non habere viuã, qui cùm poteſt, proximo indigenti non ſuccurrit: ait enim, *Si autem frater aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis, illis, Ite in pace, calefacimini & ſaturamini: non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori: quid proderit? Sic & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Hæc ille. Vel ne rurſus nimium & prodigè effundat; imò quamprimùm ab Spiritu ſancto eſt, & nõ à proprietate vel imprudẽtia noſtra, per ſe eſt rationi menſurata: vtrumque autem hominis naturæ competit, & in eo affectus miſericordiæ calcar, & ſtimulus in viatoribus: quemadmodũ etiam ira tempore ſuo, & cum ratione moderata. Propulſatio autẽ mali tantùm Deo, & Angelis & beatis, qui affectibus deſtituuntur, conuenire poteſt: vbi verò adiutrices manus porrigere non datur, non minùs habẽdi ſunt miſericordes, qui afflictos miſerantur. Propterea Dominus non dixit, Beati miſeratores, aut eleëmoſynarum largitores, ſed miſericordes: quod omnibus cõpetere poteſt: eſt enim miſericors qui tantùm indoleſcit fraterna charitate alieniſca lamitatibus, ſi nõ poſsit re ipſa ſubuenire. Ideo Clemens Alexandrinus libr. 4. Stromatum ait: *Miſericordes eſſe vult* (nempè Dominus) *non ſolùm qui faciunt miſericordiã, ſed etiam qui misereri volunt, etſi non poſſint, quibus adeſt vt ſpontè & libera volũtate operentur. Nonnunquàm enim volumus, vel dando pecuniam, vel corpoream dãdo operam, facere miſericordiam, vtpotè egenti opem ferre, vel ægrotanti inſeruire, vel ei adeſſe qui eſt in aliqua calamitate, nec poſſumus, vel propter paupertatẽ, vel morbum, vel ſenectutem (nam ea quoq; morbus eſt naturalis) exequi inſtitutum, ea quæ cupimus, & ad quæ interno animi motu ferimur, nõ potentes efficere.* Gregorius item Nyſſenus in hanc beatitudinem ſcribens: *Ac nemo,* inquit, *in ſolis materijs illam virtutem ſpectet. Sic enim non cuiuſq; hominis eſſet eiuſmodi rei ſucceſſus, præterquàm eius, qui opes aliquas haberet ad benefaciendum: quinimò mihi æquius & verius eſſe videtur, huiuſmodi virtutem ex ſtudio atque voluntate æſtimare. Nam qui bonum voluntate duntaxat in animo ſibi propoſuit ac deſtinauit, ſed inopia, quominꝰ id, quod honeſtũ eſt, ſequatur, prohibitus eſt, animi deſtinatione nihilo inferior eſt eo, qui per opera voluntatem ſuã oſtendit,* Hæc illi. Et hactenus de primo.

Cuius nõ ſit fides viua, ſed mortua.
Iacob. 2.

Quæ moderata ſit oportet ſubuẽtio miſerorum.

Expenditur à Domino oõ dictum: Beati miſeratores, aut eleemoſynæ datores, ſed miſericordes.

Clemẽs Alex. paulò longiùs à principio, tom. 2.

Greg Nyſſ.

Animò tantùm, non re, præ inopia, commiſerãtes, re ipſa ſubuenientibus non eſſe inferiores.

Ad ſecundum veniamus: Quibus impertienda ſit miſericordia, non explicauit Dominus; ſed rationi hoc relictum eſt. Eſt enim miſericordia impendenda omnibus ex charitate à nobis diligendis, egentibus tamen, & in miſeria aliqua cõſtitutis. Quare ſi qui diligendi ſint, qui egeſtate, aut miſeria aliqua non opprimantur, illis miſericordiæ affectum non debemus: quemadmodum neque Deum, neque Chriſtum commiſeramur, in quos mala cadere non poſſunt vlla, quod ad ſe attinet, impropriè autem, & per accidens in membris ſuis, vel filiis, vel in honore & nomine, quod interdum peccatis hominum obſcuratur ac polluitur, malum dicuntur pati, vt illos iure miſerari, eiſque ſubuenire debeamus. Vnde Chriſtus Samaritanus ille, qui eum qui incidit in latrones, commiſeratus eſt; & plagis eius adhibuit oleum & vinum, rependi ſibi miſericordiam, nonquidem in ſe, quia eius capax nõ eſt; ſed in ſuis qui egent, conſtituit, cùm dixit: *Vade, & tu fac ſimiliter.* Hic autem affectus, quo deſideramus illuſtrari nomen Dei, non tantùm ad miſericordiam, ſed etiam ad zelum ſpectat: quo maximè pro gloria Dei vtebatur Helias. Simile ratione neque Angelis, neque beatis quibus dilectionem debemus maximè, cõmiſerationis affectus eſt impendendus, quia longè ſunt ab omni miſeria, omnique perfruuntur felicitate: quòd ſi interdum pro his, qui in gloriam ſunt aſſumpti, ignorantes vbi nam ſint, preces ad Deum fundimus: tamẽ eiuſmodi precationis fructus in bonum precantis cedit. Tertiò, dæmonibus, damnatiſque miſericordiam minimè debemus, quia charitatis affectu non ſunt diligendi, cùm hoſtes ſint Dei, atque ab eo proſcripti: vnde Abraham, vel Lazarus mẽdicus ſenſu miſerationis ad diuitem Epulonem nequaquàm tanguntur; reliqui verò omnes, præter iam dictos, ſiue viuant, ſiue vita ſint defuncti, noſtra ope ſunt ſubleuandi; & in primis qui in purgatorio igne expiantur animi; quoniam dilectionem illis debemus, & in via adhuc ſunt, quatenus non peruenerunt ad terminum; & miſeriam habent, quatenùs pœnas luunt criminum ſuorum, atq; ſubuentionis noſtræ ſunt capaces. Siquidem ſancta & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Tenemur autem lege ad ſuccurrendum, vel ex iuſtitia, propter legata bona in teſtamento, vt ſibi ſuffragia impendantur; vel propter accepta beneficia; poſtremò ex charitate ſiue miſericordia, quæ omnium calamitates & miſerias ſubleuare contendit. Deinde omnibus viuentibus, qui in egeſtate ſunt, & diligendi à nobis, benignitas eſt adhibenda.

Miſericordia quibus impẽdenda.

Deũ, & Chriſtum quatenus miſeramur.

Luc. 10.

3. *Reg.* 19.

Angeli, atq; beati noſtræ cõmiſerationis cur minimè ſint capaces.

Dæmones ac damnati cur minimè miſerandi.
Luc. 16.

Animi piorũ qui purgantur, ſunt digni miſericordia triplici ter.

2. *Mach.* 12.

Quo ordine miſericordia viuenobus exhibenda.

benda. Quia verò inter omnes, nullus eſt propinquior quàm quiſq; ſibi;ideo virtus miſericordiæ, quæ ordine carere non poteſt, iuxta illud: *Ordinauit in me charitatem,*

Cant.2.

ſibi debet primò miſericordiam, quæ ex charitate oritur: *Qui enim,* inquit Salomon, *ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* & alio loco, *Miſerere,* inquit, *animæ tuæ placens Deo;*

Eccleſ 14.
Infrà 30.

& Auguſtinus lib.1.Confeſſionum. cap.13. *Quid enim miſerius miſero non miſerante ſe ipſum?* Idem in lib. Enchiridion ad Laurentium: *Qui vult eleemoſynā ordinatè dare, à ſe ipſo debet incipere:* & quia homo, tùm in anima, tū in corpore miſerias patitur; ab eleëmoſyna ſpiritus inchoandum eſt. Nam anima præſtantior eſt omnib. corporibus;& miſeriæ, quibus affliĉtantur animæ, longè peiores ſunt illis corporis: & doctrina, conſilium, precatio, quibus animæ ſubuenimus, præſtantiora ſunt bona, quàm cuncta ſubſidia temporalia. Eleëmoſyna etiā externa de his eſt quæ habemus; at commiſeratio interna de his quæ ſumus. Deus autem primò reſpicit ad animam, deinde ad opera, ſiue ad munera eius: vtraque autem eleëmoſyna, non à manu, vel corporis temperatura, ſed ex cordis viſceribus, vt fructuoſa ſit nobis, & pretioſa in cōſpectu Dei proficiſci debet. Cùm autē inter mala ſpiritus nullum ſit pernicioſius quàm peccatum; de quo Prouerb.14. *Miſeros facit populos peccatum:* ideo à miſericordia peccatum abſtergente in ſpiritu noſtro inchoanda eſt miſericordia. Eſt enim culpa animæ mors; de qua: *Animā quæ peccauerit, ipſa morietur:* efficit fœditatem ex abſentia luminis gratiæ: deturpat imaginem ſiue ſimilitudinem Dei: quam ſi quis cerneret; in lacrymas erumperet præ dolore: Inducit ſeruitutem hoſtis crudeliſsimi, id eſt, cacodæmonis; quia à quo quis ſuperatus eſt, eius ſeruus eſt: ſeruire facit rei viliſsimæ, id eſt, concupiſcentiæ carnis, ſiue ſenſui, obſcœna quæque & turpia imperanti. Conſequitur præterea peccatum, ignoratio bonorum & vtilium; obliuio cunctorū Dei beneficiorum, atque iudiciorum eius, atque adeò propriæ humanitatis & rationis, à qua in belluam degenerauit: peruerſa ſcientia ac præpoſtera eorum quæ ignorare eſſet præſtabillus: propria infirmitas: qua anima tentationibus, nō minus quàm puluis vento, nequit reſiſtere: ac vt cinis non poteſt boni quicquam producere: vallatio hoſtium fortiorum atq; aſtutiorum, qui malignè circumeunt, nocte & die vigilantes vt quærant quem deuorent; & ne ſemel deuoratos amittant: denique maxima diſtantia in regione longinqua à domo paterna, & ſponſo Chriſto, & Sanctorum opitulatione. Ita vt pudere nos debeat tantæ perditionis noſtræ, ſi oculos haberemus ad cernendum tanta mala.

B. Augu. to.1.

Animæ prius eſt beneficiēdum, quā corpori.

Eleemoſyna ſiue interna, ſiue externa, Deo vt placeat, quo ex fonte procedat.

Prouerb. 17.

Ezech. 18.

Quanta ex peccato pernicies.

Ioan.8 & 2.Petr.2.

1.Petr.5.

Facimus autem miſericordiam animis noſtris. Primò quidem, agnoſcendo eius miſerias, vulnera & calamitates; quia *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs:* & multi qui multa ſciunt, hæc tamen tam ſalutaria & vtilia ignorant.

Iacob.14.
Secundus modus.
Pſalm. 129.

Deinde, oratione vera de profundo cordis emiſſa ſuccurrimus animæ; ita vt dicamus cum Propheta: *De profundis clamaui ad te, Domine:* imploratur diuina miſericordia ad peccati remiſsionē; ait enim: *Miſerere mei, Domine, quia infirmus ſum: ſana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea:* impetrans cor nouum, iuxta illud: *Cor mundum crea in me, Deus:* docemur facere Dei voluntatē: obtinemus exitum ac prouentum in tentatione.

Pſal.6.

Pſalm.50.

Item opitulamur animę, verbo Dei, ſiue lecto, ſiue audito, adhibendo illud vt ſpeculum, quod fœditatem animæ noſtræ repræſentat, vt auferri queat. *Vos,* inquit, *mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis:* in eo intelligimus vitia noſtra pungi; virtutes, quæ deſint, commendari; Chriſtū & Sanctos nobis imitandos proponi.

Tertius.

Ioan 13.

Ad hæc, ſuccurrendum eſt animæ conſilio ſalutari à ſapientibus & prudentibus animarum medicis quæſito; vt facimus, dum corpus ægrotat, vel cum corporis membra diſtracta & luxata ſunt; nā his propulſandis malis peritiorum conſilio medicorū ſeriò egemus.

Quartus.

Poſtremò vſu fideli Sacramentorum, confeſsionis peccatorum, & communionis Euchariſtię maximè noſtri miſeremur: namque in illis omnis noſtra miſeria abſorbetur, & omnis fructus miſericordiæ Chriſti in illis contentus nobis communicatur, atque omnis noſtra reformatio ac renouatio in illorum fideli frequentia conſiſtit.

Quintus & vltimus.

Porrò, quod ad corpus noſtrū attinet; illius miſereri debemus; verùm, vt Propheta ait, ſecundùm iudicium diligentium nomen tuum, id eſt, ſicut infirmi & ægroti, ab his, quæ obeſſe poſſunt, in perpetuum coërcendo, etſi nunc ſapiant; & vrgendo vt vtilibus, nempè ieiuniis, deprecationibus, & vigiliis, ac ſimilibus veſcatur; licèt carni modò hæc deſipiant: illudque ſecundùm Dei legem fouendo, itaq; moderando, vt rationi pareat, iuxta illud: *Caſtigo corpus meū, & in ſeruitutē redigo:* ſic enim bonum eius ob amicas conſolationes ſpiritualium cōſtabit. Hinc illud: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Abſtinendū etiam eſt à carnalibus deſideriis, ob

Qualis corpori noſtro miſericordia debeatur.
Pſalm.118.

1.Corin 9.
Pſalm. 13.
1 Pet.2.
Prima (vt dicitur) charitas incipit à ſe ipſo.

expe-

expectatam miſericordiam in gloria in vtroque homine: ſi modò ſalutis recuperandæ gratia præceptis medici obſequimur. Sicut ergo ſuper omnia Deus eſt diligẽdus, ita proximè poſt Deum, magis nos, quàm proximos amare charitatis lege tenemur. Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimẽtum patiatur? Hinc ſcriptum eſt: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: quo inſinuatur nos ipſos priori loco diligẽdos; & Salomõ, *Miſerere*, inquit, *animæ tuæ placẽs Deo*; Paulus etiam, *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorũ, curam nõ habet; fidem negauit, & eſt infideli deterior*. Cumq; hoc ſit maximè naturæ conueniens; Deus naturæ autor, contra illud non præciperet. Quamobrem cùm Moſes aiebat: *Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi nõ facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti*; & Paulus, *Optabã enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*: nemo cogitet amorem fratrum in Moſe & Paulo præualuiſſe amori; quo ſe ipſos diligebant: nam ardens amor Dei erat, non proximi, qui præpollebat. Et hoc ex eorum verbis comprobatur. Nam Moſes orabat: *Ne quæſo*, inquit, *dicant Aegyptij: Callidè eduxit eos vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui*: & infrà: *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*.

Matth 16. *Leuit. 19. & alibi.* *Eccleſ 30.* *1. Tim 5.*

Si prius nos, quam proximum diligere debemus, cur Moſes, & Paulus, quã ſe, Iudæos viuere maluerunt.

Exod 32. *Rom. 9.* *Rom. 8.*

In proximorum dilectione quis ordo ſeruandus.

Inter proximos igitur ordo charitatis, ſiue miſericordia ſeruandus eſt: & primo quidem loco domeſtici fidei cẽſendi ſunt; ſecundo loco Pagani, qui veritatem ignotam impugnare videntur; tertio Iudæi, qui in veritatem in vmbris & figuris cognitam agere cenſentur; poſtremo loco ſunt hæretici, qui veritatem apertam inſectantur, tùm quòd ſupremum ſuperbiæ gradum ac contumaciæ, qua ſe omnibus totique Eccleſiæ in cognitione veritatis, ac dogmatum anteponunt, conſectantur. Vnde Paulus hæreticum hominem, ait, poſt vnam & ſecundam correptionem eſſe deuitãdum; *Sciens*, inquit, *quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & delinquit, quum ſit proprio iudicio condemnatus*. Auguſtinus etiam aſſerit; præſtare, eſſe Catholicum cum omnibus obſcœniſsimis & turpiſsimis flagitiis, quàm hæreticum cum vniuerſis virtutibus ad mores, atque intellectum ſpectantibus. Proximus miſerias patitur, tùm in ſpiritu, tùm in corpore; verũ ad illas ſubleuandas quæ ſunt ſpiritus, promptior eſſe ſolet Deus; qui corporalibus ſæpè opem denegat. Anima proximi magnis quatuor ſubiacet defectibus, nempe peccato, ignorantiæ, mœrori, morum difficultati. Ad primum ſubleuandum, vtamur miſericordia, cauendo illud, quod ſtulti facere ſolẽt, qui, viſo peccato proximi, illud ſpargũt in vulgus, amplificant, & ſi quicquam contra ſe actũ ſit, indignantur, vltionem medicantes: nec vident ſe ad clementiam magis debere eſſe propenſos; atque ad tegenda aliorum vitia magis quàm ad illa prædicanda. Quocircà Chriſtianus nomini ſuo reſpondere volẽs, peccatum ſi dubiũ eſt, illud non affirmet, verum æqui boniq; conſulat, ac interpretetur: ſi certum eſt; excuſet animum fratris: nempè illum aut per ignorantiam, aut aut per ſurreptionem, imprudentiam, ætatem, pronitatem ad malum corporis temperamentum, ſocietatem ad malum ſollicitantem, dæmonis ſuggeſtionem, impulſionemque deliquiſſe: producatque exempla magnorum virorum, qui in vitia & flagitia inciderunt interdum. Has enim omnes cauſas & rationes cõmiſerandi delinquentes Scriptura proponit. Deinde oratione petat (vt Dilecti verbis vtar) pro fratre ſuo peccante, non ad mortem: & dabitur ei vita: & in alio loco: *Orate pro inuicem vt ſaluemini*. Ex quo Ambroſius Monicæ matri B. Auguſtini fertur dixiſſe, *Fieri non poteſt, vt filius iſtarum lacrymarum pereat*. Præthereà, dimiſsione & venia agendum eſt, ſi contra nos à proximo quicquam peccatũ eſt. *Dimittite*, inquit, *& dimittemini*: & iterũ, *Dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Pulchrè Auguſtinus profectò in libro Enchiridiõ ait: *Multa ſũt genera eleemoſynarum, quæ cùm facimus, adiuuamur, vt dimittantur nobis noſtra peccata. Sed eâ nihil eſt maius, qua cùm ex corde dimittimus quod in nos quiſq; peccauit*. Hæc ille. Ad hæc, ſubueniẽdum correptione, Samaritani illius Euangelici inſtar, infundendo plagis ſaucij proximi oleum orationis ac dimiſſionis iniuriæ, cum vino correptionis; de qua Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum*. Ex huius certè correptionis fraternæ omiſſione totus mundus in maligno poſitus eſſe videtur. Nam ſi is, qui ſummi Pontificis locum ſuſtinet, ſuos qui ſibi aſsiſtunt Cardinales & Epiſcopos corrigeret; ſi Epiſcopus ſuos Clericos; ſi Curatus ſuæ parœciæ concubinarios, vſurarios, atque publicos aleatores; ſi Generales Præpoſiti ſuos religioſos: ſi Reges ſuos officiales & miniſtros aulæ inſeruientes; ſi deniq; pater familiãs ſuos domeſticos ac familiares, & Chriſtianus quiſque amicum ſuum delinquentem: profectò vix decima pars eorũ quæ quo-

Tit. 3. *B. Auguſt.*

Animi quatuor defect⁹.

Primus proximorum ſanandi.

Primus peccata.

1. Ioan 5. *Iacob. 5.* *B. Aug. lib 3. Conf c 12. in fin. tom. 1.* *Luc. 6* *Matth. 6.* *Idem Aug in Euchi ca. 72. & 73 to 3.*

Alter modus ſubueniendi proximorũ peccatis.

Luc. 10. *Matth. 18.* *1. Ioan. 5.*

Vnde mundus totus, vt Dilectus dixit, in maligno poſitus ſit.

tidiè

tidiè admittuntur criminum peccaretur. Sed quoniam nos officio noſtro deſumus; duriſsimam correctionem per Turcam noſtris ceruicibus impendentem, per mutua Principum Chriſtianorum bella, per hæreticos qui Eccleſiam grauiſsimè infeſtãt, adhibere voluit: & cum bellua percuſſa extra viam, vel ad viam redeat, vel eandem viam feſtinantiùs perſequatur: nos tamen toties percuſsi, belluis deteriores, & minùs intelligentes, neque peccati viam deſerimus, neque per virtutis ſtadium, vel curriculum feſtinamus. ¶ Deinde, quantum ad inſcitiam in ſpeculatione poſitam, iuuandus doctrina proximus eſt ab eo qui valet. *Si eſt tibi* (inquit Sapiens) *intellectus, reſponde proximo*; & apud Danielem dictum eſt: *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos* (ſcilicet fulgebunt) *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quantum ad practicam ignorãtiam verò, iuuandus eſt ſalubri cõſilio proximus: ꝙ etſi præbere ad omnes pertinet; nam, vt dicitur Prouerb. 27. *Bonis amici conſilijs anima dulcoratur*: propriè tamen ad ſpirituales & magiſtros ſpectat: ex quibus vnus Paulus dicebat; *Conſilium autem do, tanquàm miſericordiam conſecutus à Deo vt ſim fidelis*; & alibi, *Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarē omne conſilium Dei vobis.* Ex his erat Daniel, qui capit. 4. ait Regi Nabuchodonoſori, *Quamobrem, Rex, conſiliū meum placeat tibi, & peccata tua eleémoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperū*: Tobias cap. 4. cõſilii capiendi gratia, ad ſapiẽtiores nos mittit. Nos verò conſilium cū iunioribus, id eſt, cum ſenſibus, carne, & mūdo, ignorantibus, quemadmodum fecit Roboam, capimus: vnde & regnum Dei, vt ille temporale, amittimus. Vel ad iuniores conſulendos conſugiunt, qui ad Chriſti, & Apoſtolorum, & Martyrum exempla non aſpiciẽtes, ad eos paſtores & Sacerdos, qui flagitiis & malo vitæ exemplo cõtaminati ſunt, & qui nunc degunt, oculos mentis coniiciunt. Tertiò loco circa mœſtitiam, conſolationis miſericordiam velut medicinã adhibere conuenit, quatenùs per illam detur locus Spiritui ſancto vero Paracleto atque conſolatori. Vnde Paulus, *Itaque conſolamini*, inquit, *inuicem in verbis iſtis*; & alibi, *Siue conſolamur pro veſtra conſolatione*; & alio loco, *Conſolamini puſillanimes.* Maximè autem conſolandi ſunt & corroborandi, quibus mors imminet: qui enim hoc officium præſtant, imitantur Angelum, qui Dominum in paſsione ſolatus eſt; & B. Sebaſtianum, qui ſecretò ardentiſsimis verbis eos, qui producendi ad ſupplicium erant, conſolabatur: quemadmodū Cyprianus ſcriptis epiſtolis, vehemẽtiſsima oratione quã plurimos, ad mortem libenter amplectendam pro Chriſto, atq; ad martyrii glorioſam coronam eſt cohortatus. Quartò circa duritiem morum, difficultatemve proximus ferendus eſt. Charitatis etenim lex eſt illa ab Apoſt. tradita: *Alter alterius onera portate*, quam Chriſtus peccatorum noſtrorū onera ferendo plenè abſoluit: quemadmodum lex amoris proprij, ſiue mūdi huius, onera propria in alienos humeros libẽter reiicit. Vt enim in muri conſtructione inuicem ſe ſaxa lapideſq; ſuſtentant ac continent, & quæ propinquiora fundamento ſunt, ſuſtinendis aliis ſulciendiſque deſeruiunt: ita profectò qui in Eccleſia maiores ſunt, maiorique charitate pollent, debent aliorum infirmitates, vt ait Paulus, ſuſtinere: & vt Saul, teſte Scriptura, ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum: ad eum modū qui regendis aliis præficiuntur, par eſt, & ſingulari patientia reliquos, ſapientiaque præcellere. Atque in eo maximè charitas indicatur, ſi cum patiẽtia ſit coniuncta: *Nam doctrina viri*, ait Salomon, *per patientiam noſcitur.*

Chriſtiani per defectū fraternæ correctionis, quam aleam experiri coguntur.

Secũdus proximi defect⁹ ignorantia, qui curabitur. Eccleſ. 5. Dan. 12.

Prouer. 27. Qui ad omnium cõmodiſſimè præſtabunt. 1. Cor. 7. Actor. 20. Dan 4.

Tob. 4. Iuniorũ, non cõſilium ſenum, quando cum Roboam ſequamur. 3. Reg. 12.

Tertius proximi defectus, triſtitia, vt ſanetur. 1. Theſſ. 4. 2. Cor. 1. 1. Theſſ. 5. Luc. 22.

Hoc genere virtutis qui claruerunt.

Quartus defectus, morū ruſticitas, qua ratione ſanabilis. Galat. 6.

Rom. 15. 1. Reg. 9. Præpoſiti, & Rectores quales eſſe debeant. Prouerb. 19.

Incumbamus ergo, quantū poſſumus, in miſericordiæ opera proximorum animis impendenda, vt hîc exponit Hieron. eſtque peccator errans doctrina paſcẽdus: infirmus, aqua conſolationis potandus: deſperans de diuina miſericordia, quaſi veſte fouendus: corde benigno ceu peregrinus, hoſpitio accipiendus; correptione fraterna ſanandus: impotens beneſa&tere, velut in carcere poſitus, viſitandus, atq; prædicationis ope & præſidio ſubleuandus: vt ita miſericordiam apud Deum promereamur, conceſſu ac munere Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit omnis gloria, honor, & imperium in ſempiternum. Amen.

B. Hieronym. tom. 9. in pre. Matth. 25. Peccatori quæ præſtanda miſericordiæ, & pietatis opera.

TRACTATVS XVI.

In eadem illa verba: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequuntur.*

AB operibus miſericordię plurimùm ſolent Scripturæ Deum celebrare, ita vt dicat Regius Propheta: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius*: hominesque, in quos ſuam effundit benignitatem, vaſa miſericordiæ vocare Paulus conſueuerit. Sed etſi Dei commiſeratio, tùm ratione eius qui dat, tùm ratione voluntatis dandi,

Quàm magna Dei miſericordia. Pſal 144. Rom. 9.

Quę magna, quæ parua Dei miſericordia.
Pſal. 50.
1. Pet. 1.

dandi infinita ſit in ſe ipſa: ex parte tamen effectus vna eſt maior altera. Maxima ergo Dei miſericordia, ad magnam peccati miſeriam ſubleuādam refertur: quam Dauid petebat, dicens: *Miſereri mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam*; & Apoſtolorum Princeps Petrus per magnam miſericordiam ait nos regeneratos in ſpem viuam. Minor verò miſericordia dicitur, ex eo quòd paruam miſeriam tollat, vt, famē, ſitim, nuditatem & ſimilia: de qua Dominus volens paſcere tot hominū millia, dixit: *Miſereor ſuper turbam*. Quia ergo Deus à nobis exigit, vt ſimus miſericordes: quemadmodum ipſe miſericors eſt; vtraq; miſericordia à nobis fouendus atq; amplectendus proximus eſt. Cùm ergo dictū ſit hactenus de miſericordia ſpirituali, pauca ſunt iam de ſubleuando iuuandoq; corpore addenda. Nam vulgus eos ſolet miſericordes appellare, qui prompti ſint ad ſuccurrendum neceſſitatibus corporum: quippe temporales miſeriæ magis ſpectantur ac magnipenduntur: contra verò apud Deum magis ſunt miſericordes, qui ſpiritualibus animi calamitatibus ac morbis opitulantur: nam pluris Deus facit ſpiritus quàm corporis neceſſitates. Etſi verò abiectū & deſpicabile ſit corpus humanum; quod omnium dolorū ac miſeriarum videatur eſſe receptaculum; tamen propter animæ rationalis excellentiam, cui coniunctum eſt, nobiliſſimū efficitur, & nobiliſſima proinde redditur miſericordia, quæ propter Deum illi impenditur. Sed interim eget alimento, aliiſque ad vitam tuandam neceſſariis, quæ in cibo, potuq;, in veſte, domo, incolumitate, & libertate conſiſtunt, atq; in ſubſidio ad ineuitabiles defectus. De primis duobus illud eſt: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: Si ſitit, potum da illi*: & apud Eccleſiaſten cap. 11. *Mitte*, inquit Sapiens, *panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies illum*: per quas tranſeuntes deſignans mortales, qui tanquàm aqua quædam in mortem currunt, ſecundùm illud: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur*: poſt multum verò tempus inuenitur panis donatus: quia *Beatus qui intelligit ſuper egenū & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*: nam hæc dies mala, ſiue de die tribulationis pręſentis intelligatur, ſiue de poſtrema die iudicij, miſericordiæ certè & beneficentiæ diuinæ expers non erit, iuxta illud Domini verbum: *Quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*. Quoniam verò multi ſunt, qui lenonibus, paraſitis, & meretricibus bona ſua libenter diſtribuunt; pauperes autem ne aſpectu quidem ſuo dignātur, proinde Dominus Luc. 14. ait: *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites: ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed quum facis cōuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Cogita apud te quid faceres, ſi res in manu tua deficerent ac perirent, in manu verò aliena cōſeruarētur; profectò ſi ſaperes, omnia in manibus illius talis reponeres: in hūc ferè modum cùm omnia temporalia bona in manibus noſtris marceſcant ac corrumpantur, vt domus, veſtis, metalla, cum ſimilibus; ſolæ manus pauperum, quę Chriſti ſunt, illa incorrupta atque intacta fideliter ſeruant, tuenturque, magnaque retributione remunerantur in cœlis. Vnde ſcitum eſt & elegans mercatoris cuiuſdam reſponſum; qui cùm multa millia aureorum haberet in bonis, quæreretur que ex Rege de ſumma pecuniarum: reſpondit, ſe præter mille aureos non habere: cumque Rex putaret ſibi verba dari, admirareturque reſponſum; adiecit mercator ille: *Mille*, inquit, *aureos in pauperum vſus propter Deū erogaui; atque eos tantū meos eſſe exiſtimo, qui extra omnem aleam fortunæ ſunt poſiti: reliqua bona & voluntati tuæ, & deceptioni furū, & fortunæ caſibus expoſita, pro meis non agnoſco.* Neque tantùm ex abundanti eſt dandum, ſed etiam ex his, quæ aliquo modo nobis ſunt neceſſaria. Vnde Propheta ait; *Frange eſurienti panem tuum*: id eſt, de vno & eodē pane aliquid eſurięti porrige. Quare Iob. cap. 31. *Si comedi*, inquit, *buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea.* Cùm autem pecuniam porrigimus loco eleemoſynæ, quia pecuniæ obediunt omnia; quæcunque victui ac veſtitui neceſſaria dediſſe cenſendi ſumus: intelligo autem inter alias ſpecies eleēmoſynæ, collocādam eſſe pecuniæ mutationem, ſine vlla tamen vſura & additamento, nam aliàs furtum eſſet, nō eleemoſyna; imò ethnici fœnus, ob grauitatē delicti, homicidio comparabant: vnde apud Hebræos vſura, morſus dicitur; Græce verò partus, ſiue τόκος: quia pecunia pecuniā parit, quę danti, vitam; accipienti, mortem parit. Quāquàm ſi verum fateri volumus, qui mutuatur ad vſuram, necat animam ſuam: qui verò neceſſitate cōpulſus ad vſuram accipit, & benè vtitur malitia alterius, & vitam ſuam tuetur, & prorogat.

De tertio opere miſericordiæ, videlicet de veſtienda nuditate proximi egentis,

Vulgò qua magis, qui cōtra minus miſericordes apud Deum.

Corpus noſtrum tam vile, & contemptū alioqui, cur tamē miſericordiam mereatur.

Marc. 8.
Matth. 5.

Prouerb. 25.
Rom. 12.

Quid illud Sapiēs: Mitte panē tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tēpora multa inuenies illum.

2. Reg. 14.
Pſalm. 40.

Matth. 10.
Pauperes, nō diuites, aut cōſanguinei ad prandium, aut cœnā cur velit Chriſtus inuitari.
Luc. 14.

Optimi bonorum temporalium cuſtodes, ac fideliſſimi qui.

Chriſtianus quidam mercator de ſumma pecuniarum ſuarum quam haberet, ex Rege quæſitus quid reſpondent.

Etiā eſſe de neceſſariis largiendum.
Eſa. 58.
Iob 31.

Eccleſ. 10.
Mutuandum eſſe ſine fœnore.

Cic lib. 2. de Offic. ex Catonis reſponſio.

Vſura Hebræis quid dicta: illam Græci cur τόκον appellauerint.

Nudos eſſe ex miſericordia veſtiendos.

Eſa 58.
Iob 31.

recte dictum eſt à Propheta: *Quum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris*; & à Iobe: *Si deſpexeri prætereuntē, eo quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem: ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt*; atque à Ioanne Baptiſta: *Qui habet duas tunicas, det non habenti*. Grande laudis præconium conſecutus eſt B. Martinus: qui petenti pauperi nudo eleëmoſynam in porta Ambianenſi, cùm adhuc miles eſſet, & vitam profiteretur longè à miſericordia alienam, nec dum ſacris initiatus, ſed tantùm eſſet catechumenus, dimidiatam veſtem donauit: vnde illa Chriſti vox de eo: *Martinus, adhuc catechumenus, hac me veſte contexit*. Celebratur & in Actis Apoſtolicis diſcipula quædam nomine Tabitha, quæ tunicas & veſtes faciebat, quas viduis tribuebat: quam ſuſcitauit Petrus. Nam qui Chriſtum in pauperibus nudum veſtierit, profectò immortalitatis veſtes promerebitur, & reſurrectionem.

Luc. 3.
Mira in pauperē nudum Martini adhuc catechumeni beneficentia.
Actor. 9.
Ibidem.
Matth. 25.

Quartum miſericordię opus ad hoſpitalitatem ſpectat: quæ cæteris videtur maior, quandoquidem plura bona ſimul confert: nam hoſpiti confertur cibus, potus, lectus, cuſtodia, ſiue tutela. Sunt aũtem peregrini nõ tantum libenter excipiendi, ſed compellendi etiam, vt Abraham fecit cum tribus viris qui illi apparuerãt in Meridie: protegendi quoque ab iniuria; vt Angelos domi ſuæ exceptos ſanctꝰ cuſtodiuit Loth, Gen. 19. Diſcipuli etiam proficiſcentes in Emaus, vt ad ſe diuerteret, nominũ coëgerunt, Paulus Romanos hortatur, vt ſint hoſpitalitatem ſectantes. Nam hoſpitalitas à malo temporali ſeruat, vt conſtat in Raab excipiente exploratores: multiplicat etiã bona, vt patet in vidua Sarepthana, quæ Heliã hoſpitio ſuſcepit, cuius farina de hydria, & oleũ de lecytho nõ deficit: & quod omnia ſuperat, qui pauperẽ propter Chriſtum recipit: Chriſtum ipſum ſuſcipit. *Qui recipit vos*, inquit ille, *me recipit*; &, *Hoſpes eram, & collegiſtis me: nam quãdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Nec homini tantùm viuenti hoſpitiũ eſt exhibendum, verùm etiam mortuo ſepultura, quæ hoſpitalitatis nomine in Nouo Teſtamento eſt intelligenda: quæ quinta eſt ſpecies beneficentiæ. Debetur autem mortuo ſepulchrum, quia homo ſacrum eſt animal, ac propter ſpem atque inclinationem ad reſurrectionẽ; & ad colendam mortis memoriam: ideo corpora condiebantur, & in Aegypto magna erant ſepulchra, & paruæ domus: quo vitam breuem, & futurã manſionem productiorem delinearent. Excelluerunt in hoc genere beneficẽtiæ, Tobias quidem in Veteri Teſtamẽto, & viri Iabes Galaad, qui ſepelierunt corpus Saulis, quibus Dauid inquit: *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eũ*: in Nouo verò Teſtamẽto Ioſeph ab Arimathia & Nicodemus inſignem laudẽ ſunt cõſecuti; & fœminæ illæ ſanctæ, quæ emerunt aromata, vt veniẽtes vngerent Ieſum, inter quas Maria Magdalenæ paulò ante mortẽ pretioſo Dominũ vnguẽto perunxit; & Dominus factũ illius mulieris laudauit, dicẽs: *Bonum operata eſt. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*. Ad puniẽda autem magna delicta, meritò priuatur quis ſepultura: vt de quodam ſcriptum eſt à Ieremia: *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ieruſalẽ*: & de Iezabele traditur; *Iezabel quoq; comedent canes in agro Iezrahel, nec erit qui ſepeliat eã*: Eccleſia etiã contumacibus, ac in excõmunicatione defunctis, ſepulturam ſacro in loco denegat.

Partẽ quoq; miſericordiæ eſſe hoſpitalem.
Geneſ. 18.
Infra. 19.
Luc. 24.
Rom. 12.
Fructus hoſpitalitatis.
Ioſu. 2. & Iacob. 2.
3 Reg. 17. & ſequ.
Luc. 10.
Matth. 25.
Ibidem.
Opus etiam eſſe miſericordiæ mortuos ſepelire.
Quid quod Aegyptii paruas domos, magnas autē
habebant ſepulchra.
Sepulturæ qui mortuorum olim laude conſpicui.
Tob. 12.
Ioan. 19.
Mar. 16. & Luc. 24.
Matth. 26.
Cur quibuſdam ſepultura negetur.
Ierem. 22.
4. Reg. 9.

Sextum benignitatis officiũ in viſendis infirmis, & quantũ poſſumus ſubleuandis cõſiſtit. Vnde Salomon; *Nõ te pigeat*, inquit *viſitare infirmum: ex hiiſenim in dilectione firma beris*. Gregorius Naziã. in oratione de ſubleuandis pauperibus, eos, qui ægrotãtibus aſsiſtunt, & propter Deũ ſeruiunt, tradit, ſingulari Dei munere infirmitatibus etiam contagioſis nõ infici. Duo autem infirmis beneficia potiſsimũ noſtra viſitatione præſtamus, alterũ, ſubleuando, ſi poſſumus, ab ægritudine, eorum inopiæ quacunq; ratione ſuccurrendo: quod ad medicos præſertim ſpectat ac diuites: alterum verò, quod præſtantius eſt, commonefaciendo de his, quæ ad animæ ſalutem pertinent; atq; ſuggerendo vt patienti inuictoq; animo, & cũ fructu flagellum Domini ferant, inuitando, ſi res feret, ad crebram Sacramentorũ, Pœnitentiæ videlicet, atq; Euchariſtiæ ſuſceptionem, & ad muniendũ, & præparandum pectus contra mortis ingruentis inſultus, cõtraq; extremos mortis agones & luctas. Hoc autem ad Sacerdotes ſiue ſpirituales amicos ſpectat: qui debẽt illi aſsiſtere morienti, & curam eius animæ habere: vt hac ratione infirmus, ſi non pro Domino, ſaltem in Domino moriatur.

Ad miſericordiam pariter infirmos viſitandi officium pertinere.
Eccleſ. 7.
Greg. Nazian.
Aegroti dupliciter iuuãdi ſunt, & à quibus potiſſimum.
Apoc. 14.

Poſtremum pietas ſeu miſericordiæ opus, in redimendis captiuis, poſitum eſt: quod præſtantiſsimum eſt opus, quoniam & animam à periculo abiurandæ Fidei; & corpus à viliſsima ſeruitute liberamus: qua vna ex re inſignẽ pietatem declarant ſuã, qui vel illos commiſerantur: vt de Paulus Heb. 10. *Nam & vinctis compaſsi eſtis*; & ca. 13.

De eo beneficentię genere, quod in captiuorũ redemptione conſiſtit, nũc agitur.
Hebr. 10.

Infra 13.

Memẽtote vinctorum, tanquàm ſimul vincti; ita qui eos vel verbis viuis, vel epiſtolis conſolatoriis adhortantur, ſicut de beatis Cypriano & Sebaſtiano ſuperiùs diximus: vel qui in illis dum vincti ſunt, & carcere premuntur, neceſſaria ſubminiſtrãt: qua in re maximè commendantur in Nouo Teſtamẽto B. Anaſtaſia, & B. Praxedes, quæ ampla ſua patrimonia in pauperum vinctorum vſus diſtraxerunt: vel qui omninò eruunt pretio numerato, atq; liberant eos; ad quam rem eleemoſyna quæ colligitur, pretioſa eſt apud Deũ: imo ſi illa deſit, poſſunt ac debent calices, & vaſa aurea & argentea pro redimendis captiuis diſtrahi: vt egregiè docuit B. Ambroſ. in lib. Officiorum. Imò eo vſque ſolicitos nos eſſe vult Dominus Deus in ſubleuandis captiuis, vt inuentus ſit B. Paulinus Nolanus Epiſcopus, qui cùm, erogatis in vſus pauperum omnibus bonis ſuis, nihil præthereà haberet, pro filio viduæ redimendo ſe ipſum vendidit: vt Gregorius lib. 3. Dialogorum teſtatur: imitatus, vt arbitror, ſingularem Chriſti charitatem, qui ſe pro nobis à dominatu dæmonis, & peccato redimendis, ab Iuda proditore vendi permiſit. Exiſtũt prætereà defectus quidam corporis naturales, vt imbecillitas, deformitas, corporis fœditas, quorundam deſtitutio ſenſuum, amentia, hebetudo (quę cùm ob organa incommoda efficiatur, inter defectus corporeos annumeratur) & ſimilia multa, quæ ſi non ſubſidio, commiſeratione ſaltem nobis excipienda ſunt; & tanquàm debilioribus membris honor præſtandus. Quare Dominus Leuit. 19. ait: *Non maledices ſurdo, nec coram cœco pones offendiculum, ſed timebis Dominum Deum tuum, quia ego ſum Dominus.* Sed quidam ludum capiunt ab iis, imò illudunt, & inſultant; quemadmodum amici tres ipſum Iob irridebant, atq; illi inſultabant; quòd ob demerita ſua tantũ flagellum ſuſtineret; & vxor Tobiæ, & parẽtes, & cognati eius virum ſuũ hirundinis ſtercore cæcatum illudebant, de Chriſto verò longè antè prædixerat Propheta Eſaias: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum*, ſcilicet ob peccata ſua: idem autem ſubdit: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Suſtinuit etiam in Cruce Dominus moribũdus irriſiones, maledicta, cõtumelias ac improperia, quaſi peccatorum omniũ maximus, & impotens, & ſuperbus, quique ſeruare ſe ipſum minimè poſſet. Verùm de his omnibus illuſtrem ille triumphum egit.

Quàm pium illud ſit, quotuplex, in eo, qui magna cum laude in vtroque Teſtamento verſati ſint.

Ambroſ. li. 2. de Offic. cap. 28. in fin. to. 1. in prin.

B. Greg. cap. 1 inst. tom 2. ſub initium.

Matth. 20.

Leuit. 19.

In eos, qui miſeris illudunt, & inſultant.

Iob. 4 & infrà deinceps.

Tob. 2.

Eſai. 53.

Matth. 27.

Iam de iure, ſine obligatione, quo ad miſericordiam præſtãdam obſtringimur, aliquid agendum eſt. Deus enim multis ſtimulis nos ſolicitat, vt memores ſimus legis diuinæ præſtandæ: hinc dixit: *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper*: Et iterum, *Deũ time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo*: & Dominus Ieſus in Euãgelio: *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione*: & infrà: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Cùm ergo miſericordia, tũ animi, tũ corporis interdum ſub præceptũ cadat; interdum verò conſilium ſit, non erit inutile, hæc diligentiori oratione perſequi, & elucidare. Et primùm quidem de ſpirituali dicendum eſt. Ac doctrinam quidem debent parentes neceſſariò filiis ſuis tradere, per quam de Fidei articulis, de mandatis Domini, atque Sacramentis, precandique ratione erudiant illos: vt verè ſint parentes Chriſtiani, neque tantùm parentes. Nam ſi tanto ſtudio pueri inſtituuntur in equitandi arte, & in aulica ac politiori lingua addiſcenda, in ſaltando, atq; in lyra, citharave pulſanda; ſine quibus inciuilis ac ruſticus quis exiſtimatur: quãto ergo eſt æquius, vt in agnitione Creatoris tradenda, hiſq; quæ ad filiorum ſalutem ſempiternã ſpectant, parentes inuigilent? Cui muneri ſi deeſſe inueniantur, nõ tam parentes, quàm parricidæ cenſendi ſunt. Debent & in hac tradẽda doctrina laborare Epiſcopi, nam *Oportet Epiſcopum*, Paulo teſte, *doctorem eſſe*, ſiuè vt Græcè dicitur, διδακτικόν, id eſt, appoſitũ ad docendum, & rurſus, *Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinã eſt, fidelem ſermonẽ, qui potens ſit exhortari doctrina ſana, & eos qui cõtradicunt, arguere* Nam dormiẽtibus hominibus, hoc eſt, paſtoribus, venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania, hoc eſt, hæreſes, ſuperſtitiones, & pernicioſos in moribus errores, qui ob viſcũ tenaciſſimũ huius blandæ ac ſuauis doctrinę ſenſus per hæreticos noſtro ſeculo diſſeminatæ vix auelli queunt: & infinitæ pereunt animæ, ignoratione ſalutaris, Catholicæq; doctrinæ. Hinc Dominus comminatur, ob pereũtes defectu doctrinæ animas, quod negligentiæ paſtorum ſe imputaturũ, & ſanguinem earum de manu ſpeculatoris requiſiturum declarat, apud Ezechielem.

Circa correptionem verò, nemini dubium eſt, illam eſſe præceptam. Nam ob id Heli ſummus Sacerdos, qui filios ſuos remiſſe & blandè correxit, grauiter punitus eſt: multa etiam peccata publicè admittuntur, quibus prohibendis ac radicitùs

Quo iure miſeris miſericordia debeatur.

Eccle. 5.

Ioan. 15.

Ibidem.

Parentes filiis quã debeant diſciplinam, inſtitutionemq;.

Eandem & Epiſcopis doctrinam ſuis ouibus eſſe præſtandam. *1. Tim. 3. Tit. 1.*

Zizania quæ ſuperſeminata in agro Dominico.

Ezech 33.

Proximorũ, præſertim filiorum, correptio neceſſaria.

1 Reg 2.

extir-

Infrà 4.

extirpandis, ſi diſciplina Principum & Rectorum inuigilaret, vt par eſt, atq; incumberet, non deſignarentur quidem; nedum fierent. Sed hoc eorum, qui prohibere poterant & debebant, nec prohibent, negligentię adſcribendum eſt: ſi quid tamē ſubditi contra eos machinentur, tanquàm in crimen læſæ maieſtatis, grauiſsimè in eos animaduertitur.

Iniuriæ proximo condonandæ, lege Diuina.

Matth. 6.

Porrò remiſsio peccatorum, quibus iniuria affecti ſumus, iuxta legis Euangelicæ præſcriptum, proximo debet impendi. *Si non dimiſeritis*, Dominus inquit, *hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Orandū pro omnibus.

Preces quoque non mious pro aliis, quàm pro nobis ipſis, fundēdæ ſunt apud Deum, neminem excludēdo ab eis: ob id communes inſtituit preces, quibus cōmunem omnium cauſam ageremus apud Deum, neq; tantùm propriam: vt precatio Dominica demonſtrat. Ad hæc, quæ corpori impenditur eleëmoſyna, & præcepta eſt, & interdum conſulta. Præcepta quidem, non tantùm à Deo, & à Natura, ſed ab hominibus etiam. Ait namq; Dominus in Deuterom. *Non deerūt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra.* & Eccle. c. 4. *Fili, eleemoſynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne tranſuertas à paupere: debetur n. Deo qui dedit proximo ius exigendi & habendi*; Tobias item cap. 4. *Quomodo potueris*, inquit, *ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abūdāter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libēter impertire ſtude.*

Eleemoſyna corporalis triplici iure debita. Diuino nempè, naturali, & humano.

Deut. 15.

Eccleſ. 4.

Tob. 4.

Quomodo iure Naturæ eleemoſyna debeatur.

Matth. 7.

Leuit. 19.

Id etiam docet arcta & exacta Chriſti Domini iudicis in die extremo faciēda diſcuſſio. Naturæ quoq; inſtinctus atq; ratio ipſa ad elargiēdam eleemoſynam vrget & ſtimulat homines, dum ait: *Quod tibi vis fieri alteri facito*; &, *Diliges proximū tuū ſicut te ipsū.* Corpora etiam ſuperiora virtutē ſuam cū inferioribus cōmunicant, quo doceant diuites egentibus ſubminiſtrare. Continetur autem hoc ius ſubueniendi proximo, in quarto præcepto de honore parentum: vt enim ait Apoſtolus: *Pietas ad omnia valet, promiſsionem habens vitæ quæ nūc eſt & futuræ.*

Exod. 20.

1. Tim. 4.

Vnde cōſtet humano iure debitam.

Hinc eſt, quòd omnes gētes, omnibus qui egent, eleëmoſynam faciunt, vel ob legem ſcriptam in corde, vel propter legem ſcripto traditam: vt Iudæi, qui quouis anno decimas, & ſeptimo quoque pro pauperibus omnes fructus ſpontè naſcētes dimittebant; Gentiles quoque eandem præſtabant, vt Iulianus Apoſtata ex odio in Chriſtianos concepto, ſcribens ad Arſacium ex Homero probat: vt libro 6. refert Hiſtoria Tripartita cap. 29. Eccleſiaſtica decreta prætereà, illam arctè mandāt, ita vt Ambroſij verbis vrgeant: *Si non paueris occidiſti.*

Leuit. 25.

Hiſt. Trip.

Ambro. in c. paſce. 86. diſt.

Cur impunis miſericordia legibus humanis.

At mulcta, qua punitur immiſericors, lege ciuili non eſt decreta: non enim punit non facientem eleëmoſynam, quia vt putant, plus conturbaret pacem Reipublicæ, cui ſat eſt, ſi iuſtitia, quæ eſt ad alterū, diligenter ſeruetur: non autem bonitas & miſericordia, niſi quatenus iuſtitię ſeruit. Eſt tamen in lege Canonica ſancita miſericordia atque aſsignata: vt, miniſtris cultus dare decimas, & Epiſcopo præbere eleëmoſynam. At decimę, propriè haud ſunt eleemoſynæ, quia debita eſt iure diuino Chriſti verbi & cultus diuini miniſtris ſuſtentatio. Deus etenim ſtatuit his qui euangelizant & altario miniſtrant, de Euangelio & altari viuere: poſſuntq; à recuſantibus coram iudice exigi: quare inter eleëmoſynas decimæ annumerandæ non ſunt.

Quibus legibus nō ſit impunita. Decimas Diuino iure deberi.

1. Cor. 9.

Vt velit eſſe Epiſcopum Apoſtol' hoſpitalem.

1. Tim. 3. & Tit. 1.

Paſtor autem, & Epiſcopus qui animabus præeſt, arctiori iure ad ſubueniendum egenis ex his quæ ſibi ſuperſunt, obligatur: & Paulus præcipit, vt Epiſcopus ſit hoſpitalis; non ſolum autem ea ratione qua Chriſtianus quiſque hoſpitalitatem colere debet, ſed peculiari quadam, vt exponit Hieronymus, ratione. Ita vt domus Epiſcopi omnibus peregrinis, & pauperibus excipiendis pateat, quoniam ipſe pater pauperum eſſe cenſetur. Archidiaconus autem Florentinus ad Anconitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum aſſumptus, Epiſcopatu abiicitur à Gregorio libr. 12. Epiſtolarum epiſtola 6. quòd tenax eſſet ita, vt in domum eius amicus nunquàm ad charitatem intraret. Gregorius item Magnus, qui omnium pauperum neceſsitatib. de eleëmoſyna proſpexerat, cùm quidā ad murus vrbis præ fame mortuus nuntiaretur, mulctam ſibi abſtinentiæ per octo dies à ſacræ Euchariſtiæ perceptione indixit: cùm tamen illius hominis mors non ſuo vitio, ſed miniſtrorum accidiſſet. Diuina etiam lex pœnas ſtatuit grauiſsimas aduerſus tenaces, & auarè retinentes quæ pauperum ſunt. Sæpè etenim bona retenta, diuioo iudicio corrumpuntur ac pereunt, vt frumenta, vinum, & oleum; pecunia furto ſurripitur, menſarij, quorum fidei pecunia eſt commiſſa, decoquunt, veſtes à tinea exeduntur, ac vt aquæ putei non agitatæ marceſcunt; facileque putreſiunt; quo verò plus agitantur & extrahuntur, eo puriùs, & abundantiùs fluunt: ita hîc etiam accidit. Nam, vt ait Salomon: *Alij diuidunt propria, & ditiores ſiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Ad hæc, crudelis, ſiue tenacis hominis oratio minimè exauditur. Hinc

B. Hieronym.

Gre. Rom. tom. 2.

Epiſcopi cuiuſdā in hoſpitalis pœna.

Gregorij Magni illius mira charitas.

Pauperum raptores bonorum diuina lege non eſſe impunitos.

Prou. 11.

quia à ſe expellit plenitudinem ſuperbiæ, qua ſibi quiſque complacet, ſeq; ipſo contentus eſt, & dicit, quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: cùm tamen ſcriptum ſit: *Diuites dimiſit inanes*: &, *Non veni vocare iuſtos*: id eſt, tales ſe ipſos ducentes ac profitentes, ſed modeſtos, & ſe peccatores agnoſcentes. Sunt enim inſtar vtris inflati, & non ſolidè tumentis, ſecundùm Auguſtinum, qui punctura, aut ſaltu in altum, & motu ponderis probatur: ita eſt de falſa iuſtitia, de qua dictum eſt Regi Balthaſar: *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* Talis erit Phariſæus ille, plenus in oculis ſuis, ſed in oculis Dei vacuus: cui dici illud poterat Apocalypſis: *Non enim inueni opera tua plena coram Deo meo.* Vt ergo vter punctus, rumpitur, & in altum facilè ſalit, & leuiter quo velis mouetur: ita ſuperbus ſi tantillum pungatur, prę impatientia frangitur, & in altum erigitur per arrogantiam, deque ſtatione virtutis leui de cauſſa mouetur. Quemadmodum autem quo vas plenius eſt, eo minus locum exhibet vento, & vbi omninò plenum eſt, nullum: ita qui repleti Spiritu ſancto dicuntur, nullum ventum vanitatis admittunt: qui verò ſemiplenus eſt, periculo expoſitus exiſtit inanis gloriæ. Proinde oremus Dominum, vt impleat omnia noſtra, ne ſeptem annos abundantiæ, quā nos ſomniamus veluti diuites, & plenos, ſequantur ſeptem famis anni interminati, quibus anima perpetuus erit cibus dæmonum.

Apoc. 3. *Luc. 1.* *Matth. 9.* *B. Auguſt.* *Dan. 5.* *Luc 18.* *Apoc. 3.*
Superbi quā ſimiles vtri.
Humiles cō-tra quales vtres.
Geneſ 41.

Eſt etiam beatus eſuriens, quia expellit multitudinem humorum, præſertim negligentiæ, & tepidatis, quæ mater eſt, & fomes omniū vitiorum, ob quem nos Deus euomit de ore ſuo: ac vt fera peſſima deuorauit Ioſeph, ita temporis peſſimū vitium, omne virtutum augmētum deuorat. Sunt autem tepidi animi ſigna, detrahere vocationi, in quam quis vocatus eſt; cùm iuſtus ſe ipſum, non autem ſtatum accuſare ſoleat: loqui libenter de Chriſti Cruce, & martyrum tormentis; & nihil velle pati. Ore inuocare Spiritum ſanctum, imò hymnis diuiniſque officiis; & obicem illi ponere: Frequenter confiteri, neque vnquam de quibus corrigitur, emendari: Aſſiduè communionem Euchariſtiæ ſuſcipere, & cor coninnctum cum Deo nūquam habere: Dei verbum frequenter audire, factis autem qnod audit, nequaquam exprimere: Peccata leuiora, ex quibus gradus fit ad maiora, & grauiora, non magni facere: cùm ſcriptum ſit: *Qui minima negligit, paullatim defluet*: Parem ſe aliis in ſanctitate facere, aut etiam præferre: Ad aliorum, vel minimos defectus, habere oculos lynceos; ad proprios autem, vel grauiſſimos, lippos, cœcoſque. Aliorum laudibus intus torqueri, ad proprias verò exultare. Iſti, totius mundi iudices fiunt, & cenſores, præterquam ſui ipſorum: cùm vera virtutum eſuries in eo ſita ſit, vt ſe nihil eſſe exiſtimet eoram Deo: vt ſeipſum in principio ſermonis accuſet, & aliorum defectus, neque detegat, neque aſpiciat. Beatus eſt ergo eſuriens, quia purgato palato animæ à prauis peccati humoribus, eſurit, & ſitit, id eſt, delectatur iuſtitia, quia gaudium eſt iuſto, facere iuſtitiam: Contrà verò anima ſaturata bonis huius mundi atq; peccatis, calcauit fauum, dicetque cum Iſraelitis de diuino illo cibo: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.*

Eſuientes quoq; ac ſitientes iuſtitiam, quam felices.
Geneſ 37.
Tepidi animi plurima ſigna proferuntur.
1. Cor. 7.
Eccleſ. 19.
Veræ ac perfectæ eſuriei virtutum indicium.
Prouerb. 18.

Tertiò, ſatisfacit quoque hic appetitus iuſtitiæ fami, & ſiti, quam quis in ſtatu peccati habebat: nam in Ægypto erat fames, & in regione longinqua, in qua receſſit prodigus, facta eſt fames valida: & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant: & nemo illi dabat: *Diuites eguerunt*, Vates inquit, *& eſurierunt*: &, *Vēter impiorum inſaturabilis*, quia auaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Itaque huic eſuriei reſpondet in iuſto eſuries iuſtitiæ, iuxta illud Apoſtoli: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete mēbra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem.*

III. Ratio. eſurientes ac ſitientes iuſtitiam, cur beati.
Luc. 15. *Pſalm. 33.* *Prou. 13.* *Rom. 6.*

Quartò, hęc eſuries traducit ſecularium hominum ſapientiam, qui iuſti ſimplicitatem irrident, & ardens comparandarum virtutum ſtudium: quare Dominus promittit ſpiritum veritatis, quem muodus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum. Excedit prætereà Philoſophorum in conſtituendo medio virtutum ſapientiam, quia in his quæ carni ſunt contraria, medium infimum, & carni proximum inuenerunt: proinde non attigerunt ad virtutem virginitatis, vel paupertatis, vel humilitatis, vel eius mititatis, qua quis ab omni ſui defenſione ſe abſtinet: quocirca in his, quæ ferè ſunt carni conſona, ac conformia, verſabantur. Excedit etiam legis iuſtitiam: nam apud Iudæos erat fames gloriæ, & temporalium bonorum, ac abundantiæ filiorum, nequaquam autem ſpiritualium. Vnde Paulus eiuſmodi iuſtitiam à ſe abiicit, dum ait: *Vt & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt.* Noſtra verò, ad æterna, & ſpiritualia bona in ſe, & in aliis comparanda, & augenda contendit: hinc illa erat externa iuſtitia, hæc

IV. Ratio.
Ioan. 14.
Error Philoſophorum, legiſq; defectus in conſtituēda perfecta iuſtitia.
Philip. 9. *Rom. 9.*

interna.

interna. Illa erat lex factorum, hæc fidei. Illa literæ, hæc Spiritus.

V. Ratio. beatitudinis eſurientium iuſtitiam.

Quintò, hic lugis appetitus Iuſtitiæ, commenſuratus eſt non ſolùm ipſi iuſtitiæ Chriſti, quæ infinita eſt, quæ nunquam exhauritur, quo magis deriuatur, nec tantùm ipſi danti Deo, qui infinitus eſt, & infinita magnificentia, ac beneficentia præditus exiſtit, ſed etiam proportionem habet ad ipſos habentes, id eſt, ad nos, qui non tantùm corpore & ætate, ſed etiam artibus, diſciplinis, virtutibusque indies creſcimus & proficimus, neque ſumus apti, vt omnia ſimul comprehendamus.

Sexta ac poſtrema ratio ab effectis talis eſuriei.

Luc. 7.
Matth. 26.

Poſtremò affligit, patique facit propter iuſtitiam hic appetitus, fletumque efficit in peccatoribus iuſtitiam quærentibus, vt conſtat de Dauide, peccatrice, & Petro: augmentum etiam iuſtitiæ, ſine dolore aliquo, & ſui victoria, & labore in extirpandis vitiis, atque comparandis virtutibus, non contingit. Porrò, deſiderium iuſtitiæ, aliis luctum, & lachrymas interdum excutit, hinc Paulus dicebat: *Timeo, ne iterum, quum venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex iis, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.* Denique extrema pati, tùm pro ſe, tùm prn allis facit, ſecundùm illud: *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia.* Et hactenus de cauſis, propter quas eſurientes dicuntur beati.

2. Cor. 12.

Eccleſ. 4.

Vnde primū excitetur eſuries ac ſitis iuſtitiæ.

Iam dicendum eſt de his, quæ tam pretioſam famem ac ſitim excitare queunt: ſunt autem non pauca. Et in primis quidem inedia terrenorum, & temporalium bonorum eſuriem hanc efficit: ait namque Eſaias: *Domine, in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Quare Euſeb. lib. 8. de demonſtratione Euangelica, Deum aſſerit diſtuliſſe Chriſti aduentum, & prius mundum vexaſſe diluuio, ignibus, bellis, vt ſyluam agreſtem: vt pacem daret ſuo tempori, & ſatiaretur mundus ſub Auguſto, nato etiam Chriſto dicitur: *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Hinc filius prodigus fame afflictus ad menſam patris rediit: & ſicut qui mane parcè prandet, deſiderio cœnæ tenetur: ita abſtinentia terrenorum, gignitur fames iuſtitiæ. Deinde generatur hęc fames inchoatione, multi etenim propterea non guſtant quia non incipiunt guſtare, nam inſurgeret fames, vt in cibo corporali. Ideò Petrus hortatur: *Sicut modò geniti infantes, rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite,* rurſus: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Tertiò, vt corporis exercitio fames cibi redire ſolet, ita exercitio virtutum eſuries ſpiritus. Ideò exerce te ipſum ad pietatem, & inſurget amor iuſtitiæ, charitatis, fidei, patientiæ, perſeuerantiæ. Propterea pulchrè dicitur à Dauide: *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum: & defecit ſpiritus meus,* ſcilicet præ fame eius, & ſubdit: *Et meditatus ſum nocte cum corde meo: & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum,* id eſt, purgabam à repletione carnis, & mundi, vt eſurirē Deum. Quartò, excitare debet eſuriem ſpiritus, tantum gloriæ præmium, quantum propoſitum eſt eſurientibus. Hinc Stephanus vidit cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis DEI: quemadmodum ſalſum condimentum excitat famem corporis. Formica in æſtate congregat quod edat in hyeme: cuius exemplo nobis hic operandum eſt quod poſt hanc vitam edamus: vt docet Aug. in Pſal. 36. Manna etiam ſex diebus colligitur, non in die Sabbathi, quia hic præparandum, & colligendum, quo fruamur in cœleſti gloria. Impij dicunt: *Manducemus & bibamus; cras enim moriemur.* Nos verò dicamus, Eſuriemus & ſitiamus: cras enim comedemus, & bibemus, & ſaturabimur: nō videre bona quæ hactenus fecimus, neque quantum comedimus, ſed longum iter, quod facturi ſumus, & gratiæ dandæ copiam, & cibum iuſtitiæ, qui adhuc non eſt à nobis eſus: pariter conſiderare quātum diſtemus in charitate à Chriſto, in obedientia ab Abraham, in manſuetudine à Dauide, in patientia à Iobe, in miſericordia à Tobia, in fide à Centurione, in remiſſione iniuriarum ab Stephano, in dolore & pudore de peccatis à peccatrice, in pudicitia à Ioſepho, & Suſanna. Quintò, excitatur fames ſpiritus, conſiderando eſuriem malorum, & peccatorum, qui tantoperè pro ſiliquis porcorum affliguntur, ac pro rebus caducis & momentaneis tot labores ſubeunt, tantisq; periculis ſe exponunt: conſiderando inſuper dæmonis inſatiabilem appetitum, qui circuit tāquam leo rugiens quærens quem deuoret, vt nos perdat. Sextò, conſideratione iuſtorum, quorum deſiderium eſt omne bonum, & qui viri deſideriorū ſunt, vt Daniel: de quibus Salomon, *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectam diem.* Iuuat quoque videre beatos, qui edentes eſuriunt, atque pro noſtra iuſtitia perficienda iuges preces offerunt: & inter hos maximè expedit videre Chriſtum, qui cum puer eſſet, proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines; & cùm grandior eſſet, ſitiebat noſtram ſitim, & eſuriebat noſtram eſuriem.

Eſai. 26.
Euſeb. cap. 1.
Luc. 2.
Pſal. 71.
Luc. 15.

Altera efficiens cauſſa eſuriei. ſitisq; iuſtitiæ.

1. Pet. 2.
Eccle. 24.

Tertia.

Pſalm. 76.

Quarta.

Actor. 7.
Prouerb. 6.
B. Aug. concione 2. ante mediū 10. 0.
Exod. 16. & ſeq.
1. Cori. 15.

Quorum nobis ſanctorū virtutes varias Scriptura proponat ad imitandū.

Geneſ. 22.
Pſal. 131.
Iob. 1.
Tob. 12.
Matth. 8.
Acto. 7.
Luc. 7.
Geneſ. 39.
Dan 13.

Quinta.

1. Pet. 5.

Sexta.

Dan. 9.
Prouerb. 4.
Luc. 2.

Eſurierit & ſitierit iuſtitiam quomodo Chriſtus.

Ioan. 7. *Matth. 11.*

riem. *Si quis*, inquit, *ſitit, veniat ad me, & bibat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos*: & de baptiſmo, quo erat in Cruce baptizandus propter noſtram iuſtitiam, aiebat: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor, vſque dum perficiatur.* Idem in Cruce ſalutis noſtræ deſiderio incenſus clamauit: *Sitio*, & in ea ſaturatus eſt opprobriis, vt ſaturaret nos iuſtitia, atque vt doceret, omnem iuſtitiam pro Chriſti honore, & fratrum ſalute nobis eſſe implendam.

Luc. 12. *Ioan. 19.*

Septima eſuriei, ac ſitis iuſtitiæ cauſa.

Septimò, excitatur contemplatione pulchritudinis iuſtitiæ, quæ iuſtam animam reddit, nec non Chriſti ſponſam, & beatam. Eſt enim iuſtitiæ ſplendor maximus, non Heſperus, non Lucifer, non Sol tam clarus ac iuſtitia, teſte Ariſtotele libr. 5. Ethicorum. Plato etiam dixit: *Si iuſtitia conſpici poſſet, miros ſapientibus excitaret amores ſui.* Atque hoc quidem de humana: quid dixiſſet, ſi diuinam iuſtitiam cognouiſſet? Eſtque neceſſaria iudicibus: *Diligite*, inquit, *iuſtitiam, qui iudicatis terram.* Eſt Regum ornamentum, quia miſericordia, & iuſtitia confirmant thronum Regis: Commendat viros Dei, vnde Paulus ait: *Tu autem homo Dei, ſectare iuſtitiam.* Dum viuimus, exercenda: *Ante obitum tuum*, inquit, *operare iuſtitiam*: In morte ſeruanda, quia virum iniuſtum mala capient in interitu, & ille dicebat: *Moriatur anima mea morte iuſtorum*: In iudicio ſine iuſtitia, comparere non debemus, quia iuſtis tantùm datur corona iuſtitiæ, & ſeminanti ad iuſtitiam merces fidelis, & Iacob dicebat: *Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea*: nam hodie, tempus eſt operandi, & cras, recipiendi præmium. Denique iuſtitia, hominem Deo ſimilem reddit, reſtituitque ad ſtatum, innocentiæ, in quo homo rectus non tantùm corpore, ſed & animo conditus à Deo eſt: Cuſtodit à culpa, vnde dicitur lorica iuſtitiæ à Paulo: reſtringit concupiſcentiam boni tranſeuntis, & temporalis, ob id zona vocatur, & cingulum lumborum iuſtitiæ, Eſai. 11. Demum inter latrones, ſine adiumento iuſtitiæ, vita conſtare non poteſt: vt rectè propterea dixerit Cicero libro 2. de Officiis: *Tanta eſt vis iuſtitiæ, vt ne illi quidem, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, ſine vlla iuſtitiæ particula viuere poſſint.* Qui ergo luminibus intellectus hæc præconia, & alia innumera, quæ volentes ſuppreſſimus, ornamenta iuſtitiæ conſideraret, profectò eius conſequendæ, atque perficiendæ amore excitaretur.

Philoſoph. c. 1. in fine, to 3. *Socrates in Phædro Platonis.* *Sap. 1.* *Prouerb. 25.* *1. Tim. 6.* *2. Tim. 2.* *Eccleſ. 14.* *Pſalm 130.* *Num 23.* *2. Tim. 4.* *Geneſ 30.* *Eccleſ. 7.*

Iuſtitiæ quibus à Paulo & Eſaia commendatur, illuſtria cognomenta.

Epheſ. 6. *Eſai. 11.*

Iuſtitiæ quãta vis Ciceroni. *M. Tull.*

De eſurientium, & ſitientium ſaturi[tate differitur.]

Poſtremò, de præmio differendum eſt: *Quoniam ipſi*, inquit, *ſaturabuntur.* Deſiderium enim ſi compleatur, delectat animam, vt dicitur Prouerbiorum 13. Verba hæc ſatiandi, & ſaturandi, ab aduerbio ſatis deriuantur: & quanquam priùs ad animum, ſecundum ad corpus ſpectare doceant Grammatici: interdum confunduntur tamen, etiam apud bonos autores, vt hoc loco, id eſt, ſaturabuntur, & in alio loco: *Anima ſaturata calcabit fauum.*

tate differitur.

Prou. 13.

Satiari, & ſaturari, non ſemper in Scripturis diſtinguuntur.

Infra 27.

Saturantur ergo iuſti in primis bonis terrenis, quoniam Deus abundè largitur, ad ſatietatemque affectus noſtri ad gloriam cœleſtem tendentis, atque contemnentis quæ mundi ſunt. Qui enim cœleſtium tenentur amore, faſtidiunt terrena, vnde ſcriptum eſt: *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Secùs erat de orationibus Patrum Veteris Teſtamenti, quæ pactum habebant temporalium bonorum: vt Auguſtinus docet in prædictum locum Pſalmi: Pauca etiam, quæ Deus donat, amore condit, ita vt ſatient iuſtum. Et meritò: quia qui paſcit Chriſtum, promiſſionem habet, vt paſcatur à Deo. *Primùm quærite*, inquit, *regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adiicientur vobis*: &, *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas.* Iuſteque hoc facit Dominus, vt iniuſti confundantur, qui nullum non admittunt peccatum, vt ſaturentur, etſi in mediis aquis poſiti, vt Tantalus, perpetuò ſitiant.

Pſalm. 36. *B. Auguſt.* *Matth. 6.* *Pſalm. 36.*

Secunda ſaturitas iuſtorum.

Deinde ſaturantur hic cœleſtibus, ac ſpiritualibus, videlicet bonis operibus, de quibus: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me Patris*: & fructu gratiæ, de qua: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Saturantur etiam eſurientes ac ſitientes iuſtitiam, quoniam in eiuſmodi eſurie ſancta ac ſiti poſita eſt noſtra perfectio: vt his elegantibus verbis docet Bernardus epiſtola ad Abbatem Garinum Alpenſem: *Porrò*, inquit, *vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur. Vnde eſt illud: Charitas nunquam excidit*: & item, *Patientia pauperum non peribit in finem*: &, *Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi. Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit, Satis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper, quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui. Audi denique vocem iuſti: In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas: quia in ipſis viuificaſti me*: & rurſum: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum.* Non

Ioan. 4. *Ibidem.* *B. Bern. epiſt. 253. propè initium.* *1. Cor. 13.*

Veræ virtutis conditiones, ex Bernardo.

Pſalm. 9. *Pſal. 10.* *Pſal 118.* *Ibidem.*

Pſal. 111.

igitur ad tempus. Proinde iuſtitia eius manet non aliquanto tempore ſed in ſeculum ſeculi: Sempiterna itaque iuſti eſuries, ſempiternam meretur

Sap. 4.

refectionem. Et licèt in breui conſummetur pro tempore, iudicatur tamẽ expleſſe tempora multa pro virtutis perpetuitate. Et infra: *Itaque indefeſſum proficiendi ſtudium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quòd ſi ſtudere perfectioni, eſſe perfectum eſt: profectò nolle proficere, deficere eſt. Vbi ergo ſunt qui dicere ſolent, Sufficit nobis, nolumus eſſe meliores quàm patres noſtri?* Hactenùs ille. Iuſtitia etiam, quę omnem amplectitur virtutem, omnis ſapor eſt: ideo Dauid dicebat: *Iuſtitia Domini recta, lætificantes corda.* Chriſtus item, cùm in virtute, & iuſtitia inhærente appetatur, omnes voluptates ſpiritus, & delectationes in ſe eminentiſsimè habet.

Tertia ſaturitas eſurientiũ & ſitientium iuſtitiam.

Pſal. 18.

Hæc autem diuina dona non capit, qui non deſiderat: nec deſiderat, qui non nouit; nec rurſus illa conſeruat. Proinde dicebat Dominus: *Sedete in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto:* Deus enim eſt, qui replet in bonis deſiderium noſtrũ. Ideo magnum Dei donum, magna ſunt deſideria, ſi in illis nequaquàm quieſcamus. *Nam deſideria*, inquit Sapiens, *occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari*, & in deſideriis homo ſemper eſt otioſus; & væ eſt prægnantibus, & nolentibus parturire, aut parere.

Luc. vlt.

Pſal. 102.

Mala quorũdam eſuries, ac ſitis iuſtitiæ.

Prou. 21.

Matth. 24.

Quædam etiam deſideria peculiaria, ac ſancta Dei ſunt, vt Dauidis ædificandi Templi, & Abraham immolandi filij, & Pauli eundi Romam, & pluries impediti, tametſi non impleantur, quia Deus impedit, & in aliis, quæ magis ad Dei gloriam ſpectabant, occupauit; haud ſunt tamen ſine magno merito apud Deum: & deſiderium martyrij, quo anxiè ſolicitati ſunt beati viri, Franciſcus, & Dominicus, præmium ſuum apud Deum habent repoſitum.

Quorum eſuriem bonam, ac ſitim iuſtitiæ, tamen Deus ſaturare voluerit.

2 Reg. 7.

Geneſ. 22.

Rom. 1.

Ex hac autem plenitudine donorum ſpiritus noſtri interna, eructant Sancti extra, ſecundùm illud: *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: & iuſtitia tua exultabunt:* Cùm enim recordantur internæ iuſtitiæ, quaſi eructant foris ad alios: vt Apoſtoli, qui in die Pentecoſtes pleni erant, & in precatione laudant Dominum: *Eructabunt*, inquit Dauid, *labia mea hymnum, quum docueris me iuſtificationes tuas.*

Signum ſaturitatis iuſtorum euidens in hac vita.

Pſal. 144.

Actor. 2.

Pſal. 118.

Poſtremò, ſaturabuntur in gloria cœleſtibus bonis, quia ibi perfecta, & omnibus numeris abſoluta iuſtitia erit: nihil ibi erit inquinatum, aut ſordidum, & ideo Propheta ait; *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua:* & Dominus: *Ego*, inquit, *diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo:* ibi enim verba Eſaiæ locum habent: *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibẽt, & vos ſitietis: ecce, ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce, ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.*

Quarta ſaturitas iuſtorũ.

Apoc. 21.

Pſal. 16.

Luca. 22.

Iſai. 65.

Erit enim felicitas completa, non in anima ſolùm, ſed in corpore ſuſcitato, & dotibus glorioſis conſpicuo. Ibi erit plenitudo, quia nihil deerit, vel poteſtatis, vel honoris, vel ſcientiæ, vel amoris, vel perpetuitatis: erit perfecta eructatio, à ſacietate profecta, vnde & miſericordias Domini in æternum cantabunt: erit & ſatietas cum fame ſitique cõiuncta, ne fortè plenitudo nauſeam, & tædium pariat: vnde de Angelis aſſerit Petrus: *In quem deſiderant Angeli proſpicere,* & Salomon: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.*

Beatorum quanta ſaturitas.

Pſal. 88.

1. Pet. 1.

Eccle. 24.

Ioan. 4.

Cùm verò dicitur: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum:* intellige de ſiti temporalium bonorũ cruciante; non autem de ſiti æternorum delectante: cuius ſitis cauſſa eſt, in primis æternorum infinitas bonorum, quæ quidem & ſatiat, & ſimul ſitim excitat. Deinde: vt pulchrè docet Nicolaus de Cuſſa, non eſt conuerſio cibi in alitum, ſed potiùs aliti hominis in Deum cibum. Cibus enim noſter inferior eſt corpore, quod illo paſcitur: at Deus longè eſt ſuperior anima noſtra paſcenda; quare eſſe in gloria, nihil eſt aliud, quàm deificari, vt ſic dicam, ſiue transformari in Deum.

Illud: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, de temporalium ſiti bonorum tãtummodò eſſe accipiendum, multis oſtenditur.

Nicol. de Cuſſa.

Ad hæc, vbi ſemper eſt conueniens obiecti proportio eodem modo ſe habentis; & potentiæ ſtabilis, & fixæ, ibi nulla poteſt eſſe in edendo nauſea, aut faſtidium: ſecùs modò, vbi vel potentia relaxatur, vel obiectum mutatur, vt in muſica, cibo, ac venereis voluptatibus contingit: quare hîc non poteſt eſſe ſatietas niſi cum faſtidio.

Cœleſtis eſus potuſque, & terreſtris diſcrimina.

Item, illius iuſtitiæ diuinæ, quæ cibus eſt beatorum, nulla ſunt prorſus excrementa, quæ reiicere oporteat, vt in cibo iſto noſtro contingit: vnde magnum ſit oportet augmentum, quod beato edenti accedet. Hinc Gregorius Nyſſenus in hanc beatitudinẽ dicit: *Quemadmodum enim inſenſibili cibo, ſi nihil eorum, quæ nutrimenti cauſſa ſumuntur, pro excremento eiiceretur, ſed totum ad adiectionem corporeæ proceritatis aſſumeretur, quotidiano nutrimento per ſeſe adaugente magnitudinem, in multam proceritatem corpora excreſcerent, & attollerentur: itidem illa iuſtitia, & omnis vnà cum ea virtus, quoniam ſecundùm eum qui mente percipitur, cibi modum comeſta non egeritur, altiores ſemper per ſe participantes efficit,*

Greg. Nyſſ. in fine huius tractatus.

ſui ſemper adiectione magnitudinem augens. Sic ille perpulchrè. Saturabuntur ergo beati, non ſolùm in Deo, & CHRISTI humanitate, & in Angelis & Beatis, ſed etiam in omni creatura renouata iam atque perfecta. Nam ibl fluminis impetus lætificat ciuitatem Del, & torrente voluptaris ſuæ, id eſt, Deo ipſo, & non ex aliquo vaſculo donorum creatorum Deus beatos ſitientes potat.

Pſalm. 45.
Pſalm. 35.

Qualis huius vitæ præ cœleſti ſaturitas iſtorum.
Ibidem.

Eſtqoe illa gloria nobis hîc, tanquàm ientaculum matotinæ lucis, io cœlo verò, vbi in lumine Dei videbimus lumen, prandium meridianum; cæterum in iudicio, vbi ad animam accedet corpus, atque illi vinculis indiſſolubilibus coniungetur, erit cœna illa magna Euangelica, ad quam Dominus vocaoit multos: inter quos nos quoque vocatos eſſe non ignoramus. Sed vt vocationem noſtro vitio non fruſtremur, tum in nobis ſitum eſt, tum præſertim in diuina gratia: cui ne deſimus, omnibus votis à nobis precandus eſt, & inuocandus ille ſalutis noſtræ ſitientiſſimus IESVS CHRISTVS Dominus noſter, cui
par ſit cum patre, & Spiritu ſancto
gloria in ſecula ſeculorũ,
Amen.

Luc. 14.
Hebr. 12.

TRACTATVS XV.

In illa verba: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

CVM extrema duo hominum peccata inoeniantur, per quæ ſtulti gradiuntur, nempè ſuperbia, & puſillus ac deiectus animus: contra illa Deus Opt. Max. duo egregia epitheta ſibi attribui voluir: dicitur enim iuſtus, & Miſericors, ſecundum illud Prophetæ: *Exortum eſt in tenebris lumen rectis, miſericors, & miſerator, & iuſtus.* Iuſtus quidem in ſuperbos, miſericos verò affectu, at miſerator effectu erga puſillanimes. Cùm autem Deus nos velit ſibi ſimiles reddi, cùm priori beatitudine noſtrã deſideraſſet iuſtitiam, præſenti nos ad miſericordiam bortatur, dicendo: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Qua de beatitudine dicturis nobis primùm conſiderandus eſt ordo, ſiue continuationis ſeries; deiode, quid nomine re miſericordia; & quibos impertienda, explicandum; tertiò, quo iure aut obligatione ad eam communicãdam obſtringamur. Poſtremò, quod ſi eius præmium hoc loco à Domino propoſitum.

Deus cur iuſtus appelletur, & miſericors, ac miſerator.
Pſal. 111.

Ad id igitur, quod primo loco eſt propoſitum, reſpódeo, quòd vt in ſcala Iacob varij erant gradus; & iuſtus aſcenſiones in corde ſuo diſponit; ita magna ſapientia iſti gradus beatitudinem conſtituti ſunt à Domino. Miſericordia ergo rectè poſt iuſtitiã ſequitur, quia eius comes indiuidua eſſe ſolet. Iuſtitia enim ſine miſericordia, ſeueritas; miſericordia ſine iuſtitia, remiſſio eſt. Ideo vtramque virtutem Deus infinito modo poſsidet, de qoo eſt illud: *Vniuerſæ via Domini: miſericordia, & veritas*: vtramque erga nos magna ſuauitate exercet, ita vt vtriuſq; laudes celebrare debeamus, ſecundùm illud: *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine*: & nos proximo impendere debemus vtramque. Et eſurie quidem iuſtitiæ illi bona deſiderãda ſunt; ſicut miſericordia eius mœrendum malis: vt his beatitudinibus duabus tota lex Naturæ abſoluatur, quæ habet: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & quod tibi vis fieri, alteri facito.* Præcedit autem iuſtitia miſericordiam: quia prius debitum reddendum, poſteà indebitum donandum, vt ſit recta diuiſio; ne ſaciamus ex rapina eleemoſynam, vel holocauſtum: nam ingratum erit Spiritui ſancto quicquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teoeris. Ad hæc, rectè eſuriem iuſtitiæ ſequitur miſericordia: nam deficiens noſtra iuſtitia, & tanquàm pannus menſtruatæ ob venialia delicta, quibus eſt coniuncta, ſecundùm Bernardum, eget Dei miſericordia: neque Deus magnam ſuam miſericordiã donare decreuit, niſi vtẽti miſericordia ſua, quæ modica & exigua eſt, ergo proximum. Hinc illud: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: & cooſeruis dimitti à nobis centum denarios pro decem mille talentis, quæ ipſe remittit, magna ratione decreuit. Tu ergo debes ignoſcere iuſtitiæ proximi deficienti, & ille tuæ imperfectæ ignoſcat, atq; vtrumq;, pro charitas merito, ſua magna remuneret Deus miſericordia.

Quæ ratio ordinis huius beatitudinis cum præcedenti.
Geneſ. 28.
Pſalm. 83.
Pſalm. 24.
Pſalm. 100.
Tob. 4.
Matth. 7.
Iuſtitiam ſequitur miſericordia dupliciter.
B. Berna. ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum àmedio.
Matth. 6.
Infra 24.

Ad ſecundum dicẽdum, miſericordiæ nomen, alienæ miſeriæ commiſerationem denotare, eamque ad molle cor ſuum, tanquàm oleum trãsfert: hinc appellata, quòd miſerum cor faciat aliena miſeria. Quod ad rem verò attinet, dicendũ de ea, & quatenus paſsio eſt, & quatenus virtus. Miſericordia igitur, ſecũdùm Damaſcenum libro 2. ſpecies triſtitiæ eſt, ſiue triſtitia in alienis malis. Cicero 3. Tuſculana ait: *Quemadmodum miſericordia ægritudo eſt ex alterius rebus aduerſis, ſic inuidẽtia ægritudo eſt ex alterius rebus ſecũdis.* Sic ille. Eſt enĩ ſpecies quędã triſtitię, qua dolemus de eo malo, quod

Quid nomine, & re miſericordia.
Damaſcen. cap. 14.
M. Tull longè ante mediũ.
Duplex malum hominis

accide-

dignum commiſeratione.

accidere videtur immerenti: quod quidem malũ aut corrumpit corpus, vt mors, morbus, fames ſitis, tormẽta, plagæ, ſpoliatio, deformitas, & membrorum truncatio: aut mentem fœdat, nam miſeramur tardos ingenio, rudes, ſtultos & improbos. Immerentes autem malorum, opinione noſtra illi ſunt, aut boni viri, innocẽtes, & ſimplices, vt ſunt infantes, & mente capti, aut impares etiam malis, vt pueri, fœminæ, ſenes, ægroti, delicati, & qui magnis laboribus premuntur, magna etiã fortuna deturbati, vt hæredes, & ad magiſtratum deſignati, ſi immatura morte præueniantur: pericula item, quia malis proxima, miſericordiã excitant, vt bellum, nauigatio, via latronibus expoſita. Ad hæc, ſimilitudo συμπαθείαν atq; cõmiſerationẽ efficit, vt erga ſimiles ætate, moribus, ingenio, dignitate, genere: quippe inter ſimilia facilis eſt tranſitus. Hinc rogatus Philoſophus quidam, cur diuites plus elargiatur cæcis, & ſurdis, quàm Philoſophis egentibus, acutè reſpõdit: *Quia diuites*, inquit, *homines ſe cæcos & ſurdos potiùs futuros putant, quàm Philoſophos*: ex quo fit, vt diuites, qui ſe exemptos à communi ſorte putant, duri ſint & immiſericordes. Ieſus verò, vt Paulus ait, debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deũ, vt repropitiaret delicta populi. Efficiunt autem miſericordes & ſympaticos homines, cordis mollities ac teneritudo, vt in pueris & fœminis, quę interdum pendẽtes debitas pœnas, etiam latrones ac parricidas miſerantur. Experientia malorum etiam idem facit: vnde quædam Regina dixit:

Qui ferè dolori ſuccumbant.

Similitudo cauſa cõmiſerationis in quibus.

Diuites cæcis & ſurdis quàm Philoſophis, vt eorum vnus dixit, cur magis largiantur.

Hebr. 2.

Quę res quos faciant ad miſericordiam promptiores.

Dido apud Virgil. 1. Aeneid. à medio.

Non ignora mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Generoſi ac ſimplices facilè tanguntur miſericordia, vt Principes, iuuenes, impudentes, inexpertiq; facilè miſeratur de paruis malis: qui verò prudentes ſunt & edocti, de magnis malis, & de iactura animarum dolent, vt Sancti; de paruis autem, id eſt, corporum & fortunæ malis, non curant, niſi quatenùs ſpectant ad animos.

Contra Stoicos, miſericordiã, ægritudinem animi eſſe, ac vitium, opinantes.

Apparet ergo magna Stoicorum ſtultitia, qui hunc affectum, vt ægritudinem quandam bono & honeſto viro indignã, ſuis quibuſdam cauillatiunculis tollere de medio volebant: cùm nihil magis naturæ hominis conueniat, quàm malis aliorum mœrere, afflictoſq; miſerari; vel tollenda eſſet naturæ congruentia, ſimilitudo morum, & amor, qui facit ſibi cõmunem dolorem amici, fruſtrà eſſent oculi dati ad ſpectandas alienas calamitates: fruſtrà lacrymæ, quas ſæpè aliena excutiunt mala, cùm ad propria nõ emittantur. Quid erit virtus iuſtitiæ, ſublata miſericordia, niſi feritas & immanitas? & quid homo eſt excuſa humanita, niſi fera? At Seneca Photini Stoici diſcipulus, ait: *Miſericordia, vitium eſt animorum nimis miſeriæ fauentiũ, quam ſi quis à ſapiente exigit, propè eſt vt lamentatione exigat, & in alienis funeribus gemitus*. Hæc ille; & paullò ante dixerat: *Ergo non miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret*. Sed poterit aliquando ſuccurrere, at non ſemper: & alij non poterunt: & quidam ſunt, quibus opus eſt interno calcari ad progrediendum in opus: nec potiorem opem afflicto potes afferre quàm ſi dolenti condoleas. Deus dicitur miſericors, & miſerator, & habere viſcera miſericordiæ: Chriſtus, miſericordia motus eſt ad viduam filio orbatam, illacrymatuſq; in ſuſcitatione Lazari, & beatos prædicat miſericordes. Vnde vel Cicero, qui Stoicos in tertia Tuſculana ſecutus eſt, & in ſapientem cadere ægritudinem miſericordiæ, aut Inuidentiæ negauit; tamen in oratione pro Q. Ligario tanquàm Peripateticus, in laudem Cęſaris dixit: *Nulla de tuis virtutibus plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt*: quod Auguſtinus libro 9. de ciuit. Dei cap. 5. diligenter notauit. Et hactenùs de miſericordia vt affectus eſt. De virtute verò, ſiue beatitudine miſericordiæ in paullò antè allegato loco ita tradit Auguſtinus: *Quid eſt autem miſericordia, niſi aliena miſeria quadam in noſtro corde compaſſio, qua vtique ſi poſſimus, ſubuenire compellimur? Seruit autem motus iſte rationi, quando ita præbetur miſericordia, vt iuſtitia cõſeruetur: ſiue cùm indigenti tribuitur, ſiue quum ignoſcitur pœnitenti.* Hactenùs ille. At Gregorius Nyſſenus tract. de beatitudinibus: *Miſericordia*, inquit, *vt eam aliquis definitione comprehenſam interpretari, & explicare poſſit, voluntaria triſtitia eſt, qua conflatur ob incommoda aliena. Quòd ſi non plenè quid per eam intelligatur, expreſſimus, forſitã alia ratione magis dilucidè ac planiùs explicari poſſit: Miſericordia eſt erga eos qui ob res aliquas triſtes, ac moleſtas ſeſe diſcruciant, cum dilectione coniuncta affectio.* Sic ille. Duo ergo ſunt, quæ continet miſericordia: alterum eſt, internus commiſerationis in corde ſenſus; alterũ, externa mali propulſatio, ſi fieri queat, & vtrumq; debet eſſe ratione moderatum. Compaſsio quidem, ne vel triſtitia abſorbeat, vel ne in impatientiam, deſperationem & furiam inducat, vt multis accidit, externa autem ſubuentio iuxta ſapientiam Chriſtianam, & vires, attemperata eſſe debet, ne nihil ſit. De iuſto enim dicitur: *Tota die miſeretur & commodat*; & in alio loco, *Iocundus homo qui miſeretur & commodat*; & dilectus diſcipulus:

Sene. lib. 2. de Clem. cap. 6.

Pſal. 110.

Luc. 1.

Luc. 7.

Ioan. 11.

Quãta virtus miſericordia Ciceroni.

Auguſt. 10 5.

Miſericordia quid Auguſtino: vt ſeruiat rationi.

Quid Gregorio Nyſſeno miſericordia.

In miſericordia ſunt duo.

Pſal. 111.

Pſal. 40.

pulus:

benda. Quia verò inter omnes, nullus eſt propinquior quàm quiſq; ſibi; ideo virtus miſericordiæ, quæ ordine carere non poteſt, iuxta illud: *Ordinauit in me charitatem,* ſibi debet primò miſericordiam, quæ ex charitate oritur: *Qui enim,* inquit Salomon, *ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* & alio loco, *Miſerere,* inquit, *animæ tuæ placens Deo;* & Auguſtinus lib. 1. Confeſsionum. cap. 13. *Quid enim miſerius miſero non miſerante ſe ipſum?* Idem in lib. Enchiridion ad Laurentium: *Qui vult eleemoſynã ordinatè dare, à ſe ipſo debet incipere:* & quia homo, tùm in anima, tũ in corpore miſerias patitur; ab eleëmoſyna ſpiritus inchoandum eſt. Nam anima præſtantior eſt omnib. corporibus; & miſeriæ, quibus affliĉtantur animæ, longè peiores ſunt illis corporis: & doctrina, conſilium, precatio, quibus animæ ſubuenimus, præſtantiora ſunt bona, quàm cuncta ſubſidia temporalia. Eleëmoſyna etiã externa de his eſt quæ habemus; at commiſeratio interna de his quæ ſumus. Deus autem primò reſpicit ad animam, deinde ad opera, ſiue ad munera eius: vtraque autem eleëmoſyna, non à manu, vel corporis temperatura, ſed ex cordis viſceribus, vt fructuoſa ſit nobis, & pretioſa in cõſpectu Dei proficiſci debet. Cùm autẽ inter mala ſpiritus nullum ſit pernicioſius quàm peccatum; de quo Prouerb. 14. *Miſeros facit populos peccatum:* ideo à miſericordia peccatum abſtergente in ſpiritu noſtro inchoanda eſt miſericordia. Eſt enim culpa animæ mors; de qua: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur:* efficit fœditatem ex abſentia luminis gratiæ: deturpat imaginem ſiue ſimilitudinem Dei: quam ſi quis cerneret; in lacrymas erumperet præ dolore: inducit ſeruitutem hoſtis crudeliſsimi, id eſt, cacodæmonis; quia à quo quis ſuperatus eſt, eius ſeruus eſt: ſeruire facit rei viliſsimæ, id eſt, concupiſcentiæ carnis, ſiue ſenſui, obſcœna quæque & turpia imperanti. Conſequitur præterea peccatum, ignoratio bonorum & vtilium; obliuio cunctorũ Dei beneficiorum, atque iudiciorum eius, atque adeò propriæ humanitatis & rationis, à qua in belluam degenerauit: peruerſa ſcientia ac præpoſtera eorum quæ ignorare eſſet præſtabilius: propria infirmitas: qua anima tentationibus, nõ minus quàm puluis vento, nequit reſiſtere: ac vt cinis non poteſt boni quicquam producere: vallatio hoſtium fortiorum atq; aſtutiorum, qui malignè circumeunt, nocte & die vigilantes vt quærant quem deuorent; & ne ſemel deuoratos amittant: denique maxima diſtantia in regione longinqua à domo paterna, & ſponſo Chriſto, & Sanctorum opitulatione. Ita vt pudere nos debeat tantæ perditionis noſtræ, ſi oculos haberemus ad cernendum tanta mala.

Cant. 2. — *Eccleſ. 14.* — *Infrà 30.* — *B. Augu. to. 1.*

Animæ prius eſt benefaciẽdum, quã corpori.

Eleemoſyna ſiue interna, ſiue externa, Deo vt placeat, quo ex fonte procedat.

Prouerb. 17. — *Ezech. 18.*

Quanta ex peccato perueniet.

Ioan. 8 & 2. Petr. 2. — *1. Petr. 5.*

Facimus autem miſericordiam animis noſtris. Primò quidem, agnoſcendo eius miſerias, vulnera & calamitates; quia *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs:* & multi qui multa ſciunt, hæc tamen tam ſalutaria & vtilia ignorant. Deinde, oratione vera de profundo cordis emiſſa ſuccurrimus animæ; ita vt dicamus cum Propheta: *De profundis clamaui ad te, Domine:* imploratur diuina miſericordia ad peccati remiſsionẽ; ait enim: *Miſerere mei, Domine, quia infirmus ſum: ſana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea:* impetrans cor nouum, iuxta illud: *Cor mundum crea in me, Deus:* docemur facere Dei voluntatẽ: obtinemus exitum ac prouentum in tentatione. Item opitulamur animę, verbo Dei, ſiue lecto, ſiue audito, adhibendo illud vt ſpeculum, quod fœditatem animæ noſtræ repræſentat, vt auferri queat. *Vos,* inquit, *mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis:* in eo intelligimus vitia noſtra pungi; virtutes, quæ deſint, commendari; Chriſtũ & Sanctos nobis imitandos proponi. Ad hæc, ſuccurrendum eſt animæ conſilio ſalutari à ſapientibus & prudentibus animarum medicis quæſito; vt facimus, dum corpus ægrotat, vel cum corporis membra diſtracta & luxata ſunt; nã his propulſandis malis peritiorum conſilio medicorũ ſeriò egemus. Poſtremò vſu fideli Sacramentorum, confeſsionis peccatorum, & communionis Euchariſtię maximè noſtri miſeremur: namque in illis omnis noſtra miſeria abſorbetur, & omnis fructus miſericordiæ Chriſti in illis contentus nobis communicatur, atque omnis noſtra reformatio ac renouatio in illorum fideli frequentia conſiſtit. Porrò, quod ad corpus noſtrũ attinet; illius miſereri debemus; verùm, vt Propheta ait, ſecundùm iudicium diligentium nomen tuum, id eſt, ſicut infirmi & ægroti, ab his, quæ obeſſe poſſunt, in perpetuum coercendo, etſi nunc ſapiant; & vrgendo vt vtilibus, nempè ieiuniis, deprecationibus, & vigiliis, ac ſimilibus veſcatur; licèt carni modò hæc deſipiant: illudque ſecundùm Dei legem ſouendo, itaq; moderando, vt rationi pareat, iuxta illud: *Caſtigo corpus meũ, & in ſeruitutẽ redigo:* ſic enim bonum eius ob amicas conſolationes ſpiritualium cõſtabit. Hinc illud: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Abſtinendũ etiam eſt à carnalibus deſideriis, ob

Iacob. 14. Secundus modus. *Pſalm. 129.* — *Pſal. 6.* — *Pſalm. 50.*

Tertius. — *Ioan. 15.* — Quartus. — Quintus & vltimus.

Qualis corpori noſtro miſericordia debeatur. *Pſalm. 118.*

1. Corin. 9. — *Pſalm. 83.* — *1. Pet. 2.*

Prima (vt dicitur) charitas incipit à ſeipſo.

expe-

expectatam miſericordiam in gloria in vtroque homine: ſi modò ſalutis recuperandæ gratia præceptis medici obſequimur. Sicut ergo ſuper omnia Deus eſt diligēdus, ita proximè poſt Deum, magis nos, quàm proximos amare charitatis lege tenemur. Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimētum patiatur? Hinc ſcriptum eſt: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: quo inſinuatur nos ipſos priori loco diligēdos; & Salomō, *Miſerere*, inquit, *animæ tuæ placēs Deo*; Paulus etiam, *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorū, curam nō habet; fidem negauit, & eſt infideli deterior*. Cumq; hoc ſit maximè naturæ conueniens; Deus naturæ autor, contra illud non præciperet. Quamobrem cùm Moſes aiebat: *Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi nō facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti*; & Paulus, *Optabā enim ego ipſe anathema eſſe à Christo pro fratribus meis*: nemo cogitet amorem fratrum in Moſe & Paulo præualuiſſe amori; quo ſe ipſos diligebant: nam ardens amor Dei erat, non proximi, qui præpollebat. Et hoc ex eorum verbis comprobatur. Nam Moſes orabat: *Ne quæſo*, inquit, *dicant Aegyptij: Callidè eduxit eos vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui*: & infrà: *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Matth 16.
Leuit. 19. & alibi.
Eccleſ. 30.
1. Tim 5.
Si prius nos, quam proximum diligere debemus, cur Moſes, & Paulus, quā ſe, Iudæos viuere maluerunt.
Exod 32.
Rom. 9.
Rom. 8.

In proximorum dilectione quis ordo ſeruandus.

Inter proximos igitur ordo charitatis, ſiue miſericordia ſeruandus eſt: & primo quidem loco domeſtici fidei cēſendi ſunt; ſecundo loco Pagani, qui veritatem ignotam impugnare videntur; tertio Iudęi, qui In veritatem in vmbris & figuris cognitam agere cenſentur; poſtremo loco ſunt hęretici, qui veritatem apertam inſectantur, tùm quòd ſupremum ſuperbiæ gradum ac contumaciæ, qua ſe omnibus totique Eccleſiæ in cognitione veritatis, ac dogmatum anteponunt, conſectantur. Vnde Paulus hæreticum hominem, ait, poſt vnam & ſecundam correptionem eſſe deuitādum; *Sciens*, inquit, *quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & delinquit, quum ſit proprio iudicio condemnatus*. Auguſtinus etiam aſſerit; præſtare, eſſe Catholicum cum omnibus obſcœniſsimis & turpiſsimis flagitiis, quàm hæreticum cum vniuerſis virtutibus ad mores, atque intellectum ſpectantibus. Proximus miſerias patitur, tùm in ſpiritu, tùm In corpore; verū ad illas ſubleuandas quæ ſunt ſpiritus, promptior eſſe ſolet Deus; qui corporalibus ſæpè opem denegat. Anima proximi magnis quatuor ſubiacet defectibus, nempe peccato, ignorantiæ, mœrori, morum difficultati. Ad primum ſubleuandum, vtamur miſericordia, cauendo illud, quod ſtulti facere ſolēt, qui, viſo peccato proximi, illud ſpargūt in vulgus, amplificant, & ſi quicquam contra ſe actū ſit, indignantur, vltionem meditantes: nec vident ſe ad clementiam magis debere eſſe propenſos; atque ad tegenda aliorum vitia magis quàm ad illa prædicanda. Quocircà Chriſtianus nomini ſuo reſpondere volēs, peccatum ſi dubiū eſt, illud non affirmet, verum æquiboniq; conſulat, ac Interpretetur: ſi certum eſt; excuſet animum fratris: nempè illum aut per ignorantiam, aut aut per ſurreptionem, imprudentiam, ætatem, pronitatem ad malum corporis temperamentum, ſocietatem ad malum ſolicitantem, dæmonis ſuggeſtionem, impulſionemq́ue deliquiſſe: producatq́ue exempla magnorum virorum, qui in vitia & flagitia inciderunt interdum. Has enim omnes cauſas & rationes cō miſerandi delinquentes Scriptura proponit. Deinde oratione petat (vt dilecti verbis vtar) pro fratre ſuo peccante, non ad mortem: & dabitur ei vita: & in alio loco: *Orate pro inuicem vt ſalu emini*. Ex quo Ambroſius Monicæ matri B. Auguſtini fertur dixiſſe, *Fieri non poteſt, vt filius iſtarum lacrymarum pereat.* Præterea, dimiſsione & venia agendum eſt, ſi contra nos à proximo quicquam peccatū eſt. *Dimittite*, inquit, *& dimittemini*: & iterū, *Dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Pulchrè Auguſtinus profectò in libro Enchiridió ait: *Multa sūt genera eleemoſynarum, quæ cùm facimus, adiuuamur, vt dimittantur nobis noſtra peccata. Sed ea nihil eſt maius, quæ cùm ex corde dimittimus quod in nos quiſq; peccauit.* Hæc ille. Ad hæc, ſubueniēdum correptione, Samaritani illius Euangelici inſtar, infundendo plagis ſaucij proximi oleum orationis ac dimiſſionis iniuriæ, cum vino correptionis; de qua Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Ex huius certè correptionis fraternæ omiſſione totus mundus in maligno poſitus eſſe videtur. Nam ſi is, qui ſummi Pontificis locum ſuſtinet, ſuos qui ſibi aſsiſtunt Cardinales & Epiſcopos corrigeret; ſi Epiſcopus ſuos Clericos; ſi Curatus ſuæ parœciæ concubinarios, vſurarios, atque publicos aleatores; ſi Generales Præpoſiti ſuos religioſos: ſi Reges ſuos officiales & miniſtros aulæ inſeruientes; ſi deniq; paterfamiliâs ſuos domeſticos ac familiares, & Chriſtianus quiſque amicum ſuum delinquentem: profectò vix decima pars eorū quæ quotidiè

Tit. 3.
B. Auguſt.
Animi quatuor defect⁹.
proximorum ſanandi.
Primus peccata.
1. Ioan 5.
Iacob. 5.
B. Aug. lib 3. Conf c. 12. in fin. tom. 1.
Luc. 6
Matth 6.
Idem Aug. in Enchi ca. 72. & 73. to 3.
Alter modus ſubueniendi proximorū peccatis.
Luc. 10.
Matth. 18.
1. Ioan. 5.
Vnde mundus totus, vt Dilectus dixit, in maligno poſitus ſit.

tidie admittuntur criminum peccaretur. Sed quoniam nos officio noſtro deſumus; duriſsimam correctionem per Turcam noſtris ceruicibus impendentem, per mutua Principum Chriſtianorum bella, per hæreticos qui Eccleſiam grauiſsimè infeſtãt, adhibere voluit: & cum bellua percuſſa extra viam, vel ad viam redeat, vel eandem viam feſtinantiùs perſequatur: nos tamen toties percuſsi, belluis deteriores, & minùs intelligentes, neque peccati viam deſerimus, neque per virtutis ſtadium, vel curriculum feſtinamus. ¶ Deinde, quantum ad inſcitiam in ſpeculatione poſitam, iuuandus doctrina proximus eſt ab eo qui valet. *Si eſt tibi* (inquit Sapiens) *intellectus, reſponde proximo*; & apud Danielem dictum eſt: *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos* (ſcilicet fulgebunt) *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quantum ad practicam ignorãtiam verò, iuuandus eſt ſalubri cõſilio proximus: ꝙ etſi præbere ad omnes pertinet; nam, vt dicitur Prouerb.27. *Bonis amici conſilijs anima dulceratur*: propriè tamen ad ſpirituales & magiſtros ſpectat: ex quibus vnus Paulus dicebat; *Conſilium autem do, tanquàm miſericordiam conſecutus à Deo vt ſim fidelis*; & alibi, *Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarẽ omne conſilium Dei vobis.* Ex his erat Daniel, qui capit. 4. ait Regi Nabuchodonoſori, *Quamobrem, Rex, conſiliũ meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperũ*: Tobias cap.4. cõſilii capiendi gratia, ad ſapiẽtiores nos mittit. Nos verò conſilium cũ iunioribus, id eſt, cum ſenſibus, carne, & mũdo, ignorantibus, quemadmodum fecit Roboam, capimus: vnde & regnum Dei, vt ille temporale, amittimus. Vel ad iuniores conſulendos confugiunt, qui ad Chriſti, & Apoſtolorum, & Martyrum exempla non aſpiciẽtes, ad eos paſtores & Sacerdos, qui flagitiis & malo vitæ exemplo cõtaminati ſunt, & qui nunc degunt, oculos mentis conuiciunt. Tertiò loco circa mœſtitiam, conſolationis miſericordiam velut medicinã adhibere conuenit, quatenùs per illam detur locus Spiritui ſancto vero Paracleto atque conſolatori. Vnde Paulus, *Itaque conſolamini*, inquit, *inuicem in verbis iſtis*; & alibi, *Siue conſolamur pro veſtra conſolatione*; & alio loco, *Conſolamini puſillanimes.* Maximè autem conſolandi ſunt & corroborandi, quibus mors imminet: qui enim hoc officium præſtant, imitantur Angelum, qui Dominum in paſsione ſolatus eſt; & B. Sebaſtianum, qui ſecretò ardentiſsimis verbis eos, qui producendi ad ſupplicium erant, conſolabatur: quemadmodũ Cyprianus ſcriptis epiſtolis, vehemẽtiſsima oratione quã plurimos, ad mortem libenter amplectendam pro Chriſto, atq; ad martyrii glorioſam coronam eſt cohortatus. Quartò circa duritiem morum, difficultatemve proximus ferendus eſt. Charitatis etenim lex eſt illa ab Apoſt. tradita: *Alter alterius onera portate*, quam Chriſtus peccatorum noſtrorũ onera ferendo plenè abſoluit: quemadmodum lex amoris proprij, ſiue mũdi huius, onera propria in alienos humeros libẽter reiicit. Vt enim in muri conſtructione inuicem ſe ſaxa lapideſq; ſuſtentant ac continent, & quæ propinquiora fundamento ſunt, ſuſtinendis aliis fulciendiſque deſeruiunt: ita profectò qui in Eccleſia maiores ſunt, maiorique charitate pollent, debent aliorum infirmitates, vt ait Paulus, ſuſtinere: & vt Saul, teſte Scriptura, ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum: ad eum modũ qui regendis aliis præficiuntur, par eſt, & ſingulari patientia reliquos, ſapientiaque præcellere. Atque in eo maximè charitas indicatur, ſi cum patiẽtia ſit coniuncta: *Nam doctrina viri*, ait Salomon, *per patientiam noſcitur.*

Chriſtiani per defectũ fraternæ correctionis, quam aleam experiri cogantur.

Secũdus proximi defect⁹ ignorantia, qui curabitur.

Eccleſ. 5. *Dan.12.* *Prouer.27.*

Qui ad omnium cõmodiſſimè præſtabunt.

1.Cor.7. *Actor.20.* *Dan 4.* *Tob.4.*

Iuniorũ, non cõſilium ſenum, quando cum Roboam ſequantur.

3.Reg.12.

Tertius proximi defectus, triſtitia, vt ſanetur.

1.Theſſ.4. *2.Cor.1.* *1.Theſſ.5.* *Luc.22.*

Hoc genere virtutis qui claruerunt.

Quartus defectus, morũ ruſticitas, qua ratione ſanabilis. *Galat.6.*

Rom.15. *1.Reg.9.*

Præpoſiti, & Rectores quales eſſe debeant.

Prouerb.19.

Incumbamus ergo, quantũ poſſumus, in miſericordiæ opera proximorum animis impendenda, vt hîc exponit Hieron. eſtque peccator errans doctrina paſcẽdus: infirmus, aqua conſolationis potandus: deſperans de diuina miſericordia, quaſi veſte fouendus: corde benigno ceu peregrinus, hoſpitio accipiendus; correptione fraterna ſanandus: impotens benefacere, velut in carcere poſitus, viſitandus, atq; prædicationis ope & præſidio ſubleuandus: vt ita miſericordiam apud Deum promereamur, conceſſu ac munere Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit omnis gloria, honor, & imperium in ſempiternum. Amen.

B. Hieronym. tom. 9. in prol. *Matth. 25.*

Peccatori quæ præſtanda miſericordiæ, & pietatis opera.

TRACTATVS XVI.

In eadem illa verba: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequuntur.*

AB operibus miſericordię plurimùm ſolent Scripturæ Deum celebrare, ita vt dicat Regius Propheta: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius*: hominéſque, in quos ſuam effundit benignitatem, vaſa miſericordiæ vocare Paulus conſueuerit. Sed etſi Dei commiſeratio, tùm ratione eius qui dat, tùm ratione voluntatis

Quàm magna Dei miſer cordia. *Pſal 144.* *Rom. 9.*

dandi infinita ſit in ſe ipſa: ex parte tamen effectus vna eſt maior altera. Maxima ergo Dei miſericordia, ad magnam peccati miſeriam ſubleuãdam refertur: quam Dauid petebat, dicens: *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam*; & Apoſtolorum Princeps Petrus per magnam miſericordiam ait nos regeneratos in ſpem viuam. Minor verò miſericordia dicitur, ex eo quòd paruam miſeriam tollat, vt, famē, ſitim, nuditatem & ſimilia: de qua Dominus volens paſcere tot hominū millia, dixit: *Miſereor ſuper turbam.* Quia ergo Deus à nobis exigit, vt ſimus miſericordes: quemadmodum ipſe miſericors eſt; vtraq; miſericordia à nobis fouendus atq; amplectendus proximus eſt. Cùm ergo dictū ſit hactenus de miſericordia ſpirituali, pauca ſunt iam de ſubleuando iuuandoq; corpore addenda. Nam vulgus eos ſolet miſericordes appellare, qui prompti ſint ad ſuccurrendum neceſsitatibus corporum: quippe temporales miſeriæ magis ſpectantur ac magnipenduntur: contra verò apud Deum magis ſunt miſericordes, qui ſpiritualibus animi calamitatibus ac morbis opitulantur: nam pluris Deus facit ſpiritus quàm corporis neceſsitates. Etſi vero abiectū & deſpicabile ſit corpus humanum; quod omnium dolorū ac miſeriarum videatur eſſe receptaculum; tamen propter animæ rationalis excellentiam, cui coniunctum eſt, nobiliſsimū efficitur, & nobiliſsima proinde redditur miſericordia, quæ propter Deum illi impenditur. Sed interim eget alimento, aliiſque ad vitam tuandam neceſſariis, quæ in cibo, potuq;, in veſte, domo, incolumitate, & libertate conſiſtunt, atq; in ſubſidio ad ineuitabiles defectus. De primis duob' illud eſt: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: Si ſitit, potum da illi*: & apud Eccleſiaſten cap. 11. *Mitte*, inquit Sapiens, *panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies illum*: per quas tranſeuntes deſignans mortales, qui tanquàm aqua quædam in mortem currunt, ſecundùm illud: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur*: poſt multum verò tempus inuenitur panis donatus: quia *Beatus qui intelligit ſuper egenū & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*: nam hæc dies mala, ſiue de die tribulationis prȩſentis intelligatur, ſiue de poſtrema die iudicij, miſericordiæ certè & beneficentiæ diuinæ expers non erit, iuxta illud Domini verbum: *Quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Quoniam verò multi ſunt, qui lenonibus, paraſitis, & meretricibus bona ſua libenter diſtribuunt; pauperes autem ne aſpectu quidem ſuo dignātur, proinde Dominus Luc. 14. ait: *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites: ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Cogita apud te quid faceres, ſi res in manu tua deficerent ac perirent, in manu verò aliena cōſeruarētur; profectò ſi ſaperes, omnia in manibus illius talis reponeres: in hūc ferè modum cùm omnia temporalia bona in manibus noſtris marceſcant ac corrumpantur, vt domus, veſtis, metalla, cum ſimilibus; ſolæ manus pauperum, quȩ Chriſti ſunt, illa incorrupta atque intacta fideliter ſeruant, tuenturque, magnaque retributione remunerantur in cœlis. Vnde ſcitum eſt & elegans mercatoris cuiuſdam reſponſum; qui cùm multa millia aureorum haberet in bonis, quæreretúrque ex Rege de ſumma pecuniarum: reſpondit, ſe præter mille aureos non habere: cumque Rex putaret ſibi verba dari, admirareturque reſponſum; adiecit mercator ille: *Mille*, inquit, *aureos in pauperum vſus propter Deū erogaui; atque eos tantū meos eſſe exiſtimo, qui extra omnem aleam fortunæ ſunt poſiti: reliqua bona & voluntati meæ, & direptioni furū, & fortunæ caſibus expoſita, pro meis non agnoſco.* Neque tantùm ex abundanti eſt dandum, ſed etiam ex his, quæ aliquo modo nobis ſunt neceſſaria. Vnde Propheta ait; *Frange eſurienti panem tuum*: id eſt, de vno & eodē pane aliquid eſurientī porrige. Quare Iob. cap. 31. *Si comedi*, inquit, *buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea.* Cùm autem pecuniam porrigimus loco eleemoſynæ, quia pecuniæ obediunt omnia; quæcunque victui ac veſtitui neceſſaria dediſſe cenſendi ſumus: intelligo autem inter alias ſpecies eleēmoſynæ, collocādam eſſe pecuniæ mutationem, ſine vlla tamen vſura & additamento, nam aliàs furtum eſſet, nō eleemoſyna; imò ethnici fœnus, ob grauitatē delicti, homicidio comparabant: vnde apud Hebræos vſura, morſus dicitur; Græce verò partus, ſiue τόκος: quia pecunia pecuniā parit, quȩ danti, vitam; accipienti, mortem parit. Quāquàm ſi verum fateri volumus, qui mutuatur ad vſuram, necat animam ſuam: qui verò neceſsitate cōpulſus ad vſuram accipit, & benè vtitur malitia alterius, & vitam ſuam tuetur, & protogat.

De tertio opere miſericordiæ, videlicet de veſtienda nuditate proximi egentis,

Quȩ magna, quȩ parua Dei miſericordia.

Pſal. 50.

1. Pet. 1.

Marc. 8.

Matth. 5.

Vulgò qua magis, qui cōtra minus miſericordes apud Deum.

Corpus noſtrum tam vile, & contemptū alioqui, cur tamē miſericordiam mereatur.

Prouerb. 25.

Rom. 12.

Quid illud Sapiens: Mitte panē tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tēpora multa inuenies illum.

2. Reg. 14.

Pſalm. 40.

Matth. 10.

Pauperes, nō diuites, aut cōſanguinei ad prādium, aut cœnā cur velit Chriſtus inuitari.

Luc. 14.

Optimi bonorum temporalium cuſtodes, ac fideliſsimi qui.

Chriſtianus quidam mercator de ſumma pecuniarum ſuarum quam haberet, ex Rege quæſitus quid reſponderit.

Etiā eſſe de neceſſariis largiendum.

Eſai. 58.

Iob 31.

Eccleſ. 10.

Mutuandum eſſe ſine fœnore.

Cic. lib. 2. de Offic. ex Catonis reſponſo.

Vſura Hebræis quid dicta: illam Græci cur τόκον appellauerint.

Nudos eſſe ex miſericordia veſtiendos.

Eſa. 58. *Iob 31.*

rectè dictum eſt à Propheta: *Quum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris*; & à Iobe: *Si deſpexeri prætereuntẽ, eo quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem: ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt*; atque à Ioanne Baptiſta: *Qui habet duas tunicas, det non habenti*. Grande laudis præconium conſecutus eſt B. Martinus: qui petenti pauperi nudo eleëmoſynam in porta Ambianenſi, cùm adhuc miles eſſet, & vitam profiteretur longè à miſericordia alienam, nec dum ſacris initiatus, ſed tantùm eſſet catechumenus, dimidiatam veſtem donauit: vnde illa Chriſti vox de eo: *Martinus, adhuc catechumenus, hac me veſte contexit*. Celebratur & in Actis Apoſtolicis diſcipula quædam nomine Tabitha, quæ tunicas & veſtes faciebat, quas viduis tribuebat: quam ſuſcitauit Petrus. Nam qui Chriſtum in pauperibus nudum veſtierit, profectò immortalitatis veſtes promerebitur, & reſurrectionem.

Luc. 3.

Mira in pauperẽ nudum Martini ad huc catechumeni beneficentia.

Actor. 9. *Ibidem.* *Matth. 25.*

Quartum miſericordię opus ad hoſpitalitatem ſpectat: quæ cæteris videtur maior, quandoquidem plura bona ſimul confert: nam hoſpiti confertur cibus, potus, lectus, cuſtodia, ſiue tutela. Sunt autem peregrini nõ tantum libenter excipiendi, ſed compellendi etiam, vt Abraham fecit cum tribus viris qui illi apparuerãt in Meridie: protegendi quoque ab iniuria; vt Angelos domi ſuæ exceptos ſanctè cuſtodiuit Loth, Gen. 19. Diſcipuli etiam proficiſcentes in Emaus, vt ad ſe diuerteret, dominũ coëgerunt, Paulus Romanos hortatur, vt ſint hoſpitalitatem ſectantes. Nam hoſpitalitas à malo temporali ſeruat, vt conſtat in Raab excipiente exploratores: multiplicat etiã bona, vt patet in vidua Sarepthana, quæ Heliã hoſpitio ſuſcepit, cuius farina de hydria, & oleũ de lecytho nõ deficit: & quod omnia ſuperat, qui pauperẽ propter Chriſtum recipit: Chriſtum ipſum ſuſcipit. *Qui recipit vos*, inquit ille, *me recipit*; &, *Hoſpes eram, & collegiſtis me: nam quãdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Nec homini tantùm viuenti hoſpitiũ eſt exhibendum, verùm etiam mortuo ſepultura, quæ hoſpitalitatis nomine in Nouo Teſtamento eſt intelligenda: quæ quinta eſt ſpecies beneficentiæ. Debetur autem mortuo ſepulchrum, quia homo ſacrum eſt animal, ac propter ſpem atque inclinationem ad reſurrectionẽ; & ad colendam mortis memoriam: ideo corpora condiebantur, & in Aegypto magna erant ſepulchra, & paruæ domus: quo vitam breuem, & futurã manſionem productiorem delinearent. Excel

Partẽ quoq; miſericordiæ eſſe hoſpitalem.

Geneſ. 18.

Infra. 19. *Luc. 24.* *Rom. 12.*

Fructus hoſpitalitatis.

Ieſu 2. & Iacob. 2.

3 Reg. 17. & ſequ.

Luc. 10. *Matth. 25.* *Ibidem.*

Opus etiam eſſe miſericordiæ mortuos ſepelire.

Quid quod Aegypti paruas domos, magna autẽ

luerunt in hoc genere beneficẽtiæ, Tobias quidem in Veteri Teſtamẽto, & viri Iabes Galaad, qui ſepelierunt corpus Saulis, quibus Dauid inquit: *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eũ*: in Nouo verò Teſtamẽto Ioſeph ab Arimathia & Nicodemus inſignem laudẽ ſunt cõſecuti; & fœminæ illæ ſanctæ, quæ emerunt aromata, vt veniẽtes vngerent Ieſum, inter quas Maria Magdalenæ paulò ante mortẽ pretioſo Dominũ vnguẽto perunxit; & Dominus factũ illius mulieris laudauit, dicẽs: *Bonum operata eſt. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*. Ad puniẽda autem magna delicta, meritò priuatur quis ſepultura: vt de quodam ſcriptum eſt à Ieremia: *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ieruſalẽ*: & de Iezabele traditur; *Iezabel quoq; comedent canes in agro Iezrahel, nec erit qui ſepeliat eã*: Eccleſia etiã contumacibus, ac in excõmunicatione defunctis, ſepulturam ſacro in loco denegat.

habebant ſepulchra. Sepulturæ qui mortuorum olim laude conſpicui.

Tob. 12. *Ioan. 19.* *Mar. 16. & Luc. 24.*

Matth. 26.

Cur quibuſdam ſepultura negetur.

Ierem. 22.

4. Reg. 9.

Sextum benignitatis officiũ in viſendis infirmis, & quantũ poſſumus ſubleuandis cõſiſtit. Vnde Salomon; *Nõ te pigeat*, inquit *viſitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis*. Gregorius Naziã. in oratione de ſubleuandis pauperibus, eos, qui ægrotãtibus aſſiſtunt, & propter Deũ ſeruiunt, tradit, ſingulari Dei munere infirmitatibus etiam contagioſis nõ infici. Duo autem infirmis beneficia potiſsimũ noſtra viſitatione præſtamus, alterũ, ſubleuando, ſi poſſumus, ab ægritudine, eorum inopiæ quacunq; ratione ſuccurrendo: quod ad medicos præſertim ſpectat ac diuites: alterum verò, quod præſtantius eſt, commonefaciendo de his, quæ ad animæ ſalutem pertinent; atq; ſuggerendo vt patienti inuictoq; animo, & cũ fructu flagellum Domini ferant, inuitando, ſi res feret, ad crebram Sacramentorũ, Pœnitentiæ videlicet, atq; Euchariſtiæ ſuſceptionem, & ad muniendũ, & præparandum pectus contra mortis ingruentis inſultus, cõtraq; extremos mortis agones & luctas. Hoc autem ad Sacerdotes ſiue ſpirituales amicos ſpectat: qui debẽt illi aſsiſtere morienti, & curam eius animæ habere: vt hac ratione infirmus, ſi non pro Domino, ſaltem in Domino moriatur.

Ad miſericordiam pariter infirmos viſitandi officium pertinere.

Eccleſ. 7. *Greg. Nazia.*

Aegroti dupliciter iuuãdi ſunt, & à quibus potiſſimum.

Apoc. 14.

Poſtremum pietas ſeu miſericordiæ opus, in redimendis captiuis, poſitum eſt: quod præſtantiſsimum eſt opus, quoniam & animam à periculo abiurandæ Fidei; & corpus à viliſsima ſeruitute liberamus: qua vna ex re inſignẽ pietatem declarant ſuã, qui vel illos commiſerantur: vnde Paulus Heb. 10. *Nam & vinctis compaſsi eſtis*; & ca. 13.

De eo beneficentiæ genere, quod in captiuorũ redemptione conſiſtit, quæ agitur.

Hebr. 10.

Infra 13.

Memẽtote vinctorum, tanquàm ſimul vincti; ita qui eos vel verbis viuis, vel epiſtolis conſolatoriis adhortantur, ſicut de beatis Cypriano & Sebaſtiano ſuperiùs diximus: vel qui in illis dum vincti ſunt, & carcere premuntur, neceſſaria ſubminiſtrãt: qua in re maximè commendantur in Nouo Teſtamẽto B. Anaſtaſia, & B. Praxedes, quæ ampla ſua patrimonia in pauperum vinctorum vſus diſtraxerunt: vel qui omninò eruunt pretio numerato, atq; liberant eos: ad quam rem eleemoſyna quæ colligitur, pretioſa eſt apud Deũ: imo ſi illa deſit, poſſunt ac debent calices, & vaſa aurea & argentea pro redimendis captiuis diſtrahi: vt egregiè docuit B. Ambroſ. in lib. Officiorum. Imò eo vſque ſolicitos nos eſſe vult Dominus Deus in ſubleuandis captiuis, vt inuentus ſit B. Paulinus Nolanus Epiſcopus, qui cùm, erogatis in vſus pauperum omnibus bonis ſuis, nihil præthereà haberet, pro filio viduæ redimendo ſe ipſum vendidit: vt Gregorius lib. 3. Dialogorum teſtatur: imitatus, vt arbitror, ſingularem Chriſti charitatem, qui ſe pro nobis à dominatu dæmonis, & peccato redimendis, ab Iuda proditore vendi permiſit. Exiſtũt prætereà defectus quidam corporis naturales, vt imbecillitas, deformitas, corporis fœditas, quorundam deſtitutio ſenſuum, amentia, hebetudo (quę cùm ob organa incommoda efficiatur, inter defectus corporeos annumeratur) & ſimilia multa, quæ ſi non ſubſidio, commiſeratione ſaltem nobis excipienda ſunt; & tanquàm debilioribus membris honor præſtandus. Quare Dominus Leuit. 19. ait: *Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum, ſed timebis Dominum Deum tuum, quia ego ſum Dominus.* Sed quidam ludum capiunt ab his, imò illudunt, & inſultant; quemadmodum amici tres ipſum Iob irridebant, atq; illi inſultabant; quòd ob demerita ſua tantũ flagellum ſuſtineret; & vxor Tobiæ, & parẽtes, & cognati eius virum ſuũ hirundinis ſtercore cæcatum illudebant, de Chriſto verò longè antè prædixerat Propheta Eſaias: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum*, ſcilicet ob peccata ſua: idem autem ſubdit: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Suſtinuit etiam in Cruce Dominus moribũdus irriſiones, maledicta, cõtumelias ac improperia, quaſi peccatorum omniũ maximus, & impotens, & ſuperbus, quique ſeruare ſe ipſum minimè poſſet. Verùm de his omnibus illuſtrem ille triumphum egit.

Quàm pium illud ſit, quotuplex, in eo, qui magna cum laude in vtroque Teſtamento verſati ſint.

Ambroſ. li. 2. de Offic. cap. 28. in fin. to. 2. in prin.

B. Greg. cap. 1 init. tom 2. ſub initium.

Matth. 26.

Leuit. 19.

In eos, qui miſeris illudunt, & inſultant.

Iob. 4 & infrà deinceps.

Tob. 2.

Eſai. 53.

Matth. 27.

Iam de iure, ſiue obligatione, quo ad miſericordiam præſtãdam obſtringimur, aliquid agendum eſt. Deus enim multis ſtimulis nos ſolicitat, vt memores ſimus legis diuinæ præſtandæ: hinc dixit: *Quę præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper*: Et iterum, *Deũ time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo*: & Dominus Ieſus in Euãgelio: *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione*: & infrà: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Cùm ergo miſericordia, tũ animi, tũ corporis interdum ſub præceptũ cadat; interdum verò conſilium ſit, non erit inutile, hæc diligentiori oratione perſequi, & elucidare. Et primùm quidem de ſpiritali dicendum eſt. Ac doctrinam quidem debent parentes neceſſariò filiis ſuis tradere, per quam de Fidei articulis, de mandatis Domini, atque Sacramentis, precandique ratione erudiant illos: vt verè ſint parentes Chriſtiani, neque tantùm parentes. Nam ſi tanto ſtudio pueri inſtituuntur in equitandi arte, & in aulica ac politiori lingua addiſcenda, in ſaltando, atq; in lyra, citharave pulſanda; ſine quibus inciuilis ac ruſticus quis exiſtimatur: quãto ergo eſt æquius, vt in agnitione Creatoris tradenda, hiſq; quæ ad filiorum ſalutem ſempiternã ſpectant, parentes inuigilent? Cui muneri ſi deeſſe inueniantur, nõ tam parentes, quàm parricidæ cenſendi ſunt. Debent & in hac tradẽda doctrina laborare Epiſcopi, nam *Oportet Epiſcopum*, Paulo teſte, *doctorem eſſe*, ſiuè vt Græcè dicitur, διδακτικόν, id eſt, appoſitũ ad docendum, & rurſus, *Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinã eſt, fidelem ſermonẽ, qui potens ſit exhortari doctrina ſana, & eos qui cõtradicunt, arguere* Nam dormiẽtibus hominibus, hoc eſt, paſtoribus, venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania, hoc eſt, hæreſes, ſuperſtitiones, & pernicioſos in moribus errores, qui ob viſcũ tenaciſsimũ huius blandæ ac ſuauis doctrinę ſenſus per hæreticos noſtro ſeculo diſſeminatæ vix auelli queunt: & infinitæ pereunt animæ, ignoratione ſalutaris, Catholicæq; doctrinæ. Hinc Dominus comminatur, ob pereũtes defectu doctrinæ animas, quod negligentiæ paſtorum ſe imputaturũ, & ſanguinem earum de manu ſpeculatoris requiſiturum declarat, apud Ezechielem.

Circa correptionem verò, nemini dubium eſt, illam eſſe præceptam. Nam ob id Heli ſummus Sacerdos, qui filios ſuos remiſſe & blandè correxit, grauiter punitus eſt: multa etiam peccata publicè admittuntur, quibus prohibendis ac radicitùs

Quo iure miſeris miſericordia debeatur.

Eccle. 3.

Ioan. 15.

Ibidem.

Parentes filiis quã debeant diſciplinam, inſtitutionemq́.

Eandem & Epiſcopis doctrinam ſuis ouibus eſſe præſtandam.

1. Tim. 3.

Tit. 1.

Zizania quæ ſuperſeminata in agro Dominico.

Ezech. 33.

Proximorũ, præſertim filiorum, correptio neceſſaria.

1 Reg. 2.

extir-

Infrà 4.

extirpandis, ſi diſciplina Principum & Rectorum inuigilaret, vt par eſt, atq; incumberet, non deſignarentur quidem; nedum fierent. Sed hoc eorum, qui prohibere poterant & debebant, nec prohibent, negligentię adſcribendum eſt: ſi quid tamē ſubditi contra eos machinentur, tanquàm in crimen læſæ maieſtatis, grauiſsimè in eos animaduertitur.

Iniuriæ proximo condonandæ, lege Diuina.
Matth. 6.

Porrò remiſsio peccatorum, quibus iniuria affecti ſumus, iuxta legis Euangelicæ præſcriptum, proximo debet impendi. *Si non dimiſeritis*, Dominus inquit, *hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Orandū pro omnibus.

Preces quoque non minus pro aliis, quàm pro nobis ipſis, fundēdæ ſunt apud Deum, neminem excludēdo ab eis: ob id communes inſtituit preces, quibus cōmunem omnium cauſam ageremus apud Deum, neq; tantùm propriam: vt precatio Dominica demonſtrat. Ad hæc, quæ corpori impenditur eleëmoſyna, & præcepta eſt, & interdum conſulta. Præcepta quidem, non tantùm à Deo, & à Natura, ſed ab hominibus etiam. Ait namq; Dominus in Deuterom. *Non deerūt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra.* & Eccle. c. 4. *Fili, eleëmoſynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne tranſuertas à paupere: debetur n. Deo qui dedit proximo ius exigendi & habendi*; Tobias item cap. 4. *Quomodo potueris*, inquit, *ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abūdāter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libēter impertire ſtude.*

Eleemoſyna corporalis triplici iure debita. Diuino nempè, naturali, & humano.
Deut. 15.
Eccleſ. 4.
Tob. 4.

Quomodo iure Naturæ eleemoſyna debeatur.

Id etiam docet arcta & exacta Chriſti Domini iudicis in die extremo faciēda diſcuſſio. Naturæ quoq; inſtinctus atq; ratio ipſa ad elargiēdam eleemoſynam vrget & ſtimulat homines, dum ait: *Quod tibi vis fieri, alteri facito*; &, *Diliges proximū tuū ſicut te ipſū.* Corpora etiam ſuperiora virtutē ſuam cū inferioribus cōmunicant, quo doceant diuites egentibus ſubminiſtrare. Continetur autem hoc ius ſubueniendi proximo, in quarto præcepto de honore parentum: vt enim ait Apoſtolus: *Pietas ad omnia valet, promiſsionem habens vitæ quæ nūc eſt & futuræ.*

Matth. 7.
Leuit. 19.
Exod. 20.
1. Tim. 4.

Vnde cōſtet humano iure debitam.

Hinc eſt, quòd omnes gētes, omnibus qui egent, eleemoſynam faciunt, vel ob legem ſcriptam in corde, vel propter legem ſcripto traditam: vt Iudæi, qui quouis anno decimas, & ſeptimo quoque pro pauperibus omnes fructus ſpontè naſcētes dimittebant; Gentiles quoque eandem præſtabant, vt Iulianus Apoſtata ex odio in Chriſtianos concepto, ſcribens ad Arſacium ex Homero probat: vt libro 6. refert Hiſtoria Tripartita cap. 29. Eccleſiaſtica decreta præterea, illam arctè mandāt, ita vt Ambroſij verbis vrgeant: *Si non paueris occidiſti.*

Leuit. 25.
Hiſt. Trip.
Ambro. in c. paſce. 86. diſt.

Cur impunis miſericordia legibus humanis.

At mulcta, qua punitur immiſericors, lege ciuili non eſt decreta: non enim punit non facientem eleëmoſynam, quia vt putant, plus conturbaret pacem Reipublicæ, cui ſat eſt, ſi iuſtitia, quæ eſt ad alterū, diligenter ſeruetur: non autem bonitas & miſericordia, niſi quatenus iuſtitię ſeruit. Eſt tamen in lege Canonica ſancita miſericordia atque aſsignata: vt, miniſtris cultus dare decimas, & Epiſcopo præbere eleemoſynam. At decimę, propriè haud ſunt eleemoſynæ, quia debita eſt iure diuino Chriſti verbi & cultus diuini miniſtris ſuſtentatio. Deus etenim ſtatuit his qui euangelizant & altario miniſtrant, de Euangelio & altari viuere: poſſuntq; à recuſantibus coram iudice exigi: quare inter eleëmoſynas decimæ annumerandæ non ſunt.

Quibus legibus nō ſit impunita. Decimas Diuino iure deben.
1. Cor. 9.

Vt velit eſſe Epiſcopum Apoſtol⁹ hoſpitalem.
1. Tim. 3. & Tit. 1.

Paſtor autem, & Epiſcopus qui animabus præeſt, arctiori iure ad ſubueniendum egenis ex his quæ ſibi ſuperſunt, obligatur: & Paulus præcipit, vt Epiſcopus ſit hoſpitalis; non ſolum autem ea ratione qua Chriſtianus quiſque hoſpitalitatem colere debet, ſed peculiari quadam, vt exponit Hieronymus, ratione. Ita vt domus Epiſcopi omnibus peregrinis, & pauperibus excipiendis pateat, quoniam ipſe pater pauperum eſſe cenſetur. Archidiaconus autem Florentinus ad Anconitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum aſſumptus, Epiſcopatu abiicitur à Gregorio libr. 12. Epiſtolarum epiſtola 6. quòd tenax eſſet ita, vt in domum eius amicus nunquàm ad charitatem intraret. Gregorius item Magnus, qui omnium pauperum neceſsitatib. de eleemoſyna proſpexerat, cùm quidā ad murus vrbis præ fame mortuus nuntiaretur, mulctam ſibi abſtinentiæ per octo dies à ſacræ Euchariſtiæ perceptione indixit: cùm tamen illius hominis mors non ſuo vitio, ſed miniſtrorum accidiſſet.

B. Hieronym.
Gre. Rom. tom. 2.

Epiſcopi cuiuſdā in hoſpitalis pœna. Gregorij Magni illius mira charitas.

Pauperum raptores bonorum diuina lege non eſſe impunitos.

Diuina etiam lex pœnas ſtatuit grauiſsimas aduerſus tenaces, & auarè retinentes quæ pauperum ſunt. Sæpè etenim bona retenta, diuino iudicio corrumpuntur ac pereunt, vt frumenta, vinum, & oleum; pecunia furto ſurripitur, menſarij, quorum fidei pecunia eſt commiſſa, decoquunt, veſtes à tinea exeduntur, ac vt aquæ putei non agitatæ marceſcunt; facileque putreſiunt; quo verò plus agitantur & extrahuntur, eo puriùs, & abundantiùs fluunt: ita hîc etiam accidit. Nam, vt ait Salomon: *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Ad hæc, crudelis, tum tenacis hominis oratio minimè exauditur. Hinc

Prou. 11.

Prouerb. 21.

Sapiens: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis; & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Quo fit, vt diuiti Epuloni petēti ab Abraham dimitti ad ſe Lazarum, qui intingeret aqua digitum, & refrigeraret linguā eius, non ſit conceſſum. Priuat ſimul æterna illa gloria, quia *in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Dominus inquit. Denique flagellantur hîc grauiter plerunq;, qui minimè miſericordes ſunt: dicitur enim per Ezechielē: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundātia, & otium ipſius, & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant.*

Luc. 16.

Matth. 7.

Quæ cauſſa Sodomorum excidij, teſte Propheta.

Ezec. 16.

Triplex indigentia, ſubleuanda.

Vt ergo hæc tam ſeuera Dei iudicia, & acerba flagella euadere valeamus, hæc quæ ſequuntur, diligēter expendenda ſunt. Vt enim cogatur quis eleëmoſynam dare, opus eſt ſuperfluo, & egente. Egere autem contingit tripliciter. Primòquidem, pro ſtatu ſeu conditione, id eſt, pro ſe, pro domeſticis, & amicis, non progrediendo in infinitum. Deinde abſolutè dicitur egere, quando ſibi, vel ſuis mors, aut magnum damnū imminet, vt non habens pro toto anno neceſſariam annonam ad victum. Tertiò, extremè quis egere dicitur, quando cōfeſtim mors imminet, quæ victu humanitùs ſugari poteſt.

Triplex quoque ſuperfluum.

Triplex etiam ex oppoſito conſideratur ſuperfluum. Et primum quidem illud dicitur, quod non eſt neceſſarium ad ſtatum, ſiue conditionem. Deinde ſuperfluum eſt, quo ſine nō incurritur abſoluta neceſſitas, etſi ſtatui ſit neceſſaria. Poſtremò, ſuperfluum id appellatur, ſine quo extrema euitatur calamitas, licèt ſit abſolutè neceſſarium. Quibus conſtitutis, quatuor eliciuntur regulæ, quarum prima ſit: Cùm adeſt primum ſuperfluum, iubemur dare primò egenti, etſi non determinatè illi, vel iſti, vel alijs, modò occurrat, etiam laicus præcisè ad opem illi ferendam obſtringitur, Laicus enim non adſtringitur quærere pauperes; ſecùs clericus: vt docent beatus Thomas, & Epiſcopus Abulenſis. Et ratio naturalis eſt: quia natura quod eſt ſuperfluum, id totum à ſe omninò abiicit.

Prima regula de ſuperfluo dando.

D. Thom. & Abulen.

Secunda regula.

Secunda regula de ſuperfluo altero, illo ſcilicet, quo ſine abſoluta nō incurritur neceſſitas: minimè obſtringitur quis vllo præcepto, primo modo egēti tribuere, ſed benè ſecundo ac tertio indigentibus. Cuius rei ſignum eſt; cùm cernit quis miſerū morti proximum, vel alios pigros, & impotentes ad largiendū: & quia datur eleëmoſyna ad releuandum inopiam ſemper eſt præuenienda extrema neceſſitas, in qua on [illegible]uaret.

Tertia regula.

Tertia regula eſt de ſuperfluo, quo incurritur abſoluta, non tamen extrema calamitas, haud cogimur iure dare primo, vel ſecundo modo egenti, ſed tātummodò extremam paupertatem patienti: qui erat tertius modus egendi.

Quarta de neceſſario largiendo.

Quarta ac poſtrema regula de neceſſario illo, quo mihi ſublato, extremè cogor egere, nemini dare obſtringor quacunque cauſſa, niſi aut Eccleſiæ Dei, aut Reipublicæ vtiliori. Omnes autem ei, qui extremè egeat, lege dare tenentur, vt filiusfamiliâs, inuito etiam patre, vxor, ſeruus, monachus, inuitis viro, domino, & Abbate, ſiquidē in neceſſitate eiuſmodi omnia ſunt communia, ſi tamen aliud nihil habeant: extra quam tamen neceſsitatem extremā dare haud compelluntur, tametſi poſsint parua concedere, & vxor de bonis paraphernalibus, vel vltra debita gratis, & filius de peculio, & ſeruus etiam de eodem peculio, ſi id ex pacto domini habet, poſſunt maiora conferre. Et ſi verò ad omnes largiendi eleëmoſynas ius ſpectet, peculiari tamen ratione obligantur religioſi, quia viuunt de eleëmoſynis, & ſunt meri diſpenſatores. Ad id pariter obſtringuntur clerici, qui etſi domini ſint bonorum ſuorum, cum onere tamen, & cùm in altiori ſint ſtatu ob exemplum dandum, & quo melius perſuadeant populis CHRISTI & ſanctorum imitationem, largiùs miſericordiam effundere debent. Quamobrem pro captiuis redimendis, & pro ædificio Eccleſiæ perficiendo, proque alendis in ſumma calamitate pauperibus, aurea vaſa, & argentea conflata, ac veſtes Eccleſiæ pretioſæ poſſunt, & quandoque debent vendi. Vnde Achatius, Epiſcopus Amidæ in Aſia, vaſa Eccleſiæ vendidit, vt Perſas, qui hoſtes erant, redimeret: vt docet hiſtoria Tripartita lib. 11. cap. 16. & Cyrillus Epiſcopus Ieruſalem; vt fami ingruenti ſuccurreret, idem fecit: vt tradit eadem hiſtoria libr. 5. cap. 37. Ambroſius verò lib. 1. Officiorum, capit. vltimo docet, diſtrahēda huiuſmodi vaſa eſſe pro redimendis captiuis. Princeps inſuper peculiari lege ad elargiendas tenetur eleëmoſynas, quia à populo lautè ex debito ſuſtentatur: tum quia boni paſtoris eſt neceſſitatibus ouium ſuarum proſpicere. Vnde quædam fame vexata dixit Ezechiæ Regi: *Salua me, domine mi Rex. Qui ait, Nō: te ſaluet Dominus: vnde te poſſum ſaluare? de area, vel de torculari?* Date ergo, & dabitur vobis. Nam Deus qui poterat ditare omnes æqualiter hanc inæqualitatem fecit, vt eſſent diuites, & pauperes, vt illorum dando, &

Clerici, & religioſi, danda eleemoſyna sent arctiori iure quàm laici teneantur.

Achatij cuiuſdam Epiſcopi in hoc genere beneficentia ſingularis.

Hiſt. Tripar.

Amb. tom. 1.

Principes largiri eleemoſynas debent duplici ratione.

4. Reg. 6.

Luc. 6.

Cur diuites Dominus, & pauperes fecit.

iſtorum accipiendo, magis coaleſceret, & gliſceret charitas. Neque par eſt, vt tantæ penuriæ tempore, tibi neceſſaria anxiè cõputes, neq; reſpicias ad omnia incommoda, quæ poſſunt accidere, quia eſſet negare Dei prouidentiam: & quod habes, conſidera te poſſe ex caſu amittere. Antequam ergo largiendi tranſeat occaſio, ſi non vis cũ Sodoma & Iudæa puniri, largas eleemoſynas facito, nam ad cœlum Chriſtus non niſi ex Monte Oliueti aſcendit, nec in Sancta Sanctorum patet aditus, niſi per duo oſtiola oliuarum, id eſt, duplicem miſericordiã, cordis & operis, ſiue ſpiritualem, & temporalem. Nam beatos fore miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, pronuntiauit Chriſtus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto ſimul ſemper viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Ezech. 16. Actor. 1. 3. Reg. 6.

Quòd in Salomonis templo per duo tantum oſtiola Oliuarum in oraculum ſignificant tationes.

TRACTATVS XVII.

In illa verba: *Quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Ariſt. tom. 2. Cur præmiũ nullum, teſte Ariſtotele, virtuti propoſitum.

PHILOSOPHVS tertio problemate illud ſerio interrogat, cur virtuti nullum ſit propoſitum præmium: quemadmodum in curſu, vel in palæſtra proponi ſolet. Reſpondet autem, idcircò id eſſe factum, quòd virtus ſibi ipſi ampliſſimum ac perfectiſſimum præmium exiſtat. Vnde Poëta quidam dixit:

Sil. lib. 13.

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces:

Et alius:

Claud. in Cõſulat. Manlij Theod. ſij.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaq; latè Fortuna ſecura nitet.

Vnde nobis tãta virtutis ignoratio, quã patimur vel eius agnitæ præſtãdæ infirmitas & impotentia.

Sed humana natura peccato vulnerata, in tantam cœcitatem deuenit, & imbecillitatem, vt nomen virtutis vix agnoſcat, ad honeſta amplectanda, & amanda vix, & magna cum difficultate propendeat; implere autem quæ veræ virtutis ſunt, ſine gratia Dei ſit impoſſibile. Ob quam cauſſam Deus Opt. Max. virtutis ſectatoribus magna præmia propoſuit. Ego Deus, inquit ad Abraham, protector tuus ſum, & merces tua magna nimis, & Dauid: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Chriſtus ergo heroicis virtutibus iſtis, ſiue beatitudinibus, quas hic enumerat, ampliſſima propoſuit præmia. Et vt amor, ob excellentiam ſuam, non plenè remuneratur neq; rependitur niſi amore: ita miſericordia noſtra, ob ſui præſtantiam, non penſatur, niſi Dei miſericordia. Miſericordes ergo ſi in miſericordia quam præſtant, miſericordiam Dei promerentur, oportet illos miſeros eſſe confiteri: quod ex parte aliqua verum eſt, quia poſſunt amittere quæ habent. Vt meritò Apoſtolus dixerit: *Si quis ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Non eſt etiam plena illa miſericordia, eo quòd ſuſcipere poteſt augmentum. Eſt autem ipſum opus miſericordiæ quædam Dei miſericordia, quæ à Deo fit nobis, & per nos in proximum, & cauſſa miſericordiæ amplioris. Vnde Paulus benedictionem, & gratiam Dei, eleēmoſynam vocat 2. Corinth. 9. & Gregorius Nazianzenus ait: *Dediſſe Deo, accepiſſe eſt.* Opus igitur ipſum miſericordiæ quod exercemus, miſericordia Dei eſt, tùm ob id, ex quo datur, tùm ob eum, cui datur, tùm ob finem propter quem datur, tùm ob ſtudium facientis, tùm denique ob imitationem. Sunt igitur hæc diligenter expendenda, & oratione illuſtranda, quo rectiùs percipi poſſint.

Geneſ. 15. *Pſal. 118.*

Noſtræ miſericordiæ præmiũ adæquatum cui ſola Dei miſericordia.

Miſericordes quatenus miſeri. *1. Cor. 10.*

2. Cor. 9. Opus miſericordiæ eſſe quãdam Dei miſericordiam propter quinque. *Greg. Nazi. orat. 27. de pauperum amore, poſt medium.*

Prima igitur conſideratio illa quæ datur, reſpicit ex quo fonte proficiſcantur: non enim de noſtro quicquam, ſed de his quæ Domini ſunt, donamus: *Tua ſunt, Domine* (inquit Dauid) *omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi:* & iterum: *Domini eſt terra, & plenitudo eius,* alibi: *Tui ſunt cœli, & tua eſt terra.* Nam etſi Dominus nobis donet quæ ſua ſunt, non tamen ipſe rei donatæ dominium perdit, vt facit homo cùm donat, & cum onere quod ipſa res retinet, donat. Eſt enim Dominus & Pater: Dominus quidem, cùm peccato ſubiacemus, vnde ait Paulus: *Non eſtis veſtri;* pater verò iuſtorum, & filiorum qui nondum emancipati ſunt, ſed adhuc ſub peculiari patris cura gubernantur; ne ſibi ipſis relicti, in longinquam regionem cum filio iuniori proficiſcatur, & diſſipent omnia bona ſua. Quare Petrus adhortatur fideles, dicens: *Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei. Si quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quã adminiſtrat Deus,* id eſt, ſi quis eleemoſynas egenti porrigit, non putet ſe ex propriis, ſed ex Dei loculis porrigere. Magna eſt Dei miſericordia ſeruo bona ſua cõmunicantis, ita vt egētibus diſtribuat quaſi propria, & remuneretur quaſi de proprio dediſſet. Ad hæc in caſu neceſſitatis extremæ bona nõ tã habētis ſunt, q̃ proximi indigentis, vt rectè dixerit B. Baſil. *Quæ dicis tua? panis famelici eſt; veſtis, quã tu recõdis, nudi; calceus diſcalceati.* Et nota, quòd ab initio omnia erant cõmunia; propter negligentiã tamen hominum in eorum, quæ in cõmuni poſſidentur, cultura (vt alias cauſas nunc

I. Ratio ex parte ipſius Dei dantis. *1. Paral. 19. Pſalm. 23. Pſal. 88.*

Dona vt ſua nobis Deus largiatur.

Idem qui Dominus & Pater noſter ſit. *Malach. 1. 1. Cor. 6.*

Luc. 15. 1. Pet. 4.

Quid illud principis Apoſtolorum: Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiã, in alterutrum illam adminiſtrantes, &c.

B. Baſil. hom. 6. in diteſcētes auaros, propè finem.

omittam) raram habuit Deus diuiſionem bonorum: ſic tamen, vt in ſumma inopia, bona egentis pauperis ſint: cui cùm reddũtur, benignitatem eſſe Deus ducit.

Secunda ratio, cur miſericordiæ opus, miſericordia Dei ſit, ex parte recipientis.

Deinde cõſiderandus ille qui recipit miſericordiã. Fit enim corpori, & animæ, & ipſi Chriſto in illis. Eſt autem humanum corpus, ſi rectè expendas, nobiliſſimum. Nam & à ſummo artifice, infinitaque ſapientia prædito, nempè à Deo formatum eſt: ab vtero matris in finem vſque vitæ cuſtodia Angelica munitum, & protectum.

Geneſ. 2. & Iob 10.

Eſt etiam mundi huius, qui ſub aſpectũ cadit finis, eiuſdemque quaſi quidã vſufructuarius: eius enim oculis omnes colores; eius auribus omnes ſoni, ac melodiæ; eius naribus odores, herbæ, aromata; eius linguæ omnes cibi, condimenta, ſapores, omnia deniq; eſculenta, ac poculẽta; eius tactui omnia mollia, ſuauia, & delicata, tributum pendunt.

Humani corporis excellentia.

Ad hęc, auxiliari inuenitur corpus animæ in omnibus actionibus humanis, & Spiritui ſancto in omnibus diuinis, quæque ex Dei gratia procedunt: in paſſionibus verò, & tormẽtis pro Chriſti fide teſtificãda, diues, ac locupletiſſimum redditur: templum eſt Spiritus S. omnium ſacramentorum Eccleſiæ quæ ſenſibilia ſunt, capax: vt docet Tertul. libr. de reſurrectione carnis: participat micas quæ cadunt de menſa animæ Spiritu S. conſolatę, ac ſanatę: poſtremò reſurrectionem expectat: terraque cuſtos carnis eius proxima inuenitur: nam etſi animalia humana corpora deuorent, illa tamen in terram redeunt per mortem.

Illud quale ſit organum animi, & Spiritus ſancti.

2. Cor. 6.

Tertull.

Eſt ergo vndequaq; hominis corpus pretioſum, & perfectum, & cuius magnam rationem haberi à nobis voluit Deus, ita vt dicat Spiritus ſanctus: *Carnem tuam ne deſpexeris*: & Iob, *Si non benedixerunt me latera eius, & de velleribus ouium mearũ calefactus eſt*, ſcilicet pauper; Apoſtolus quoque ad Philemonem: *Viſcera ſanctorum requieuerunt per te frater.*

Eius cura nõ negligenda.

Eſai. 58.

Iob 31.

Philemon.

Deinde fit miſericordia ipſi animæ, quæ excellentior, & prę ſtantior eſt longè quàm corpus, quæ eius, & mundi eſt domina, ad imaginem, & ſimilitudinem Dei condita, immortalitate, ac libero arbitrio prædita, particeps diuinæ gratiæ, atque æternæ glorię, cuius micę dotes ſunt corporis glorioſi: quanquàm nos minus eam, quemadmodum, nec Deum, nec Angelos, ob eorum ſummam nobilitatem, & excellentiam, intelligamus: & per miſericordiam iuuatur ad ea bona conſequenda, ad quæ à Deo eſt creata; & impeditur ad illicita prolabi, id eſt, ad blaſphemiam, ad deſperationem, ad homicidium, ad ſurtum, ac reliqua omnia ſiue iniuſta, ſiue turpia.

Qualis miſericordia impenditur animæ, eius dignitas atque præſtantia.

Nos ergo diligenter ſtudeamus cibandæ, ac potandæ animę, veſtiendæ quoque virtutum habitu, atque à peccatis redimendæ: nam illa maiori eſurie, nuditate, & captiuitate opprimitur.

Quę animæ, & corpori proxim. fit, Chriſto miſericordiam exhiberi.

Tertiò impenditur miſericordia hæc in anima, & corpore proximi ipſi Chriſto, qui dixit: *Quandiù feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*: & Samaritanus ille, qui miſericordiam vulnerato impendit, id eſt, Chriſtus: *Vade*, inquit, *& tu fac ſimiliter*: potens in ſuis ſanari, & cibari; quemadmodùm ipſi Adæ deſcendenti ab Ieruſalem in Iericho, & incidenti in latrones fecerat, etſi nos ei vt coniunctiori, & maximè de nobis merito, ob quem ſolùm reſpicere omnes alios deberemus conditionem naturalem, & ſanguinem, locum, amicitiam, ſocietatem, merces, & ſtudia anteponamus: infidelis autem qui nondum eſt Chriſti, niſi in ſpe, & potẽtia, remotior eſt à ratione proximi, remotiſſimus Apoſtata, & hæreticus: & ſi nulla ſuperſit ſpes, nulla ratione proximus erit, quales ſunt damnati.

Matth. 25.

Luc. 10.

Vix vllam, qui nullã habeat rationem proximi.

Tertia conſideratio finem reſpicit, propter quem impartienda eſt miſericordiæ ille autem eſt Dei gloria, de qua loquitur Petrus, cùm ait: *Si quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum*, ac Dominus: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*, id eſt, quod Dei intuitu facere cœpiſti, non obnubiletur ſiniſtra vlla, aut impura intentione: propter quod Salomon dixit: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

Tertia ratio, ab ipſius miſericordiæ fine.

1. Pet. 4.

Matth. 6.

Eccleſ. 29.

Ita enim occultè atq; abſconditè, quantum fieri poteſt, danda eſt eleemoſyna, vt per ſolam intentionem ſoli Deo nota eſſe videatur. Vnde Paulus illam ſemini comparauit: *Qui parcè*, inquit, *ſeminat, parcè & metet.* Nam vt ſemẽ, vt germinet, abſcondi in terra debet: ita eleemoſyna, vt meriti fructum apud Deum obtinere valeat, abſcondi per nos hominum oculis debet.

Eleemoſyna cur ſemen ab Apoſtolo nominetur.

2. Cor. 9.

Et vt Deus vniuerſa propter ſemetipſum operatur, magna profectò dignitas eſt, ſi nos honori eius, & gloriæ illuſtrandæ ſeruiamus, omnem ſpeciem ambitionis, aut auaritiæ, aut hæreſis, aut luxuriæ ab omnibus bonis operibus noſtris, & præcipuè miſericordia ablegantes.

Prouerb. 16.

Quartò, Deo cooperatur miſericors, qui Angelos, imò vniuerſum mundum occupat in corporibus noſtris alẽdis, & animabus cõſolandis. Nam cùm per ſe ſolus, ſine luce illuminare poſſit, & ſine igne calefacere, & ſine doctore docere, & ſine nobis pauperes alere, & conſolari: voluit tamen per nos vt Dei adiutores, alios inſtrui, inopiaq;

Quarta ratio, cur in quã, noſtra, ſit Dei miſericordia ab hominis ſtudio & efficientia.

ſuble-

ſubleuari. Nec propterea quicquam nobis arrogare debemus, cùm tota laus palmitis

Ioan. 15.

fructum ferentis à vite pẽdeat, & virtus oleaſtri in oliuam bonam inſerti, fructumq́; producentis, oliuæ ſit adſcribẽda. Et quãquàm illi, qui totum Deo adſcribunt, & nihil ſibi tribui volent, humiliores & modeſtiores videãtur: tamen qui ſe adiutores & adminiſtros Dei agnoſcunt, & ex virtute ſibi communicata operantur, præclariùs de Deo ſentire videntur, qui id de Deo ſentiunt, quod ipſe voluit nos ſentire.

Rom. 11.

1. Cor. 3.

Deo glorioſiorem eſſe, quàm ſecus noſtram cũ Deo cooperationem, contra Pelagianos.

Vera ergo Dei præconia, veræque laudes nequaquam ex ſenſu, & arbitrio noſtro pendent: vt ſcilicet illud magis Deum exaltet, quod magis ad nos deiiciendos facere videatur, nam ea de cauſſa Arriani, Manichæi, Pelagiani, & nouiſſimi Lutherani ſua dogmata conſtabilirent. Verùm non conſiderant iſti, artem laudandi Deum ſolùm in Eccleſia eſſe ſitam, vt pulchrè annotauit Auguſtinus in illa verba: *Laus eius in Eccleſia ſanctorum.* Omnis ergo hæreſis, quæ profitetur ſuo modo Dei laudes canere, & gloriam Dei illuſtrare, fallitur, quia ab ſchola Eccleſiæ Catholicæ diſcedit, in qua ſolummodò vera ars laudandi Deum addiſcitur.

B. Auguſt.

V. Ratio ab imitatione.

Poſtremò habet miſericordia Dei imitationem, quia Deo similẽ reddit, hinc Dominus dixit: *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt:* imitatur etiam ſuperiora corpora, & Angelos ipſos, omneſque creaturas, quæ quidem ſolicitæ ſunt in virtute ſua cum aliis cõmunicanda.

Matth. 5.

Deinde miſericordia ex propriis fructibus donantis conſideranda eſt. Nam per illam damna temporalia euitantur, cùm bona tẽporalia retẽnta, quemadmodum mãna in diem ſequentem aſſeruatum, marceſcãt, ac putreſiãt. Deus itẽ miris artibus ſuis bonis ſpoliat auaros, ſæpè per famẽ, bellũ, peſtem, ſæpè quoque per fiſcum, & ſi non hic, ſaltem in morte diuitiæ nos deſerunt: vt illi dictum fuit à Domino: *Stultè, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Confert quoque eleẽmoſyna ad augmentũ bonorum fortunæ. Vt enim putei quo plus exhauriuntur, eo plus aquæ emittunt: ita etiam miſericordibus, & ſua largientibus ſæpè contingit. Hinc legimus Iob omnia bona ſua, quia excellenti præditus erat benignitate, ac patiẽtia, in duplum fuiſſe reſtituta, Tobiæ etiam miſericordis domus tandem aucta, & locupletata fuit. Viduæ quoq; Sarepthanæ oleum, & farinã multiplicauit Propheta: quemadmodum, & panes, ac piſces, Chriſti, & Apoſtolorum manibus aucti ſunt: Paulus item ait: *Augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Sed quia di-

Exod. 16.

Diuina immiſericordium pœna.

Luc. 12

Secũdus fructus miſericordiæ.

Iob vlt.

Tob. 4. & 11.

3. Reg. 17.

Matth. 14. & infra 15.

uitiæ non ſemper proſunt habenti, haud poſſunt eſſe præmium ex pacto, ſed hoc quandoq; ob fidem poſterorum fit, vt tradit Gregor. Nazian. in orat. de miſericor. pauperib. exhibẽda. Ad hæc, remiſſio peccati admiſſi, fructus eſt eleemoſynæ: *Peccata*, inquit Daniel, *tua eleemoſynis redime*, rurſus Salom. *Miſericordia, & virtute redimitur iniquitas.* Præſentis culpę veniam impetrat: ſicut enim aqua extinguit ignem, ita eleẽmoſyna extinguit peccatum: A futuro peccato cauere facit, dicitur enim Eccleſ. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis, & Deus proſpector eſt eius qui reddit gratiam.* Peccatum etiam alienum tollit, vt cùm pro amico mortuo, vel viuente eleẽmoſynam elargimur. Ad hæc, operatur miſericordia iuſtitię incrementũ tùm per viam meriti, tùm per modum impetrationis, ſiue propriæ, ſiue pauperis, cui fit. Ideò ſi ſapimus, ad hæc promerẽda bona ſpiritualia, ſiue impetranda, impartiẽda miſericordia eſt, nẽpe, vt perueniamus, vel ad manſuetudinem, vel ad caſtitatem, vel ad ſpiritum deprecationis obtinendum: & hoc eſt quod ait Salomon: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo:* & apud Tobiam dicitur c. 4. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna omnibus facientibus eam:* quod ita intelligendum arbitror, vt eleemoſyna magnam fiduciam pręſtet apud Deum, quæcunq; dona ad ſalutẽ, ſiue etiã ad perfectionem ſpectãtia impetrando. Præſtat præterea exultationis, & lætitiæ materiam eleemoſyna. Hinc illud: *Gaudium iuſto eſt facere iudicium,* hoc eſt, eleemoſynam, quæ iudiciũ, id eſt, iuſtitia propterea dicitur, quod Deo debita ſit, qui illam in paupere ſuſcipit eſuriẽte. Ad eleẽmoſynã ſub promiſſa cõſolatione hortatur Dominus his verbis per Eſaiam: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagosq́; induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris: Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.* Poſtremò, ſũma in cęleſti regno miſericordia, prę̨ſentis eleẽmoſynæ fructus eſt, & præmiũ: quare Dominus dicturus eſt in die iudicij: *Venite benedicti Patris mei, &c. poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi mãducare:* & reliqua, & Salom. *Omnis miſericordia faciet locũ vnicuiq; ſecundũ meritũ operum ſuorum;* Paulus item: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Miſericordiã ergo conſequentur, quia liberabũtur à miſeriis huius vitę, & cõſequentur

Greg. Nazian orat. 27.

Tertius fructus eleẽmoſynæ.

Dan. 4.

Prouerb. 16.

Quartus.

Eccleſ. 3.

Quintus, & ſextus.

Eccleſ. 29.

Tob. 4.

Fiducia magna coram ſummo Deo quomodo erit eleemoſyna omnibus facientibus eam, vt Tobias dixit.

Septimus fructus.

Prouerb. 21.

Eſai 58.

Octauus & vltimus omnium, vel maximus miſericordiæ fructus.

Matth. 25.

Eccleſ. 16.

2. Cor. 9.

Chriſtum, qui eſt noſtra magna miſericordia, & peruenięt ad regnum illud omnibus bonis affluẽter cumulatum: quod erit electis quaſi cibus, potus, veſtis, ſanitas, libertas, & reliqua omnia, quæ nos Chriſto libenter elargiti ſumus. Quòd ergo dicitur:

Miſericordes multò maiorẽ, quam dẽt, à Deo miſericordiam cõſequentur.

Miſericordiam conſequentur: etſi videatur æqualis retributio operibus miſericordiæ præſtari, reuera tamen non eſt æqualis, ſed multò maior: non enim humana, & diuina miſericordia pares eſſe poſſunt? Condonaſti proximo leuem aliquem offenſam? condonabit Deus tibi omnia delicta. Remiſiſti temporariam vindictam fratri? tibi remittet Deus æternam. Subleuaſti pane, vel pecunia fratris tui inopiam? tibi reddet Deus cœleſtium opum theſauros.

Rom. 1.

Cur beati miſericordes.

I. Ratio.

Dicuntur autem propterea beati miſericordes, quia exiſtunt non ſolùm ſupra, ſed etiam contra doctrinam impiorum, & mundi dilectorum, qui ſine affectione & miſericordia ſunt: vt ait Paulus ad Roman. 1. Iſtis enim qui ſeipſos tantùm diligunt, ſtultum videtur propter alios miſerum fieri, & plangere: cùm tamen vel à quibuſdam animantibus erudiri poſſint, quæ ad ea quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, miro affectu ad ſuccurrendum ducuntur; inter quas ciconiæ commendantur, quæ mutuam vicem rependunt parentibus. Oua etiam ab auibus excluſa, ſed expoſita, ab diuerſæ ſpeciei fouentur animantibus. Quis neſciat, leones generoſos parcere proſtratis; errantesque ad viam reducere, atque in eos, à quibus ſunt beneficio affecti, grati animi ſignificationem edidiſſe? lupæ verò paruulos à matribus catulos derelictos ac expoſitos, & nutriunt, & defendunt.

Miſericordię & pietatis veſtigia in brutis animantibus.

II. Ratio.

Eſt & hæc beatitudo ſupra humanam doctrinam Philoſophorum. Nam etſi illi multa de liberalitate & magnificentia tradant, non tamen peruenerunt eò, vt omnibus ſe propter Chriſtum in proximis alendis expoliarẽt.

Tertia.

Eſt ſupra etiam doctrinam legis Moyſi; quæ tametſi illos ad eleẽmoſynas temporales dandas inſtituerit, vt cõſtat ex Deuteronomij cap. 5. & ad tertiam decimam per triennium erogandam compelleret Iudæos, vt habetur Deuteronom. 14. & ad mutuandum fratri egenti ſine vſura præciperet; polliceretque tantam bonorum abundantiam, quæ omnem abſorberet mendicitatem: de ſpirituali miſericordia tamen tradidit nihil, quæ propriè ad Nouum Teſtamentum ſpectabat; quæ Chriſtiani cor tanquam hoſpitalem domũ efficit, vt ad omnes alienas miſerias in ſuo corde excipiendas. Vt diceret Paulus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Efficit ſacrificium viuum ac rationabile: de quo gloriatur Iob ſanctiſſimus: *Ab infantia*, inquit, *mea creuit mecum miſeratio; & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum*: & Apoſtolus, *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus.*

Suprà 14.

Deut. 15.

Chriſti lex ſola miſericordiam ſpiritualem agnoſcit, & præcipit. Eius effectus.

2. Cor. 11.

Iob. 31.

Hebr. vlt.

Martyrio, thuri, vnguẽto, & vſuræ eleemoſyna comparatur.

Matth. 7.

Eſt item miſericordia interna gratum Deo, propriiſque manibus acceptum martyrium: eſtque ſine vllis plagis externis, & valde ſecurũ, cuius martyrij mala propria, ſiue aliena, vel corporis, vel ſpiritus, ſunt carnifices, ex quibus, tanquam ex ſpinis, vuas colligit, & velut ex terra ſterili frumẽtum optimũ. Ad hæc thus eſt, quod in prunis afflictionum proximi odorem ſuauiſſimum emittit. Eſt vnguentum, quo Chriſtis in mẽbris illis quæ vnctione indigent, qualia ſunt pedes, id eſt, minimi & paupertate afflicti perfunditur. Eſt vſura quædã cum Deo: nam fęneratur Domino, qui miſeretur pauperis: efficiturq; Dominus ſeruus eius, à quo mutuum accipit: dicit enim idem Salomon, *Qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis.*

Prouerb. 19.

Prouer. 22.

Chriſtus Dominus opera nobis miſericordiæ commendans, deq; iis reddendam aliquando nobis eſſe rationem nos admonens, quid agere videatur.

Moris eſt, vt ad Doctoratus & magiſterij gradum aſpirantes, diligenter priùs de idonea & ſufficiẽti doctrina examinentur, quibus propterea de more aſſignantur capita, ſiue theſes, ad quas diem ad condictam reſpondeant, quo eruditionis ſuæ ſpecimen aliquod edant: quòd ſi illi certò prænoſcerent per multos menſes, antequam ad diſputationem deſcenderent, ſe in illis fore examinandos, profectò id eſſet ſibi gratiſſimum, ac iocundiſſimum, & operam diligentem nauarent, ne quicquam poſſet in ſua diſputatione deſiderari. Vide ſingularem & incomprehenſam Filij Dei bonitatem, & charitatem. Nam cùm vellet nos ad ęternorum bonorum poſſeſſionem promouere, ne minus inſtructi ac parati accederemus ad tribunal diuinæ iuſtitiæ, admonitos nos eſſe voluit operũ miſericordiæ, quo eorum rationem ſtrictam à nobis eſſe exigendam intelligeremus. Ait namque: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: Sitiui, & dediſtis mihi bibere: Hoſpes eram, & collegiſtis me:* & quæ ſequuntur. Et ne quiſquam cauſſaretur, ſibi Chriſtum non occurriſſe, in quẽ hęc cõferret beneficia, ſubiungendo explicauit, *Quandiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Solùm enim iudicium inueniet ſine miſericordia, qui non fecit in proximum miſericordiam. Ideò tenax ille diues Epulo à miſericordia Abrahæ & Lazari excluditur in Euangelio. Poſtquam igitur tanta eſt ſeges calamitatum, & ſylua miſeriarum, tùm corporis, tùm animæ in

Matth. 25.

Ibidem.

Iacob 2.

Quale iudiciũ immiſericordibus fiet in nouiſſimo.

Luc. 16.

hoc

hoc mundo, & nos ipſi tanta quotidie mala experimur, abſurdum valdè fuerit, & naturæ noſtræ diſſentiens, ſi tardiores ſimus ad operà benignitatis præſtanda; cùm ad illa, & verbo, & exemplo maximè ſit nos Chriſtus cohortatus: cui cum Patre, & Spiritu S. eſt ſempiternus honos, & gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS XVIII.

In illa verba: *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.*

B. Aug. lib. 1. ſerm. Domini in Monte, 4a. 2. tom. 4.

VT Beatitudo hæc maiori orationis luce illuſtretur, quatuor ſunt in ea diſtinctè explicanda, atque tradenda. Primum eſt, cur ſextum locum hæc beatitudo obtineat; deinde, qui ſint iſti mundo corde, ſiue, vt Auguſtinus compoſita voce, mundicordes dixit: tertio loco, cur tales beati dicantur: poſtremo, quale ac quantum præmium ſit videre Deum.

Cur ſexto beatitudinũ loco numeretur cordis munditia.

Poſtquàm per tres priores beatitudines benè circa ſeipſum homo eſt inſtitutus, & circa proximum per duas poſteriores, iuſtitiam, & miſericordiam: iam per ſextam & ſeptimam, nempè per cordis munditiem & pacificationem, rectè in his, quæ ſpectant ad Deum, inſtruitur atque edocetur: & ita ſextum occupat locum cordis munditia. Vt enim ſexto die impuritas peccati & immunditia in cor hominis eſt ingreſſa; & Chriſtus ſexta mundi ætate ad nos venit: ſexta item die, atque hora ſexta in crucem conſcendit, atque ex eius latere fluxit ſanguis & aqua ad redimendum ac abluendum cor noſtrum ab omni ſorde, & dæmonis captiuitate: ita ſexto loco rectè conſtituta eſt à Domino cordis munditia. Aptè etiam poſt miſericordiam hæc beatitudo ponitur, teſte Chryſoſtomo: quia non ſatis eſt proximi miſereri, & in peccato carnis inquinatum manere, vt quidam decepti exiſtimant: ex quibus videntur Phariſæi fuiſſe, quibus Dominus, vt quidam exponunt, ironicè dixit: *Veruntamen quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce, omnia munda ſunt vobis*; alludens ad illorum ſenſum, quo facienti eleëmoſynam exiſtimabant, nulla carnis vitia officere poſſe: quod pernicioſum & hæreticum eſt dogma. Addit etiam Ambroſius, non ſatis eſſe proximum miſerari, niſi talis miſericordia propter Deum impendatur. Ambroſij verba ſunt hæc: *Qui miſericordiam defert, miſericordiam amittit, niſi mundo corde miſereatur.* Hactenus de ordine.

Geneſ 3. Matth 27. Ioan. 19.

II. Ratio.

B. Chryſ. ho. 15. in Matth. tom. 2.

Luc. 11.

Ambr lib. 6. in Lucam, in caput de Beatitud. tom. 4.

Καθαρὸς Græcè quid.

Ad ſecundum, obſerua, verbum Græcum *Καθαρὸς*, innocentem & ſimplicem ſignificare, & illum propriè, qui in ſanguine vel morte alterius manus non tinxerit. Omne autem peccatũ ſanguinem fundit, ſiue proximi, quem non tantùm manu, ſed etiam malo exemplo necare poteſt; vel ſui ipſius, quia mortem ſibi conſciſcit: *Anima enim quæ peccauerit, ipſa morietur*; vel deniq; cùm ipſi ſibi manus infert, cùm ſui iuris nõ ſit, ſed Dei, & Chriſti, qui ſe redemit: & qui eius ſanguinem cõculcat, & pollutum ducit, homicidium perpetrat. Vox verò Latina *Mundus*, purum ſignificat, & ſordis expertem, metaphora ducta, ſiue à grano frumenti, quando eſt palea exutum, ſiue à pomo, cùm eſt à cortice ſpoliatũ, ſiue ab auro, quando eſt ab omni ſcoria purificatum ac defœcatum: hinc mundus muliebris cõplectitur omnia quę fœminarum defectus tollunt, & ipſas exornant. Atque vniuerſitas iſta creaturarum Mundus dicitur, ob eius pulchritudinem & elegãtiam: nã Deus eum in ſe mundum, & valdè bonum fecit, etſi nos vitiis noſtris ac flagitiis illum polluamus ac cõtaminemus. Cor verò, membrum eſt hominis internum, atq; adeò vnũ ex viſceribus, nam interna omnia membra, viſcera dicũtur; igneum, & in ſummo ſphœricæ figuræ; infrà verò pyramidis ſimilitudinem gerit; ſedes animæ, principiumq; vitæ, fons arteriarum & venarum ac ſenſuum, & ob id maximè dilectũ atq; pretioſum. Quo fit, vt filiolos, quos ſummo amore diligimus, cor noſtrum, corculumve vocemus: metaphoricè autem ſpiritum, mentemve ſignificat. Vnde Cicero prima Tuſculana: *Cor noſtrum*, inquit, *animus noſter videtur*. Intelligimus aũt nomine ſiue cordis, ſiue ſpiritus ſeu mentis, tùm intellectũ, quo ſublimia & ſpiritualia ratione apprehendimus, & iudicamus; & intellecta retinemus: vt non modò ſit facultas intelligendi, ſed etiam intellecta retinẽdi. Significat etiam voluntatem, qua bona per intellectum repræſentata diligimus, & expetimus: atq; ita ſunt tres illæ facultates internæ, atq; intimæ. Hinc illud: *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile*, & rurſus, *Quis enim hominũ ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* His autem tribus facultatibus, quaſi igneis, ad Deum contemplandũ & amandum, per hæc inferiora ſurſum tẽdimus; rurſus à Deo ad inferna hæc ſpeculanda deſcendimus: atq; ita figuram ſphœricã abſoluimus. Sunt rurſus ſedes omniũ actionum noſtrarũ vitalium, ſiue mortiferarum, vt propterea dictũ ſit: *Omni cuſtodia ſerua cor tuũ*, id eſt, mentẽ: nã aliud ſen-

Ezech. 18.

Hebr 10.

Mũdus quid Latinè: vnde ſunt metaphora.

Geneſ. 1.

Quid ſit cor: eius officia.

M. Tull.

Cordis impropriè acceptiones tres.

Ierem 17. 1. Cor. 2.

Prouerb. 4.

Explicatur id: Omni cuſtodia ſerua cor tuũ, quia ex ipſo vita procedit.

Matth 15. Cor vbi Intellectum ſignificet. Rom 1. Actor 15. Ephe. 1.

ſibile cor ſatis per ſe à natura eſt munitũ, & cuſtoditũ. Ac ſubdit: *Quia ex ipſo vita procedit*, hoc eſt, viuę, & gratia Dei vitã adſerentes actiones, quibus vita ęterna debetur. *De corde*, inquit Dominus, *exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, &c.* In hunc ergo modum cor, intellectum deſignat: hinc illæ voces, *Obſcuratum eſt*, inquit Apoſtol. *inſipiens cor eorum*; ac Petrus, *Fide purificans corda eorum*, ſcilicet intellectum; idem Paulus, *Vt Deus, &c. det vobis Spiritum ſapientia & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis veſtri.* Deinde ſignificat memoriam, ſiue intellectum retinentem. Hinc Dauid: *Lex Dei eius in corde ipſius*, nempè in memoria: & Prouer. 4. *Suſcipiat verba mea cor tuũ: cuſtodi præcepta mea, & viues*, & Dominus: *Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos*: Marci quoq; 8. *Adbuc*, inquit, *cacatum habetis cor veſtrum? &c. nec recordamini, quãdo quinq; panes fregi in quinq; millia?* vbi cor pro memoria apertè accipit. Tertiò accipitur pro voluntate, vt ibi: *Quã bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde? Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde*: &, *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet*: rurſus, *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum*; item cùm ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Vbi memoriam. Pſal 36. Prouer. 4. Luc. 9. Marc. 8.

Vbi voluntatem denotet. Pſalm. 72. Pſalm. 31. Ioan. 14. Infrà 16. Deut. 6.

Mundo corde, qui minimè beati.

Dominus igitur hoc loco non prædicat beatos eos, qui cor carneum mundum habent; quippè ad hoc conſulendi eſſent nobis medici, qui pharmaca cor ipſum purgantia, lætificantia, corroborantia ve exhiberent: at Chriſtus, medicus de cœlo miſſus, cor hominis ſpirituale purgat ac munit, & ad gaudium vocat. Et hæc de vocibus ſint ſatis.

Mundi corde qui nam apud Patres. Hier tom. 9. Baſil. interrogat. 180. tom. 2. B. Chryſoſt.

Circa rem verò; Mundi corde ſunt, ſecundùm Hieronymum, quos nullius arguit conſcientia peccati. Et Baſilius in regulis breuioribus ſic ait: *Mundo corde ſunt, qui ſe ipſos non reprehendunt, quòd Dei mandatum aut ſpreuerint, aut plenè executi nõ ſint, aut neglexerint*; Chryſ. verò hom. 15. in Matth. *Mundos hic appellat, aut vniuerſalem virtutem tenentes, & nullius ſibi malè conſcios, aut continentia conſpicuos.* Et in homil. 9. Autor imperſ. oper. *Mundo corde ſunt*, inquit, *qui non ſolùm non faciunt malum, nec cogitant; ſed adhuc etiam qui omne bonum & faciunt ſemper, & cogitant.* Hæc illi Patres ſancti: qui dum aſſerunt mundos corde eſſe eos, quos nullius peccati conſcientia arguit, aut qui nullum delictum fecerint, aut deſignauerint: id rectè intelligendum eſt: nulli enim propriè ſunt tales, cùm ſcriptum ſit: *Non eſt iuſtus quiſquam: omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*: &, *In multis offendimus omnes*: ſed eos duntaxat, qui de peccatis ſuis pœnitentiam egerunt, atque ſatisfactione Deum placauerunt: adde, vt conſcientia eos non reprehendat amplius.

Autor oper. imperfect. in Matth. tom. 2 oper. D. Chryſ.

Mũdi corde non peccantes, quo ſenſu à Patribus dicuntur. Pſalm. 13. & Rom. 3. Iacob 3. 1. Ioan. 3.

Duplex immunditia.

Verùm vt fuſiori ſermone per partes appareat hęc cordis munditia, in primis dicendum eſt, intellectus officia eſſe, apprehendere, conſulere, iudicare, ac imperare. Duplex eſt ergo eius immunditia: altera eſt, cognitio noxiarum & vanarum ſcientiarum eorum, quæ ad carnem & mũdum, & curioſitatem ſpectant: ad hæc, notitia falſorum atq; perniciosorum dogmatum, qualia ſunt: Non eſt Deus: Non habet prouidentiam: Anima immortalis non eſt: deniq; omnis hæreſis miro modo inficit intellectum: Altera immunditia eſt, rerum humanæ vitæ conducibilium, & maximè eorum, quæ ad ſalutem pertinent, ignoratio. Et vt prior immunditia eſt tanquã tabula malè ſcripta, ita poſterior eſt tãquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum: tabula autem benè ſcripta eſt, quando adeſt fides, & diuini luminis ſcientia, per quam ab inutilibus & noxiis ſcientiis abſtinemus, & quæ præcepit nobis Dominus, cogitamus ſemper, & in lege eius meditamur diè ac nocte. Vt autem hæc munditia cordis nobis cõtingat, opus eſt in primis fide cor purificante: vt dixit Petrus Act. 15. nam vt lux aërem à tenebris, ita fides animum à falſis, & vanis cogitationibus diſcernit: quoniam inſtruit, tùm de fine vltimo, cùm ſit ſubſtantia rerum ſperandarum, & argumentum non apparentium, tùm de his quæ ad finem conſequendum faciunt: *Intellectum*, inquit, *tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris.* Deinde per eam probare legitimè poſſumus, an ex diabolo in Angelum lucis transfigurato; an ex bono DEI miniſtro fidem rectam habente, an verò ex falſò miniſtro ſanctitatem vitæ & modeſtiæ ad decipiendum præ ſe ferente. Quo fit, vt Tertullianus libr. de Præſcriptionibus hæreticorum, eos increpet, qui ab externis virtutibus vitęque apparente exemplo veram dogmatum fidem ſtatuebant. *Ex fide*, inquit, *probamus perſonas, an ex perſonis fidem?* Docet poſtremò hæc fides quid ſit Deus: & quid homo: & quid mediator Dei, & hominũ: quid poſſit homo adiutus viribus naturę, & quid homo virib. gratię.

Pſalm. 13.

Vtraq; tabulæ malè ſcriptæ, & tabulæ raſæ comparatur.

Eccleſ. 3. Pſalm. 1.

Ad cordis munditiã fides eſt multipliciter neceſſaria. Actor. 15. Hebr. 11.

Pſalm. 1.

1. Ioan. 4. 2. Cor. 11.

Tertull.

Perſonæ ex fide probandæ ſunt, non cõtra, ait Tertullianus. 1. Tim 2.

Intellectus, opera, Conſilium nempè, & iudicium, vt dirigat Fides. 3. Reg. 12.

Quantum ad conſilium, quod opus eſt intellectus, dirigit nos fides, vt non ſequamur cõſilia iuniorum cum Roboam, neq; abeamus in conſilio impiorum; ſed Deum & legem eius conſulamus, iuxta illud: *Conſilium meum, iuſtificationes tuæ.* Circa iudiciũ

verò;

Pſalm 5. Pſal 118. Ioan. 7. Eccleſ 21. Stultus iuxta Sapientem, qui reſpicit per feneſtrã.

verò, docet ne ſit præceps, ſed maturè omnia conſideret: Monet, ne ſecundùm faciem, & externa, ſed iuſtum iudicium iudicemus, nam & ſtultus, vt ait Sapiens, reſpicit per feneſtras, id eſt, iudicium format ſecundùm ea, quæ extrinſecus apparent, & ſenſus iudicant: Inſtituitur præterea iudicium noſtrum, vt præclarè & magnificè de Deo ſentiamus, & præſtantiſſima quæque illi tribuamus; de proximis verò, nonniſi ſecundùm Dei legem ſentiamus, dubia in meliorem partem interpretando; defectibus, ſi quos habet, ignoſcendo, eoſque perferendo.

Quomodo circa imperium, Fides quoque nos moueat. *Matth. 23.*

Quod ad imperium attinet; fide imbuimur, vt nonniſi honeſta, iuſta, & quæ expediunt, imperemus; atque ad illa re præſtanda primi ſimus: ne audiamus illud verbum: *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere.*

Vt verò ab eadem circa memoriam doceamur. *Philip. 3. Pſal. 44.*

Circa intellectum verò, quatenus facultas eſt retinendi, ſi iniuriarum obliuiſcatur, & cum Paulo poſſit dicere: *Quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora, extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor*: ac obſeruat illud Prophetæ dictum: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiſcet Rex decorem tuum.*

Homini quæ ſæpe ac ſæpius animo recolenda. *Pſalm. 70. Pſal. 102.*

Debet etiam intellectui frequens Dei recordatio occurrere, iuxta illud: *Memor fui Dei, & delectatus ſum*: debet & legis diuinæ meminiſſe, vt illam obſeruet, vt illi, de quibus Dauid, *Et memores ſunt mandatorum Dei ad faciendum ea.* Admiſſa peccata recogitare debet, vt illa dignis pęnitentiæ fructibus defleat, ſancti Regis Ezechiæ exemplo, qui dicebat; *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ergo à futuris delictis abſtineat, illud ſeruat; *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Eſai. 38. Luc. 3. Eccleſ. 7.

Volũtas quomodo ſe ad finẽ habeat, & ea quæ ſunt ad finẽ.

De voluntate verò ſtatuendum eſt, plures eſſe eius actus. Nam vt primùm apprehenditur per intellectum finis, ſtatim ſequitur illius voluntas, quàm conſequitur delectatio quædam in eo, ac imperfecta fruitio; deinde conſequitur eius aſſequendi intentio: & ſic quidem ſe habet voluntas erga finem. Erga ea verò, quæ media vocantur à Philoſophis, quibus finis comparatur, ſic ſe habet voluntas, vt vtatur ratione ad conſultandum: deinde eſt ipſum conſilium de his quæ ad finem: tertiò eſt conſenſus, ſeu iudicium vni parti adhærens: quartò eſt electio præferens alterum eorum quæ concluſa ſunt: & ſic perfectè vult quis id, quod eſt ad finem.

Voluntatis quatuor actꝰ pro conſecutione finis.

Præterea perfectè ſe habet voluntas ad finem re ipſa conſequendum, cùm in primis imperium adhibet, ſeu præceptum, quo ea, quæ concluſa ſunt, mandare executioni iubet. Secundò eſt vſus, quo voluntas facultates executioni deſeruientes ad actiones ſuas congruas mouet, vt manus ad operãdum, pedes ad deambulandum, & ſic de reliquis. Tertiò, executio ipſa, qua id quod eſt ad finem præſtamus, & per conſequens ipſum finem conſequimur. Quartò, eſt perfecta ipſius finis acquiſiti fruitio.

Eiuſdem alij quatuor actus ad finẽ actu, & perfectè conſequendum.

Voluntas quot modis purgetur, ac mundetur. *1. Cor. 10.*

His poſitis, purgatur in primis voluntas per opera noſtra in Deum tendendo, vt illi ſoli placeamus, cuius creaturæ ſumus. Hinc Paulus, *Omnia*, inquit, *in gloriam Dei facite.* Ideò immundus eſt vt coruus, qui Deum non propter ſe, ſed propter aliud quærit; nempè vt ditetur, vel vt delicietur, vel vt auram & gloriam populi aucupetur, quales erant Phariſæi, qui omnia ſua faciebant, vt glorificarentur ab hominibus.

Altera purgatio *Matth. 6.*

Deinde voluntas purgatur, cauendo à duplici corde, quo Chriſtum, & mundum in opere noſtro coniungere volumus: quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire, nemoque ſimul poteſt ſorbere, & flare, nec ſedere in duabus ſellis: & canis qui duos lepores inſequitur, neutram apprehendit. Et vt cor vana intendens, vanum dicitur, & longè eſſe à Deo, iuxta illud: *Cor eorum vanum eſt*; rurſus: *Cor autem eorum longè eſt à me*: ita iſtud plures fines affectans, dicitur cor diuiſum: de quo Prophetes: *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt*; ſicut illud non retinens quæ illi commendata ſunt, cor eſt diſſolutum: vnde Ioſue 5. *Diſſolutum eſt cor eorum*; & Eccleſiaſtici 2. *Væ diſſolutis corde.*

Pſalm 5. Eſai 29. & Matth 15. Cor diuiſum & cor diſſolutum, quæ nam illa. *Oſeæ 10. Ioſu 5. Eccleſ. 2.*

Tertia purgatio voluntatis.

Purganda eſt præterea voluntas à lethali crimine, quod eſt ſumma immunditia, animæque impuritas: nam eſt vti fruendis, & frui vtendis. Cor enim noſtrum cum terrenis per deſiderium admiſcetur, polluitur, atque inquinatur; cùm diuinis verò & cœleſtibus per amorem coniungitur, mundum ac purum redditur: quemadmodum aurum ferro, vel plumbo coniunctum, vileſcit, atque deſcendit; cùm verò vnitur adamanti, aut lapidi pretioſo, aſcendit, ac perficitur.

Anima, ſeu volũtas Deum per peccatum deſerens, quid faciat infelix. *Pſalm. 44.*

Abſurdum etiam prorſus ac indignum eſt, cùm anima, ſeu voluntas à Deo in ſponſam aſcita ſit, atque exaltata, cuius ſponſalia, ornamentaque in Baptiſmo accepit, ſi dum ad ſponſum duceretur legitimum acquieſceret operi neſario, atque cum fœdo, atque ignobili Aethiope, Chriſto contempto, qui ſpecioſus eſt forma præ filiis hominum, iniret connubium.

Lethalis macula peccati quàm turpis.

Eſt autem peccati macula illa maxima, quoniam reddit animam Deo odioſam & in-

uilam;opuſque fuit lixiuio ſanguinis & lachrymarum Chriſti ad illam abluendam.

Apoc 1.

Anima vnde ſe quoque cômaculet.

Dilexit nos, inquit Dilectus, *Et lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Maculam etiam incurrit anima, quãdo aut proximum non diligit ſicut ſe ipſam; aut ſe ipſam non diligit propter Deum, aut nequaquam Deum propter ſe ipſum, aut ſuper omnia: quod plenè minimè obſeruamus, niſi cum nihil ſupra eum, nihil contra, nihil æquè ac eum diligimus.

Verè mundi & puri à peccato qui.

Pſalm. 118.
Eccleſ. 21.
Philip. 4.
2. Cor. 7.

Immoderatis quoque affectibus, niſi reprimantur, ſordidatur cor noſtrum. Illi ergo immunes ſunt ab omni labe, qui dicunt cum Propheta: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi:* quorum deſiderium eſt omne bonum, qui tanquam à facie colubri fugiunt peccata: qui gaudent in Domino ſemper: qui triſtantur ſecundùm Deum ad pœnitentiam: qui de ſe ipſis ac viribus ſuis diffidentes, nec in principibus aut filiis hominum, in quibus non eſt ſalus, confidentes dicunt, *Quoniam tu es, Domine ſpes mea:* &, *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo?* qui iactant cogitatum ſuum in Dominum: qui omnia poſſunt & audent in eo, qui illos confortat: qui timent eum, qui ſolus poteſt mittere in gehennam: qui zelo gloriæ Dei & ſalutis animarum iraſcuntur, & nõ peccant.

Pſalm. 145.
Pſalm. 90.
Pſal. 26.
Pſalm 54.
Philip. vlt.
Matth. 10.

Peccati quoque macula venialis cur fugienda.

Eſt etiam præter peccatum mortiferum venialis delicti macula, quod pro viribus enitendum eſt, vt caueamus: nam ad exitiale diſponit, ducitque, & in illo dæmon ſemen ponit, & ad oſtium pulſat: quod purgante igne expiari debet, niſi antè ſit remiſſum. Etſi autem magna commoda temporalia, & ſpiritualem aliorum conſequeremur ſalutem, nullo modo eſt admittendum.

Alia ratio ab exemplo.

Et vt nos non mortifera vulnera tantùm, ſed leuiora etiam, quæ faciem dedecorare aliquo modo poſſunt, tanta diligentia euitamus; ita nos non tantùm illa delicta quæ mortem inferunt, ſed etiam quæ charitatis feruorem extinguunt, aut obnubilant, diligenter cauere debemus. Ac vt oculus, tùm humore interno, tùm puluere externo, tùm denique vulnere, ictuque alterius inficitur ac corrumpitur: ſimili ratione ſpiritus ſiue cor noſtrum inquinatur prauis cupiditatibus & tentationibus, quibus niſi obuiam eatur, caſtitas periclitatur, animus vnum cum his quæ diligit, efficitur, iuxta id dictum Prophetæ: *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.*

Cor noſtrũ vt prauæ inquinent cupiditates, quãque eis reſiſtendum.

Oſeæ 9.

Maculatur etiam extrà puluere, vt cùm putat carnis peccata ineuitabilia eſſe, aut ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum.

Cordis aliæ ſordes puluerulentæ abſtergendæ.

Accedunt vulnera dæmonis extrà tela iacientis ignita, & mortem præſentaneam adferentia, niſi ſcuto fidei illa excipiamus: debetque ſpiritus noſter immixtus carni ſupernatare, vt oleum in lampade aquæ ſupernatat, quo ita lampas accenſa ſeruatur: quod ſi tam ſedulo à labe, vel minima, in veſte pulchra, vel à fœditate in facie cauere ſoles; fuge & peccatum maculans atque deturpans Dei imaginem.

Ephe. 6.

Quas prætereà ſordes anima cõtrahat imprudens ac neſcia: illæque quomodo purgãdæ.

Pſalm. 138.
Pſalm. 18.

Exiſtunt quoque quædam criminum maculæ, quæ noſtrum fugiunt aſpectum; quales ſunt peccata occulta, pro quibus remittendis deprecandus eſt Deus, qui ſolus illa nouit. Nam *Imperfectum meum*, ait Dauid, *viderunt oculi tui*; & cum eodem Propheta dicendum: *Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſeruo tuo.* Siquidem multi ſunt ſuo iudicio puri & incontaminati, qui tamen iudicio Dei minimè ſunt omnis culpæ expertes: quod pulchrè in Iacob adumbratum eſt, qui ad Laban dixit, *Quod autem furti me arguis; apud quemcunque inueneris deos tuos, necetur, coram fratribus noſtris ſcrutare, quicquid tuorum apud me inueneris, aufer.* Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata eſſet idola.

Geneſ. 31.

Fomitis labes quomodo delebilis.

Et poſtremò alia macula fomitis, ſiue concupiſcentia carnis: quæ etſi omninò extingui, aut penitùs aboleri non poſſit, dum viuimus, poſſunt tamen eius motus magno merito noſtro coerceri, atque in illis reprimendis ac moderandis animus virtutum incrementum capere, vt virtuti ſeruiant, qui ad inquinandam animam tendebant.

Qui loci Scripturæ impoſſibilẽ cordis munditiem aſtruere videantur.

Poſſent autem contra hanc beatitudinem obiici quædam. Et primùm quidem, verbum Salomonis: *Quis poteſt* (inquit) *dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Et Pſaltes, *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens:* Iob etiam, *Si lotus fuero*, inquit, *quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ: Tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea*; Item Dilectus diſcipulus, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; Dominus quoque inſtituit, vt filij eius quotidie dicant: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Prouerb. 20.
Pſalm. 142.
Iob 9.
1. Ioan. 1.
Matth. 6.

Tres gradus munditiæ aſſignantur. Primus.

Ad horum locorum faciliorem diſſolutionem, ſtatuendum eſt triplicem poſſe conſtitui cordis munditiæ gradum. Primus eſt, per quem ex immundo & peccatore, homo efficitur mundus & iuſtus: quæ munditia contingit in iuſtificatione, de qua Ezechiel. cap. 16. traditur: *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus: cũ facias omnia hæc opera mulieris meretricis & procacis?* & cap. 24. *Immunditia*, inquit, *tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſor-*

Ezech. 16.
Infra 24.

1. Cor. 6.

dibus tuis, & Apoſtolus, *Et hæc aliquando quidem fuiſtis* (ſcilicet peccatores) *ſed abluti eſtis ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*. Idcircò Dauid orabat, *Cor mundum crea in me Deus; & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis*. Sciebat enim hoc Dei munere tantum contingere: vnde alius quidam vates cecinit, *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.*

Pſalm. 50. *Ezech 36.*

Homo vt ſibi cor nouũ efficiat.

Quanquam ita dicatur nobis Deus dare cor nouum propter gratiam, vt nos propter aſſenſum liberi arbitrij dicamur illud cor ſanctum efficere. Vnde idem Propheta capite 18. hortatur, *Facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum: & quare moriemini, domus Iſrael?* Et Eſaias, *Lauamini, mundi eſtote:* Rurſus Iacobus capite quarto. *Purificate corda, duplices animo*. Hæc autem munditia omne peccatum lethale reuera tollit, & radicitus extirpat, neque tantùm per imputationem Dei, vt fingunt hæretici: nam ſi Filius liberauerit, qui totum hominem ſanum fecit in Sabbato; nempè Chriſtus, verè liberi eritis, neque tantùm imputatione: quia alioqui lux eſſet cum tenebris & Chriſtus ſimul cum Belial; at Dilectus diſcipulus, *Omnis*, ait, *qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt*: & rurſus, *Filioli mei, nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt*. Vt ergo Deus vel Chriſtus non eſt per vllam imputationem, ſed reuera iuſtus, ita Deus, quos pro iuſtis habet, verè iuſti ſunt: & quibus peccatum non imputat, re ipſa peccato carent, iuxta illud Prophetæ: *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus.*

Supra 18. *Eſai 1.* *Iacob. 4.*
Contra imputatiuã Hæreticorum iuſtitiam.
Ioan. 8. *Supra 7.* *Supra 5.* *1. Ioan. 3.* *Ibidem.*
Deus quomodo iuſtus & iis quos ille iuſtificat.
Pſalm. 31. *Rom. 4.*

Secunda ratio pro vera, non imputatiua peccatoris iuſtitia. *Geneſ 3.* *Rom 5.* *Ioan. 13.*
Tertia ratio, & cur iuſtus non perſeuerans damnetur.

Adhæc, ſi Chriſtus maior eſt quàm Adam, & plus poteſt ſaluare, quàm ille perdere: ſi ille re ipſa ſub captiuitatem dæmonis genus humanum redegit, & peccatum verè in mundum introduxit: debuit Chriſtus veram libertatem, veramque iuſtitiam introducere, ita vt qui mundus eſt, non egeat niſi vt pedes lauet; ſed ſit mundus totus: nihil ergo, quod peccati rationem habeat, in iuſto remanet. Præſtat hæc quoque munditia facultatem permanendi ſine peccato, quare meritò punitur non perſeuerans, quia perſeuerare cum Dei gratia poterat; & promittit Apoſtolus confirmationem vſque in finem ſine crimine, & ſaluatur innocens in munditia manuum ſuarum.

1. Cori. 1. *Iob 22.*

Alter gradus cordis munditiæ. *Pſalm. 50.* *Eccleſ 18.*

Secundus gradus munditiæ, eſt profectus ſiue augmentum iuſtitiæ: de qua Pſaltes, *Amplius laua me ab iniquitate mea*: & Sapiens, *Non verearis vſque ad mortem iuſtificari*: ſemper enim ſunt peccata venialia, dum viuimus, declinanda, & in illis quotidie exuitur vetus homo. Vnde Paulus baptizatos iam & mundatos adhortatur dicens, *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ: & indnite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.*

Epheſ. 4.

Tertius & vltimus proprius beatorum. *Epheſ 5.* *Apoc. 21.* *Matth. 13.*

Tertius gradus munditiei erit in gloria, quia ibi erit perfecta iuſtitia ſine macula & ruga; & ciuitas eius erit aurum mũdum, teſte Ioanne, & purum granum ſine palea recondetur in horreum. Ibi nulla criminis labes, vel minima, nullus motus fomitis indecens, nullus defectus cognitionis & amoris, vt hic ſunt.

Illius dicti: Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato? primus ſenſus Chryſoſtomi. *Homil 38. in ca. 21. Matt. tom. 2.*

¶ Ideò obiectiones in contrarium diluendæ ſunt. Ad primam igitur ex Salomone reſpondetur ex Chryſoſtomo: *Nemo poteſt*, inquit, *dicere, Mundum eſt cor meum*, ex ſe ſcilicet, & iactanter: vnde Hebraicè dicitur, *Nemo poteſt dicere, Mundaui cor meum*. Septuaginta verò interpretes dicunt: *Cùm ſederit Rex in ſolio maieſtatis ſuæ, nemo poteſt dicere, &c.* quia ſedente illo pro tribunali, cùm aliam iuſtitiam, quàm ab eo conceſſam non habeamus; non poſſumus eam illi obiectare quaſi noſtram, aut à viribus noſtris profectam.

Alter ſenſus Auguſtini iſtis locis. Tertius aliorum.

Auguſtinus verò exiſtimat hoc eſſe ob venialia, ſine quibus vita Sanctorum non traducitur. Vel tertiò ſenſus eſt: *Quis poteſt dicere*, id eſt, pauci ſunt & rari, atque illi non ex ſe, ſed ex gratia Dei hoc poſſunt dicere: & aliud eſt quòd ſint iuſti & mundi plerique, aliud verò, quòd ipſi de ſe ipſis ſciant: & munditiæ præſenti non repugnat huius rei ignoratio, vel ex venialibus delictis contracta macula.

Ad illud reſpondetur ex Pſalmo: Nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, dupliciter.

Ad ſecundam verò ſententiam Dauidis, de peccatore adhuc viuente in peccato intelligitur teſte Auguſtino: qui non iuſtificatur, niſi ex ſeruo filius efficiatur; & peccato mortuus, viuat Deo. Eſt & alius ſenſus: *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*: quoniam dum viuimus, ad aſſecutionem æternæ coronæ non poſſumus peruenire, vel ſecundùm exactiſſimam Dei iuſtitiam, quæ vel delicta etiam leuiſſima non admittit, non iuſtificabitur: vt Auguſtinus reſpondet libr. 2. de peccato. mer. & remiſſione capite 19. Ad eundem quonque ſenſum exponenda eſt ſententia ex Iobe producta: nam & iuſtitiam Dei ſeueram & exactam, ſemoto omni pacto miſericordiæ inito, conſiderat: nam talis iuſtitia

B. Aug. to. 9. circa med.
Id Iobis: ſi lotus fuero quaſi aquis niuis, &c. tamẽ ſordibus intinges me,

defectum fomitis etiam minime vitioſum, vel leue aliquod peccatum non admitteret. Ad quartum Ioannis locum dicendum eſt, ſermonem eſſe vel de peccato originali, quod in Adam contraximus, quod qui negaret ſe incurriſſe, eſſet mendax, vel de leuibus ac quotidianis peccatis loquitur, quæ neque iuſtitiam, neque perfectionem eius tollunt: quemadmodum & illa ſententia: *Omnes iuſtitia noſtra quaſi pannus menſtruata*, ſi de iuſtis & filiis Dei ſit ſermo, exponenda eſt de leuibus ac venialibus delictis: ob quam cauſſam pronuntiandum nobis quotidie eſt, *Dimitte nobis debita noſtra.*

& reliq quomodo accipiendum. Quo ſenſu dicatur: Si dixerimus quo niam peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus, &c.
Eſai. 64.
Matth. 6.

De tertio verò quod propoſueramus: Tales mundo corde beati prædicantur: qui hanc interiorem iuſtitiam non videns mundus hic, qui in maligno poſitus eſt, irridet ſimplices, & traducit, fugitque cor ſuum, quod intus condemnat, & peccati coarguit. Excellitque hæc Euangelica mundities omnem externam Philoſophiam, quæ interna, vel non videt, vel non curat, quaſi vitia illis non poſſint ineſſe: ac velut in ſcena ad homines, eorumque gloriam captandam, vel amicitiam valde eſt conuerſa. Excedit & Moſaicam munditiam, cùm lex illa externam tantum præciperet iuſtitiam, & externam immunditiam ex vi legis prohiberet. Ideò Paulus dixit; *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emendationem carnis, &c.* Et paullò ſuprà, *Solummodò in cibis, & in potibus, & in variis baptiſmatibus, & iuſtitiis carnis vſque ad tempus correctionis impoſitis.* Vides igitur quòd ad carnem emundandam ſpectabat lex: & Sacerdotes à lepra corporis mũdabant: vnde in templo ad Sacerdotis miniſterium erat mare æneum, & luteres in quibus corpus lauabãt Sacerdotes, & probatica piſcina non longè erat à templo, in qua Sacerdotes victimas abluebãt, ac Deo immolabant: vt quidam tradunt. Curabant quoque in menſa frequenter manus lauare: vnde hydriæ ſex poſitæ erant ad purificationem Iudæorum in nuptiis celebratis in Cana Galilææ; & Apoſtoli accuſati ſunt à Phariſæis, quod non lauarent manus, cùm panem manducarent. Deinde meritò beati dicuntur mundo corde, quoniam vt ſapienter medici fonti, ac radici ipſius morbi remedium adhibent; ita Deus peccatorum omnium cauſſæ, nempè ipſi cordi, ex quo omnia bona, vel mala noſtra proficiſcuntur. Nam omnia munda mundis fiunt. Hinc Dominus acerbè reprehendit Phariſæos, quòd ſpiritu neglecto, carnis munditiæ incumberẽt: *Phariſæe*, inquit, *cæce, munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis, vt fiat & id quod deforis eſt, mundũ.* Quaſi dicat; Externa munditia pendet ab interna. Item beatitudo hæc ſimilem efficit Patri, Filio, ac Spiritui ſancto, quibus iugiter canitur, *Sanctus, ſanctus, ſanctus:* quia alienus eſt ab omni impuritate Deus: & Chriſtus dicitur Sanctus ſanctorum; & Angeli, Spiritus ſunt ſancti, & mundi; cùm dæmones, ſpiritus immundi dicantur. Reddit etiam ſimilem Eccleſiæ triumphanti, quæ non habet maculam, neque rugam. Inſuper, quoniam anima munda redditur apta ad ſacrificium; & ad eſum; fit templum ſanctum Dei, ciuitas Ieruſalem noua, deſcendens de cœlo, Chriſti imitatrix videlicet: fit ſindon munda Ioſeph, in qua inuoluitur Chriſtus; efficitur ſponſa munda, & caſta corpore, & animo: euadit granum purum, & aurum ſine ſcoria mundum, ac pro illa purganda Dominus inſtituit multa. Purificatur enim aër vento, domus ſcopis, panni lanei, lineive, aqua calida, triticum ventilabro, ſpeculum defricatione, igne metalla, ferrum lima: ad eum modum vento Spiritus ſancti Auſtrali permundantur, ac purgantur vana deſideria cordis. Ita enim Iob ait: *Abſtuliſtis quaſi ventus deſiderium meum.* Benè, meum inquit, ſcilicet ex me natum, & carnis commoda quærens. Scopis quotidianæ diſcuſſionis conſcientiam noſtram purgemus, exemplo Prophetæ, qui dicebat: *Scopebam ſpiritum meum.* Aqua contritionis calida cum cinere, memoriæ mortis præteritas diluamus culpas, dicamuſque cum Propheta: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Ventilabro confeſſionis & abſolutionis per Sacerdotes exhibitæ peccata remitti noſtra poſtulemus: quam poteſtatem remittendi Chriſtus inſufflauit in Apoſtolos, dicens: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Speculum cordis defricatione, ſeu deterſione aſperioris vitæ, vel ſatisfactionis, in qua includitur precatio, ieiunium, & eleemoſyna, peccatorum reliquias, maculaſque inuſtas abſtergamus. Igne charitatis, quam venit Ieſus mittere in terram, omnes fæces, defectuſque comburamus. Lima correctionis, quam nomine Dei prædicator adhibet ad veterem hominem deſtruendum, quaſi ferri rubiginem peccata noſtra percelli, obiurgarique æqui boniqque conſulamus. Sic enim Prophetæ Dominus, *Quaſi tuba*, inquit, *exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorũ, & domui Iacob peccata eorũ:* & Apoſtolus,

Mũdi corde cur beati.
1. Ioan. 5.
Qualis Philoſophorum qualiſq. Iudæorum in lege munditia.
Hebr. 9.
Leuit. 14.
3. Reg. 7. & 2. Paral. 4.
Mare æneũ, & luteres, & probatica piſcina, cui vſu deſeruirent.
Ioan. 5.
Ioan. 2.
Matth. 15.
II. Ratio. Cur beati mundo corde.
Tit. 1.
Matth. 23.
III. Ratio beatitudinis mundi cordium, ab effectis.
Eſai. 6.
Dan. 9.
Epheſ. 5.
Anima noſtra vnde fiat templũ ſanctum Dei.
1. Cor. 3.
Apoc. 21.
Ioan. 19.
Quemadmodum deſideria cordis noſtri purgentur.
Iob 30.
Examen conſcientiæ.
Pſalm. 76.
Mortis meditatio.
Pſalm. 6.
Vſus confeſſionis Sacramentalis.
Ioan. 20. & Matth. 18.
Vitę melioris inſtitutio.
Luc. 12.
Amor correctionis propriæ.
Eſai. 58.

Tit. 2.

Increpa illos durè. Atque ita erimus mundi, vt aer extenuatus, vt domus ſcopis mundata, vt veſtimenta candida, vt granum purum, vt argentum purgatum ſeptuplum, vt ſpeculum ſine macula.

Pſalm. 11.

Ad cordis munditiam exhortatio.

Num. 19.

Ibidem.

Prouerb. 4.

Demus igitur operam, vt mundi efficiamur, quando tanta ſuppetit eorum copia, quæ mundos nos poſſunt reddere. Etenim omnia creata ſunt, vt mundãdo cordi deſeruiant, etiamſi nos noſtro vitio omnibus inquinamur: Tangens mortuum, immundus erat in lege, Vas ſine operculo immundum ducebatur: ita & qui peccato inuoluitur, & qui non omni cuſtodia ſeruat cor ſuum. Simus igitur mundo corde. Philoſophi prædicabant ſapientes corde, & alta ſpeculantes: Chriſtus mundos corde, quod ruſtici, & vetulæ conſequi poſſunt. Iudæus etiam, ac Phariſæus beatificabat eum, qui mundus eſſet corpore, quo poſſet ingredi templum, ſiue Tabernaculum quaſi Sanctus munditie externa ſuffultus: Chriſtus internam petit, qua corda noſtra perornata idonea ad viſionem Dei reddantur. Mundus ſuis oculis, vt gratam commendat corporis mũditiem, veſtiumque nitorem, & elegantiam, vt tales digni ſint qui verſentur cum Regibus, & cernant illorum faciem: Dominus verò eos celebrat, qui cor purificare ſtudẽt, quo Regem Regum Deum ſpectare in æternũ valeant: immundos verò reprobat: *Non habitabat,* inquit, *iuxta te malignus; neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.* Accedamus igitur ad tot tantaque remedia, quę vim habent ſanctificandi: & vbi vita functi fuerimus, locus eſt adhuc purificationi per ignem purgantem, per ſuffragia viuentium, precesq́; per ſacrificium altaris, per theſaurum Eccleſiæ indulgentiis apertum atq; communicatum: vt ita mundi effecti, ad videndum Deum aditum nobis & viam muniamus, gratia ac meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui par cum Patre, & Spiritu ſancto eſt gloria; & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Aliam quàm Philoſophi, & Phariſæi, & Mundus, cordis munditiam Chriſtus à ſuis cultoribus requirit, & petit.

Pſalm. 5.

TRACTATVS XIX.

In illa verba: *Quoniam ipſi Deum videbunt.*

Dei viſionẽ omnis virtutis præmium cur Chriſtus tot rationib. præmiorum expreſſerit. *B. Chryſo. ... in princ.*

QVEMADMODVM cordis munditia omnis eſt virtus, ſiue beatitudo octies repetita; ita omnis beatitudo quæ in præmium proponitur, propriè eſt Dei viſio. Vt enim docet Chryſoſtom. homilia decimaquinta in Matthæum, omnia iſta octo præmia nihil aliud niſi viſionem Dei deſignant: quam quia humanus intellectus propter eius excellentiam non capit, oportuit illam per diuerſa nobis nota deſcribi; obſeruata tamen congruentia ad merita, quibus præmia aptè reſpondeant.

Quod ad beatitudinem igitur ſpectat in genere, cauendi ſunt duo errores, vt acutè vidit Auguſtinus libr. 19. de ciuitate Dei, cap. 4. Alter eſt de loco, nempe beatitudinem eſſe ſitam in bonis huius vitæ, quæ cor hominis ſatiare minimè poſſunt, imò omnia creata tanquam carnes ſalſæ ſitim irritant potius quàm extinguant. Et quomodo creaturæ beatitudine carentes quenquam beare poterunt, & præſtare illud, quo ipſæ ex ſe carent? Niſi quis fortè deſipiat, putetq́ue vmbris, aut pictis cibariis hominem poſſe ſatiari, aut decorari luto, aut ditari terra. Poſterior error eſt cauendus in tempore. Siquidem putarunt Philoſophi, non eſſe aliam quàm iſtam vitam, neque aliam futuram beatitudinem, quàm quæ hic haberi poſſit. Vnde ibidem ait Auguſtinus: *Quoniam non videntes nolunt credere, hic ſibi conantur falſiſſimam fabricare:* inter quos præcipui ſunt Stoici, qui felicitatem in virtute collocabant. Verùm in contrarium multa militant: quoniam beatus viuit, vt vult; iuſtus autem nunquam quieſcit; neque vult, vt vult; nec ſuum viuere in ſua ſitum eſt poteſtate. Homo etiam quia breuiſſimam viuit vitam, & multis miſeriis refertam, breuiſſimam, atque illam quidem multis defectibus atque calamitatibus obnoxiam poſſideret beatitudinem. Ad hæc, cùm homo perpetuò operari nequeat, ſed interdum ceſſet & ferietur; non contingeret illa ſtabilis, & incorrupta felicitas. Amplius, tempus generationis atque educationis, donec ad perfectam cognitionem perueniat & felicitatem, maius eſſet tempore durationis ipſius beatitudinis: quod naturæ ipſi aduerſatur, quæ citò perficit breui tempore duratura. Quòd ſi hic eſſet vltimus finis, peius eſſet homini quàm brutis animantibus proſpectum, quæ hic quietem quandam & felicitatem aſſequuntur, quam tamen natura homini denegauit. Denique Stoici aſſerebant: tot eſſe mala, quæ vitam hanc noſtram comitantur, vt ſapiens poſſet ſe iuſtè interimere, quo ſe de tantis malis eriperet: de quibus pulchrè Auguſtinus. *O vitam beatam,* inquit, *quæ vt finiatur, mortis quærit auxilium.*

In eos, qui ſummum hominis bonum in terrenis bonis collocant. *B. Aug. to 5.*

In alios, qui felicitatẽ hominis in vita tantùm præſenti, non futura conſtituunt.

Primo Ratio & ſecunda.

Tertia Ratio & quarta.

Quinta & vltima Ratio.

Circa viſionem Dei verò in primis notandum eſt, triplicem viſionem conſtitui ab Auguſtino lib. 12. ſuper Geneſim ad

Triplex Dei viſio ſecundũ Auguſti. *Idem tom. 3.*

literam (in quo latiſſime hic ſanctus Pater de viſione Dei ediſſerit) nempe corporalem: ſpiritalem ſiue imaginariam & intellectualem, ſiue, vt ipſe ait, tertij cœli. Prima ergo viſio corporis non fit, extra nos emittendo radios ſubſtantiales ac ſubtiles: natura enim concaua oculorum organa diſtinxit, ſicut aliorum ſenſuum, vt illa tanquam receptacula eſſe oſtenderet, & ſenſationem intus recipiendo effici demonſtraret. Reſolueretur etiam homo, ſi extra emitteret ſpiritus, cœlum tam longè diſtans ſpectando; priuſque propinquiora quàm remotiora cerneret, & aëre moto directè non cerneret: ſed res omnes natura ſua virtutem habent tranſmittendi ſpecies, & ſui ipſarum ſimilitudines; quemadmodum Deus & Angeli emittunt virtutem ſuam ad inferiora: quare columna oppoſita mille ſpeculis, in omnibus cernitur eius ſimilitudo; & mille hominum oculis conſpecta, reſplendet in pupilla eius ſpecies, quæ animum tangit in oculo: ille autem rem percipit qualis eſt. Cùm autem Deus nec lucidus ſit, nec coloratus, vt ſunt corpora omnia: propterea oculis externi ſenſus videri nequit: quanquam Auguſtinus libr. 22. de ciuitate Dei, cap. 29. in dubium reuocauerit, an oculus corporeus hominis beatitudinem animæ & corporis conſecuti, Deum cernere poſſit. Sed iam certè hoc minimè in dubium eſt reuocandum. Præter hanc verò eſt & alia viſio interiorum ſenſuum, quæ ab eo, quòd imaginationis facultate efficiatur, imaginaria dicitur, qua etiam animantia reguntur & ducuntur: quàm neceſſariò Deus animanti ingenerauit: nec enim canis ad panem edendum accederet, neque ad quærendum dominum, & illo inuento, ei blandiendum: niſi eorum ſimulacra, & ſpecies in imaginatione ſeruaret: neque rurſus ab apro, aut leone ſibi caueret, niſi per quandam ſibi à natura inditam intentionem, cognoſceret illos ſecum gerere inimicitias, & viribus præualere. Hac autem viſione, per quam Deus multas veritates reuelauit Prophetis, Deus ipſe ab homine videri nequit, quia ſic finita ſpecie Deus apprehenderetur, & animantia Deum caperent: & idolum, ſiue ſimilitudo eſſet quod videretur, non Deus ipſe; quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: rurſus, *Non videbit me homo, & viuet.* Vltra has duas viſiones communes homini cum brutis animantibus, tertia, homini tantùm propria, conſtituitur, quæ intellectus eſt, ſiue mentis, qua Deus per ſe ipſum ab homine cernitur: atque hanc Auguſtinus dicit eſſe viſionem, de qua Paulus raptus in tertium cœlum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Hæc autem viſio, quæ intellectû fit triplex rurſus exiſtit. Prima quidem naturalis, qua Deus videri in ſe ipſo non poteſt: naturale quippe eſt, intelligentem phantaſmata ſpeculari; at phantaſmate nullo Deus apprehendi valet; propterea namque in Scripturis inuiſibilis dicitur, & lucem habitare inacceſſam, ac Deum neminem vidiſſe vnquam. Eſtque inter errores Begardorum & Beguinarum quintus in ordine damnatus à Clemente Quinto in Concilio Viennenſi; qui ſic habet: *Quælibet intellectualis natura, in ſe ipſa naturaliter eſt beata: & anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum; & eo beatè fruendum.* Secunda viſio mentis, per fidem efficitur: quæ ſimpliciter beatum non efficit, quia obſcura eſt & imperfecta, ſiue per ſpeculum & in ænigmate; interpolata eſt, & cum peccato ſtat, nedum cum multis miſeriis & afflictionibus; imò & dæmones credunt, & contremeſcunt: eſt tamen via ad beatitudinem comparandam: vnde dictum eſt Virgini, *Beata quæ credidiſti*; & Petro, *Beatus es Simon Bar-iona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt:* & Thomæ, *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Tertia verò eſt viſio mentis, qua Deus in gloria per eſſentiam videtur, qua de hic eſt ſermo: hanc autem quidam, vt vilem & exiguam, minimè agnouerunt, vt Cherinthus atque Mahometus, eorumque ſectatores, qui nonniſi carnis delectationes & voluptates magnipendentes, cùm viderent in hac beatitudine cibum & potum, & venerea non admiſceri; eam negarunt, & in voluptate ſenſus illam conſtituerunt. Sed profectò peſſimè iſti philoſophati ſunt, non cogitantes Deum corpore ſenſuque carere; ſed totum eſt ſpiritum & mentem, qui tamen ſuapte natura in ſe ipſo eſt beatus: Angeli quoque cœlorum incolæ, ſpiritus ſunt, atque corporum expertes, & gratia Dei & participatione beati. Et quæ porrò beatitudo eſſet hominis, ſi in voluptate ſenſus conſiſteret? quippe illam cum brutis haberet animantibus communem, & alienam ac diſſimilem à beatitudine Dei, & Angelorum: immundæ præterea ſunt & impuræ voluptates ſenſuum, maximè verò guſtus, & tactus illæ: nam vt quidam eleganter dixit, Vt deterius eſt inquinare cubiculum, quàm mundare; ita peius eſt edere, & cibos in corpus ingerere, quàm egerere. Exiſtunt quoque delectationes cum miro tædio faſtidioque coniunctæ,

ita

Corporalis, quæ omnino excluditur ab eodem.

Cur Deus oculo videri corporeo non poſſit.

Idem Aug. tom 5.

Altera viſio Dei, imaginaria.

Imaginandi vis à natura cur animanti tributa.

Imaginatione Deũ videri non poſſe.

1. Tim. 6. Ioan. 1. Exod. 33.

Tertia Dei viſio intellectualis.

Aug ſupra citatus ab autore. 2. Cor. 12.

Hæc triplex, Naturalis prima quæ reiicitur.

Ariſt. li 3 de anima, text 17. & 30. tom. 1. 1. Tim. 6. Ibidem.

Begardorũ, ac Beguinarum hæreſis.

Altera Fidei inchoata, & imperfecta.

1 Cor. 13. Iacob. 2.

Luc. 1. Matth. 16.

Ioan. 20.

Tertia Dei viſio intellectualis perfecta & conſummata.

Dei beatiſſimam viſionẽ quam impiè quàm fœdè Cherintus atq; Mahometus in voluptate collocauerint.

Ioan. 4.

Quanta voluptatum incommoda.

Iuuenalis ſaty. 11. in fine.

ita vt qua rariùs percipiantur, eo gratiores ſint: vt rectè à quodam ſit dictum:

Sunt talis quoque tædia vitæ
Magna, voluptates commendat rarior vſus.

Quanto minus belluina Philoſophorum de ſummo Bono, quàm Cerinthi, & Mahometi ſententia.

M. Tullius in quadam epi. ex famil.

Quare qui in iis felicitatem ſtatuunt, raram volunt eſſe, & non perpetuam beatitudinem. Diſcant ergo carnales homines cogitare ſpiritualia, & ſe ipſis digna, ne cum belluis veniant connumerandi: poſtquam philoſophi res in cognitione & intellectu poſitas ſpeculantes ac deguſtantes, omnibus ſenſuum delectationibus ſpoliauerunt, ita vt quidam ſapiens ſcripſerit, ſe non poſſe ſimul vacare philoſophiæ & vxori; & Democritus, illuſtris philoſophus, ſe ob ſapientiam melius contemplandam, exoculauerit. Sunt & alij, qui oppoſitam ſententiam ſecuti, adeò beatitudinem exaltarunt & magnificarunt, vt dixerint, Deum minimè videri poſſe vel à beatis, vel ab Angelis; ſed ſplendorem & ſimilitudinem quandam, vt hæretici quidam dicti Arnaldiſtæ, & Petrus Abailardus, in quem pugnauit B. Bernardus, & Almaricus quidam: Armeni quoque, & Græci (in quos Armacanus, Turrecremata & Guido agūt) notati ſunt, quòd dixerint videri energiam quandam, hoc eſt, entitatem re ipſa à Deo diſtinctam, theorias ſiue theophanias, id eſt, lumina quædam Deum demonſtrantia, non Deum ipſum. Verùm in hos ſunt multa. Primò, quia Scriptura viſionem Dei in ſeipſo promittit: *Cùm apparuerit*, inquit, *ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt*: item, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum*: & Propheta, *Ibunt de virtute in virtutē: videbitur Deus deorum in Sion.* Deinde, magnitudo viſionis Dei, leuigatur per lumen gloriæ, quo Deus eſt videndus, de quo Pſ. 35. dicitur: *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: & Dominus: *Et ego claritatem quam tu dediſti mihi, dedi eis.* Id eſt, vt nunc dono lumen gratiæ de meo, ita donaturus ſum lumen gloriæ. Clemens V. Pontifex Maximus dictus, eos damnat qui illud lumen tollunt: quemadmodùm Scotus & Durandus illud auferre videntur. Ratio etiam illud porrigit, ſuadetque. Nam vt Sol ſine eius luce à nobis cerni nequit, ita nec Deus ſine luce nobis communicata: quod Scripturæ explicare videntur: ait enim Paulus ad Coloſſen. 1. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum, in lumine*, nempè ad participandum partem ſortis ſanctorum, quæ erit in lumine gloriæ, quemadmodum hic eſt in lumine fidei, & gratiæ:

Aduerſus Deum negantes per eſſentiam à quoquam poſſe videri.

D. Bern. epiſt. 190. ad Innocentiū Papā
Armacanus, Card. Turrecrem. in quodā tractatu
Guido in catalogo hæreſum.

I. Argum.

1. Ioan. 3.
1. Cor. 13.
Pſalm. 83.

II. Argum.

Pſal. 35.
Ioan. 17.
Clem. V.
Scot lib 3 di. 14 qu. 2 Duran lib 2 qu. 28. q. 1. ad 1.

III. Argum. pro lumine gloriæ beatorum ſtatuendo.

Coloſ. 1.

Ioannes etiam Apocalyp. 21. inquit: *Et ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt Agnus.*

Apoc. 21.

IV. Argum.

Lumen gloriæ quàm efficax.

Præterea, ſicut opus eſt virtutem aliquam oculum confirmantem habere, vt Solis aciem quis poſſit cernere, ita & lumine gloriæ mentem eleuante, & ad cernendum iuuante opus eſt, quo valeat Deum videre atque eius eſſentiam, quæ modo ineffabili ita menti eleuatæ vnitur, vt & obiecti, & ſpeciei locum teneat. Nam per ipſam eſſentiam, vt formam, intuemur eſſentiam Dei, atque ita efficimur quodam modo dij, quia eadem ratione videmus Deū, qua Deus ſe ipſum. Quòd ſi lumen gloriæ à natura nobis eſſet inditum, natura quoque Dei eſſemus: quemadmodum etiam calor aquæ aduentitius, ſi naturalis exiſteret, natura ignis eſſet. Sed qui Deus natura non eſt, vt homo; vel Angelus, poteſt tamen participare Dei viſionem: quemadmodum id quod natura ignis non eſt. Vt aqua, caloris ignis poteſt effici particeps. Quamuis verò beatus per eandem ſpeciem; qua Deus, & alij omnes, eſſentiam videat diuinam, non tamen ita efficaciter vnus ſicut alius: nempe oculus animæ cùm debilis ſit, pro ratione maioris luminis gloriæ, vel minoris, maior, vel minor eſt vnio eſſentiæ, vt formæ cum oculo mentis. Cùm autem in Deo ſit ſumma, & perfecta vnio, ideò ſe totum capit, & comprehendit, in nobis verò, cùm pro varietate luminis gloriæ vniatur, quæ longè diſtat ab illa, quæ in Deo eſt vnione, quare nec totum DEVM comprehendit, & maior, & minor eſt viſio; & viſionis beatitudo diuerſa, ita vt Paulus dicat, quòd ſicut ſtella à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum: quod etſi de differentia gloriæ corporum dictū ſit ad literam ab Apoſtolo, illa tamen claritatis corporum diſtinctio ſequitur diſtinctionem claritatis, qua quiſque beatus magis, aut minus lumen gloriæ participans, Deum videt: & vt alibi dixit Dominus: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*: quemadmodum pro varia diſpoſitione guſtus eundē cibū vnus alio magis guſtat. Haud tamen omnia quæ Deus videt, beati ipſum videntes cognoſcunt: nō enim poſſibilia, vel ratione factorum, quæ poſſunt eſſe infinita, neque ea, quæ ex mera Dei voluntate pendent, vt electio, vocatio, iuſtificatio: talia enim & ſimilia non vult Deus naturaliter, ſed liberè, ideò etſi videatur Dei eſſentia, non videbitur tamen

Vnde maius, minuſve lumen gloriæ in beatis.

1. Cor. 15.

Id Apoſtolicum: Stella à ſtella differt in claritate, duplicem capit intellectū.

Ioan. 14.

Beati ante iudicium quæ non videant in Deo.

quid pro ſuo beneplacito velit Deus facere. Quoniam verò lumen gloriæ, quod finitum, & creatum eſt, haud poteſt ininfinitum eleuare intellectum, vt infinitum Deum capere valeat, niſi illa infinita diſtantia ab intellectu humano ad Deũ tollatur: propterea Cardinalis Ioannes Dominici; vir ſuo ſeculo doctiſsimus, huius fuit ſententiæ, vt præter lumẽ gloriæ, quo ex parte aſſurgit humanus intellectus, opus ſit Deum deſcendere ad nos, mirabili modo ſe nobis vniendo, vt proportio ſit aliqua inter intellectum videntem, & Deum qui cernitur: quemadmodum ad hoc, vt paruus puer manu contingat gigantis dexteram, opus eſſet primum quidem erigere puerum, ſiue eleuare ſupra ſaxum, vel menſam: ex quo loco ſi nequaquam eum attingeret, oporteret, vt gigas manum demitteret, vt ita poſſet eſſe contactus inter manum pueri, & gigantis: quanquam hanc diſparitatem ſiue diſtantiam Deum inter, & beati intellectum, alij alia ratione tollant, aiunt enim: Etſi lumen gloriæ ſit finitum, & nequeat eleuare quantum ad eſſe ad Deum infinitum: poteſt tamen intellectum ita corroborare, & erigere, vt proportio aliqua ſit intelligendi, & videndi: quemadmodum etiam lumen gratiæ, cùm finitum exiſtat, & hominem in infinitum exaltare non valeat, habet tamen proportionem ad hoc, vt hominem reddat gratum Deo, & eius opera præmio digna efficiat infinito. Quemadmodum in vnione Chriſti hypoſtatica inueniuntur naturæ duæ diſtinctæ, humana, & diuina: ita in vnione hac per lumen gloriæ hominis cum DEO, diſtinctæ remanent perſonæ, tùm hominis beati, tum Dei. Ad hæc, cùm lumine gloriæ ad videndum Deum ſubleuamur, ſimiles ipſi Deo efficimur; proinde ſimiles ipſi facti, poſſumus eum videre: nam vt oculus ſolus in homine cernit lucem & aërem lumine illuſtratum propter ſimilitudinem quandam, quam cum illis habet, qua cætera membra deſtituuntur, non videntque propterea: ita nos, cùm apparuerit, ſimiles ei efficiemur, & videbimus eum ſicuti eſt. Sicuti enim ſpeculum viſum à me, efficitur alter ego; ſi pulcher quidem, pulcher appareo: ſi deformis, deformis; ita nos, ſimiles ei redditi imprimenti nobis in ſpeculo ſui ſimilitudinem, poſtea eum videbimus, qui ſpeculum ſumus non tantùm intelligibile, ſed & intelligens. Ampliùs, vt ignis videns ferrum, ipſum efficit molle, clarum, leue, & igneum, exuta duritie, opacitate, grauitate, terreſtrique natura; quemadmodum etiam Sol videns Stellas; eas reddit caloris, & virtutis ſuæ participes, & terra animalibus naturæ ſuæ proprietates, nempe ſiccitatem, frigiditatem, & pondus imprimit: ad eum modum nos DEO coniuncti, & ab eo viſi, deriuamus nobis proprietates, & attributa DEI, ac ſimilitudines, vt dij per gratiam conſummatum facti, diuinè eum videre poſsimus: actus enim ſecundus, qui eſt videre DEUM, ponit primum, qui eſt eſſe DEUM. Non eſt ergo DEUM videre, vt amicum videre, vt docet Beatus Auguſtinus libro octauo de Ciuitate DEI, capite octano, quem cum vides diuitem, incolumem, honoribus cumulatum, & magnum, tu non propterea efficeris ex paupere diues, aut ex infirmo ſanus, aut ex paruo magnus, ſicut ipſe eſt; ſed eſt ſimile, ac ſi videres lucem, quæ cùm aſpicitur, oculo ſuas communicat virtutes, & perfectiones, veluti claritatem, lætitiam, amœnitatem, & calorem. Hoc docet Irenæus libro quarto, capite 37. his verbis: *Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen ſunt, & claritatem eius percipiunt: ſic & qui vident Deum, intra Deum ſunt, percipientes eius claritatem. Viuificat autem eos claritas: percipiunt ergo vitam qui vident Deum: & propter hoc incapibilis, viſibilem ſe, & comprehenſibilem, & capacem hominibus præſtat, vt viuificet percipientes, & videntes ſe.* Hæc ille. Nos ergo à DEO per lumen gloriæ viſi, ſimileſque proinde ei facti, cuncta deſiderabilia quæ in ipſo ſunt, ab eo ad nos deriuamus. Primùm quidem ſapientiam, ad quam maximè propenſi ſumus, & de qua tentatus eſt Adam protoplaſtes, & quia conditi ſumus ad omnia ſimul in DEO videnda ſine vllo diſcurſu: hinc eſt illa tot diſciplinas attingendi, totque autorum libros legendi inexplebilis ſitis, & cupiditas, vt quod ſimul obtinere non poſſumus, ſaltem temporis tractu, & ſucceſsione, vt tradit Epiſcopus Abulenſis, videamus. In cœlo autem, DEO viſo, omnia ſimul videbuntur: nam, vt Gregorius Romanus ait: *Quid eſt quod non videant, qui videntem omnia vident?* quia per vnam ſpeciem, hoc eſt, per eſſentiam, DEI eſſentiam videbunt: atque hæc eſt eſſentialis illa beatitudo, ſiue vita æterna, in qua videbimus DEUM, & quem miſit Ieſum Chriſtum. Videbimus autem facie ad faciem, & ſicuti eſt, & cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus. Eſt enim in homine intellectus facultas altior, & prima, qua apprehendimus vltimum finem, id eſt, DEUM: adeò vt viſio DEI reſpondeat ho-

Card. Ioan. Dominici.

AdDei viſionem ſecundum aliquos quid præter lumen gloriæ requiratur. Simile.

Lumen gloriæ, ſecundũ alios, per ſe ipſum ad Dei viſionẽ ſufficere.

Quale lumẽ gloriæ.

II. Ratio.

1. Ioan. 3. Simile.

III. Ratio. ab exemplis.

B. Aug. to. 5. Viſio amici, & viſio Dei ſecundũ Auguſtin. quam diuerſæ.

B. Irenæus ante medi.

Beati Deum videntes, omnia videbunt, & ſcient.

Geneſ. 3.

Alfon. Toſta. q. 43. in c. 5. Matthæi.

D. Gregor. li. 4. dialogo. c. 33. in fine. t. 2.

Ioan. 17.

1. Cor. 13.

Ibidem.

Intellectu ſolo Deus videtur, inq; Dei viſione rationalis creaturæ beatitudo conſiſtit.

minis charitati, ſiue voluntati finem vltimum affectanti: & Dei ipſa viſio, quæ actus eſt intellectus, obiectum eſt voluntatis illa viſione fruentis. Etenim facultas non perficitur principaliter ab actu, ſed ab obiecto perficiente ipſum actum. Intellectus ergo ſummum bonum eſſe, & in quo ſitum ſit, iudicat: atque in hoc ſummum bonum actus voluntatis tendit per ſpem, & amorem. Accedit poſteà intellectus, & ad viſionem Dei pertingit: at voluntas, quæ per ſe in Deum tendebat, non per proprium vllum actum apprehendit, ſed per viſionem, quæ actus eſt facultatis intellectus: quemadmodum ratio dictat eſſe edendum, etſi per proprium actum non ſit edere. Vbi ergo eſt viſio Dei obtenta, accedit actus fruitionis, & delectationis de Deo viſo, comprehenſoque: atque in eo conſummatur, & perficitur beatitudo. Vnde Eugenius IV. in bulla definitionis Concilij Florentini, definit, beatitudinē in viſione Dei exiſtere, quemadmodùm, & Clemens V. in Concilio Viennenſi explicuit contra Begardos, & Beguinas.

Quanta Dei viſionem delectatio conſequatur.

Eugen IV.

Clemes V.

Deinde præter ſapientiam, trahit ad ſe beatus omnes opes, & poſſeſsiones Dei. Nam ſi ver. grat. totam Europam, aut totam Aſiam, vel potiùs vniuerſum terrarum orbem quis poſsideret, proculdubiò is ditiſsimus eſſet atque locupletiſsimus: quid ergo erit Deum, omnium creaturarum, quæ in terra ſunt, ac omnium cœlorum atque Angelorum autorem, ac conditorem poſsidere? Tradunt Philoſophi, ſpecies eſſe ſicut numeros, in hunc ſenſum: vt quemadmodùm numerus maior continet minorem, & vnus excedit, vel exceditur ab altero, ita ſpecies ſe inuicem ſuperant, ſuperanturve: & quicquid poteſt creatura inferior, poteſt & ſuperior, & eo amplius quid præterea: quomodo aurum ea præſtat, quæ cætera metalla poſſunt præſtare, & præterea illis omnibus nobilius eſt, & excellentius: ad eum ſanè modum Deus eminenter eſt omnia, atque in eo ſupremo modo diuitiæ, opes, & poſſeſsiones continentur, ita vt qui Deum per lumen gloriæ inuenerit; pretioſam illam margaritam inueniat, quæ vniuerſis mundi poſſeſsionibus, ac mille, imò infinitis aliis mundis ſit præſtantior, pro qua vna comparanda omnia bona hæc eſſent nobis diſtrahenda. Deus itaque poſſeſsio noſtra eſt, quia ab illo ſuſtentamur, alimur, veſtimur, gloriam atque delectationem percipimus. Nos quoque poſſeſsio eius ſumus, quoniam ipſe, vt agricola nos colit, ſecundat, & ornat. Ad hæc, veras omnes, & perpetuas delicias nobis per hanc viſionem deriuamus, adeò vt gloria per omnia ſenſuum obiecta repræſentetur, nempe per nuptias, cœnam, prandium, ebrietatem, coronam, brauium, theſaurum, denarium, regnum, & denique per ea omnia, quæ quouis modo allicere, & inuitare hominem poſsint ad Deum. Adde; quòd ſummos, quique nunquam marceſcent, ac corrumpentur honores, ab eo qui mentiri non nouit, aſſequemur: nam omnes erunt nobiles, Reges, & regnabunt cum eo, & filij Dei vocabuntur: & impij cogentur vel inuiti eos ſummis laudibus celebrare: ita vt dicant: _Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt._

Beati quàm erunt diuites & potentes ex viſione diuina.

Quomodo ſecundùm Philoſophos ſpecies ſint ſicut numeri.

Ecquænam pretioſa illa Euangelica margarita. _Matth. 13._

Beati quantis etiam delicijs, & honoribus perfruentur.

Matth 22. & Apoc. 21. Luc. 14. Matth 22. Pſal 35. 2. Tim. 4. & alibi. 1. Cor. 9. & Philip 3. Matth. 19. Infrà 20. Luca. 22. & alibi. Hebr. 6. Sap. 5.

Poſtremò, trahent ad ſe incorruptionem, & æternitatem, quia ſeculis fine carentibus, & ſempiternis omnia bona hæc, cum adiectione omnium malorum poſſideant: & vt beatitudo nihil eſt aliud, quàm ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; ita beatus quiſque dicere poterit: _Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius._ Vt autem hæc tanta viſio aliquo modo illuſtretur, & dulciùs nobis ſapiat, adiungam verba Bernardi, *quæ ille de eius æternitate in ſermone 31. ſuper Cantica initio ſcribit: _Studioſis mentibus,_ inquit, _Verbum ſponſus frequenter apparet, & non ſub vna ſpecie. Quid ita? Profectò quoniam nondum videtur ſicuti eſt. Nempe illa viſio ſtat, quia forma ſtat qua tunc videtur. Eſt enim, nec vllam capit ex eo quod eſt, fuit, vel erit mutationem. Tolle nempe fuit, & erit, vnde iam tranſmutatio, aut viciſsitudinis obumbratio? At quicquid veniens ex eo quod fuit, non ceſſat tendere in id quod erit, tranſitum ſane habet per eſt, ſed omnino non eſt. Nam quomodo eſt quod nunquam in eodem ſtatu permanet? Solum proinde verè eſt, quod nec à fuit præciditur, nec ab erit expungitur; ſed ſolum atq; inexpugnabile remanet ei eſt & manet quod eſt. Nec fuit ſanè tollit illi eſſe ab æterno, nec erit eſſe in æternum. ac per hoc ſibi vendicat verum eſſe, id eſt, increabile, interminabile, inuariabile. Cùm igitur ipſe qui ſic eſt, imò qui non ſic, aut ſit eſt, videtur ſicuti eſt; ſtat vt dixi illa viſio, quia nulla eam interpolat viciſsitudo. Et tunc ille de Euangelio vnus omnibus qui ſic vident, denarius redditur in vna ſpecie qua effertur. Nam & quod apparet: vt inuariabile in ſe eſt, ita inuariabiliter intuentibus præſto eſt: & quibus apparet, nil videre deſiderabilius volunt, nil poſſunt delectabilius. Quando ergo illa, vel faſtidiet auditas, vel ſe ſubtrahet_

Beati quàm perfectâ immortalitate poſſidebunt. _Sap 5._

Elegans diuinæ illius æternæ viſionis Bernardi deſcriptio.

Iacob. 1.

Iob. 14.

Deus cur ſit æternus.

1. Ioan 3.

Matth. 20.

Quarta felicitas æterna.

ſuaui-

ſuauitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas? Quòd ſi in æternum extenditur videndi copia pariter, & voluntas, quomodo non plena felicitas? Nil quippe, aut deeſt iam ſemper videntibus, aut ſupereſt ſemper volentibus. At talis viſio non eſt vitæ præſentis, ſed in nouiſſimis reſeruatur, his duntaxat qui dicere poſſunt:

1. Ioan. 3.

Scimus quia cùm apparuerit; ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. Et nunc quidem apparet quibus vult, ſed ſicuti vult, non ſicuti eſt.

Geneſ. 1.

Imperfecta Dei viſio viatorum præ illa beatorum, apto admodū exemplo corporei Solis oſtēditur.

Non ſapiens, non ſanctus, non Propheta videre illum ſicuti eſt poteſt, aut potuit in corpore hoc mortali: poterit autem in immortali qui dignus habebitur. Itaque videtur & hic, ſed ſicut videtur ipſi, & non ſicuti eſt. Nam neque hoc luminare magnum (Solem loquor iſtum quem quotidie vides) vidiſti tamē aliquando ſicuti eſt, ſed tantùm ſicut illuminat, verbi cauſſa, aërem, montem, parietem. Quod nec ipſum quidem aliquatenus poſſes, ſi non aliqua ex parte ipſum lumen corporis tui, pro ſui ingenita ſerenitate, & perſpicuitate, cœleſtis lumine ſimile eſſet. Non deniq; alterum mēbrum corporis capax eſt luminis, ob multam vtique diſſimilitudinē. Sed nec ipſe oculus cùm turbatus fuerit, lumini propinquabit, nimirum ob amiſſam ſimilitudinem. Qui ergò turbatus nullatenus ſerenum Solem videt propter diſſimilitudinem; ſerenus aliquatenus videt propter nonnullam ſimilitudinem: profectò ſi pars prorſus puritate vigeret, videret omnino inoffenſa facie eum ſicuti eſt, propter omnimodam ſimilitudinem. Ita, & ſolem iuſtitiæ

Sap. 5.

illum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo ſicut illuminat, illuminatus poteſt,

Ioan. 1.

tanquam iam in aliquo ſimilis: ſicuti eſt, omnino non poteſt, tanquàm nondum perfectè ſimilis. Propterea dicit:

Pſal. 33.

Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtra non confundentur. Ita ſanè: ſed ſi quantum ſatis eſt, illuminamur, vt reuelata facie ſpeculantes gloriam Dei, in eandem

2. Cor. 3.

imaginem transformemur de claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu.

Ad Deū quomodo accedendum, vt illuminemur.

Ergo accedendum ad eum, non irruendum, ne irreuerens ſcrutator maieſtatis opprimatur à gloria. Nec locis ſanè accedendum, ſed claritatibus; ipſiſq; non corporeis, ſed ſpiritualibus, tanquam à Domini Spiritu.

Prouer. 25.

A Domini planè, & non à noſtro, quamuis in noſtro. Qui itaque clarior, ille propinquior: eſſe autem clariſſimum, perueniſſe eſt. Porrò iam præſentibus non aliud eſt videre ſicuti eſt, quàm eſſe ſicuti eſt, & aliqua diſſimilitudine non confundi. Sed id tunc, vt dixi. Hæc ille: quæ planè aurea ſunt, & elegantiſsima verba, & ad eius de qua agitur, viſionis Dei rationem explicandam aptiſsima.

Beatiſsimam illam Dei viſionem quomodò aſſequemur.

Illam ergo non tam rationibus ſpeculemur, quam affectibus, deſideriis, ſuſpiriis, & gemitibus inenarrabilibus ambiamus, flagitemuſque: abſurdum quippe fuerit tanti ad pollicitationem boni, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, non voluntate inardeſcere, & greſſibus ad illam poſſidendam ſpiritualibus non tendere: ſed inprimis mundemus cor noſtrum ab omnibus immoderatis creaturarum huius ſeculi amoribus, & à prauis cupiditatibus, quo puris mentis oculis tantum DEVM, ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cernere valeamus, cui cū Patre & Spiritu ſancto par atque æqualis eſt per omnia honor & virtus in ſecula ſeculorum, Amen.

Rom. 8.
Eſai. 64.
1. Cor. 2.

TRACTATVS XX.

In eadem illa verba: *Quoniam ipſi Deum videbunt.*

Quæ ratio huius poſterioris de Dei viſione tractationis extiterit.

QVONIAM cibariorum copia & varietas ſolet interdum ſtomachū opprimere, & crudelitatem efficere, corpuſque inhabile ad functiones ſuas reddere: ad eum modum magni conceptus & ſpeculationes mentem obruunt ac tædium parere ſolent: cùm tamen panis frangendus ſit paruulis, & miniſter verbi rectè ſecare debeat verbum veritatis, vt docet Apoſtolus: & fidelis ſeruus, & prudens, pro captu auditorum tritici menſuram habeat diſtribuere: propterea cùm ſuperiori tractatu multa, & varia dicta ſint de Dei viſione; ne multitudine rerum lectorem obrueremus, præſenti tractationi ſeruauimus quædam illis illuſtrandis explanandiſque meritò adiungenda. Volumus autem pauca verba hæc Domini in præmium munditiæ cordis propoſita, diligētiùs excutere, & ponderare, quo deliteſcentes in eis theſauros ad ditandas mentes, atque locupletandos ſpiritus noſtros diuina ope adiuti detegamus.

Thren. 4.
2. Tim. 2.
Matth. 24.

Dei viſio cur in præmium mūditiæ cordis pro mittitur.

Ait ergo: *Quoniam ipſi Deum videbunt.* Aduerbium, *quoniam*, oſtendit, Dei viſionem tanquam mercedem, & præmium puritati cordis eſſe propoſitum. Nam, teſte Auguſtino, fides (qua corda noſtra purificantur) eſt credere quod non vides, cuius fidei merces eſt videre quod credis.

B. Auguſt.

Aſſer. 15.

Et quadrat mirificè viſio Dei cordis munditiæ, quippè ob eam cauſſam à Deo mundi creati ſumus, vt eum videamus, in quo videndo atque intelligendo nunquam deſatigatur homo, imò quo magis ſeneſcit corpus ac corrumpitur, eo

iuueneſcit intellectus amplius: vnde licèt homo audiat, & multis aliis ſenſibus multa percipiat de Deo, haud quieſcere tamen valet, donec videat. Eſt enim ſenſus viſus cæterorum ſigillum ſenſuum, & ſtabilimentum, quicquid enim aliis ſenſibus haurimus, non quieſcimus, donec aſpectu noſtro cernamus. Deinde munditia cordis, hominem mortuum mundo reddit: hinc eſt, vt qui dixit: *Non videbit me homo, & viuet*, ab eo qui mundo mortuus eſt, & ſibi ſoli viuit, ſe videri ſinat; & vt Moyſi petenti videre faciem Dei, dictum eſt, vt ſtatet ſupra petram, ita nobis ſuper Chriſtum qui petra eſt, ex qua exiuit ſanguis & aqua ad emundationem, & ſanctificationem noſtram, ſtantibus Dei viſio minimè denegabitur. Tùm quia cùm Deus maximè diligat, infinitamque erga ſuos habeat charitatem, nihil magis quàm videri deſiderat: ideò toties ſui viſionem promittit: & quid magis ſponſus ab ſponſa chariſſima deſiderat, quàm mutuò ſpectari, & ſpectare? hinc illud in Canticis: *Oſtende mihi faciem tuam: ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Idcircò enim Dei Filius viſionem ſui in alios effundere eſuriens, ac ſitiens, ita ſe per incarnationem contemperauit, vt ſe hominem factum omnibus ſpectandum propoſuerit, iuxta illud: *Videbit omnis caro ſalutare Dei*: atque hanc viſionem, quæ per fidem eſt, & per ſpeculum in ænigmate, In pignus certiſſimum ſuæ illius facie ad faciem exhibendæ viſionis nobis eſſe ſtatuit. Ad hæc, munditia cordis maximè ſimilem Deo efficere ſolet: ipſe enim dixit: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*: hinc eſt, vt in corde mundo, ceu in terſo ſpeculo, reſplendeat Dei facies. Quamobrem Deus mundos corde hic illuminat, illi namque Deum vident in creaturis, vt laudent, in Scripturis ne errent, in beneficiis, vt gratias agãt; in flagellis, vt ipſi ſubiiciantur; in ſuperioribus, vt obediant, in proximis egentibus, vt diligant, & ſubueniant; in Sacramentis, & potiſſimùm in Euchariſtia, vt ipſum atque eius gratiam reuerenter accipiant, viſuri aliquando ipſum in ſe ipſo facie ad faciem. Idcircò error ſolù inuadit immundos, vt Iudæos, Paganos, & carni, & genio deditos hæreticos, qui cum ſpiritu cœperint, carne conſummantur. Hinc Apelles exarſit in Philumenẽ, Simon Magus in Helenen, Marcus in vxorem Diaconi cuiuſdam, & Nicolaus Diaconus in propriam vxorem, Lutherus in Catherinam Abbatiſſam, atque Bernardinus Ochius in Senenſem puellam,

Secunda ratio, mũdi corde cur Deum videbunt.
Exod 33.
2. Cor. 5.
Exod. 33.
1. Cor 10.
Ioan. 19.
Tertia ratio.
Cant. 2.
Cur Dei Filius homo factus.
Eſa. 40.
Luc. 3.
1. Cor. 13.
Quarta ratio ab effectis cordis munditiæ.
Leuit. 11 & Infra. 19.
Corde immundos tantùm errare, quorum præſertim hæreticorum exempla demonſtrant.
Galat. 3.

ſororis ſuæ ſeruam: vt teſtatum relinquerent ſe fidem Dei violaſſe, veritatemque dogmatum fidei ab eis, tanquam ab immundis, non eſſe petendam.

In ſecundo illo verbo, *Ipſi*, ſignificantur integri in anima, & corpore homines: ſed anima prior ante reſurrectionem videbit, poſt iudicium verò homini in corpore, & anima continget viſio: quemadmodùm ab initio conceptionis Chriſtus mundiſſimus corde, & caput omnis noſtræ gratiæ atque gloriæ, Deum vidit, verùm illa beatitudo in corpus minimè eſt diffuſa: ſecus vbi à mortuis reſurrexit: ita nunc beatis animabus tantùm Dei viſio conceditur. Atque hoc quidem contra Porphyrium ponderamus, dicentem, ſolam animam beandam; Pythagoram atque Platonem, ponentes tranſmigrationem animarum in varia corpora, ita vt ſine corpore non ſit beata: vti refert Beatus Auguſtinus libro vigeſimo ſecundo de Ciuitat. Dei capite vigeſimo ſeptimo, ideò hic innuitur certa ſpes reſurrectionis futuræ, quam illi oculis humanis, & rationis diſcurſu videre non potuerunt. Sed ſi Deus potuit ex nihilo hominem condere, quid ni poſſit ex aliquo, nempe ex pulueribus, cineribusque hominem reſtituere, & reficere? quia enim pars ſe habet ad totum, vt materia ad formam, ideò anima perfectior erit corpori ſuo, tùm non aggrauanti copulata, vt modò facit, & perfectiùs operabitur: quia dum appetit reuniri, quodammodò diuiſa eſt: quare poſt reſurrectionem per ſe beatitudo extenſior erit, quia gaudebit animus de bono corporis, & quoniam totus homo beatus erit: non quòd habiturus ſit maius lumen gloriæ, quàm anima ſeparata, & beata. Quanquam autem virtus ſeiuncta à materia abſolutè fortior ſit, nam magis eſt ſibi vnita: ſecus tamen eſt, ſi ex natura competat vniri cum materia, & propterea anima vnita eſt perfectior quàm ſeparata, ac proinde Deo in perfectione ſimilior, licèt non in ſimplicitate. Etſi autem ſimplicitas in Deo dicat perfectionem, non tamen abſolutè: quoniam elementum ſimpliciùs eſt mixto, non tamen propterea perfectius.

Quòd verò animæ ſæparatæ, mundatæ & purgatæ, ante diem iudicij Deum videant, cõtra antiquos quoſdam aliter ſentientes, & contra nouellos hæreticos, non eſt dificile demonſtrare, ſiue ex Scripturis ſacris, ſiue ex Patrum concordi ſententia, ſiue etiam ex rationibus, quæ illis duobus innituntur.

Non ſolùm animo, ſed & corpore nos fore beatos.
Porphirij, Pythagoræ, Platoniſque confutatio.
B. Augu. 10. 5.
Anima beata ſuo corpori vnita cur beatior erit, & perfectior ſeipſa ſeparata.
Eadem anima corpori cõiuncta qua ratione Deo erit ſimilior, quàm ſeiuncta.

Quan-

Animas ante iudicium etiam Deũ videre, primũ Scripturis oſtenditur.
Luc. 23.
Ioan. 17.
Pſalm. 67.
& Eph. 4.
2. Cor. 5.

Quantum ad Scripturas igitur; illud porrigit verbum Domini ad latronem: *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiſo*; & apud Ioannem, *Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum*; at quomodo ſecum erunt, ſi ſe illis videndum non proponat? aut quomodo ille eſſe poterat in Paradiſo, non viſo Chriſto? aut quomodo aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, quam nondum beauit? Paulus etiam docet, quòd dum in hoc corpore ſumus, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & nõ per ſpeciem) Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Vbi vides, inter peregrinationem à corpore, & præſentiam Domini, nihil eſſe medium, tradi ab Apoſtolo: qui quidem alio loco ait,

Philip. 1.

Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum; & infrà, *Deſiderium*, inquit, *habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius*.

Actor. 7.

Stephanus quoque morti proximus, videns cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, quid ſtatim poſt mortem, adipiſcantur Martyres, indicauit; & cum dixit, *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meũ*. Nam vt Chriſtus dicens, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, à Patre ſuſceptus eſt: ita & Stephanus à Chriſto, & in eius gloriam receptus eſt.

Luc. 23.
Pſal. 10.

Idem docet Ioannes Apoca. 2. vbi habet: *Eſto fidelis vſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Vbi tempus laboris vſque ad mortem protenditur, tempus coronæ, à morte: quam ſi diu expectarent, non eſſent ſine aliquo labore excruciandi. Nam ſpes, quæ differtur, vt ait Salomon, affligit animum. Quod ſententia Eccleſiaſt. cõfirmatur: *In die*, inquit, *bonorum ne immemor ſis malorum; & in die malorum ne immemor ſis bonorum: quoniam facilè eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundùm vias ſuas*.

Apoc. 2.
Prouerb. 13.
Eccleſ. 11.

Secundùm argumẽtum ex ſcripturis.

Cernis igitur Deum nõ expectare diem iudicij, ſed in die obitus retribuere? Deinde idem colligitur ex eo quod cum Angelis eſt actum: ſcriptum eſt enim: *Erunt* (homines nempe) *ſicut Angeli Dei in cœlo*: at quia Angeli: vt Dominus teſtatur ipſe, ſemper vident faciem Patris qui in cœlis eſt, nec expectauit diem iudicij Dominus, vt remuneraret eorum merita; ergo probati homines & purgati vt Angeli, tanto tempore non defraudabuntur Dei viſione.

Matth. 22.
Suprà. 10.

Tertium argumentum à damnatis.

Tertio, idem elicitur ex cacodæmonum, ac reproborum hominum damnatione. Nam vt illi ante diem iudicij torquentur in inferno; vnde diues Epulo in flammis gehennæ cruciabatur: ita electorum animæ cœleſti fruũtur beatitudine: cùm Deus non ſit minus iuſtus in remunerandis iuſtus, quàm in puniendis peccatoribus: quòd ſi illos igni adiudicauit; & viſionis ſuæ præmio dignos ſuos iam affecit.

Luc. 16.

Quartum argumentum à Diuina iuſtitia.

Quartò, idem euincitur à ratione iuſtitiæ: de qua Dominus in Leuitico: *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſq; manè*: & omnes in vinea laborantes vſque ad veſperam, nempe mortis, denarium accepiſſe ſcribuntur.

Leuit. 19.
Matth. 20.

Sanctis quoque animabus & propter Chriſtum interfectis, datæ ſunt ſtolæ ſingulæ albæ: & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleatur numerus fratrum: vt liber tradit Apocalypſis: contra iuſtitiam & æquitatem, qua maximè in Deo ſplendet, eſſe videretur, ſi benemeritis, viſionis diuinæ mercedẽ poſt veſperam mortis dandam, in diem iudicij prorogaret.

Apoc. 16.

Quintum argomentum ab Eccleſiæ autoritate.

Idem quintò docent preces atque ſupplicationes Eccleſiæ, quæ canit: *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti; & quia pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt; ideò cum Chriſto exultant ſine fine*. Et in oratione B. Gregorij dicitur: *Deus, qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti*: & reliqua. Orat inſuper Eccleſia, vt defuncti requie æterna donentur, & vt ſignifer ſanctus Michael repræſentet eos in lucẽ ſanctam, quam olim Abrahæ promiſit Deus, & ſemini eius.

Niſi iuſtorũ animæ iã purgatæ, ſtatim in cœlum migrarent, quid inde.

Quòd ſi in diem vſque iudicij eſſet hæc requies producenda, & nulli prorſus concedenda, vanæ eſſent Eccleſiæ preces, quæ pro illis nil impetrarent: vanum & Euchariſtiæ ſacrificium, quod pro illis offertur: vanus denique omnis Deo per Eccleſiam cultus exhibitus, quæ Deum in Apoſtolis, & Martyribus, imò & in omnibus Sanctis, vt ſolennis & anniuerſarius dies eorum teſtatur, tanquam in beatis, & his qui ad metam æternæ vitæ peruenerunt, Deum inuocat atq; colit; & dies mortis eorum, tanquam natalitios celebrat; at quomodo natalitij erunt ſi nondũ nati ſunt in lucem æternæ gloriæ poſsidendam?

Sextum arg. à Patribus & Concilus.

Sextò, idem facilè poſſet Patrum teſtimonio conformari: ſed hic, vt breuitati conſulamus, in alium locum eorũ ſententias reiiciemus. Idem pariter definitum à plerìſque eſt Pontificibus, ac in Concilio Florentino ab Eugenio Quarto; ſtatim ſcilicet Sanctos mercedẽ vitæ æternæ ante diem iudicij recipere.

Idem multiplici ratione probatur.

Idem poſtremò ratio perſuadet. Nihil enim obſtat, quominùs animæ ante diem extremũ poſsint beari: non culpa vel pœna, quia poſſunt animæ hinc diſcedere immunes ab omni culpæ & pænæ debito, vt teſtis eſt Lazarus

Luc. 16.

ab An-

ab Angelo in ſinum Abrahæ portatus: nec pretium ſanguinis Chriſti quaſi nondum ſolutum aliquid impedit, quia iam ſolutū eſt: nec corpus nondum reſuſcitatum, nan corpus etiam poſt iudicium non videt Deum; & anima habet totum ferè eſſe hominis, & per ſe eſt, aliàs ſeparari non poſſet: nec ex parte voluntatis Dei, quoniam pronus eſt ad miſerendum: nec vult eſſe ſolus; & ſoli Chriſti animæ gloria fuit conceſſa etiam in corpore mortali, ergo poterit ſoli animæ gloria concedi. Et hæc de præſenti articulo hoc loci ſint ſatis.

Deus qua ratione inuiſibilis: qua alia viſibilis exiſtat.

Accedamus ad reliquas propoſitæ ſententiæ particulas explicandas, *Deum*. Qui etſi inuiſibilis exiſtat ob ſui excellentiam, vt Sol, ſibi tamen natura viſibilis eſt; ſicut nobis & Angelis per gratiam: nā de Angelis dicitur, quòd ſemper vident faciem Patris: & de nobis, *Deum videbunt*: illud autē; *Non videbit me homo, & viuet*: ad hoc tempus reſpicit, dum mortale corpus geſtamus, in quo Deus videri facie ad faciem nō poteſt: quippè hoc ſolius animę Chriſti priuilegium eſt, quæ ab initio conceptionis glorioſa Deum vidit. Illud etiam; *Deum nemo vidit vnquam*; ad præterita ante ſe tēpora reſpexit Ioannes qui hoc dixit; negans, aut Moſi, aut Prophetis conceſsū, ꝙ ſoli Chriſto fuit elargitum, vnde ſubdit; *Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.*

Matth. 18.

Ioan. 1.

1. Tim 6.

Illud Apoſtoli de Deo; Qui ſolus habet immortalitatem, &c. quomodo verum ſit.

Quod poſtremò Paulus ait: *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*: ad hoc dicendum eſt, non tantùm actum, ſed etiam facultatem videndi Paulum negare; & illam tantùm poteſtatē negat, quæ ex viribus naturæ conſurgere poteſt, ſiue in angelo, ſiue in homine. In vtroque tamen Dei viſio cōtingit ex diuina gratia, atq; ex viribus diuinis cōmunicantis; non autem ex propriis & naturalibus. Poſſunt ergo Sancti Deum videre; qui etſi infinitus ſit & incōprehenſus (quemadmodū & totum cœlum oculis noſtris ſimul comprehendi nequit, per partes tamen cerni, ac comprehendi à nobis valet) attamen Dei infinitas ac incomprehēſibilitas, vt ita dicam, ad beatitudinem facit, vt nunquam à mentibus beatorum exhauriatur, nec vlla ſit vnquā eius cōprehendendi meta. Deus etiam lux eſt, vt inquit Ioannes: & vt lux per ſe ipſam videtur immediatè ab oculo, ſecus autem colores, qui certam diſtātiam exigunt, vt cerni queant: hunc ad modum Deus ipſe, tanquam obiectum per ſeipſum vt forma à beato lumine gloriæ ſuffulto videtur, & in eo reliqua omnia, quorū quædam tāquam in ſpeculo naturali repræſentantur, vt rerum omnium eſſentiæ; quædā verò quæ ad beneplacitum & voluntatem eius ſpectant, tanquam in ſpeculo voluntario: nam quid eſt quod non videant, vt ſuprà diximus, qui videntem omnia vident? Interpretatur autem Deus videns, ſcilicet nos, & hîc, & in patria, vnde nobis pudor & verecundia; ſiue currens, ſcilicet ad opē nobis ferendam; ſiue vt alij volunt, incendens, propter ſingularem eius ad nos dilectionem: atq; ita delectatio ſumma erit in beato, qui videbit ſe videntem; & accurret ad ſecurrentem; atq; inflammatus charitate, coniungetur ad ſe inflammantem.

Deus quàm luci etiam ſimilis.

Ioan. 1.

B. Greg. lib. 4. Dialog. ca. 33 in fin. to. 2

Deus tripliciter denominatur.

Cur dictum de futuro: Mundi corde Deū videbunt. Quid igitā Hebræis nominetur.

Videbunt. De futuro loquitur, quia hîc non cōtingit beatitudo. Notauit hoc loco Gregorius Nyſſenus: *Videre, in vſu Scriptura idem ſignificare, quod habere: quemadmodùm illud: Videas bona Ieruſalem, idem quod, inuenias, ſignificāte verbo*, ſ[illegible]t, *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini per non videre, non participem eſſe, Propheta ſignificante. Ergo qui Deum vidit, quicquid in bonis annumeratur, per hoc quod vidit, adeptus eſt*. Sic ille. Et innuitur videndi perpetuitas: quoniam cùm materia ſit incorruptibilis, nempè corpus glorię dotib⁹ præditum, & forma animę immortalis, tales Deus elargietur qualitates colligantes materiam cū forma, vt nulla vnquam per ęterna ſecula mors cōſequi poſsit: ſicut modò cum cœlis ipſum Deum feciſſe nonnulli tradunt. Et quia natura tantùm ſumus apti creaturas cognoſcere (quamquā non ſine difficultate, ait ſiquidem Salomon, *Cūctae res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone*) Deum tamen videre minimè ſumus idonei, quia nulla inter nos, & illum proportio: viſo tamen Deo, delectabiliùs creaturas cunctas videbimus, quia Verbū coniunctum nobis tanquam artem & ideā creaturarum omnium poſsidebimus. Vt enim pictor artis pingēdi regulas callens, rectum iudicium fert de imagine, an exactè referat prototypum atq; ideam; ita de creaturis rectè iudicare poterunt; quoniā verbum, per quod facta ſunt omnia, tanquam earum artem & ideam nouerunt. Videbunt ergo ipſum Trinum, vnum infinitum, omnipotentem æternum, homini vnitum, intra cuncta, extra cuncta, ſupercūcta, & ſubter cuncta exiſtentem. Sed vt Solis meridiani ac feruentis lucem in ſe ferre non poſſumus, manuq́ue vmbram facere oculis conſueuimus; ne acies oculorum tātæ lucis excellentia infringatur, debilitetur ve: ita, vt nos ſaltem poſteriora videntis noſcernere valeamus, vmbram nobis facit multiplicem. Primò quidem per creaturas ipſas, per quas, tanquam per gradus

Greg. Nyſſen.
Pſalm. 127.
Eſai. 26. iuxta LXX.

Corpora beatorum vnde futura ſint incorruptibilia.

Eccleſ. 1.

Beati enī in Deo, licèt infinito, creaturas melius atque perfecti⁹ videbūt, quā in ſeipſis.

Ioan. 1.

Qualē Deū beati videant

Exod. 33.

Ad Dei viſionem lucis illius inacceſſæ qualē vmbram nobis res faciant vniuerſæ.

Rom. 1.

quoſdam, ad Dei contemplationem aſſurgimus: de qua vmbra loquitur Apoſtolus, cùm ait: *Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Verùm nulla creatura clariùs Deũ repræſentat, quàm animus rationalis, de quo Bernardus lib. de interiori domo, cap. 13. ſic ſcribit: *Præcipuum, & principale ſpeculum,* inquit, *ad videndum Deum, eſt animus rationalis inueniens ſe ipſum. Si enim inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; vbi quæſo, quàm in eius imagine cognitionis eius veſtigia expreſſius impreſſa reperiuntur? Tergat ergo ſpeculum ſuum: mundet ſpiritum ſuum quiſquis ſitit videre Deum ſuum: Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Hoc ſpeculum verus pœnitẽs non ceſſat quotidie inſpicere, tergere, tenere, & cuſtodire. Inſpicere, ſi aliquid in eo reperiat, quod Deo diſpliceat. Tergere, non ſolùm peccata actionum, verùm etiam cogitationũ, vt nihil in eo remaneat quod Deum offendat. Tenere, ne deorſum currens, terra per amorem inhæreat, & ne inanium cogitationum puluere ſordeſcat. Cuſtodire, vt ille, cuius tabernaculum eſt cum hominibus, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum, qui ad oſtium ſtat & pulſat, quacunque hora intrare voluerit, receptaculum mundum inueniat. Deus enim, qui munditiæ amator eſt, cor pollutum habitare non poteſt.* Hæc ille pulchrè. Deinde vmbrã Scripturæ ſacræ nobis facit, ad quã neq; ſenſus, neque ratio attingit; per quam multa de Deo, & eius prouidentia edocemur. *Cui,* inquit Apoſtolorum Princeps, *benè facitis attendentes, tanquam lucernæ ardenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus noſtris.* Oritur autẽ Lucifer in cordibus per lumen gloriꝫ, quo æterna nobis claritas & dies ſit ad eũ perpetuò intuendum. Ac vt priores vmbras luminꝫ intellectus inſpicimus; ita Scripturarũ vmbras fidei lumine. Tertiã fecit Deus vmbram ex ſanctiſsima Chriſti humanitate, quꝫ perfectè corpus deitatis refert, & de qua ſponſa ait: *Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo:* vmbra, ad ſe inuitans, & eos, qui ſe illi ſupponunt, protegens: vnde Dauid, *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* vmbra paſcẽs atq; fœcundans: *Venite,* inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos.* De hac vmbra legimus apud Ieremiam: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris:* cui diximus, *In vmbra tua viuemus in Gentibus.* Quod etſi de Ioſia Rege, ſuper quo editæ ſunt lamentationes, vel de Sedecia capto & exoculato, atque in Chaldæam traducto, ab aliis exponatur; pulchrè tamen de Chriſto Ieſu in illis Regibus adumbrato intelligitur. Vnde Ambroſius ſermone 3. in Pſal. 118. *Si quis,* inquit, *non ad terrena oculos mentis intendat; ſed ad ſpiritalia erigat, vt poſſit dicere Sanctus, Ante faciem noſtram Chriſtus Dominus; dignus erit qui dicat: In vmbra eius viuemus. Chriſtus enim vita eſt, & ideò qui in vmbra Chriſti viuit, in vmbra vitæ eſt. Meritoq; alibi dicit ſanctus Domini; In vmbra alarum tuarum protege me. Omnes ergo, etiã Sancti, in vmbra ſunt, quandiu ſunt in corpore, non perfectè vident, ſed ex parte cognoſcũt. Ipſe Paulus ait: Ex parte enim cognoſcimus. Ipſe vas electionis, cui Chriſtus oculos reddidit, & ſua illuminauit gratia, non facie ad faciem, ſed per ſpeculũ videbat. Et Dauid reuelari oculos ſuos petit, vt remoueretur vmbra, quæ integrum oculorum impediebat obtutũ. Regionem autem hanc mortuorum eſſe quis dubitet, cùm Sanctus ipſe dicat: Placebo Domino in regione viuorum? Quia perfectè hic placere nemo poteſt, vbi ẽt ſi fieri poſſit vt ſua peccata non habeat, in ipſa tamen mortuorum regione viuendo, purificatione indiget, quæ à contagione eum regionis huius abſoluat. In vmbra igitur hic viuimus, & ideò in vmbra cuſtodimus verba Dei. Et vt exemplo vtamur; vtiq; antè eramus ſub vmbra legis, quãdo cuſtodiebamus homines Sabbata quæ ſunt vmbra futurorũ: ſicut hodie Iudæi, qui verum Sabbatum nẽ vident, qui exemplari & vmbra ſeruiunt. Nos quoq; ſecundùm Euangelium nunc viuentes, vmbram ſequimur verborum Dei. Nathanael ſub arbore fici videtur; Dauid in vmbra alarum Domini Ieſu ſperare ſe dicit; Zachæus in arborem Sycomori aſcendit, vt Chriſtum videret. Nobis quoq; expãdit manus ſuas Ieſus, vt totum mundũ obumbraret. Quomodò non ſumus in vmbra, qui Crucis eius protegimur velamento? Quomodò non ſumus in vmbra, quos crucifixus à malignitate ſeculi, & corporis ardore defendit? An neſcimus quoniam verbũ Dei veniens in hunc mundum, nõ ſicut Verbum aduenit, quale in principio erat, quale erat apud Deum, ſed ſemet ipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens. Venit in nube leui, & cùm eſſet virtus Altiſſimi, obumbrauit Mariæ, vt transfiguraret corpus humilitatis noſtræ cõforme fieri corpori gloriæ ſuæ.* Bernard. quoque homil. 3. de Aſcẽſione Domini ait: *In vmbra,* inquit (ſcilicet Propheta Ieremias) *tua viuimus inter Gentes, non inter Angelos, vbi puriſſimum lumen puriſſimis oculis intuebimur. Vnde & virtus Altiſſimi obumbrauit Virgini, ne nimio ſplendore perſtricta, diuinitatis fulgor etiam ſingularis aquila tolerare non poſſet.* Et ſerm. 20. in Cantica: *Nam quod ſubiungit* (vates nempè Ieremias) *ſub vmbra eius viuemus inter Gẽtes: mihi videtur ex perſona inſipientium addidiſſe, vt quieſcat in vmbra, qui Solis ferre ardorẽ minùs validos ſe ſentiunt: & carnis dulcedine nutriantur, dum necdũ valent ea percipere quæ ſunt ſpiritus*

Dei,

Margin notes (left): Dei ſpeculũ quã clarum ac lucidum ſit animus rationalis, teſte Bernardo. — Illud interim ſpeculum, vt idem admonet, quomodo purgandum à nobis ac tergendũ. — Apoc. 21. — Prouer. 8. — Apoc. 3. — Sacræ ſcripturæ humanũ intellectum quomodo obumbrent ad Dei viſionem. — Per vmbram Chriſti Humanitatis, Deũ quomodo videre poſſimus. — Cant. 2. — Pſalm. 16. — Matth. 11. — Thren. 4. — Dicti Ieremiæ: Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, captus eſt in peccatis noſtris, &c. quinam literalis ſenſus, qui myſticus.

Margin notes (right): 4. Reg. vlt. & alibi. — D. Ambroſ. tom 4. — Thren. 4. — Pſalm. 16. — 1. Cor. 13. — Actor 9. — Ibidem. — 1. Cor 13. — Pſal 118. — Pſalm. 114. — Quænam regio mortuorum. — Hebr. 8. — Nos, quamdiu viatores ſumus, viuere in vmbra. — Pſalm. 16. — Leuit. 19. — Ioan. 1. — Philip. 2. — Pſalm. 19. — Luc. 1. — Philip. 3. — Thren. 4. — Quare Spiritus ſanctus virgini obumbrauerit, teſte Bernardo. — 1. Cori. 2.

Dei Vmbra ſiquidem Christi, carnem reor eſſe ipſius, de qua obumbratū eſt & Mariæ, vt eius obiectu feruor, ſplendorq́; ſpiritus illi tēperaretur. In carnis ergo deuotione interim conſoletur, qui viuificantem Spiritum necdum habet, eo duntaxat modo quo habent illi qui aiunt: Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus; & item: Etſi cognouimus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nūc iam non nouimus. Adiungam verba Gregor. Nyſſen. quæ ille in expoſitione huius beatitudinis addidit: *Nā ſi beati ſunt,* inquit, *qui puro corde prædıti sūt: miſerabiles omninò ſunt, qui mentem ſordidatam habent: quoniā faciem aduerſarij intuebuntur. Itemq́;: Si ipſa diuina effigies imprimitur vitæ cū virtute coniuncto: perſpicuum eſt quod vita vitioſa, forma ac facies aduerſarij exiſtit.* Hæc ille. Ex quibus cōſtant, quem ſint viſuri qui immundo ſunt corde.

2. Cor. 3. Infra 5.

Mundi corde qui beati, qui verò miſerabiles Gregor. Nyſſen.

Magnitud. Dei viſionis ex quinque colligitur.

Huius autem viſionis Dei magnitudinem ex quibuſdam coniectare poſſumus: tùm ex obiecto, Deo nempè trino, & vno, totius felicitatis fonte: tùm deinde ex magna præparatione, quæ ad eam cōparandā requiritur. Solet enim Deus quæ donaturus eſt, ante promittere, vt promiſsione excitet nos ad donum vtilius recipiendum: quemadmodum terram promiſit Abrahæ per quadringentos annos, antequam filij eius eam poſsiderent; aduentum Meſsiæ ab initio, glorioſam verò Dei viſionem per multa annorum millia Patres in Limbo expectarunt: tùm ex pretio, quò à Chriſto ſapientiſsimo mercatore totum ſuū ſanguinem pro ea dāte redempta eſt: tùm ex eius ſpe, qua tanta tormenta à ſapientiſsimis ſimul ac ſanctiſsimis viris tolerata ſunt. *Non contemplantibus nobis* (inquit Apoſtolus) *quæ videntur*, nimirùm paſsionis ſeu afflictiones præſentes, vt exponit Tertullianus; *ſed quæ non videntur*, id eſt, mercedes, & præmia beatis in cœlo repoſita: cumq́; tot laboribus & cruciatibus ad eam beatā Dei viſionem perueniatur; adhuc tamen dicitur gratia, miſericordia, & donum: tùm denique ex deſiderio indito à natura, & ſuperaddito ex gratia: quo fit, vt Sancti cupiāt diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & de vitæ huius prolixitate querulas voces emittant, atq; cum Dauide dicant: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Vbi ergo hæc tanta diuinæ viſionis gloria nobis continget, tunc quies erit omnium deſideriorum, meta omnium laborum, ſatietas illa, & ebrietas ſpiritus, de qua idem Pſaltes; *Satiabor,* inquit, *cùm apparuerit gloria tua;* item, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Geneſ. 12. Infra 15. & ſeq.

2. Cor. 4.

Tertul. lib. de reſurrect. carnis, à medio.

Vnde cōſtet Dei viſionē non ſolis beatorum meritis reſpondere.

Philip. 1.

Pſalm. 41.

Beati in quas erumpent voces.

Pſal. 16.

Pſalm. 35.

Ibi licebit dicere cum Iacob: *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* Ibi quiſque experietur quod ait Regius Propheta: *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo.* Ibi cum Petro, non ſomniculoſi, ſed vigilantes & ſciētes quod loquimur, dicemus: *Bonum eſt nos hîc eſſe.* Deus ergo pro ſua incomparabili bonitate & charitate oculos cordis noſtri modò aperiat; vt vitam tanto præmio dignam viuere queamus: & præmium tantæ cordis munditiæ promiſſum conſequi valeamus, præſtante Domino noſtro IESV Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto, honor & imperium in ſempiternū. Amen.

Geneſ. 32.

Pſal. 33.

Luc. 9. Marc. 9.

TRACTATVS XXI.

In illa verba: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.*

PRo more à nobis hactenus obſeruato, in hac ſeptima beatitudine interpretanda, quatuor explicanda ſunt. Primum, ordo ſiue continuatio: ſecundum, quid pax ſit, & nomine, ac definitione: atque item quotuplex ſit; & qui eius gradus exiſtant; quantaque ſit eius dignitas atque vtilitas: tertium, qui ſunt propriè pacifici: quartum, quantum præmium eſt appellatio filiorum Dei; & cur illa pacificis in præmium reddatur.

Hoc loco quæ ſint explicanda.

Vt primum expediamus, non ſemel dictum eſt à nobis in ſuperioribus, per priores ſex beatitudines, hominem, & ad Deū, & ad ſe, & ad proximum rectè diſponi, atque inſtitui: per hanc ſeptimam verò ad conferenda atque effundenda in alios dona, quæ non alia lege à Deo nobis tribuuntur, perſanctè inſtruimur. Sol etenim ſibi lucem non retinet, nec ignis calorem, nec aër, nec aqua, nec terra virtutes ſuas. Vnde Ethnicus quidam rectè dixit:

Præſens beatitudo quem ordinem habeat ad præcedentes.

Virgil.

Sic vos non vobis mellificatis apes:
Vellera fertis oues:
Nidificatis aues.
Fertis aratra boues:

Ad idem Scriptura ſæpè nos adhortatur: quippè Chriſtus Apoſtolis ob eam cauſam ſalis, & lucis nomen indidit, vt intelligerēt ſe ad alios ſaliendos, & illuminandos deſtinari; & Petrus in ſua Canonica rectè tradit: *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes: ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei;* Paulus item, *Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus, ad vtilitatem, non quidē ipſius cui manifeſtatio datur, ſed Eccleſiæ:* quemadmodùm imber quo irrigatur ager, ſic deſcendit per canalem,

Apoſtolos cur lucē mūdi & ſal terræ Chriſtus appellauerit.

Matth. 5.

1. Pet. 4.

1. Cor. 12.

Vnicuiq; datur manifeſtatio Spiritus, ad cuius vtilitatem.

vt canalis ſibi nunquam fructificet, ager autem irrigatus multos fructus adferat. Atq; In hoc magna Dei iuſtitia, bonitaſque apparet, vt quemadmodum membra in corpore mutuo ſibi ſeruiunt & opitulantur, idem intelligamus in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, obſeruandum.

Epheſ.2. & Coloſ. 1.

Secunda ratio, cur felicitet beatitudini pacis ſeptimus locus tribuatur.

Deindecongruit hic ſeptimus locus paci, quia poſt labores ſex beatitudinum, quaſi dierū præcedentium, præ amoris magnitudine, perueniendum eſt ad Sabbatum pacis, & gloriæ: & quemadmodum per bellum ad optatam pacem peruenitur; ita per bellum indictum fortunæ bonis, & virtuti in nobis iraſcenti ac concupiſceoti, tepori quoque ſpiritus ac miſeriis, tùm propriis, tùm alienis, & deniq; cordis noſtri immunditiis, ad hanc pretioſam pacem comparandam accedimus.

Tertia ratio.

Tertio, annotauit Ambroſius, poſt munditiam cordis ſermonem eſſe de pace: quia non eſt pax impiis, dicit Dominus; ſed ſoli mūdi corde, cùm in præſenti, tùm in futura vita pacem, & exultationē obtinebunt. Verba Ambroſij ſunt: *Cùm interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, à te pacem incipis, vt ſic alys pacem feras.* Et hæc de primo.

B. Ambr. lib. 6. in Lucam, cap. 6.

Quid pax nomine ſit: vnde Latinis, Græcis, Hebræis deriuetur.

Secundo loco ſtatuendum eſt, pacem circa vocis etymologiam, & effectus eius, & ſigna, ac eius oppoſitum, nihil aliud eſſe, quàm vnionem quandam firmam, & coniunctionem: nam Pax Latinis, à pactione, id eſt, concordia voluntatum dicitur: vt enim habetur in l. t. ff. de pactis; *Pactio, eſt duorum, plurimmve in idem placitum, ſeu conſenſu.* Græcis εἰρήνη à verbo εἴρω, quod eſt necto, vnio, complico, deriuatur. Hebræis שלום à dictione Salem, id eſt perfectio, ſiue integritas, deſcendit. Nulla quippe res ſine pace perfecta eſſe poteſt, aut integra.

Pacem eſſe vnionem animorum, & corporum, oſtenditur ab effectis.

Deinde effectus pacis, vt Scriptura tradit, ad vnionem ſpectant: dicitur enim: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum,* ac rurſus; *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*; Dauid ipſe etiam, *Quoniam loquetur,* inquit, *pacē in plebem ſuam, & in eos qui conuertuntur ad cor:* nam qui ad cor redeunt, Deo occurrunt, atque inuicem ſibi vniuntur, etenim Deus noſter, non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis.

Ephe. 2. Infrà 4. Pſal 84. 1. Cor. 14.

Idem à ſignis demóſtratur.

Signa etiam externa indicāt, quòd pax ſit eonlunctio. Nam qui pacem faciunt, mutuò ſibi dant dexteras, oſculo & amplexu ſe proſequuntur, vt pater filium iuniorem è longinqua regione redeuntem excepit, Item colloquuntur inuicē, & mutuis vniuntur verbis. Inſuper eadem menſa vtuntur, in ſignum vnionis cordium: ideò ſigna ſine internis, ad pacem conciliandam non ſatis ſunt, vt oſculum Ioab ad Amaſam, & Abner, quos ſecretò necauit: & oſculum Iudæ, quo Chriſtum prodidit, de quibus Propheta: *Qui loquūtur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.*

Luc. 15. 2. Reg. 3. Suprà 3. Pſalm. 27.

Quid belli: vnio quæ ſolùm pacem efficiat.

Oppoſitum etiam pacis conſtat eſſe bellum; quod non tantùm corda & voluntates, ſed corpora etiam à ſe inuicem ſeparat, ac diſiungit. Eſt ergo pax omnibus his rationibus vnio quædam & coniunctio. Sed non quæuis coniunctio pacem efficit, verùm illa, quæ firma eſt & fixa, motumque contrarium, & turbationem omninò remouet, iuxta illud: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*; & Propheta: *Dormietis, & non erit qui exterreat: auferam malas beſtias: & gladius non tranſibit terminos veſtros:* & falſam pacem reprehendēs Dominus, per Apoſtolum ait: *Quum dixerint, Pax & ſecuritas: tunc repentinus eis ſuperueniet interitus*, paci ſcilicet repugnās.

Pſalm. 118. Leuit. 26.

Pax quæ non bona. *1. Theſſ. 5.*

Induciæ vnde dicantur.

Hinc eſt vt cum Principes vniūtur ad tēpus, non pacem, ſed facere dicantur inducias: quæ vox à veniendo, & introeundo dicitur, quòd vtrinq; liceat liberè introire, & venire. Hæc autem belli vacatio ad tempus, Græcè dicitur ἐκεχειρία, ab abſtinendis manibus. Eſt ergo iam pax vnio, atq; illa quidem firma & ſtabilis.

Pax quæ ſit ordinata tantum modò.

Tertiò addendum eſt; non quauis fixa vnione pacem conſtare, ſed illa tantùm, quæ ordinata eſt, tùm ad Deum, tùm ad ſe ipſum, tùm ad proximum, & ad alias creaturas. Hinc eſt, vt cōcordia & quies in peccatis & flagitiis pax minimè ſit appellanda: hinc illæ voces Propheticæ: *Non eſt pax impijs, dicit Dominus. Non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum. Sed in magno viuentes inſcitiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.*

Eſai. 48. & Infrà 57. Sap. 14.

Inordinata pax.

Peccator enim ſe ipſum plus quàm Deum; & inferiora plus quā ſe ipſum perniciosè & inordinatè diligit. Talis fuit pax Heuæ cum Adam, vbi Heua voluit præeſſe, & vir illi ſubeſſe; cui propterea dictum eſt: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ*: cùm cōtra, mulier viro ſubdi debeat. Virtus ergo vniens plures inuicem, & firma, & cum ordine, pax propriè & eſt, & appellanda eſt.

Geneſ. 3.

Pax quid Auguſtino, quid Tullio. *Tom. 5.*

Quare beatus Auguſtinus lib. 19. de ciuitate Dei: *Pax, inquit, eſt tranquillitas ordinis*: & Cic. 2. Philippica: *Pax eſt*, inquit, *tranquilla libertas.* Quæ, vt idem in tertia decima ait, res eſt tùm iocunda, tùm ſalutaris. Hinc eſt vt in omnibus rebus pacem conſtituamus.

Quibus in rebus pax inueniatur. Quid ordo.

Pax enim corporis ordinata eſt membrorum eius temperantia. Pax animæ rationis carentis, ordinata eſt requies appetitionum. Pax animæ ratione prædit æ, ordinata cognitionis, actioniſque conſenſio. Pax

corpo-

corporis,&animæ,ordinata vita & ſalus animantis. Pax hominis mortalis cum Deo immortali Optimo Maximo, ordinata eſt in fide ſub æterna lege obedientiæ. Pax hominis inter ipſos,ordinata concordia. Pax ciuilis,eadem ordinata imperandi, atque parendi inter ciues conſenſio. Pax cæleſtis Ieruſalem, concordiſsima eſt atque ordinatiſsima beatorum ſocietas fruendi Deo: & ſe inuicem in Deo. Ordo verò, eſt parium, diſpariumq́ue rerum ſua cuique loca tribuens, diſpoſitio. Atque ita habes nomine, & re ſit pax.

Pax quotuplex.

Iam ad partitionem eius deſcendendũ eſt. Eſt enim pax alia quidem increata & per eſſentiam, quæ ſoli Deo competit, de qua ſcriptum eſt: *Ipſe eſt pax noſtra*, & Dominus: *Pax vobis, Ego ſũ*, & Angeli: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*, id eſt, Ego Deus ſum gloria Angelorũ,&pax hominum;&Propheta: *Ecce ego declinabo ſuper eã quaſi fluuiũ pacis*;& Baruch, *Vt ſcias*, inquit, *ſimul vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus, vbi ſit lumen oculorum, & pax.* Dionyſius magnus Theologus cap. 11. de diuin. nomin. Deum vocat pacem his verbis: *Age itaq; diuinã, complectentemq́; omnia pacẽ, pacificis efferamus laudibus. Hæc eſt enim quæ cuncta connectit, concordiamq́; omnium atq; conſenſum gignit & efficit, cuius rei gratia ipſam quoq; deſiderant omnia. vt quæ diuiſibilem ipſorum multitudinem, ad totam conuertit vnitatem, inteſtinumq́; mundanæ machinæ bellum (quo fœdere mirabili congruat) efficit.* Hæc ille. Fauetq́ue huic conſiderationi ratio: tùm quia Deus in ſe eſt vnitas prima & ſumma: neq; multitudo perſonarum in illa diuidit eſſentiam, ſed in Trinitate vna eſt & ſimpliciſsima eſſentia, & Deus vnus: de qua pace Gregorius Nazian. orat. 17. de pace ad Amphilochium: *Pax*, inquit, *chara tam ſuauitate, quàm nomine, quam nunc populo dedi, & è conuerſo accepi; tametſi ignorem, vtrùm vox hæc apud omnes germana ſit, & ſpiritu digna. Verùm nequaquã reprobãda ſunt pacta publica, præcipuè Deo teſte inita, ne maior nobis accedat damnatio. Pax chara meditatio mea, ac ornamentum, quam & Dei eſſe audimus, ac Deum eius eſſe Deum, Deũ ipſum ita, vt in pace Dei, & Deus ſit pacis, ac ipſe eſt pax noſtra, & nihil adeò veneramur.* Sic ille. Eſt quoq; firma & ſtabilis illa pax, quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur, cũ infinita fortitudine & vnione ſit colligata. Eſt etiam in ea ordo, non quidem propriè, quia ille eſt pariũ & diſparium diſtributio: perſonæ autem per omnia tam in ſubſtantia, quàm in poteſtate, bonitate, & duratione pares & æquales ſunt. Eſt tamen in illis ordo originis: nam Pater à nullo eſt; Filius à ſol[illegible]ſt; Spiritus ſanctus ab vtroq; procedit: & Pater nõ dat partem ſuæ perfectionis Filio, ſed quicquid ipſe eſt, & quicquid poteſt, transfundit in Filium: & rurſus Pater & Filius omnia transfundunt in Spiritum ſanctũ, quẽ ambo ſpirant. Propterea æqualis eſt amor, beatitudo, gloria, ſimilitudo, quies, & pax illa, quę verè exuperat omnẽ ſenſum. Prętereà Deus nõ in ſe ipſo tantũ pax eſt, ſed etiam reſpectu creaturarum: quia eſt ſumma vnitas omnia coniungens & vniens, fixeq; conſeruans: & plus, & minus iuxta capacitatẽ eas inter ſe ordinans: capacitas autem cuiuſq; iuxta ideam, quam liberè cuique rei Deus aſsignauit, conſtituenda eſt: vnde cœlos firmauit, eorumq́ue ordinem ſtatuit: idem & in elementis fecit, vt Boetius dicat:

Tu numeris elementa ligas.

Ipſe enim Deus eſt ordo ordinum, vnitas vnitatum, ſtabilitas ſtabilitatum omnium creatorum. Mirum enim eſt, quòd ſphœræ illæ cœleſtes tot motibus contrariis, etiam illo trepidationis agitatæ, non ſe ſe inuicem conficiant, ac deſtruant. Ad hæc, elementa cõtrariis inuicem qualitatib. prædita, & perpetuò inter ſe pugnantia, non ſe conſumſerint hactenus; animalia verò, quorum quædã bellũ ſibi inuicem perpetuũ ac irreconciliabile indixerunt, adhuc non perierint tamen; porrò homines tot odiorũ ſeminariis & ſeditionibus inter ſe, atq; ambitioſa dominãdi libidine, quomodo ad internecionem nõ perduxerint ſpeciem humanem: ſed vnionis vinculo & amore firmitatis, ac loci, ordiniſq́; cuiq; diſtributi omnia Deus pro ſua bonitate conſeruat, ac tuetur. Nam igni ob agilitatẽ ſupremum locum ſtatuit, cùm ſit calidus & ſiccus. Aër vero, calidus & humidus, illi eſt cognatus in calore, differt verò in humiditate: Aër item contiguus eſt aquæ in humiditate, differt verò à fragiditate. Terra, ſicca, & frigida, per frigiditatem quidem dat dexteram aquæ; & per ſiccitatem igni: & ita inuicem coniunguntur, & quaſi chorea elementorum conſtituitur. Porrò elementa, ſolidam inter ſe oppoſitionẽ habentia, hoc eſt, binis qualitatibus cõtrariis conſtãtia, vno medio colligantur elemento, quæ verò ſolitam non habent repugnantiam, media vna qualitate in vno elemento coniunguntur. Nam, verbi gratia, ignis, qui calidus eſt & ſiccus, aquæ, frigidę & humidæ, connectitur medio aëris elemẽto, quod humidum eſt & calidum. Terra frigida, & ſicca, vnitur aëri calido, & humido per mediã aquam frigidam, & humidam: & ob ſimilitudinem quidem fit conuenientia, ob diſſi-

Marginalia (left): Epheſ. 2. — Luc. 2. — Eſai. 66. — Bar. 3. — B. Dionyſ. — Deus cur ſit pax. — Greg. Nazia. — Pacta publica cur minimè reprobãda. Pacis cõmendatio — 2. Cor. 13. — 1. Theſſ. 5. & 2. Th. 3. — Ephe. 2. — Secunda ratio, ac tertia, cur Deus ſit pax. — Eccle. 4. — Qualis ordo ſit tantùm in Deo.

Marginalia (right): Philip. 4. — Quarta ratio. — Boet. lib. 3. Metro. 9. — Deũ eſſe pacem vniuerſi. — Pax ſit quæ inter elementa, & ordo. — Elementorũ ſymbolicæ qualitates.

militudinem diuerſitas actionum. Hæ autem quatuor qualitates, per quatuor anni tempora inualeſcunt & corroborãtur; propter Solem curſu ſuo quatuor cęli quartas peragẽtem. ¶ Deus igitur pax eſt omnium creaturarum, cęlos, elementa, animantia & homines inter ſe colligans atq; concilians.

Creata pax quæ ſit naturalis.

Cæterùm, præter increatam illam, infinitamq; Dei pacem, inuenitur In creaturis alia quædam creata & participata pax: atq; hæc quidẽ exiſtit duplex, altera naturalis, diuina altera. Naturalis igitur in omnibus creatis cõſtituitur, quæ mediis ſuis formis perfectionibuſq;, pacem appetunt ac poſſident: nam ſimilitudo, quæ eſt à forma & actu, vnit & firmat; nam materia eſt propè nihil: & per formam, vti per lumẽ cognoſcitur quęlibet res. Ea etiam quæ ſemper in motu ſunt, vt aqua, aër, & omnia corruptioni obnoxia quæ pereunt, mediis formis pacem habent. Etenim vt magnus ait Dionyſius c. 11. de diuin. nom. Pax eſt, cuiq; naturam ſuam ſeruare, quud motu ipſo fit. Proinde Manichæis corruptibilia hæc eſſe à malo Deo obiicientibus, egregiè reſpondet Auguſti. li. de vera religione ca. 22. illud negans. Sicut enim carminis decor cõſiſtit in hoc, quòd pronuntiata vna ſyllaba, quæ confeſtim perit, ſuccedant aliæ: & nolens ſequentes proferre, eſt tamen contentus vna ſyllaba carminis: ad eum modum faciunt, qui creaturas mortui ſubiectas, & in motu vitam & formã habentes, eas tamẽ fluere nolunt, ne pereant, aut diabolo adſcribunt. Participatur autem Deus vt pax naturalis, multifariam ſecundum variam rerũ naturam: ſicut variè participatur lux, quæ ꝑ varias vitreas feneſtras ingreditur; & aqua, quę, pro loci varietate, diuerſas induit qualitates: quippe in fonte ipſo ſubtilis eſt & clara; ac per ſalebroſa fluens loca fit craſsior, denſiorque. Vnitas verò cuiuſuis rei à forma eſt ipſi materiæ coniuncta; ſimiliter & firmitas, & ordo: minus tamen eſt in hoc orbe inferiori concordiæ & pacis, quàm in corporibus ſublimioribus.

Dyon. Areop.

B. Aug. 10. 1.

Manichæi res fluxas atque mutabiles malo tribuentes principio, quales Auguſtino.

Naturalis pax eſt rerũ inæqualis.

Pax diuina & ſupernaturalis quænã illa.

Altera eſt pax ſupra naturam, ex participatione ſuperna ſummi Dei profecta: & quia illa participatio in iuſtitia Chriſtiana, quæ non eſt aliud quã Fides, Spes, & Charitas, cõſiſtit: ideò eiuſmodi pax effectus eſt iuſtitiæ. Quod Scripturæ apertè porrigunt: *Gratia*, inquit Paulus, *vobis, & pax*: & rurſus, *Iuſtificati ex fide, pacem habeamus ad Deũ*: & alibi, *Fructum pacatiſsimum exercitatis per eam*, (ſcilicet diſciplinam) *reddet iuſtitia; at fructus iuſtitiæ in pace ſeminatur*: & Pſaltes, *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis*: Eſaias etiã, *Et erit*, inquit, *opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſq; in ſempiternum*; id eſt, quies, ſiue pax: & idem Propheta alio loco ait: *Vtinam attendiſſes mãdata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris.* Vt ergo ſecundũ ſententiam Salomonis, à mari proficiſcuntur flumina; ita à iuſtitia pax: vt prædicti loci apertè oſtendunt, & cõfirmat ſententia B. Auguſt. in Pſ. 84. ſuper illud: *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Duæ amicæ ſunt*, inquit, *tu fortè vnã vis, & alteram non facis. Nemo eſt enim qui non vult pacem; ſed non omnes volunt operari iuſtitiam Interroga omnes homines. Vultis pacem? Vno ore tibi reſpondet totum genus humanum; Opto, cupio, volo, amo. Ama & iuſtitiã, quia duæ amicæ ſunt, iuſtitia, & pax. Iuſtitia, & pax, ipſæ ſe oſculantur. Si amicam pacis non amaueris; nõ te amabit ipſa pax, nec veniet ad te.* Sic ille. Dicendum & de gradibus pacis, vt naturam eius altiùs contemplemur: atq; illi quidem duplices exiſtunt. Nam quidã ad eius perfectionem in ſe ipſa; quidam verò ad eum, in quo pax ſita eſt, referendi ſunt.

Rom 1 & Apoc. 1.

Rom. 5.

Hebr. 12.

Pſal. 71.

Eſaia. 32.

Eſai. 48.

Eccleſ. 1.

Aug. tom. 8.

Iuſtitia, & pax ſunt inſeparabiles Auguſtino.

Gradus pacis quantum ad naturam & perfectionẽ triplex.

Quantum ad perfectionem eius; in primis tres conſtituuntur gradus. Primus quidem eſt viæ noſtrę, tanquam nobIs magis notę: in qua, poſt inſcitiæ & ignorantiæ plagam ante legem, & præuaricationis ſub lege, & belli ſub gratia nos inſtruente, & præſtante vt peccata vitare poſsimus, nũc agimus, & ex hac hoſtes vincimus, ſed pugnando cum eis, ſiue ſint interni, ſiue externi. Hinc Chriſtus dixit: *In mundo preſſuram habebitis; in me autem pacem.* Voco autem hoſtes internos, prudentiam carnis ex peccato in intellectu noſtro relictam, temeritatem, arrogantiam atq; diffidentiam in virtute iraſcente relictas, amorem ſui ipſius immoderatum, qui in voluntate remanſit, fomitem in carne ad bona mundI, & ſenſus tendente dimiſſum. Externos hoſtes voco dæmonem; qui & apertè, vt leo rugiens, & occultè & ſerpens, & in Angelum lucis transfiguratus nobiſcum congreditur. Voco etiam proximũ, cum quo eſt continuus conuictus & plurima iurgiorum occaſio: ita vt quidã ſanctus Pater dixerit: *Domine, libera me à proximo meo*: inueniens magnum periculũ ſibi ab eo imminere. Ad hæc enumero inter hoſtes noſtros obiecta creaturarum, vt aurum, argentum, veſtes ſplendidas, & poſſeſsiones, & ſimilia, quæ, teſte Salomone, factæ ſunt in tentationẽ, & in muſcipulam pedibus inſipientium: atq; in hac quidem pugna interdum vulnera accipimus, licèt non ſemper mortifera: hinc Paulus: *Ego ipſe mẽte ſeruio legi Dei: carne aũt legi peccati.* Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu: qui nõ ſecundùm

Primus naturæ corruptæ.

Ioan. 16.

Quibus cum hoſtibus internis nobis bellandũ ſit.

1. Pet. 5.

2. Cor. 11.

Qui verò noſtri ſint hoſtes externi.

Sap. 14.

Rom. 7.

Infrà 8.

Rom. 6. carnem ambulant: & iterum; *Nō ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius.* Secundus gradus pacis fuit in via Adæ protoplaſtis, qui hoſtem quidem internum non pugnantem habebat, hoc eſt, concupiſcentiam ligatam atque rationi obſequentem, cum perfectione intellectus & voluntatis: habebat & externum hoſtem, id eſt, cacodæmonem fraudibus & mendaciis pugnantem; vxorem verò blanditiis pomi ac deliciis certantem: cui cedens pacem perdidit.

Secūdus gradus pacis, ſcilicet, naturæ integræ & incorruptæ. *Eccleſ. 17.* *Geneſ. 3.*

Tertius gradus pacis non eſt viæ, ſed patriæ, ſiue gloriæ, in qua nullus eſt vel internus, vel externus hoſtis; ſed vt ait Dauid: *In pace in id ipſum dormiam & requieſcam*: & alibi, *Qui poſuit fines tuos pacem.* Et hæc potiſſimùm eſt pax, præter illam primam increatam Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, ſicut & pax Chriſtiana noſtra deriuata, hominis ſenſum, & rationem excedit: nam ratio minimè comprehendit, quomodo in ſummo bello, quo vndique Chriſtianus inuaditur, pacem cordis cum Deo, & proximo, & ſecum ſeruare poſſit, quemadmodum CHRISTVS, & Stephanus, dum pro hoſtibus actu perſequentibus, & mortem intentantibus preces fuderunt: videbanturque illud dicere cum Dauide: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis*, (ſcilicet quæ concordiæ atque conſolationis eorum erant) *impugnabant me gratis.*

Tertius gradus ſtatui beatorum conueniens. *Pſalm. 4.* *Pſalm. 147.* *Philip. 4.* *Luc. 23.* *Actor. 7.* *Pſal. 119.*

Quod ad ſubiectum rurſus attinet, multiplex conſtituitur pacis gradus. Eſt enim reconciliatio & pax in ſpiritu tantùm, vt noſtra, quæ cum rebellione carnis conſiſtit: & huic non repugnant vel tribulationes, vel præcepta Dei, & Eccleſiæ, vel vota, vel fomes carnis, vel peccatum veniale, nihil denique illi contradicit, niſi lethale crimen, à quo diligenter cauendum eſt, ſi volumus pacē Dei, & conſcientię cuſtodire. Secundus gradus eſt in ſpiritu, & corpore ſimul, non quidem rebellante, ſed rebellare valente; vt in Adam. Tertius exiſtit in ſpiritu, & corpore nulla ratione inſurgere, vel rebellare valente: atque hic gradus pacis in cœleſti gloria in præmium accipiendus expectatur: quia ibi ſumma erit concordia, & omnia maximè pacata erunt, vt ab illa exulet omnis non dico belli, ſed cuiuſcunque vel minimi diſſidij occaſio. Et hæc de gradibus pacis dicta ſufficiant.

Gradus pacis quantum ad eius poſſeſſores, tres alij.

Iam de dignitate eius aliquid nobis philoſophandum eſt: vt eam tantò magis diligamus, quantò maioribus laudum præconus ornatam, atque illuſtratam intelleximus. Eſt igitur prima eius dignitas, quòd perfectam vnionem talium extremorum, id eſt, Dei, & hominis efficiat, ſtabilemque & ordinatam, tum cum Deo, tum cum proximo eius vicario, & ſecum reddat: ad quam mirificè natura ipſa homines impellit. Eadem eſt enim omnibus naſcendi ſors, ſpecies vultus grata, vox ſuauis, riſus & lacrymæ, memoria, odium ſolitudinis, & amor ſodalitatis, ardor artiū & ſciētiarum, variæ animi dotes in quouis, ſtudium de aliis benemerendi, nomen ipſum Hominis, quod ſecundùm Quintilianum ἀπὸ τῆς ὁμονοίας, id eſt, à concordia deriuatum eſt: nomen ipſum belli, quod, vt author eſt Feſtus Pompeius, à belluis eſt deriuatum. Deinde ad laudem ſpectat pacis, quòd omnia DEI pacta & benedictiones, olim, & nunc, de pace ſunt: & omnis ſalutatio, quā Chriſtus inſtituit, & qua in epiſtolis ſuis Apoſtoli vſi ſunt, pacem cōtinet: vnde per Malachiam ait Dominus: *Pactum meum fuit cum eo vitæ, & pacis.* & Eſai. *Fœdus pacis meæ non mouebitur*: & alibi, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Euangelium à Paulo dicitur pacis: Chriſtus, Princeps pacis: Apoſtoli, miniſtri reconciliationis; *Et poſuit*, inquit, *in nobis verbum reconciliationis*; & Deus, dicitur Deus pacis: & acceptantes Euangelium quales ſunt omnes fideles, dicuntur filij pacis: & pedes noſtri ſunt dirigendi, vt ambulemus, in viam pacis: nam qui in delictis agit, viam belli cum Deo ingreditur, non pacis. Tertiò, pacis magnitudinem indicat pretiū quo empta eſt. *Pacificans*, inquit Apoſtolus, *per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt*: atq; Eſaias: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Ideo Dominus inſtante morte omnia in ſe bellare voluit; Gentiles, Iudæos, maſculos, fœminas, Sacerdotes, laicos, literatos & idiotas, paruos & magnos: vt omnibus pacem compararet. Quartò prædictis accedit, quòd Chriſtus, ſiue naſcens, ſiue docens, ſiue moriens, ſiue reſurgens; ſiue per ſe, ſiue per Apoſtolos, pacem docet; eamque vt pretioſam hæreditatem nobis tanquam filiis in teſtamento legauit. *Pacem*, inquit, *relinquo vobis: pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Bis legat pacem, quia ſeruanda eſt cum Deo, & cum proximo: & quia in ſpiritu & carne retinenda eſt, atque pro ea tuenda, vt ſolida hæreditate, non ſecùs quā Naboth pro vinea, vſq; ad mortem certare debemus contra Achab, id eſt, dæmonem, qui paci inſidiatur noſtræ: nam pax iſta con-

Quāta pacis dignitas & excellentia. *Homo, & Bellum vnde denominētur.* *Quintilian.* *Feſtus Pompeius.* *I I. Ratio.* *Malach. 2.* *Eſai 54.* *Suprà 32.* *Epheſ. vlt.* *2. Cor. 5.* *I I I. Ratio.* *pacis excellentiæ* *Coloſſ. 1.* *Eſa. 53.* *I V. Ratio.* *Ioan. 14.* *3. Reg. 21.*

conſcientiæ, arrha quædam eſt pacis in vita æterna futuræ: vt ſic impleatur Eſaiæ illud: *Erit Sabbatum ex Sabbato.* Quintò, ſpectat ad dignitatem pacis, quòd locus Dei factus eſt in pace, ſecundùm illud: *Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Quippe templum Dei à Salomone pacem habente in Ieruſalem eſt conſtructum: nec benè in nobis templum Domino ædificamus, niſi pacem habeamus ad Deum. Debemus ergo eſſe Ieruſalem, quæ vox Hebræis dualis eſt numeri, & interpretatur viſio binæ pacis; nam internam & externã habere debemus, in anima, & corpore: & per præſentem pacem ad æternam futuram aſpirare: & interim per eam hic regnare. Etenim vt ait Paul. *Non eſt regnum Dei eſca & potus; ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto.* Sextò, magna eſt pacis gloria, ad quam poſſidendam bellum ipſum ſuſcipitur: vt Ariſtoteles libr. 10. Ethic. dixerit: *Bellum gerimus, vt in pace degamus:* & Auguſt. libr. 19. de ciuit. Dei, cap. 12. initio. *Sicut nemo eſt*, inquit, *qui gaudere nolit, ita nemo eſt, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipſi qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volũt: ad glorioſam ergo pacem bellãdo cupiunt peruenire. Nam quid eſt aliud victoria, niſi ſubiectio repugnantium? Quod cùm factum fuerit, pax erit.* Ac ſubdit in eodem loco: *Sic enim ſuperbia peruerſè imitatur Deum. Odit namque cum ſociis æqualitatem ſub illo: ſed imponere vult ſociis dominationem ſuam pro illo. Odit ergo iuſtam pacem Dei, & amat iniquam pacem ſuam. Non amare tamen qualemcunque pacem nullo modo poteſt. Nullum quippe vitium ita contra naturam eſt, vt naturæ deleat etiam extrema veſtigia.* Hæc ille acutè, & eleganter. Septimò & poſtremò ab effectis ſuis pax commendatur. Reddit enim inprimis ſapientem animam, quæ quieſcendo fit prudens: & Salomon, id eſt, Pacificus, fuit ſapientiſſimus, & Chriſtus ſub pacifico mundo voluit prædicari Euangelium. Vt enim in aqua turbata non reſplendet facies cernentis; ita nec diuina Sapiĕtia in corde perturbato: *Scribe*, inquit Salomon, *ſapientiam in tempore vacuitatis.* Et Spiritus ſanctus, qui & Spiritus veritatis dicitur, non niſi in cõcordes, & vnitos deſcendit Apoſtolos: &, *Silent leges inter arma*, Cicero dixit. Deinde pax parit fructum fortitudinis in anima, quæ omnia poteſt in Deo, cui eſt vnita: quemadmodũ populus diuiſus debilis eſt, contrà, exercitus ſibi coniunctus, fortis, ſecundùm illud: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Sed nulla maior vnio, quàm hominis cum Deo, de qua Iob; *Libera me, & pone me iuxta te: & cuiuſuis manus pugnet contra me.* Et Propheta: *Quis eſt aduerſarius meus?* Quid poſſit concordia, oſtendit Sertorius in cauda equina; Scillurus, in virgis multis colligatis; Cyrus Imperator in Euphrate, quem vnitum ſuperare non valuit; ſed vbi illum in trecentos alueos ſecuit, & ſeparauit, facilè Babylonem obtinuit. Ad hæc pax omnium rerum abundantiam parit, vt ſub Salomone, & Romanis ante bella ciuilia cõſtat. Nam *Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur*: & Dauid, *Fiat pax in virtute tua, & abũdantia in turribus tuis.* Et vt aliena tempore concordiæ efficiuntur noſtra; ita in diſcordia nec noſtra ipſorum poſſidemus, & priuamur amicis, qui ſunt iocundiſſima poſſeſſio. Artifices ſectantur otium: agricolæ feriantur à colenda terra: mercatores non valent negotiari: milites pro libidine dominantur. Denique bellum nihil eſt aliud, vt dixit Auguſtus Cæſar, quàm aureo hamo piſcari: nam magis conſtant expenſæ belli, quàm id quod bello paratur. In pace etiam interna cum Deo anima affluit internis opibus intellectus, & voluntatis. Pax inſuper gaudium generat, quemadmodũ bellum triſtitiam. Propterea Paulus poſt pacem, gaudium adiungit, cùm ait, *Iuſtitia, pax, & gaudium in Spiritu ſancto*: & gaudium eſt de ipſa pace, iuxta illud, *Delectabuntur in multitudine pacis.* Poſtremò, cùm ſapientem animam, potentem, & opibus abundantem, atque gaudentem pax efficiat: meritò conſtituit illam Reginam, & regnare facit, quemadmodum Salomon regnauit. Nam vt dæmon in diſſidentibus & diſcordibus, pacemque CHRISTI oblatam reſiſtantibus regnum obtinet; ita in pacis & concordiæ ſtudinſis Chriſtus, ac pacificus, ac concordiæ cultor viciſſim regnat, cui cum Patre & Spiritu ſancto honor & imperium in perpetuum, Amen.

Eſai. vlt. V Ratio. Pſal. 75. Quid ſonet Ieruſalem. Rom. 14. VI. Ratio. Ariſt. cap. 7. tom. 5. Aug. tom. 5. Victoria qd Auguſtino. Superbia vt peruerſè imitetur Deum. Septima ratio ab effectibus pacis. Simile. Eccleſ. 38. Actor. 2. Cicero pro Milone. Secundus effectus. Cant. 6. Iob 17. Eſai. 50. Concordia quàm poteſ. Tertius pacis effectus. Pſalm. 121. Bellare, eſſe aureo hamo piſcari, ait Auguſtus Cæſar. Quartus effectus. Rom. 14. Pſalm 36 Quintus & vltimus. Dæmon in quibus regnet.

TRACTATVS XXII.

IN illa eadem verba: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.*

QVOD Tertio loco propoſitum fuit, elucidandum eſt, nempè, Qui ſunt ij, qui pacifici, ſiue Græcè εἰρηνοποιοὶ dicũtur? In Scriptura enim interdũ pacificus dicitur, ſiue εἰρηνικὸς, qui corde eſt pacato, & cũ omnibus pacem ſeruare contẽdit. Ita enim dicitur Pſal. 36. *Quoniã ſunt reliquiæ homini pacifico:* & alibi: *Cum his qui oderũt pacẽ, erã pacificus.* Hoc loco non prędicãtur beati

Pacifici qui dicantur filij Dei. Pſalm. 36. Pſalm. 119. Pacifici qui minimè beati.

εἰρηνο-

εἰρηνικοὶ, id eſt, qui in ſe ipſis pacem habent, ſed εἰρηνοποιοὶ, id eſt, pacis conciliatores. Sunt enim qui pacem conciliant, quam in aliis præſtare non valent, niſi prius in ſe ipſis pacem compoſuerint. Vnde Hieronymus in hunc locum ſcribit: *Pacifici ſunt, qui primum in corde ſuo, & deinde inter fratres diſſidentes pacem faciunt. Quid enim prodeſt alios per te pacari, cùm in tuo animo ſint bella vitiorum?* Auguſtinus: *Pacifici,* inquit, *in ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componentes, & ſubiicientes rationi, id eſt, ſpiritui, & menti, carnalesq; concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita ordinata ſunt omnia, vt id quod eſt in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ ſunt nobis, beſtiiſq; communia. Atque id ipſum quod excellit in homine, id eſt, mens & ratio ſubiiciatur potiori, quod eſt ipſa veritas vnigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperiori ſe ipſe ſubiiciat.* Author etiam Operis imperfecti in Matthæum: *Pacifici non ſolum dicuntur qui inimicos in pace reconciliant, ſed etiam illi, qui memores ſunt malorum, & ipſi diligunt pacem. Multi enim ſunt, qui aliorum quidem inimicos libenter in pace reconciliant, & ipſi inimicis ſuis nunquàm ex corde reconciliantur. Iſti tales illuſores ſunt pacis, non amatores.* Sed inter omnes nemo apertiùs, & germaniùs exponit atq; Baſilius, qui in regulis breuioribus proponens quis ſit hic pacificus beatus à Domino prædicatus, reſpondet: *Qui Domino cooperante iuxta Apoſtolum, qui dixit; Pro Chriſto legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Et rurſus: *Iuſtificati ex fide, pacem habeamus ad Deum. Nam pax, quæ aliter ſe habet, negata eſt à Domino, vbi ait: Pacem meam do vobis: non quomodo mundus, ego do vobis.* Sic Baſilius. Sunt ergo pacifici, vt vno verbo multa complectar, qui etſi ab alio offenſi ſunt, omnem ponunt operam offenſorem ſibi reconciliandi, ſiue qui fratres inter ſe diſſentientes ad concordiam redigere conantur; vel etiam qui peccatores à Deo alienos illi reconciliare ſtudent, annuntiantes Euangelium pacis, & vtentes miniſterio reconciliationis.

Hier. in l. c. in Matt. tom. 9. — *Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. in Monte, cap. 2 tom 4 circa finem.* — Regnū Dei quàm benè ſit ordinatū. — Qui ſit inferioribus ad imperandum ineptus. — *Aut. oper. imperf. in Matth. hom 9. tom 2. operum D. Chryſoſt.* — Illuſores pacis, non amatores qui ſint. — *B. Baſil. in regul. breuio. Interrogat 275. tom 2.* — *2. Cor. 5.* — *Rom. 5.* — *Ioan. 14.* — In tribus verè pacifici cognoſcuntur. — *2 Cor. 5.*

His præmiſſis, aduertendum eſt, in omni creatura, Deum omnipotentem, vt teſtatur Areopagita Dionyſius, veſtigium, etſi tenue, Trinitatis impreſſiſſe: nam quælibet res creata habet eſſentiam, virtutem, & actionem. Eſſentiam quidem profundiorem, & magis intrinſecam, quæ à nullo eſt intra hominem; quemadmodum Pater neque viſus eſt, nec ab alio eſſe habet: virtutem eminentiorem, & magis conſpicabilem, quæ ab eſſentia, vt Filius à Patre, producitur: poſtremò, actionem, ſeu operationem vtrumq; nectentem, & ab vtroque procedentem; quemadmodum Spiritus ſanctus à Patre, Filioque procedit. Quo fit, vt homo, quo ſit perfectè in ſe ipſo pacificus, opus habeat, vt tam quantum ad eſſentiam, quàm circa vires, & actiones, diuinus quodammodò fiat, & quod ad eſſentiam ſpectat, quæ actus primus eius dicitur, id eſt, eſſe, neceſſarium eſt per gratiam, vel charitatem hominem cum Deo vnientem, reddi conſortem diuinæ naturæ: nam aliàs radice non plenè pacificata, neque quietem ſuam adepta, per hoc quod eſt in loco ſuo naturali, hoc eſt, in Deo, qui locus, & cum quo ſit vnus ſpiritus, habere pacem nequit; ſicut nec piſcis extra aquam, nec auis extra nidum, nec palmes extra vitem, aut planta extra terram habere vitam, aut quietem poteſt. Coniungimur ergo Deo non quidem vnione illa hypoſtatica, quæ ſolius Chriſti eſt, cui ita datus eſt Deus, vt verè ſit Deus; ſed inferiori vnionis dono, nempè per pretioſam gemmam gratiæ ſuæ, qua filij Dei, & nominamur, & ſumus; adoptiui tamen, & non naturales. De hac manſione hominis in Deo loquitur Chriſtus apud Ioannem, cùm ait: *Manete in me; & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Deinde circa facultates conſiderandum eſt, quaſdam eſſe quæ cognitioni, quaſdam verò, quæ appetitioni deſeruiunt, & tam hæ, quàm illæ, ſunt in duplici differentia: nam quædam ratione præditæ ſunt, quædam verò ratione carentes. Prioris generis ſunt, intellectus, & voluntas; poſterioris verò, ſenſus, & appetitus ſentiens. Intellectus igitur hominis pacem aſſequi non poteſt, niſi per fidem illuſtretur. Triplex enim cognoſcendi modus, & gradus inuenitur: alter quidem cum obſcuritate, ac inſtabilitate: & in hoc gradu ſita eſt opinio, quę obſcura eſt, & ob formidinem alterius illi tenaciter adhærere non poſſumus: nam alius aliter ſentiet, & acutè tuas opinandi rationes diſſoluet. Alius gradus cognoſcendi claritate ſimul, & ſtabilitate cōſtat: quod præſtat, vel ſcientia per demonſtrationem comparata, vel ſimplex conceptus circa prima principia. Talis etiam quietem non parit, quia vix, & pauciſſimi ſunt, qui talem ſcientiam poſſideant: & veritatem paucarum, & inutilium, vt in Geometricis, vel Arithmeticis, ſiue Mathematicis; circa quas diſciplinas contingit aliquas demonſtrationes fieri, ſed appetitus ſciendi minimè proptereà impletur, quin potiùs

Dion. Areopag lib. de diuin. nom. cap. 5. à medio. — Quęlibet res Trinitatis habet in ſe impreſſa veſtigia, & quęnam illa. — Quid eſt, qui perfectè in ſe ipſo velit eſſe pacificus, ſit neceſſarium. — *2. Pet. 2.* — *1. Cor. 6.* — Qualis vnio ſit noſtra cū Deo. — *1. Ioan. 3.* — *Ioan. 15.* — Facultatum in anima quotuplex ſit differētia. — Cognoſcēdi ratio triplex. — 1. Ratiō.

fames

Simplicius Philoſoph. Ariſt. lib. 1. Phyſic. 10. 2. Eccleſ. 1.

fameſc... ndi excita ur. Nam, vt quidam pulchrè dixi : *Maxima pars eorum quæ ſcimus, minima pars eorum eſt quæ ignoramus*: & notiſſima naturæ nobis ſunt ignota. Sapiens quoque proinde eleganter dixit: *Dedi cor meum vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſque, & ſtultitiam: & agnoui quòd in his quoque eſſet labor, & afflictio ſpiritus: eo quòd in multa ſapientia multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & dolorem.*

Tertia ratio, & vltima cognoſcendi.

Tertius gradus eſt cum obſcuritate quadam, ſed cum ſtabilitate atque firmitate (nam quartum membrum claritatis cum inſtabilitate dari non poteſt) ſe cognoſcendi, quod ad fidem attinet, in quo ſola hic quietem, & pacem habere poſſumus. Hinc Paulus ait:

Rom. 5. Baruch 3.

Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deũ: & Propheta : *Diſce vbi ſit lumen oculorum*, (hoc eſt fides) *& pax*.

Lumen oculorum fides.

Etſi enim per fidem res nondum clarè videamus, videmus tamen res eſſe credibiles, & omni acceptione dignas, ob Deum proponentem, & promittentem, imò etiam iureiurando, quo nos ſtabiliat, confirmantem. Hinc Paulus

Hebr. 6.

ad Hebr. 6. expendit promiſſionem Dei, & iuramentum : *Vt per duas*, inquit, *res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus*.

Aug. epiſt. 6. inſtio, to. 2.

Et Auguſtinus ad Conſentium: *Habet fides oculos ſuos, quibus quodammodò videt verum eſſe quod nondum videt, & quibus certiſſimè videt nondum ſe videre quod credit*. Sic ille.

Fidei effectus varij, ac multiplices.

Fides igitur tendens in Deum, ſummam ſapientiam, & primam veritatem, maximè intellectam pacificat: nam cum CHRISTO, qui in nobis habitat, fortiſſimè coniungit. Stabilit etiam, quia, vt Ioannes ait, *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra*: dæmonique

1. Ioan. 5.

reſiſtit, ac repugnat, iuxta illud Beati Petri: *Cui reſiſtite fortes in fide*: & in alio loco: *In omnibus aſſumentes ſcutum fidei, cuius armis pugnãdo contra proprium intellectum, ad pacem peruenimus*.

1. Pet. 5. Ephes. 6. 2. Cor. 10.

Ordinat etiam fides, quia captiuat intellectum in obſequium Chriſti, & Dei per ſe in Scripturis loquentis, vel per Eccleſiã in Conciliis generalibus, Pontificibus Romanis, & antiquis Patribus: clauditque aures Satanæ, per ſe, & ſuos miniſtros nouellos loquenti.

Fides Deo cur magis vniat, & ordinet intellectũ noſtrum.

Maioremque vim vniendi habet fides quàm ſciẽtia: nam mirabili modo cum Deo, & Chriſto, beatis ac viatoribus credentibus contingit: magis etiam conſtabilit, quoniam altiori fundamento, nempè Deo ipſi, & non rationi, credens nititur: pluresq; mortui ſunt pro articulis Fidei aſſerendis, pro demonſtrationibus verò, etiam Mathematicis, nullus. Plus etiam ordinat fidei virtus, quia credendo ſine rationibus, & claritate, magis Deum honorat: quemadmodum qui ſine pignore mutuum dat, aut commodat; mutuum ſiue commodatum accipienti magis fidit. Et hactenùs de intellectu.

Scripturæ, & Sacramenta, aliaq. Chriſtianæ religionis ſymbola quã pacificent intellectum.

Cognitio autem ſenſitiua per Scripturas, & ſenſibiles creaturas res Fidei ſignificantes pacificatur: talia ſunt Sacramenta, & ſacramentalia, Chriſti parabolæ, picturæ Eccleſiaſticæ, & denique mundi huius creaturæ, per quas inuiſibilia Dei conſpiciũtur, ideo hæc eatenùs cognoſcẽda ſunt, quatenùs fidei ſeruiunt, cætera verò, vt ſuperflua reſecanda ſunt atque circumcidenda, quia non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu.

Rom. 1. Eccleſ. 1.

Et vt in gloria Deus, & Chriſtus homo, pro toto homine ſatiando apparebunt, ac manifeſti fient: ita Scripturæ ſacræ modo idem præſtant.

Cur Deus Opt. Max. & quibus ſe corporeis rebus aſſimilet, teſte Dionyſio.

Quærit Dionyſius epiſt. 9. ad Titum, cur Deus voluerit Leoni, agno, Aquilæ, Serpenti, Petræ, vel igni aſſimilari? Inter alia reſpõdet, id ea de cauſa factum : quia ſi Deus ſymbola tãtùm intellectu apprehenſibilia exhiberet, tantùm intellectus pacem, & quietem obtineret: per ſigna autem ſenſilia totus homo pacem adipiſcitur. Hinc Deus dicitur bibens, & ebrius, & crapula diſtentus, pœnitens, dolore tactus intrinſecus, iraſcens, fumum è naribus emittens, habens viſcera miſericordiæ, oblitus, recordatus.

Pſalm. 77. ibidem. Geneſ. 6. 2. Reg. 22. Luc. 1.

Quinã Deo in Scripturis amantium affectus tribuantur, & quare.

Proponit etiam quædam amoris incitamenta, vt oſcula, amplexus, tactus, oculos, nares, manus, brachia, ventrem, & vbera, & alia ſimilia: tum vt diuina melius capiamus, quæ naturaliter per ſenſibilia magis intelligimus; tum vt dulcius nobis ſapiant, meliuſque retineantur, ne ex mente effluant; tum vt profanis hominibus diuina myſteria abſcondantur; tum denique, vt totus homo paſcatur, pacemque internam, & externam aſſequatur.

Porrò appetitus ratione præditus, id eſt, voluntas, quatenus generoſus eſt, & ad ardua tendit, hic quieſcere, etiam ſi maximè omnia poſſideat, minimè poteſt: nam omnia, quæ infra Deum ſunt, pauca & vilia ſunt, nec tantùm ſtomachum, qualem habet humanus animus, implere valent.

Quid eſt quod animus noſter niſi in Deo quietem habere non poteſt.

Ad hæc, res iſtæ cordi hominis nõ illabuntur, ſed earum imagines, & ſimilitudines tantùm: nec enim panis, vel vini ſimilitudine, verùm pane ipſo, & vino paſcimur. Hinc Salomon: *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas*, & pater Salomonis: *Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meũ: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*.

Eccleſ. 1. Pſal. 72.

Vbi vides impoſſibile eſt ſine Deo, animũ hominis impleri, aut pacẽ inuenire. Nam

vt pul-

B. Aug. c. 1. in princ. tom. 1. ſuitie.

vt pulchrè ait Auguſtinus libro 1. Confeſſionum: *Feciſti nos, Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec reuertatur ad te.* Vna eſt & ſingularis ſpei virtus, quæ ex parte

Rom 5. Epheſ. 2.

modò pacem conciliat, de qua: *Gloriamur in ſpe gloria filiorum Dei*: & iterum, *Cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.*

Animæ fides magnam partem quietis in ſpe futurorum bonorum conſiſtere. Hebr. 6.

Hæc autem ſpes, quę arrha eſt æternæ gloriæ, arctiſſimo nos vinculo cum Chriſto vnit, & vt anchora fortiſſimè confirmat: ita enim vocat illam Paulus ad Heb. 6. Ordinat inſuper hominem, & voluntatem: quia facit expectari æterna, contemptis temporariis, pluſq; in Deo, quàm in ſe ipſo, vel in alio homine confidentes reddit.

Beatam illã ſpem nobis ſine fide conſtare non poſſe.

Quia igitur voluntas ſpei dono prædita in ardua tendit, nos poſſumus habere ſpem, niſi prius fide apprehendamus, tum vires Dei infinitas in ſe, tum nobis communicandas ad dæmones ſuperandos, & nos per illas vincendos: & ad expugnandum regnum cœlorum, vimq; illi inferendam: atque hoc non ſcientia, aut opinione, ſed fide. Vnde Abraham confortatus eſt in fide, & in ſpe contra ſpem credidit, vt Paulus

Rom. 4.

teſtatur. Nec ſatis eſt ſolùm credere vires Dei in ſe, vt Lutheranus credit: neque rurſus vires noſtras ſolas, vt Pelagius aſſerebat, quia tunc falſa eſſet fides: ſed vires Dei, & in ſe, & in nobis: vt dictum eſt. Proinde

Animi noſtri quies & pax, ex quibus maximè augeatur. Infrà 5. 1. Ioan. 3.

per fidei exercitium acquirimus nobis tantam pacem, quæ creſcit ſpe roborata per tribulationes, vt traditur ad Roman. 5. & per puritatem conſcientiæ: vnde Dilectus ait: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Augeſcit etiam per

Rom. 5.

charitatem: nam teſte Apoſtolo, *Spes non confundit:* quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. Gliſcit quoque per Scripturarum lectionem: vt dicat Paulus: *Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.*

Rom 15.

Hæretici hominis, & immundi ſpes qualis ſit.

Spes autem hæretici, & immundi phantaſtica eſt, & quaſi verna glacies calore tribulationis mortis maximè diſſoluitur atque confunditur: at voluntas, quatenus amica boni, ſuauis eſt, non odio, aut triſtitia, qui motus contra naturam ſunt, ſed amore tantùm pacificari poteſt. Qui enim non diligit, vt ait Dilectus diſcipulus, manet in morte. Hinc amor eſt vita noſtra, non tamen naturalis, vel de creaturis conceptus, quoniam tales neque cor intrant, neque ſi intrarent, pacem præſtare valent, cùm creaturę finitę ſint & deficientes. Ideo diuino amore, & infuſo pacamur. Chriſtus etenim dilectus ſponſus,

1. Ioan. 3. Solo voluntatem noſtrã Dei amore poſſe pacari.

ſummum bonum, & ſumma ſuauitas exiſtit. Porrò charitas vinciendi vim habet, iuxta illud: *Dilectus meus mihi, & ego illi*; hoc eſt, Deus non quieſcit in vlla re noſtra, niſi illi cor offeramus: neq; rurſus cor noſtrum vllo Dei bono ſine Deo ipſo contentum eſſe non debet. Habet etiam confirmandi vim, quia charitas vinculum eſt perfectionis: de qua Apoſtolus: *Quis nos ſeparabit à charitate* CHRISTI? Ordinatum quoque reddit hominem diuinæ charitatis amor, ita, vt Sponſa dixerit: *Ordinauit in me charitatem.* Nec aliud eſt homo ordinatus, quàm qui ordinatos habet amores: quemadmodum peccator eſt, qui amores ſine ordine rationis gerit, & exercet.

Diuini amoris, charitatiſve virtutes quæ ſint. Cant. 2. Coloſſ. 3. Rom. 8. Cant. 2. Homo quid ſit ordinatus.

Trahit item amor ad ſe ſuauitatem odoris amati: vnde Sponſa: *Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus*, &, *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te ſolum foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?* Sponſa in agro, anima eſt carnis & mundi amoribus deſtituta, quæ ad CHRISTI delicias & amplexus admittitur. Cùm verò charitas iniquitatem tollat, & diſtractionem ſenſuũ, maximè pacat cor, & tranquillat, ita vt Propheta dicat: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum:* quæ pax in vnione deſideriorum ad Deum diligendum conſiſtit, & in proprio ſui ipſius amore euertendo.

Suprà. 1. Infrà 7. Sponſa in agro apud Salomonem in Cãticis quænam illa. Pſal. 118.

Nam vt in Iordane aquæ ſuperiores ſurſum redierunt, & auctæ ſunt, aliæ inferiores verò euanuerunt: ad eum modum deſideria mentis & ſpiritus augentur, ad Deumque aſcendunt: at ſecularia, & carnalia deficiunt.

Mentis & ſpiritus deſideria quomodo augeantur, ſeculi verò, & carnis illa deficiãt. Ioſu. 3. Pſalm. 113.

Appetitus autem ſenſitiuus, alius ſeruit iraſcenti, alius verò concupiſcenti animæ. Appetitus ergo vindictæ cupidus fortitudine in agendo, patientia in tolerando propter Deum, perficitur, & pacatur: gaudet enim propter dilectũ Deum operari, & pati, quemadmodum CHRISTVS pro nobis redimendis pati ex amore voluit, & martyres pro Chriſto: quomodo Iacob anni pauci ſeruitij obſequij videbantur, præ amoris ad Rachelem magnitudine. Appetitus verò ad ſenſui ſuauia tendens, comprimitur, pacaturque temperantiæ virtute, quæ delectationes guſtus, & tactus ſecundùm legem Dei moderatur, membraque ipſa, & præſertim linguam, actioneſque omnes per modeſtiam componit, & regit: fugitque vana, laſciua, & pompoſa ornamenta. Hac itaque ratione pacificus, tum corpus, tum animæ facultates, & affectus per bellum DEO ſubiicit: nec in tali, certantes duo filij inter ſe naſcuntur,

Homo iuſtus in concupiſcentis, & iraſcentis animi facultatibus quã habeat quietem, & pacem. Geneſ. 29. Supra a 5. Rom. 9.

vt in

Luc. 1.

Eiuſmodi pacẽ affectuũ, & quietem in animo qui non habeât, qui verò diminutam, & ex parte.

vt in vtero Rebeccæ, ſed vnus tãtùm Ioannes Baptiſta, qui eſt pax gratiæ, quã ſequitur gaudium, vt in natiuitate Ioannis multi gauiſi ſunt. Verùm quoniam laborioſum eſt hoc bellum, & diuturnũ, quidam viliores, deſerto Deo, vitiis dant manus, quidam verò mortiferis quibuſdam delictis non conſentiunt: & tales nec ſunt in Ægypto, nec in terra Promiſſionis, ſed in deſerto, & continuo certamine, ideo quandoque vulneratur. Præſtat ergo hic triturare, vt poſteà ex trituratis edamus: præſtat eſſe modò Iacob, id eſt, luctatores, vt ſuo tempore vocemur Iſraël, hoc eſt, videntes Deum: cum ſortitudine, & temperantia, & perſeuerantia inſequendo pacem fugientem: vt hinc ponderat Chryſoſtom. & Hieron. epiſt. 4. in illud: *Inquire pacem, & perſequere eam.* Multa enim ſunt, quæ nobis illam eripere conantur, quare hic non eſt perfecta pax, quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: quemadmodum Iſraël infra montem, rationis ſcilicet, idolum colebat, etſi Moyſes eſſet cum Deo in Monte, hoc eſt, ſpiritus. Mente enim (vt Apoſtoli verbis vtar) ſeruimus legi Dei, carne autem legi peccati. Sed tentationes vincendæ ſunt, vel negligendo, vel deſpiciendo, vel dicendo, Nolo conſentire, vel occaſiones eis ſubtrahendo, & ad Deum nos conuertendo, vel patienter tolerando, ſi ſine culpa noſtra veniunt: nam ad exercitium & probationem à Deo permittuntur. Ac vt ſpiritus in multis peccatoribus, vt ſic dicam, incorporatur ſiue incarnatur: ita caro in bonis Deum colentibus, in ſpiritum tranſit, & ſpiritus quodammodò efficitur. Et ſicut ob vnius, vel alterius motum in ciuitate concitatum, non dicitur ciuitas in bellum deſcendiſſe, ſiue pugnare, ſed tunc cum tota, ac principales eius partes tumultuantur: ad eum modum non deſinit eſſe pax in filiis Dei ob quoſdam motus carnis à dæmone, vel à natura concitatos: Pax etiam domeſtica non eſt dicenda periſſe, propter canum inter ſe rixas, aut felium.

Geneſ 32.
Pſal. 33.
1 Pet. 3.
B Chryſoſt. hom. 15. tom. 2. in princ.
D. Hieron. ad Ruſticum Monachum, à medio, to. 1.
Galat. 5.

Exod 32.
Rom. 7.
Tentationibus quomodo reſiſtendum.

Animi iuſtorum pacem, & quietẽ per pugnam carnis cum ſpiritu minimè tolli, exẽplo probatur.

Deinde adeſſe debet in operibus noſtris pax, quod fit, cùm ab eſſentia animæ per gratiam, vt ita dicam, deificata, & à prædictis facultatibus virtutibus præditis, diuino modo propter Deum, vt finem procedunt, vimq́ue habent viuendi nos cum Deo, quia fructus ſunt arboris diuinæ, de qua: *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*, &, *Noli eſſe mutilus, & remiſſus in operibus tuis*: & alibi: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Ad hæc fortiùs ſtabiliunt in Deo: hinc Petrus dixit: *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*: Componunt quoque hominem, vt ordinatus, primùm propter Deum, ſummum bonum, operetur, deinde propter vtilitatem noſtram, & fratrum, vt Apoſtolus dixerit: *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et vt mulier poſt partum lætatur, & pacem habet à doloribus alienam, ita homo, poſtquàm cum labore peperit fructus bonorum operum, habet vnde gaudeat, non ſolùm hic propter ſpem, quia gaudium eſt iuſto facere iudicium, ſed maximè in gloria, vbi labores manuum ſuarum manducabit.

Opera noſtra quando cum pace fiant: multiplex eorũ efficacia.
Actor. 10.
Eccleſ 4.
Eccleſ 9.
2. Pet. 1.
1. Cor. 10.
Ioan. 16.
Bona opera dupliciter illa facientes lætificant.
Prouerb. 21.
Pſalm. 127.

Secundo loco pacificus dare operam debet, vt & alij pacem cum Deo, & inter ſe conſequantur, ac proinde mediatorem ſe præſtare debet inter diſcordes: debetq́ue de vtroque extremo participare, & illi affici, pro quo Deum deprecatur: nec iſti mediatores agunt quaſi redemptores, ſed in applicanda redemptione per CHRISTVM parta, miniſtri exiliunt. Ad hoc autem rectè præſtandum, in primis opus eſt zelo honoris Dei, qui aliud nihil eſt quàm ardens dilectio: hic autem zelus debet nos vrere, vt Chriſtum vrebat, qui dixit: *Zelus domus tuæ comedit me.* Debet etiam cor noſtrũ ſcindere, quemadmodũ Iudæi, audita Dei blaſphemia, veſtes ſcindebant. Debet prætereà homo tabeſcere, in ſe ipſoq; deficere, ſecundùm illud: *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt*: iterum, *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Adhęc, zelandum eſt pro anima, ſponſa Dei nobiliſſima, & ad honorem, & gloriam Dei condita, & CHRISTI morte redempta, contra Satanam, qui eam decepit: quemadmodum Helias zelabat contra Baal, & Ioannes Baptiſta contra Herodem: ac vt Phinees zelo Dei percuſſit Iſraël tam cum ſcorto Madian concumbentem, ita nos ſiti Dei gloriæ, & eſurie ſalutis animarum, percutiamus peccatum, non hominem: ſicut Chriſtus in adultera adulterium ſuſtulit, & vitam non abſtulit. Debet item hic zelus parere ſtudium precandi, vt Moyſes precabatur: *Aut dimitte*, inquit, *eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti*: & ſi priuatam audiuit, & publicam quoque Eccleſiæ pro peccatoribus Deus deprecationem exaudiet. Nam ob preces Apoſtolorum ſanauit ſocrũ Simonis à febri, typo ſcilicet carnalis cõcupiſcentiæ: & ob preces Eccleſiæ ſine intermiſſione orã-

Secunda pacifici hominis conditio, quomodo ſcilicet proximũ cũ Deo, & cum aliis diſſidentem conciliet.
Pſalm. 68 & Ioan. 2.
Pſal. 118.
Ibidem.
Pacificus qualem zelũ habeat ſalutis animarum.
3. Reg. 18. & ſeq.
Geneſ 3.
Matth 14.
Num. 25.
Hic zelus duo efficit, orationẽ, & verbũ reconciliationis.
Ioan 8.
Exod 32.
Matth. 8.

Actor 12. Quale ſit illud verbum reconciliationis.

tis, Petrum liberauit à vinculis, id eſt, in figura peccatorem ligatum à dæmone. Deinde, zelus parit in homine verbum recóciliationis, publicum, vel priuatum, quo reducendus eſt peccator ad Deum: quippe eiuſmodi verbum bellum infert peccatis, ſecundùm illud Eſaiæ: *Clama, ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem tuam, & annũtia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum:* ad hunc modum tẽtantem dæmonem verbo Scripturæ proſtrauit Chriſtus, & nos Dei verbo peccatũ in corde fratris expugnamus. Nam ita exponit Aug. ſer. de verbis Domini illã ſententiam: *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris:* quòd etſi paullò inferiùs ſit explicandũ: hic tamẽ dicimus, aduerſarium noſtrum, verbum Dei eſſe, ſiue Euangeliũ, cui niſi conſenſerimus plenam obedientiam præſtando, actũ erit de nobis, quia in æternos gehẽnæ carceres detrudemur: ſi verò conſentiamus, Deum pro iudice patrem ſortiemur, & pro ſæuo miniſtro Angelum in ſinum Abrahæ deducentem, & pro carcere paradiſum.

Eſai. 58. *Luc. 4.* *Matth. 5.* *B. Aug. ſer. 1. ca. 3. tom. 10. in princ.*

Quid illud: Eſto conſentiens aduerſario tuo citò dum es in via cum eo, &c. *Luc. 10.*

Tertia pacifici hominis conditio, in exhortatione videlicet peccatorũ ad Sacramenta conſiſtens. *Ioan. 20.* *Supra 6.*

Tertiò, exhortandi ſunt homines peccatores, vt ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quibus pax amiſſa interruptaque reconciliatur, ſuſcipienda accedant. Dictum quippe eſt de priori Sacramento: *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis:* de poſteriori verò: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vides quàm ſit arcta, & pretioſa hæc pax, quę his Sacramentis comparatur, ita vt qui illam fugiant, pacem cum Deo, & Chriſto fugere videantur?

Quarta lex, ſiue cõditio, quoad peccatoris correctionem continens. *1 Reg. 2. & 3.* *3. Reg. 8.* *Num 17. & Hebr 9.* Quid arca Teſtamẽti, & Aaron virga & man in ea repoſita ſignificauerint. *Deut. 19.*

Quartò, adhibenda eſt iuxta morbi, ac infirmi rationem, lenior, aſperiorve correctio: & quanquàm probãda ſit illa, quàm viri ſpirituales, id eſt, pacifici, in ſpiritu lenitatis, vt Apoſtolus admonet, adhibere ſolent: cauẽdum tamen eſt, ne molli, blandaque atque remiſſa ratione vtentes nihil agamus, & proptereà ipſi digni reddamur ſeuera Domini obiurgatione, quam Heli ſacerdos blandè corrigẽs filios ſuos commeritus eſt. Cauenda præterea alia ex parte nimia aſperitas. Nam in arca Teſtamenti, quæ animum cuiuſque repræſentat, cum virga correctionis, erant ſimul tabulæ diſcretionis, mannaque manſuetudinis: legeque cautum erat, ne, dum ſucciduntur ligna, id eſt, vitia aliorum caſtigantur, ferrum ſecuris excidat, & amicum qui adeſt, percutiat atque occidat: videlicet nedum correctione durior ſermo prodeat, fratremque deteriorem efficiat.

Quinta lex hominis pacifici, ſancta nimirum vita, multorumq; pro ſalute fratrũ, laborum tolerantia. *Galat. 4.* *Colloſ. 1.* *Ephe. 2.*

Quintò, ſanctè eſt viuendum, & multi labores tolerandi, vt alios Chriſto lucrifacere poſſimus, atq; ad pacem cum eo componendam reducere. Hinc Paulus: *Filioli,* inquit, *mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis:* & alio loco: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Atque vt Chriſtus non niſi lacrymis, & ſanguine ſuo pacem inter nos, & Deum fecit, ita nos intelligamus, non niſi ſanguine noſtro, & gemitibus ac ſuſpiriis pacem aliorum cũ Chriſto nobis eſſe comparandam. Vnde & matri plangenti, filius, qui obierat, viuus redditur, Luc. 7. Verùm hoc etſi omnium munus ſit, qui dono gratiæ Dei ad hoc aguntur, potiſſimùm tamen ratione ſtatus ad Epiſcopos, religioſos, animarumque curam habentes ſacerdotes ſpectat: illorum enim eſt zelum, & ſitim animarum habere, ſine quo zelo poterit quidem nomine tenus eſſe Epiſcopus, vel paſtor animarum; at re ipſa bonus, & fidelis nequaquã. Illorum eſt etiam, preces ad Deum fundere, Sacramenta diſpenſare, peccantes corrigere, verbum, & miniſterium reconciliationis pro tempore adhibere, aliorum onera ex charitate portare. Vnde Bernardus agens de his duabus poſtremis beatitudinibus, ſcribit: *Ordinem ipſum Dominici ſermonis attende. Beati,* inquit, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Ac deinde: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Miſericordes vtique vocat Pater cœleſtis, qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ* IESV CHRISTI*: nec quod ſibi vtile, ſed quod multis. Petre,* inquit, *amas me? Domine, tu ſcis quia amo te. Paſce oues meas. Quando enim ſic amatas oues committeret non amanti? Nimirum hoc quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Væ miniſtris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis aliena negotia quaſi homines qui iuſtitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui ſe miniſtros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum ſibi vſurpare gradus, & nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles ſeſe mediatores, vt peccata populi comedant, mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne Deo, placere non poſſunt, & placere velle præſumunt.* Hæc Bernardus. Vt ergo gloria Regis eſt, regnum ſeruare pacificum: ita gloria Epiſcopi & Sacerdotis eſt, populos ſibi commiſſos, vt cum Deo pacem tueantur, ſedulam operam impendere.

Luc. 7.

Quàm propria Eccleſiæ paſtorum, fraterna correctio.

2. Cor. 5. *Galat. 6.*

B. Bern. ad clericos ſer. de conuerſione, ca. 27. Mundicordes quos vocet Pater cœleſtis. *1. Cori. 10.* *Ioan. 21.* *1. Cor. 4.*

Infideles pacis miniſtri, qui Bernardo egregiè notantur ab eodem. *Rom. 8.*

Pacis cum Deo nobiſcum, & cum aliis lactæ, quatuor ſigna notantur.

Signa verò pacis cum Deo nobiſcum, vel cum aliis cõciliatæ, ſunt in primis colloquium precationis noſtræ ad Deum, & illius ad nos exauditio; deinde dare dexteram noſtram diuinæ dexteræ, id eſt, con-

iungere vim noſtram cum diuina gratia, vt bona & fortia opera addamus; & in dæmones, mundum, & peccata pugnemus. Tertiò, eſt oſculum pacis ſanctum, feruentioris nimirum & mutuæ dilectionis, ſiue Sacroſanctæ communionis Euchariſtię, in qua oſculum & damus, & accipimus. Quartò, ſimul edere, & cum lætitia inuicem conuerſari & colloqui, vt pater cum filio reuerſo ex regione longinqua feciſſe legitur. *Secura enim mens quaſi iuge conuiuium*, inquit Sapiens: & Dominus in Apocalypſi, *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Et hactenùs de pace componenda inter proximum, & Deum.

Luc. 15. & ſeq. Prouerb. 15. Apoc. 3.

Ad pacificos diſcordes inter ſe conciliandi etiã munus ſpectare.

Iam verò pacifici etiam hic dicuntur, qui pacem inter proximos, inter ſe aut bello, aut priuatis odiis, aut litibus contentioſis diſſidentes atque diſcordes conciliant: qua de re olim ſanctè cautum fuit, vt eſſent quidam arbitri, & reconciliatores, qui paci firmandæ inter Chriſtianos incũberent, ne ad tribunalia & iudices accedere compellerentur. Vnde concilium Carthaginẽſe IV. cap. 26. ſic ſtatuit: *Statuendum eſt* (inquit) *Epiſcopis, vt diſſidentes Epiſcopos, ſiue clericos, ſiue laicos, ad pacem magis, quàm ad iudicium cohortentur.* Hęc ibi. Non grauabor etiam, ab externis quædam mutuari, quæ illi ad tuendam pacem ſtatuerunt: vt confundam noſtros, qui quolibet prætextu, minima quaque de cauſſa, ſtatim ad forenſia iudicia appellant. Penes Romanos erat magiſtratus quidam dictus εἰρηνάρχης, id eſt, conciliator pacis, qui diſciplinæ publicæ, & moribus componendis, & diſſidiis ciuitatis reſarciendis præerat: de quo Vlpianus in l. munerum. ff. de munerib. & honor. Vnde & Chriſtus Eſa. 9. vocatur εἰρήνης ἄρχων, id eſt, Princeps, ſiue conciliator pacis. Valerius Maximus, illuſtris autor, libr. 2. cap. 1. in hunc modum ſcribit: *Quoties vero inter virum & vxorem aliquid iurgij interceſſerat; in ſacellum deæ viriplacæ, quod eſt in palatio, veniebant: & ibi inuicem locuti quæ voluerant, cõtentione animorum depoſita, concordes reuertebantur. Dea, nomen hoc à placãdis viris aſſecuta fertur. Conuiuium etiã ſolenne maiores inſtituerunt, idq́; Chariſtia appellauerunt, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur: vt ſi qua inter neceſſarias perſonas querela eſſet orta, apud ſacra menſa, & inter hilaritatem animorum, fautoribus Concordiæ adhibitis, tolleretur.* Hæc ibi. Vides igitur quàm fuerint Gentiles pacis cultores? Ad pacem igitur ineundam prçſtaret, vtramq; partem humiliare, vt Paulus in epiſtola ad Romanos. Gentilium & Iudæorum animos inter ſe diſſidentium deprimit, vt ita ſibi inuicem mutuo cedant: & cui minus æqua eſt cauſſa, maius ius habenti, quod debet reddat. Deinde præſtare, vt inter ſe diſcordes, prius conciliarentur cum Deo; & facilè poſtea inter ſe pacem inirent. Nam quæ conueniunt vni tertio, conueniunt & inter ſe: nam poſt iuſtitiam ſequitur pax, tanquàm eius fructus. Neque aliam puto fuiſſe cauſſam, potẽtiſſimos Reges Reipublicæ Chriſtianæ, nunquàm in veram, & firmam pacem poſt longa inter ſe bella conueniſſe, ſed ſtatim pacta inuicem fœdera dirupiſſe, quàm quòd ipſi prius pacis habendæ cum Deo fuerint neglıgẽtiores. Qui verò prior eſt in roganda & petenda pace, maior eſt meo iudicio, non minor, vt vulgus exiſtimat: nam ita Deus per Chriſtum, & per Apoſtolos ſuos rogat non ea quæ pacis. Ait namq; Apoſtolus: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

Concil. Carthag. IV.

Romani quã olim pacis & cõcordiæ inter ciues ineundæ rationem obſeruarent.

Vlpian. Eſai. 9.

Iidem etiam virũ inter & vxorẽ diſcordiã quomodo ſedarent.

Valer. Max.

Neceſſarios & propinquos ſecum diſſidentes qua etiam ratione conciliarent.

Secũda ratio ad priſtinam pacẽ, & concordiam redeundi ſanitatis.

2. Cor. 5.

Tertio, bellorum cauſſæ conſiderandæ ſunt, quæ ferè ex immoderatis cupiditatibus alterius, vel vtriuſque partis oriuntur: vt frater Domini dixerit: *Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis & non habetis. Occiditis, & zelatis: & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis.* Homerus tradit, contentiones omnes oriri arte, ſiue opera Ates, id eſt, Deæ damni, ſiue nocumenti, hoc enim interpretatur Ἄτη, quemadmodum Virgilius bellum ciuile, Diſcordiæ tribuit, cum ait:

Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla.

Satanas pacem Angelorum in cœlo turbauit; & in paradiſo terreſtri pacem primorum parentum ſuſtulit: & nunc, ſiue per hæreſes, ſiue per hæreticos, ſiue per ſchiſmaticos, ſiue per homines ditionis ſuę ampliandæ cupidos, Eccleſiam Dei interturbat. Quartò, expedit naturã hominis conſiderare, vt pacis ſtudioſi efficiamur, & ad eam amplectendam & tuendam diſcordes cohortemur: nam in pace corporis, & animæ, tam diuerſarum rerum, vita conſiſtit: vt mors non ſit aliud, quàm vnius ab altero diuulſio atque diſiunctio. Sanitas omnium corporum, concentus eſt qualitatum & humorum concordia. Natura hominem inermem & nudum effudit, non cornibus armatum, vt tauros: non vnguibus, vt leones; non dentibus, vt apros; non proboſcide, vt elephantos; non veneno, vt ſerpentes, & ſcorpiones; non cruſtis & laminis, vt rhinocerotes & crocodylos: ſed molliſſima pelle, quaſi innoxium animal,

Tertia ratio pacis conciliandæ, ab origine bellorum.

Iacob. 4.

Homer. lib. 9. Iliad.

Ἄτη quid Homero.

Virgil. libr. 8. Æneid. in fin.

Eſai. 14. & Apoc. 12. Geneſ. 3.

Quarta ratio ab hominis natura.

Homo quã inermis, quã-

que imbecillum animal.

mal, alienæ opis indigum, vt multo tempore pendeat à ſubſidio alieno: nec fari valet: nec ingredi nouit, nec cibum capere; vt ſentiat alienũ eſſe beneficium, quod ſapit, quod poteſt: ſolo tantùm fletu opem implorat à muliere imbecilla. Deinde dedit ei ſpeciem & figuram, non trucem, ſed mitem, placidam, & beneuolentiæ notas præ ſe ferentem, communemque omnibus; oculos amicos, frontem hilarem, brachiorum ſinus ad amplexum, oſculi ſenſum, quo ſe animi, & corpora iungerent.

Eius omnes partes quàm amoris ſint, & pacis conciliatrices.

Vni homini vocem eandem tribuit, non horribilem, vt belluis, ſed blandam: dedit ſermonis vſum, vt alter alteri innoteſceret, & ſe in alterum veluti transfunderet. Deo etiam notiores ſumus quàm nobis, nec vllus pro ſe ſermone indiget: homini hominis cauſſa tributus eſt ſermo, vt ſe explicet: inde natæ literæ, paucæ, tam multiformes humani generis ſonos comprehendentes. Eſtq; loco ſermonis vultus, qui in fronte & facie præcipuè prominet; quo ſermone qui linguæ vſu deſtituti ſunt, vtuntur, vt muti atque infantes.

Hominis propria, non animantium cæterorum.

Vni dedit riſum, alacritatis ſignum: hinc Agelaſti, vt Craſſus, propè non videntur homines extitiſſe. Vni lacrymas, humanæ concordiæ conciliatores, & ſymbolum, quo vel dolorem noſtrum atteſtamur, vel alienum. Vni memoriam contulit, per quam parentum, amicorum, & pædagogorum recordaretur. Vni inſitum eſt odium ſolitudinis, quæ eſt inſtar mortis; & amor ſodalitatis inditus & mutui colloquij: non enim omnia omnibus tribuit, vt inæqualitas mutuis officiis æquaretur. Aliis regionibus alia proueniunt, quo vel ipſe vſus mutua doceret commercia. Vni deniq; attribuit liberalium literarum ſtudium, vt per illud homines inter ſe ampliùs vnirentur.

Bellum Latinis, Græcis, & Hebræis variè denominatur.

Bellum, per antiphraſin dicitur, quòd res ſit minimè bella: aut à belluis, quòd non humanum, ſed belluinum ſit pugnare. Græcè verò, Πόλεμος ἀπὸ τῦ τὰς πόλεις ἀμᾶν ἢ ἀλλάσσειν ἢ μειοῦσθαι, nempè à perdendis, vel minuendis ciuitatibus; Hæbraicè מלחמה dicitur bellum à לחם id eſt, comedere ſiue manducare; eo quòd bellum omnia comedat & conſumat.

Quinta ratio pacis atq; concordię ſeruandæ à Chriſti doctrina & factis.

Quinto loco, inſpicienda eſt doctrina Euangelica Christi; cuius natiuitas, vita, doctrina, parabolæ, oratio, mors, Sacramenta, nihil aliud quàm amorem, concordiam, & pacem ſpirant. Eſaias vocat Chriſtum, non bellatorem, aut vrbium vel locorum expugnatorem, ſed Principem pacis; & Deum Paulus, Deum pacis nominat; quòd nihil ſit pace prçſtantius: hinc Silius Italicus:

Eſai. 9.

2. Cor. vlt. & aliàs.

Pax optima rerum,
Quas homini natura dedit, &c.

Sil. Italicus libr. 11.

Vnde Chriſtus ſe paſtorem vocat; ſuos, oues appellat, inter quas nulla eſt pugna; ſe vitem, nos palmites; ſe gallinam, nos pullos; ſe lapidem angularem, nectentem vtrumque parietem, non tantùm Angelorum & hominum, Iudæorum & Gentilium, carnis & ſpiritus, ſed Dei & hominis; ſe caput, nos membra. Congregatis Apoſtolis apparet Chriſtus ſuſcitatus: congregati Apoſtoli aſcendentem in cœlum vident: congregati iubentur expectare Spiritum ſanctum, & inter cõgregatos in nomine ſuo ſe verſaturum eſſe ſemper promiſit. *Vbi fuerint*, inquit, *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Ioan. 10. Ibidem. Infra. 15. Ibidem. Matth. 23. Ibidem. Supra 21. & alibi. Epheſ. 2. Ioan. 21. Actor. 1. Ibidem, & Luc. vlt. Matth. 18.

Sed væ nobis, qui tantæ doctrinæ obliti, crucem Christi facimus pugnare cum cruce: & pacis ſymbolum, quod ab omni diſſidio reuocare deberet, ſignum belli efficimus. Quid dicemus de his, qui Apoſtolorum nomina indunt bombardis, quorum inſculpuntur in eis imagines? & quod deplorandum eſt, trophæa ſanguine tincta eorum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, & quibus priuatas iniurias interdum & fraudulenter & proditoriè vlti ſunt, reponuntur in templis, Apoſtolorum inter & Martyrum ſtatuas? quaſi parùm pium ſit futurum, fieri martyrem, ſed facere.

Quinam hodie Chriſtianorum bellũ paci nefanũ inferre videantur.

His atque ſimilibus rationibus reuocandi ſunt homines à teterrima belli peſte, cùm Comicus ille prudenter dixerit: *Omnia prius experiri quàm armis, ſapientem decet*; & Pittacus, vnus è ſeptem Sapientibus, eas eſſe optimas victorias dicebat, quæ ſine cæde & ſanguine contingunt.

Terent. in Eunuch. act. 4. ſcen. 7.

Optimæ victoriæ quænam illa Pittaci teſtimonio ſapiẽtis.

Beati ergo pacifici, qui non ceſſant quotidiè ad aures Domini pulſare, & precari: Da pacem Domine in diebus noſtris: quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter. Iſti enim ſunt vocandi filij Dei in cœleſti illa Ieroſolyma, cuius fines in pace ſunt conſtituti, & ad quam pacis cultores omnes aſpirant, tanquàm ad patriam optatam, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre, & Spiritu ſancto æqualis eſt gloria, maieſtas & imperium in omne ſeculum, Amen.

Pſalm. 147.

Pacifici vbi filij Dei vocabuntur.

TRACTATVS XXIII.

IN illa verba: *Quoniam filij Dei vocabuntur.*

HONORIFICVM planè eſt, & amplum hoc nomen filiorum Dei. Nam

Dei filiorum appellatio quanta ſit.

Rom. 8.

ſi filij: & hæredes, ait Apoſtolus: nihilq; charius habent parentes quàm filios, qui ab amore parentum nomen ſortiuntur, pro quibus ditandis, tuendis, & ad ſummos honores prouehendis nihil non faciunt, volentes in morte filios præire. Declarandum in præſentia qui ſint filij Dei: & cur pacificis Dominus illud ſit pollicitus.

Filius propriè qui ſit: ad filij rationem requiruntur quatuor.

Ad primum, ille verè alicuius filius eſt, qui è ſubſtantia ipſius viuentis, actione vitali in eadem natura ſiue ſpecie viuens productus eſt: plura ergo ſunt, quæ ad filij rationem exiguntur. Primum, quòd ſit ab alio: quod enim à nullo eſt, nullius eſt filius.

Secunda conditio.

Secundum, quòd ab illius ſubſtantia procedat: vnde ſtatua, vel pictura, haud eſt artificis, pictorisve filius, quia non ex ſubſtantia agentis, nec vitali actione, ſed per voluntatem proficiſcitur.

Tertia.

Tertium quod exigitur, eſt, vt genitũ & gignens ſint eiuſdem ſpeciei; quapropter hæc inferiora, etſi naturaliter ſint à cœlo, quia tamen nõ ſunt in eadem ſpecie, ideo cœli non cenſentur filij: nec ob eandem rationem aurum terræ filius, nec pediculus, aut vermis ab homine progenitus, filius hominis.

Quarta.

Quartum, quòd genitum, & generans ſint viuentia: quare ignis ab alio igne genitus, non dicitur filius eius; quia ignis non viuit: & fœtus abortiuus qui mortuus editur, haud eſt propriè filius abortientis.

Filium alicuius, Scripturæ eius imitatorem impropriè ſolet appellare.

Ezech 16.

Ioan. 8.

Metaphoricè autem filius in Scripturis vocatur, qui ſimilis eſt alteri, atq; eum refert, imitaturve: hinc Iudæis per Prophetam dicitur: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*; quod eorum opera conſectarentur: Chriſtus dixit Iudæis; *Vos ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis perficere*, hoc eſt, homicidæ, quia ille homicida erat ab initio.

Ibidem.

Opera Abrahæ quænam imitanda.

Matth. 5.

Geneſ. 15.

Infrà 22.

Supra 18.

Epheſ. 5.

Idem etiam de bono dicitur, perinde ac de malo, ait enim Dominus; *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*; quaſi dicat, æmulamini eius fidem, obedientiam, & hoſpitalitatem; ac rurſus Dominus, *Benefacite his qui oderunt vos, &c. vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*; Apoſtolus quoque, *Eſtote ergo*, ait, *imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi*. Conſiſtit ergo filij ratio in quadam ſimilitudine, & imitatione, ſiue in bono, ſiue in malo: vt prouerbio ſoliti ſumus dicere, hic, eſt talis viri filius, nimirum quòd illum moribus, vultu & factis referat.

Propter quid vnumquodque tale eſt, vt ait Philoſophus, eſſe & illud magis.

Ariſt lib. 1. poſter. cap. 2.

Deinde aduertendum, vbi eſt aliqua multitudo rerum eiuſdem ſpeciei, illa omnia eſſe talia per participationem ſummi in illo genere. Accipe exemplum in lucidis: nam luna, ſtellæ, aër, oculi, cryſtallum ac vitrum, & reliqua ſimilia, omnia hæc dicuntur lucida, quoniam lucem ſuam à Sole mutuantur & deriuant, qui eſt ſumma & per eſſentiam lux; ita omnia quæ calorem participant, ab aliquo ſummo, & maximè calido, id eſt, igne denominantur.

Ieſus Chriſtus qualis Filius Dei.

Eodem prorſus modo maxima & vnica eſt Dei, vt ſic ſæpiùs loquar, filiatio: vnicus enim eſt filius Dei, natura & eſſentia, nempè ſecunda perſona propriè dicta filius; ab omnimodam ſimilitudinem, & imitatorem, cõſubſtantialitatemque cum Patre. Vnicus etenim eſt proceſſus æternus per modũ intellectus, & naturæ, in quo Pater non partem aliquam diuinitatis, ſed totam ſuam atque integram Filio ſubſtantiam tradit: vnde hic primò filius per eſſentiam dicitur, & eſt; & propterea vnicus, proprius, verus, vnigenitus appellatur: ait namque Apoſtolus: *Qui filio proprio nõ pepercit*; & Dilectus diſcipulus, *Vt ſimus in vero Filio eius*: & idem de Chriſto, *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*; &, *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium ſuũ vnigenitum daret*.

Rom. 8.

1. Ioan 5.

Ioan. 1.

Infra 3.

Hebr. 3.

Num. 12.

Hebr. 1.

Pſalm. 2.

Et ab hac filij ratione excludit Paulus ad Hebræos, Moſen, de quo ait, *Qui fidelis eſt ei qui fecit illum, ſicut & Moyſes in omni domo eius*: quem paullò pòſt vocat famulum: excludit & Angelos, dicens; *Cui non dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu?* Solus ergo Chriſtus eſt, de quo ait Deus, *Filius meus es tu: ego hodie genui te*: &, *Hic eſt Filius meus dilectus*; & ipſe Filius ait, *Pater mi, ſi poſſibile eſt, transeat à me calix iſte*; & iterum, *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrũ*.

Matth. 26.

Ioan. 20.

Filij qui ſint Dei adoptiui.

Eius autem qui ſummè & in natura filius eſt, particeps, filius adoptiuus dicitur, Verbo in eſſentia animæ noſtræ genito; cum ordine tamen participationis, vt res oſtendit. Omnes quippè alio filiorum rationes, vnius huius participatio ſunt, & omnes alij filij vnum cum hoc ſunt. Vnde Chriſtus precabatur: *Vt omnes vnum ſint*, inquit, *ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis vnum ſint*.

Ioan. 17.

Chriſtus homo vt ſit filius Dei naturalis; nos verò per eum adoptiui filij Dei.

Porrò ordo in eo ſitus eſſe videtur, quòd vnica Verbi generatio pro termino filium Dei in ſe, & in æternitate habens, Chriſto homini communicata eſt in primis, vt capiti; ita vt per vnionem hypoſtaticam ille homo, Filius Dei natura etiam ſit, & dicatur: vnde Filius Dei, imago eſt Dei inuiſibilis: & figura ſiue character hypoſtaſis eius.

Coloſſ. 1.

Hebr. 1.

Per Chriſtum verò aliis hominibus, in tempore filiatio cõmunicatur, per hoc quòd Chriſtus eſt in corde noſtro, & efficimur filij Dei. Ait enim Dilectus diſcipulus: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: quemadmodum ſi Sol nobis facultatẽ lucendi, nõ per nos, ſed per ipſum tribueret,

Ioan. 1.

Qualis ſit Chriſti naturalis, noſtra

verò gratuita tatio filiorum Dei. *Infrà 10.*

& ignis calefaciendi nos, vel alios, poteſtatem faceret. Hinc Dominus Ioan. 10. hoc myſterium participatę filiationis nos edocens, affirmat: *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura: Quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum, vos dicitis, Quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum?* Hinc Marius Victorinus lib. 1. de Trinitate: *Nos*, inquit, *adoptione filij, ille natura, etiam quadam adoptione Chriſtus ſecundùm carnem.* Et lib. 2. *Vbi enim filij Dei erimus, niſi participatione vitæ æternæ, quam nobis Chriſtus à Patre adferens dedit?* Dionyſius cap. 2. De diuin. nomin. part. 2. poſt dimidium. *Rurſus*, inquit, *ex ipſius deificentia, dum ſinguli imaginem Dei in ſe nituntur exprimere, multi fiunt dij, ac videtur eſſe quidem, & dicitur vnius Dei diſcretio, & multiplicatio. Eſt autem nihilominus principalis, & ſupremus Deus ſuperſtantialiter vnus Deus.* Item Boëtius libro 3. proſa 10. *Ego quoque tibi veluti corollarium dabo. Nam quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo verò eſt ipſa diuinitas, diuinitatis adeptione fieri beatos manifeſtum eſt. Sed vti iuſtitiæ adeptione iuſti, ſapientia ſapientes fiunt: ita diuinitatem adeptos Deos fieri, ſimili ratione neceſſe eſt. Omnis igitur beatus Deus, ſed natura quidem vnus, participatione verò nihil prohibet eſſe quamplurimos.*

Marius Victor.

Noſtra (vt magnus ait Dionyſius) Deificẽtia in quo ſita ſit.

Boetius.

Beatitudinis cauſſa, diuinitatis participatio eſt.

Athanaſius ad Epiſcopos Africæ: *Nam & nos tametſi ratione ſubſtantiæ ſimiles Deo eſſe non valemus, tamen virtute meliorati, Chriſtum imitamur.* Hæc illi Patres, ad id quod dictum eſt, affirmandum producti.

B. Athanaſ. poſt medium epiſt. tom. 2. in fin.

Dices, Qui fieri poteſt, vt Chriſtus receptus in corde, faciat nos Dei filios? Reſpondeo, quòd vt granum frumenti cadens in terram, habet vim conuertendi, & attrahendi ad ſe terram, & per attractum humoris ſpicam producendi, in qua ſint vel triginta, vel centum grana: ſimili ratione Chriſtus, qui granum frumenti proptereà in Scripturis dicitur, virtutem habet homines ad ſe conuertendi, iuxta dictum Domini ad Auguſtinum: *Cibus ſum grandium. Creſce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Mutamur ergo in Dei Fillum, non quòd eſſentia hominis in naturalem Dei Filium commutari queat, ſed quòd per donum gratiæ, ſiue charitatis Chriſto coniuncti, ſimilitudines quaſdam Filij Dei contrahimus atq; proprietates. Quod exemplo hoc illuſtrari poteſt. Nam ferrum in fornacem ardentem proiectum, ignis fit, non eſſentia, quia natura ferri permanet: ſed quia ferrum colorem, lucem, calorem, mollitiem, & leuitatem ignis induit, perdit autem proprias qualitates, nempè frigiditatem, nigredinem, duritiem, atque grauitatem. Et aqua dulcis fluminis mare ingrediens, eadem eſt, nomen tamen fluuij amittit, induit verò ſalſedinem, & amaritudinem maris. Pari planè ratione homo in Deum ingrediens, naturam ſuam minimè amittit, ſed proprietates diuinas quaſdam Chriſto in ipſo exiſtentes induit. Eſt itaque filius Dei, participans de filiatione Chriſti naturali, & vnica.

Qua ratione Chriſtus in nobis manẽs nos Dei filios efficiat.

Ioan. 12.

B. Aug. lib. 7. Confeſſ. c. 10. prope fin. to. 2.

Noſtra in filium Dei gratuita, nõ naturalis mutatio illuſtratur exemplis.

Cauenda ergo ſunt hoc loco duo extrema: alterum quidem, nihil eſſe, aut exiguũ quid eſſe Filij Dei participationem. Reſpectu enim naturæ noſtræ terrenæ, atq; infimæ, & quod deterius eſt, peccato infectæ, & filiæ iræ factæ, ingens profectò eſt, & ineffabile beneficium: quod ponderãs Ioannes, ait: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Et Paulus, *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes, &c.* Alterum extremum cauendum eſt, exiſtimare tam magnum eſſe beneficium, vt pares reddamur Deo, aut filio Dei vnigenito, & æquales. Re vera enim hæc noſtra filiorũ dignitas, ſi cum illa filij Dei naturali cõparetur, vmbra quædã eſt & ſimilitudo eminùs repræſentãs: ac vt Creator longè differt à creatura, ita Filius naturalis haud aliter ab adoptiuo differt quàm corpus ab vmbra, aut lux à tenebris.

Exiguum & maximũ Diuinę adoptionis filiorum Dei munus.

Rom. 4.

1. Ioan. 3.

Rom. 8.

Naturalem gratuita atq; factitia Dei filiationem infinitis partibus maiorẽ eſſe atq; pręſtantiorem.

Quatuor autem neceſſaria ſunt ad hanc filiorum Dei appellationem. Primum eſt, quòd ſit naturalis filius, quo ſublato, adoptio non erit: nam fictio ponit veritatem, & ars imitatur naturam, quãtum poteſt, & omne participatum ponit aliquid eſſentiale: & non exiſtẽte homine coram ſpeculo, nequaquàm reſpondebit in illo imago. Deinde opus fuit, vt Filius Dei item homo factus rediret de Virgine. Ait enim Ioannes: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius:* ac ſubdit, *Et* (pro quia) *Verbum caro factum eſt.* Quare Hilarius in Pſalm. 2. ſcribit: *Ita apprehendemus id, in quo ſumus apprehenſi, ſi naturam Dei conſequamur, Deo ante naturam hominum conſequente.* Hæc ille, Neceſſe item eſt, vt Filius Dei in corde noſtro concipiatur per Fidem. Sic enim Apoſtolus ait ad Galatas: *Omnes filij Dei eſtis.* Et infrà: *Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*; qui vt ſemen, ſeu granum frumenti, quemadmodum ſuprà diximus, naturam noſtram in ſe conuertit, Requiritur poſtremò, vt Chriſtus cũ excellentibus, & diuinis quibuſdã donis, quæ animum vt thalamum Sponſo præparant, in nobis naſcatur, de quibus Princeps Apoſtolorum, *Per quem maxima, & pretioſa nobis*

Prima de quatuor ad filiorum Dei appellationẽ conditio requiſita.

Secunda conditio. *Ioan. 1.*

B. Hil. in fin. Philip. 3.

Tertia conditio. *Galat. 3. Infrà 4.*

Quarta & vltima.

2. Pet. 1.

Dion Areop. D. Ignat. epiſt. 14. poſt med. Epheſij qua re Deiferi, Chriſtiferi, Spiritiferi, Sanctiferi, ac templiferi ab Ignatio nominentur.

promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ. De his donis egregiè philoſophatur Dionyſius Areopag. epiſtol.2. ad Caium; & B. Ignatius epiſt. ad Epheſios ait: *Beati ergo eſtis vos, Deiferi (quantum ad Patrem) Chriſtiferi (quantum ad Filium) Spiritiferi (quantum ad Spiritum ſanctum, cui tribuitur adoptio) Sanctiferi (quantum ad dona ſancta, quibus anima ornatur) Templiferi (nam per illa dona efficimur templum Dei.)* Sic ille.

Dignitatē filiorū Dei in ſe minimè videri, quibus fiat exēplis manifeſtum.

Rurſus hæc filiorum dignitas, vt eſſentia, & actus primus, in ſe non videtur. Nam vt inter artifices ille eſt magis perfectus, qui paucioribus egens inſtrumentis operatur, & vt Sol ac Luna in hæc inferiora ſola luce agunt (nam motus tantùm eſt vehiculum lucis) & inter Angelos ſupremi Seraphini vnicam habēt ſpeciem: ſic Deus Optimus Max. nulla media ſpecie, eſſentiæ animæ illabitur, illicque vnitur, & Verbum per eam immeat: ſiquidem in ea nulla eſt actio, cùm in Sabbato & quiete ſit eſſentia: & creaturæ, facultates ſolas attingere poſſunt, in quibus ſunt operationes, & imagines rerum, non in eſſentia, qua cum vnio Dei, abſque imagine atque operatione Dei efficitur: ex quo magis in admirationē ducitur anima, & cognoſcere anhelat quis, qualisve ſit Deus, quem eſſe in ſe experitur; ſed neſcit quis ſit; quod ſi ſciret; nihil aliud vltra quæreret; nec ei ampliùs vniri laboraret: niſi vt ampliùs & perfectiùs vniret: quemadmodum de iis quæ ſcientia apprehenduntur, eſt intelligentia, & quies. Etſi ergo in ſe non agnoſcatur actus ille primus, videtur tamen per obiecta diuina, & per actus ipſos diuinos, atque per modum agendi, ſiue patiēdi diuinum, nempè in cognoſcendo, amando, operando ac patiendo; quemadmodum ex illis eiſdem obiectis & actibus & modo humanis, animus nobilis humanitùs cernitur; atque ab ignobili ſecernitur: quo fit, vt inſertus ſurculus contra naturam, non ſuum, ſed vitis, vel oleæ, cui inſeritur, ferat fructum.

Illa quomodo videatur.

Rom. 8. Supra 5. 1 Pet. 2. Exod. 19.

Et de illis dicitur: *Qui Spiritu Dei aguntur; ij ſunt filij Dei:* & iterum: *Gloriemur in ſpe gloriæ filiorum Dei:* rurſus, *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Imitatur ergo Deum Patrem filius adoptionis in multis. Primum quidē in eo, quòd ei ſoli placere ſtudens ac quærens, per puritatem intētionis ſe reddit inuiſibilem: nam mundo crucifixus eſt, vt ille ſibi. Deinde imitatur Deum in immutabilitate & conſtantia, qua hilari vultu ad omnem fortunę caſum & euentum pręparatus eſt, ſecundùm illud Prophetæ: *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion; non commouebitur in æternum qui habitat in Ieruſalem.*

Filij adoptionis in quibus Deum Patrem imitentur, & exprimant. Galat. vlt. Pſalm. 124.

Epheſ. vlt.

Item, in ſumma potentia. *Omnia*, inquit Apoſtolus, *poſſum in eo qui me confortat.* Ad hæc, in eo, quòd non peccat, vel non poteſt peccare; de qua re Dilectus diſcipulus; *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet* (id eſt, verbum) *& nō poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*: poteſt quippè talis, ſi velit, non peccare. Prætereà, in prouidentia omniū, quia in charitate omnibus vult proſpicere, & in id eis virtutum, quas cernit in ſanctis; & in proximis, quas ſibi imitandas proponit. Pariter in bonitate diuina omnibus opitulante, & ad omnes miſerationis effectus ſeſe effundente: hinc dixit: *Benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniātibus vos: vt ſitis filij Patris veſtri:* & rurſus: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt.* Poſtremò, in ſapienti cooperatione; ex omnibus enim pro ſua ſingulari ſapientia, bonū gloriæ ſuæ Deus elicit: ad eum modū filiis Dei, ſiue diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum.

1. Ioan. 3.

Matth. 5.

Ibidem.

Rom. 8.

Maior, minorve Dei participatio, ſeu filiatio, quod ad Deū attinet, vnde fit.

Exiſtit autem varia hæc filiorum Dei dignitas, ratione tum Dei, tum noſtri. Dei quidem, quia vult aliquos inſignes & eminentes, ad hanc gloriam promouere: vnde Chriſti humanitati dedit vnionem hypoſtaticam; Virgini dignitatem matris; Ioanni Pręcurſoris officiū; diſcipulis Apoſtolatum; ob commendandam nobis ſuā ſapiētiam, & bonitatem. Vt enim quidā Ethnicus dixit: *Nihil inæqualius æqualitate.* Noſtri verò ratione, nam ob variam diſpoſitionē noſtram, maior vel minor huius portio dignitatis nobis contingit. Sunt enim quidam veluti infantes, quidam vt pueri prouectiores, & maiuſculi, alij verò perfecti, atque grandæui. Et quemadmodum lux Solis alio modo recipitur in vitro rubeo, aliter in viridi, aliter in nigro: ita hæc gloria filiorum varia eſt; & variè recipitur. Quidam enim perpetuum præſtent impedimētum gratiæ Dei, & filij nunquā fiunt, vt peccatrix anima, quæ delicto ſuo occludit viam luci Dei. Ex habentibus autem hanc gloriam filiorum, eorū plures negligentes ſunt, & donum cœleſte ſeminatum in corde, ſegniter colunt; quidā ardentiùs: inde procedit tanta filiorum Dei varietas: ac de reſpuentibus tantam dignitatem ait Dauid: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Vos autem* (ſcilicet nolentes hoc diuinum decus) *ſicut homines moriemini; & ſicut vnus de principibus cadetis*: nempè priuatio tanti boni, mors eſt, vt in Adam: & caſus, vt in dęmone: quemadmodum egregiè exponit Chryſoſtom. quanquàm ab Adam referri

Plin. ad Traianum.

Vnde eadem Diuinæ adoptionis differentia ex nobis proueniat.

Hebr. 6.

Pſalm. 81. Ioan. 10. Quid illud: Vos autem ſicut homines moriemini: & ſicut vnus de Principibus cadetis.

poſſint

Geneſ 3. Eſai 14. B. Chryſoſt. in Pſalm. 61. Alia quædã Dei filiorum nota. Pſal 4. Ibidem. Ibidem. Pſalm 61 Rom. 8.

poſsint peccata carnalia;ad dæmonem verò ſpiritalia deſiſta. Exceſſus quoq;,&ſtudia contraria filiorum hominum,declarât Dei filium: vt enim filij hominum cognoſcunt terrena, illa diligũt,ac propter ſe operantur,& intoleranter patiuntur, atque ſpiritu immundo aguntur,ex quo filij hominũ dicuntur graui corde,diligentes vanitatem,vani ac mendaces in ſtateris, filij diffidentiæ,filij irę,deniq; filij mortis,filij maledictionis,& gehennæ,filij diaboli; vt Scripturę loquũtur:ita filij Dei,ſpiritu Dei aguntur:patientes ſunt in tribulatinnibus: cognitione, affectu, atque opere diuinam gratiam ſpirantes.Sed iam textus verba cõſideremus. Et primò occurrit particula, *Quoniam*:magna quippe ratione pacificis tã tum præmium proponitur. Primum quidem,quoniam ſimiles ſunt Deo trino,& vni,qui in ſe ſummè quietus & pacificus eſt: & quod ad ſe attinet,tanquam Deus pacis, creaturis omnibus, pro earum captu, pacẽ & quietem elargitur. Deinde,quia tales ſimiles ſunt mediatori Chriſto,atque eius imitatores,qui factus eſt pax noſtra,vt efficeret vtraque vnum:ideò pacifici filij Dei ſunt, quomodò infrà dicitur: *Diligite inimicos veſtros,benefacite ijs qui oderunt vos, & orate, &c. vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt.*) qui vt inter perſonas diuinas medius eſt,ita in pudiciſsimo Marię virginis vtero extitit,vt conciliet cũ diuina naturam humanam.In natiuitate,in medio duorum animalium inuenitur,vt in concordiam redigat ſpiritum cum carne, quæ animal eſt indomitum. Inuentus eſt etiam in medio Doctorum diſputans: quo diſsidia animorum componeret: in Cruce, inter duos latrones poſitus eſt tanquam hoſtia pacifica, vti voluntates hominum diſsidentium cõciliaret cum Deo:quiq; inter Herodem & Pilatum,cùm inimici eſſent inuicem, pacẽ compoſuit,amicoſq; reddidit: vt intelligeremus, omnes noſtras ſimultates atq; inimicitias,intoitu Chriſti pro nobis mortui, dirimendas eſſe atque diſſoluendas. Eſt & in Euchariſtia, tanquam lignum in medio paradiſi;vt omnes eadẽ menſa paſcens,maiori pacis vinculo colligaret.Suſcitatus etiam à mortuis, libẽter ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum; & ſalutauit eos: *Pax vobis*, inquit, non ſolùm vt mortis metum à noſtris cordibus pelleret, ſed vt legatã pacem, teſtamentoque relictam donaret,atque in eius poſſeſsione collocaret. Tum tertiò,quia ſummum opus,& arduum,pax eſt, pro qua impetranda precantur ſancti Deum,& Chriſtus Patrem precabatur; *Vt ſint*,inquiens, *vnum, ſicut & nos vnum ſumus.*

Prima ratio, cur pacifici filij Dei vocabuntur. Secunda ratio. Epheſ 2. Matth. 5. Luc. 2. Infrà 23. Ibidem. Quanti Chriſtus pacem omni vita ſua feciſſe videatur. Geneſ 2. Ioan. 20. Suprà 14. Tertia ratio. Infrà 17.

Pro ea item obtinenda pati non dubitant: nam de Chriſto dictum eſt: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum* Ignatius dicebat:*Efficiar ego pro animabus veſtris*:& Tertul. in Apologetico:*Sanguis Chriſtianorum*,inquit,*ſemen eſt*: vnde vno occiſo,multi ad Chriſtum lucrifiebant: vita quoq, ſancta,& verbo, & miniſterio reconciliationis,ad pacem cũ Deo firmandum vtebantur.Ideò ſummum bonũ filiorum promittitur: & cum eo hæreditas: nihil enim amplius homo alteri valet concedere: nam filiis noſtris amorem, felicitatem atque omnia bona,quantum in nobis eſt, ſolemus impendere.

Filij Dei. Honorificus & amplus erat hic titulus apud Gentiles,ex quo homines excellentes,&aliquid vtilitatis adſerẽtes Reipublicæ,inter Deos,Iouisve filios enumerabant.Hinc Hercules, qui tot mõſtra ſub egit;& qui tot morbos profligauit: & Aeſculapius, & Ceres, quæ frumentũ, & Bacchus, qui vites adinueniſſe dicuntur; inter Diuos relati ſunt. Alexander & ipſe glorię appetentiſsimus, ſe Iouis filium vocari mã dault.In Scripturis verò, participatione diuinæ dignitatis, poteſtatis, eminentiæque, tum Reges, Iudices, tum Sacerdotes, Dij nuncupantur, iuxta illud:*Deus ſtetit in ſynagoga deorum; in medio autem deos dyudicat*: & aliud, *Dijs non detrahes*:& paullo ſuperiùs, *Ad deos vtriuſque cauſſa peruenet*.Mercurius etiam Triſmegiſtus hominem, deum fieri poſſe dicebat. Si enim vegetationem amas,planta es:Si ſenſibilia bona,animal es: Si ea,quæ ratione conſtant,homo es: Si ea quæ intellectu vigent,Angelus es: Si verò Deum,&diuina diligis,Deus. Ait autem in plurali, *Filij Dei*: quia naturalis filius nõ eſt præter vnicum: & ſi filij Dei:ergo dij,iuxta illud:*Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes*: id eſt,quia filij Excelſi omnes vos,ſiue adoptione filij. Eſt autem adoptio legitimus actus,per quem qui filius non eſt, pro filio habetur, penè naturam imitans; ſic enim Iuriſperiti definiunt:etſi Thomas 4. diſt. 42.ſcribat,adoptionem,eſſe extraneę perſonæ in filium, vel neptem legitimam aſſumptionem,in ſolatium adoptantis factã; potiſsimùm eius qui filios non habet. Adoptionis duplex eſt ſpecies:altera dicitur arrogatio;à rogãdo dicta,quia vterq; rogatur,an id patiatur fieri:vnde infans arrogari nõ valet, quoniam exigitur verbum expreſſum,quo caret infans, pôt tamen adoptari. Eſt aût adoptare,valdè optare,quod ardenti amore excitetur quis ad filios quo modo habendos. Ad arrogationẽ autem requiritur, vt quis ſit ſui iuris, id eſt, deſtitutus ſit patre, & matre; quòd ſi parentes

Eſa. 53 B. Ignat epi. 14. ad Epheſ. in fine. Sanguis Chriſtianorum,vt ait Tertullianus quomodo ſemen. 2.Cor. 5. Quoniam homines apud Ethnicos Dei filij appellati fuerint: & qui ſibi illam vſurpauerint. Pſal. 81. Exod 22. Vnde hominẽ fieri Deũ poſſe depre hendas. Filij Dei, & nõ filius Dei cur pacifici vocabuntur. Pſalm. 81. Quid ſit Adoptio. B. Thom. tom 4. Adoptionis prima pars Arrogatio, ſicdicta:quid adoptare.

Arrogationis conditiones quatuor neceſſariæ.

rentes habeat, opus eſt, vt ſit emancipatus: ſecùs eſt de adoptione. Ad hæc, qui arrogatur; cùm filiis ſuis, ſi illos habet, tranſit cũ bonis ſuis in poteſtatem arrogantis, & inſtante famie, poteſt pater eum vendere: quod locum non habet in adoptato, qui manet in poteſtate patris, ſi illum habet; vel in ſua, ſi eſt emancipatus. Arrogatus prætereà habet legitimam partem in bonis arrogantis, vnde ſiue emancipet, ſiue ab inteſtato decedat, debetur ei legitima ſua, hoc eſt, quarta pars bonorum: at adoptatus legitimam non habet in bonis adoptantis, quare quicquam ei relinquere non cogitur, etſi ab inteſtato ſuccedat. Poſtremò, arrogatio, Principis tantùm fit autoritate, in cuius poteſtate ſunt etiam qui ſunt ſui iuris: adoptio autem, autoritate cuiuſlibet magiſtratus competentis. Vt enim

Generatio naturalis, vt legalis, quæ imperfecta ſit & illegitima, quæ verò perfecta & legima.

eſt duplex naturalis generatio; imperfecta, quæ non dat ius filio in paternam hæreditatẽ, nec pater ius patriæ poteſtatis in filium transfundit: qualis eſt generatio illegitima ex non ſua; quædam verò eſt naturalis generatio ex legitimo coniugio, quæ præſtat vtrumq;: ita duplex eſt generatio legalis, quædam imperfecta, per quam nõ transfertur adoptatus in poteſtatem adoptãtis, nec acquirit ius in hęreditate eius: & hæc communi voce dicitur adoptio: quædam verò eſt perfecta, quæ prædicta duo

Quem penes tantũmodò ſit ius & poteſtas adoptandi.

concedit, quę vocatur arrogatio. Habet autem poteſtatẽ adoptandi vir, qui valet generare, & qui iuris eſt ſui: quamobrẽ fœmina & puer ad generandum ineptus, & filius familias, adoptare minimè poſſunt.

1. Petr. 3.

Adoptioni filiorũ Dei ſpirituali, quæ de arrogatione dicta ſunt, omnia conueniũt.

Adoptio itaq; filiorum Dei, quæ dicitur apud Paulum generali vocabulo *υἱοθεσία*, perfecta eſt arrogatio, qui fit per interrogationem: *Vis baptizari? volo*, inquit: de qua Petrus: *Sed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deũ*: & pro infantib. reſpondent alij, ſunt que infãtes ſui in hoc iuris, quia libero arbitrio, nempè alieno præditi: & iſti tranſeunt cum ſuis in poteſtatem Dei. *An neſcitis*, Paulus inquit, *quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt, quã habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deũ in corpore veſtro*: hoc eſt, poſtquam non eſtis veſtri, ſed Dei; in eius vos adoptantis gloriã, animum, & corpus, actioneſq; omnes conuertite. Habẽt ſic adoptati ius in bonis Dei. *Nam ſi filij; & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*: nec poſſunt ea bona amittere, quandiu gloriam filiorum Dei retinent. Cæterùm Deus, tametſi ipſe non egeat; quòd maximum & infinitum, naturalemque filium habeat: tamen ad ſolatium

1. Cor. 6.

Cur Deus, quibus minimè egebat, ſibi filios fecerit adoptiuos. Rom. 8.

ſuum alios adoptare voluit, quia deliciæ eius ſunt, eſſe cum filiis hominum. Hæc autem adoptio meritò tribuitur Spiritui ſancto: ita enim ait Paulus, *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, (Pater)* Tum, quoniam radix adoptionis humanæ, in volũtate amore affecta ſita eſt: vnde adopto, id eſt, valdè opto. Conſtat aũt ſancto Spiritui charitatem propriè conuenire, & ipſe amor eſt per eſſentiam & increatus. Deinde, quòd Chriſtus ſit filius Dei naturalis; habuit ab Spiritu ſancto, de quo teſtatur Fidei articulus: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto*: & vbi eſt multitudo, ibi neceſſe eſt inuenire vnum ſummũ, cuius participatione reliqua ſint talia. Item, quia per Spiritum ſanctũ Filio, & Patri ſimiles reddimur, quandoquidem in ſpiritu noſtro eſt adoptio, ſecundùm illud: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei.* Poſtremò, quia ſicut Chriſtum in vtero Virginis de puriſſimis eius carnibus, & ſanguine fecit, deditque illi cum filiatione naturali, omnes in ſummo gradu virtutes, & beatam viſionem Dei facie ad faciem; tametſi corpus morti & moleſtiis propè innumeris obnoxium reliquerit: ad eum modum Spiritus ſanctus, nos format in vtero immaculatæ Eccleſiæ, à peccati, vetuſtatiſque maſſa nos purgando, ita vt ſimus caro de carne eius, & os de oſſibus eius, vt ait Apoſtolus: largitur verò filiorum Dei adoptionẽ; ac infundit in baptiſmo (vt tradit in cõcilio Viennẽſi Clemens V.) virtutes Theologicas, & dona Spiritus ſancti: relicto corpore fami, ſiti, & cæteris moleſtiis, atq; morti ſubiecto. Hinc Paulus, anxiè corporis gloriam atque adoptionem expectans, ait: *Scimus enim quòd omnis creatura ingemeſcit, & parturit vſque adhuc.* Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri: propter hoc etiam Dilectus dixit, *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus*, id eſt, nondum peruenimus ad perfectam filiorum Dei participationem, quę nunc quidem habetur per gratiam, poſteà verò per cõſummatam gloriã in corpore & anima. Et quanquàm fieri dicantur filij Dei; quaſi arte, non natura producantur; iuxta illud: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: & rurſus, *Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ cõſortes naturæ*: & Apoſtolus: *Nã quos præſciuit, hos et prædeſtinauit cõformes fieri*

Prouer. 8.

Prima ratio, ad Spiritum ſanctum cur pertineat adoptio filiorum Dei. Rom. 8.

Secunda ratio. Luc. 1. Matth. 1.

Tertia ratio.

Rom. 8.

Quarta, & vltima.

Vbi, & quomodo nos Spiritus ſanctus adoptet.

Ephe. 5.

Clemen. V.

Rom. 8.

1. Ioan. 3.

Filij Dei fieri dicantur in Scriptura frequenter, non naſci. Ioan. 1. 2. Petr. 1. Rom. 8.

imaginn Filij ſui: vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: in quibus omnib. locis dicimur filij Dei fieri; & propter eaodem cauſſan vocamur noua creatura io Chriſto: & creati in Chriſto, iuxta illud: *Si qua ergo in Chriſto noua creatura*: & iterum, *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu*: Tamen quoniam non facti eodē modo quo cæteræ creaturæ, de quibus: *Dixit Deus, & facta ſunt*; ſed aſſumpti in ordioem gratiæ, ita vt ſimus de genere & cognatione Dei per gratiam & lumen gloriæ, quæ ſunt ipſi Deo quodammodò congenita: & quia affectu Dei paterno ad hæc tanta bona poſsidenda quaſi filij, nō natura, ſed adoptione euecti ſumus; ideò dicimur geniti, ſiue ex Deo nati. Hinc Ioannes dixit: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*: Et, *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*: & Petrus, *Sicut modò geniti infantes*. Sæpè tamen & fieri ſimul & effici filij dicimur. Vnde Propheta: *Annunciabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cœli iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quam fecit Dominus*. Vbi, populus ſimul naſci, & fieri à Deo perhibetur; & Iacobus ait: *Voluntariè*, inquit, *genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius*. Ita vt filij adoptiui, ſic referantur ad Verbum æternum, qui filius eſt natura; creatura & factura, & creari & fieri dicamur. Si verò referamur ad cæteras omnes creaturas, quarum omnium voluntas Dei eſt cauſſa: gigni & naſci dicimur, & conſortes fieri diuinæ naturæ, & filij Dei vocamur, & ſumus: namque Deus filios adoptionis producit quaſi voluntate affecta amore, atq; eleuante oos, & adoptante in filios.

2. Cor. 5.
Ephe. 2.
Iidem interdum cur nati dicantur, & geniti.
Ioan. 1.
Qua ratione iidem rurſus & facti enunciētur ſimul, & geniti.
Pſalm. 21.
Iacob. 1.
2. Pet. 1.

Ait ergo, filij Dei, nempè videotis, & currentis, atque amaotis: & nos etiam nati filij, vt videamus hîc & in gloria Deum, & vt in præſeoti ad ipſum, tanquam ad gallinam pulli confugiamus, illumque atque eius ſimilitudinem, id eſt, proximum, amemus.

Tres Dei proprietates nobis eius filiis imitandæ.

Filij autem Dei, iidem ſuot, qui filij lucis, non teoebrarum; iidem qui filij pacis, Matth. 10. filij alterius ſeculi, non huius: Filij Abrahæ, ob fidem & obedieotiam: filij adoptionis, in quibus implentur Dei promiſſa: filij Sponſi & nuptiarum, nam tales fructus ſunt nuptiarum iocarnationis Filij Dei: filij regni, quod ad eos regnum Chriſti, tùm hîc in gratia, tùm deinceps in gloria, ſpectet: Filij liberæ, de quibus Apoſtolus: *Itaque fratres*, inquit, *non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberauit*: Filij Prophetarum, Nouique Teſtamenti, vt concionatus eſt Petrus Actorum 3. quòd promiſſa in Prophetis de Nouo Teſtamento, ac ſpiritalibus bonis, ad eos pertineant maximè. Quamobrem Ieremias ca. 31. *Dabo*, inquit, *legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populū*: quod Paulus declarat 2. Corint. 6. dicens: *Et ero vobis in Patrem; & vos eritis mihi in filios, & in filias, dicit Dominus omnipotens*. Vbi, populus Dei, per filios, & filias intelligitur: quemadmodum & Oſeas cap. 1. docet: *Et erit, in loco vbi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, Filij Dei viuentis*.

Filij Dei quibus nā alijs quàm præclaris, & honorificis in Scriptura nominibus exprimatur.
Matth. 10.
Luca. 20.
Rom. 9.
Galat. 4.
Actor. 3.
Ierem. 31. & Hebr. 8.
2. Cor. 6.
Ierem. 31.
Oſea 1. & Rom 9.
1. Pet. 2.

Subdit poſtremò, *Vocabuntur*. Sed cur non ait, erunt, vel ſunt? cùm Dilectus dicat: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus*. Reſpondemus primò, iuxta phraſim Hebræam, idem eſſe vocabuntur, quod erunt, ſecundùm illud: *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, id eſt, erit; Et, *Vocabitur nomen eius, Admirabilis*, nempè erit; Et, *Filius Altiſſimi vocabitur*, hoc eſt, erit. Quòd verò beatus Hilarius libro 6. de Trinitate ſcribit: *Filios enim Dei, opera ſecundùm Spiritum Dei geſta commuuncupant, & clamatur à nobis potius Abba (Pater) quàm ex natura manet proprietate: quia extra naturæ proprietatem eſt vocis officium: & dici, atque eſſe, non idem eſt*. Sic ille, aſſerens ad ſolum filium Dei naturalem ſpectare eſſe filium; ad adoptiuos verò, vocari, ſiue dici filios; rectè intelligendum eſt. Nec enim vocamur quod non ſumus, quia eſſet mendacium; ſed propriè naturalis eſt: adoptiuus verò vocatur filius; & ſecundum partem eſt: vnde filij Dei apud Dilectum Apoſtolum & vocamur, & ſumus: & rurſus: *Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus*; Apoſtolus etiam: *Omnes filij Dei eſtis*. Deinde ſignificat verbum, Vocabuntur, non ſolum quòd erunt, ſed quod ex fructibus inſignibus cognoſcentur tales: quemadmodum & Chriſtus non ſolùm extitit Filius Dei, ſed etiam ex ſignis, ex doctrina & vita, atque morte, ab omnibus vt talis cognitus eſt, & appellatus. Vnde Nathanaël dixit illi: *Rabbi, tu es filius Dei*; ac Petrus: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*; ac Centurio: *Verè Filius Dei erat iſte*. Ad eum modū ſancti & amici Dei vel ab impiis cognoſcūtur. Ex quo Paulus & Baroabas à Lyſtrenſibus prodiis cogniti ſunt, & Iupiter, atque Mercurius vocati. Paulus quoq; ad Philip. ait: *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mūdo; verbum vitæ continentes*: id eſt, Facilè quiuis poteſt intelligere, Deū in vobis habitare, & vos eſſe eius filios. Vnde vel reprobi inuiti teſtabuotur de ſanctis: *Ecce quomodò cōputati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors*

Prima ratio huius dicti, filij Dei vocabuntur, & nō erunt.
1. Ioan. 3.
Eſai 7.
Matth. 1.
Rom. 8.
Galat. 4.
B Hil. circa finem lib.
Hilarij dicentis Chriſtum eſſe Dei filiū nos verò tantū vocari Dei filios, vt vera ſit ſententia.
1. Ioan 3.
Ibidem.
Galat. 3.
Secunda ratio.
Ioan. 1.
Matth. 16.
Infrà 27.
Actor. 14.
Philip 2.
Sap 5.

illorum eſt.Habet namq; hæc ſingelaris virtus,conciliandę pacis cum Deo mirabilem vim atque energiam. Nam vt pomum odoriferum in ſinu, vel manica abſconditum, gratam odoris fragrantiam emittit,etſi minimè videatur: ita qui tanto dono pacis componendæ præditi exiſtunt, tametſi eius animus deliteſcat,facilè tamẽ ſe per ſua veſtigia prodit, & filiũ Dei oſtendit. Quocirca Gregorius Nazianzenus oratione quadam: *Scimus, ait, pacificu tantā promiſſam eſſe beatitudinem,vt ſoli in ordine ſeruandorum filij appellentur* Sic ille. Denique vocabuntur, inquit, quoniam ipſi non conſiderabunt ſua, vt infans Regis primogenitus triennis, aut quinquennis, non plus intelligit de ſuo principatu, quàm reliqui pueri: quanquam cæteri qui intelligunt, admirantur: ita pacifici in ſe ipſis non modò nõ vident propter ſingularem quandam eorũ ſimplicitatem, quæ alij cum admiratione ſpectant. Stupidum ergo, & inſenſatum eſſe oportet eũ, qui tantæ gloriæ affectu non tangitur, qui titulum tam illuſtrem non affectat, qui ad prǫmium tam pretioſum cõtendit. Curemus ergo, vt quæ pacis ſunt, ſectemur; & quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus, vt tanto nomine appellari digni ſimus; hoc ipſum deſiderium & affectum tribuente Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui pariter cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſeculis ſempiternis, Amen.

Simile.

Greg. Nazia. orat. 13.

Verbi illius dicti vocabũtur.

Simile.

Rom. 14.

TRACTATVS XXIV.

In illa verba: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam quoniā ipſorum eſt regnum cælorum.*

SI aliæ præcedentes Domini ſententiæ meritò paradoxæ, atq; ſuprà communem omnium captum viſæ ſunt: non mirum eſt, ſi hoc poſtrema admirabilior appareat, perſuaſuq; ſit difficilior, quoniam magis premit carnem, & in ea paupertas, manſuetudo, luctus, eſuries iuſtitiæ, miſericordia, cordis munditia, & pacis efficientia continentur. De hac igitur tali methodo agendum erit, vt primùm de ordine dicamus aliquid. Deinde quid ſit perſecutio, & qui ſunt cẽſendi qui perſecutionem patintur propter iuſtitiam. Tertiò loco, cur tales à Domino habeantur beati, & dicantur. Poſtremò, quale ſit præmium talibus propoſitum.

Octauũ, perſecutionẽ patientium propter iuſtitiá beatitudo locum cur teneat.

Vt primum explicemus, aduerte, Dominum tanquam figulum, hominem Chriſtianum ac fidelem tanquam vaſculũ, beatitudinibus ſeptem præcedentibus, quaſi lineamentis quibuſdam finxiſſe, ad quam fictionem ſequitur probatio in igne perſecutionis: *Vaſa*, inquit Sapiens, *figuli probat fornax; & homines iuſtos tentatio tribulationis*, & Angelus Raphael Tobiæ; *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tẽtatio probaret te.* Ad hæc non ſatis eſt virtutes infuſas ſeruare, ſed opus prætereà illas augere, atque perficere, & tanquam talenta nobis commiſſa multiplicare. Etenim terra quæ ſterilis erat, vili ſtercore impinguatur, & fertilis efficitur: ſic media tribulatione augentur ac fœcundantur in nobis DEI dona. Vnde Propheta dixit: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat: vt requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum.* Namquemadmodum ſtellæ quædam quæ interdiu non lucent, noctu ſplendent & apparent; ita virtus quæ in proſperis non cernitur, emicat in aduerſis. Quin etiam excellentem virtutem & fortunam ſecundam inuidia atque perſecutio ſolet conſequi, & præſertim in pacificos, & filios Dei ſæuire conſueuit dæmon, & perſecutionem ſuſcitare, vt Hieronymus atque Chryſoſtomus docent: quemadmodum fecit in Chriſtum, & in Apoſtolos, ac in Adam in iuſtitia conditum, ac in delitiis paradiſi conſtitutum. Deniq; in octauo, ſiue poſtremo loco ponitur hæc beatitudo: quia non minus ita pati propter Chriſtum glorioſum eſt, atque propter illum agere. Imò maioris eſt perfectionis pro præſtita iuſtitia tolerare perſecutiones, quàm quæ ſunt iuſtitiæ facere: & maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat pro iuſtitia, & pro Chriſto. Idcircò poſt ſeptem beatitudines collocatur: nam qui eas conſecutus eſt, incidit in impiorum hominum perſecutiones. Sicut Chriſtus, qui triginta annorũ ſpatio propter Dei gloriam operatus eſt, in grauiſſimam impiorũ perſecutiones incidit, & patienter mortem perferendo cõſummatus eſt. Nam patientia opus perfectum habet. Hinc Hieronymus: *Octaua beatitudo, vera circumciſionis martyrio terminatur.* Hæc ille. Quoniam enim vbiq; plures ſunt improbi, non poteſt cum omnibus conſtare pax niſi malorum tolerantia: & vt in cœleſti gloria auream, & aureolam quam Theologi vocant, hoc eſt, beatitudinem eſſentialem, & accidentariam nouimus: ita ſeptem præcedentibus beatitudinibus debetur aurea, ſic octauæ aureola.

Eccleſ. 27.

Tob. 12.

Secunda ratio.

Habac. 3.

Virtus quæ in proſperis non cernitur emicat in aduerſis.

Hieronym. Chryſoſt. homil. 15 in Mat thæi, tom. 2.

Tertia ratio.

Ioan. 15.

Illius beatitudinis exemplũ in Chriſto.

Rom 5. & Iacob. 1.

Hieronym in Matth. 10. 9.

Vt ad ſecundum veniamus, nempè quid ſit perſecutio, primo loco ſtatuendum, pœnam, ſeu laborem, ſiue tribulationem, genus eſſe ad perſecutionem, ſicut perſecu

Quid ſit propriè perſecutio: quid Latinis perſequi.

tio, ſuperior eſt ad eam quæ fit propter iuſtitiam: nam certè tribulationem, quamuis pœnam vocamus, perſecutionem autem, certam pœnæ ſpeciem. Et ſi enim perſequi, Latinis ſignificet, ad finem vſq; ſequi, & perficere: vnde perſequi negotium, vel librum, vel viam, intelligimus, ad finem vſque negotij, vel libri, vel viæ peruenire: magis tamen propriè eſt in affligendo aliquo ac vexando, ad mortem vſque perſeuerare. Et propriè fit à viuẽte: nã fera ferã perſequitur, vt canis leporem, lupus puerum vel fera hominem, vel homo feram, vel Deus Angelum, dæmon, & homo hominẽ: vel contra, homo Deum, Angelum, & hominem. Vnde ſcriptum eſt: *Quare perſequimini me ſicut Deus?* Et, *Contra folium quod vẽto rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris?* Rurſus, *Angelus Domini perſequens eos:* iterum, *Saule, Saule, quid me perſequeris? Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei:* ac Dominus: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur:* item Propheta, *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt.* Idem: *Quia perſecutus eſt inimicus animam meam:* & alibi, *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos:* qui loci propterea à me citati ſunt, vt ex illis intelligere libeat variam atq; multiplicẽ perſecutionis rationem. Græcè verò hic dicuntur διωκόμενοι à verbo διώκω, eſtq; hoc verbum oppoſitũ verbo φεύγω, nam accuſator διώκων, reus verò φεύγων dicitur. Hoc aũt loco ſermo eſt de perſecutione ab homine agente illũ dæmone, vel à diabolo ipſo, qui varias artes atq; inſtrumenta ſolet adhibere ad nocendum, quemadmodũ conſtat in hiſtoria tentationis Iob, in quo perſequendo omnes adhibuit machinas. Non eſt autem ſermo de perſecutione, quæ à Deo fit, quia ille intentator malorum eſt: nec de ea, quæ à beſtiis infertur, vel rebus aliis ſenſu carẽtibus abſolutè, niſi quatenus dæmoni, vel homini perſecutori ſubminiſtrant. Et ita habes quid ſit propriè perſecutio.

A quo infertur perſecutio.

Iob 19. Suprà 13.

Quam varia ac multiplex perſecutio.

Pſalm. 34. 1. Cor. 15. Ioan. 15. Pſal. 68. Pſalm. 142. Pſalm. 17.

De qua perſecutione cùm Dominus loquatur.

Iob. 1. & 2.

Iacob. 1.

Ad hoc autẽ, vt quis propter iuſtitiam patiatur, tria ſunt neceſſaria: Primùm, eſt pati, & nõ agere: pati verò per ſe abſolutè nullam boni rationem, ſed potius mali includit: quare de perpeſſione cum virtute coniuncta Dominus ſermocinatur, nimirùm ſpontè, atque ex charitate, & cum patientia ferre iniurias, & incommoda, ſaltem (vt dici ſolet) faciendo de neceſſitate virtutem. Et quanquam rectè ſequatur: Patitur quis propter iuſtitiam, id eſt, propter aliquod bonum opus à ſe factum: ergo patitur iniuſtum: non tamen ſequitur: voluntariè patitur iniuſtum: ergo vltro vult ipſum iniuſtum: nam ſatis eſt, vt velit illatũ patienter ſuſtinere, licèt nolit iniuſtum: quemadmodum Chriſtus & Apoſtoli fecerunt. Atq; in hoc primus gradus ferẽdi eſt, voluntate amplecti pœnas illatas, ſi contingat illas inferri: ſecundus, patienter ferre, & eo plus, cæteris paribus, ſi accedat alacritas ſpiritus, vt apparet in B. Andrea Apoſtolo, ac beato Ignatio ad beſtias damnato, ſine vlla iniuriæ compenſatione, quouis modo, aut lingua, aut animo deſiderata, quẽadmodum de Chriſto ait Petrus: *Qui cùm malediceretur, nõ maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur:* & Paulus, *Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus.* Deinde opus eſt, vt ſit inſignis perſecutio, & diuturna, dæmonum impulſu excitata, vt direptio bonorum, honoris iactura, vulnerum inflictio, ac ſimilia. Nec enim ſatis eſt probatum vas à figulo, quod modico tempore permanet in igne, ſed eo quòd longo permanens tempore, ſolidum ſit, & integrum, ideò Dominus ait: *Beati qui perſecutionem patiuntur*, de præſenti, id eſt, qui in patientia perſeuerant. Quamobrem Hieronymus hoc loco, & Gregorius Nyſſenus in hæc verba, nec non Bernardus ſermone 1. omnium ſanctorum, ad martyres hanc beatitudinẽ referũt: Theophylact. verò atq; Euthymius, ad eos, qui citra martyrium grauioribus cõtumeliis, atq; cruciatibus afficiuntur. Docet etiam Bernard. in ſerm. de conuerſ. ad cleric. c. 31. de perſecutione ſuſtinenda, hanc beatitudinem ad Paſtores animarum ſpectare, his verbis: *Paſtorum hæc beatitudo, non mercenariorum, multò minus latronum eſt, vel luporum, vſq; adeò ſiquidem perſecutionem non ſuſtinent propter iuſtitiã, vt perſecutionem malint, quàm iuſtitiam ſuſtinere. Nempè contraria eſt operib. eorum. grauis eſt etiam eis ad audiendum:* & ſuperiùs: *Vtinam tamen noſtri quicunq; videmur hodie Phariſæi (fortè enim aliqui ſunt) etſi nõ facerent, ſaltẽ dicerent quod oportet. Vtinã qui ſine ſumptu Euangeliũ ponere volunt, ponerẽt, vel pro ſumptu. Vtinam, vel Euangelizarent, vt mãducarẽt. Vtinã hodie quicunq; paſtores nũc ſunt, mercenarios gregi vellent ſe exhibere, nõ lupos: Vtinam ipſi non læderent, vtinam nõ fugerent nemine perſequente: vtinam nõ exponerent gregem donec lupus veniẽs videretur. Quando enim trãſitoria damna nõ timeat, qui temporalia lucra ſectatur? Quando terrenam ſuſtineat perſecutionẽ propter iuſtitiã, qui terrenã mercedẽ pluſquàm iuſtitiam quærit?* Hęc ille acriter, ſed verò, & magno cum zelo: quæ verba commonefacere poſſunt paſtorem quemuis animarũ, ſui officij, ſi ſalutis ſuæ ſtudio tenetur. Tertium eſt, vt ſit perſecutio propter iuſtitiã:

Ad patiendũ propter iuſtitiam, tria neceſſario requiruntur.

Infirmatur hæc ſequela:

Voluntariè patitur quis iniuſtum, ergo vltro vult ipſum iniuſtũ.

Quid Andreæ Apoſtoli, quid Ignatij Epiſcopi martyrium habuerit ſingulare.

1 Pet. 2. 1. Cor. 4.

Secunda cõditio patiendi propter iuſtitiam.

B. Hiero. tomo 9. in prin. Theophyl. Euthym.

D. Bernard.

1. Cor. 9.

Prouerb. 28.

Ioan. 10.

Tertia ad patiendum propter iuſtitiã conditio requiſita.

quæ

B. Ambr. lib. 6. in Luc. c. de beatitudinib. Chryſoſt. ho. 15 in Matth. tom 2. in pri. Theophyl. Euthym.

Quorundã ex vtroq; Teſtamento pro virtute paſſorum exẽpla ſanctorum.

2. Machab. 7. Matth 14. Dan. 13.

B. Ambr. lib. 5. epiſt 33. ante med. to. 3.

quæ hîc non ſolam iuſtitiam Chriſtianam amplectitur (quanquam illam præcipuè) ſed etiam omnem virtutem, vt Ambroſ.& Chryſoſt. ac eius ſectatores Theophyl. & Euthy. explicant. Iuſtitia namque, omnis virtus eſt. Quicunque ergo pro quocunq; virtutis actu (ſiue virtus ſit ſecundùm legẽ diuinam, vel moralem, vel Canonicam) illatas tolerat iniurias, in hac octaua beatitudine locatur: hinc Machabæi mortui, ne carnes porcinas contra legem ederent: Ioannes Baptiſta decollatus, ne correctionẽ Regis omitteret: Suſanna, pro caſtitate tuenda mori potiùs elegit; aliæ verò virgines actu occiſæ ſunt: Thomas Cantuarienſis martyr, pro Eccleſiæ libertate, & iuribus eius tuendis, eſt mortuus. Quare Ambroſ. epiſt. de tradendis baſilicis, ſic ſcribit: *Reſpondi, ſi à me peteret Imperator, quod meum eſſet, id eſt fundum meum, argentum meum, ius huiuſmodi meum, me non refragaturum, quanquam omnia quæ mea ſunt, eſſent pauperum, verùm ea, quæ diuina, Imperatoriæ poteſtati nõ eſſe ſubiecta. Si patrimoniũ petitur, inuadite. Si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorũ, nec altaria tenebo, vitã obſecrans: ſed pro altaribus (& ſpiritualibus ad ipſam pertinẽtibus) immolabor.* Hactenus ille.

B. Thom. q. 124. ar. 5. to. 11. par. 2.

B. Thomas in 22. diſſerens de martyrio, aſfirmat non ſolùm propter fidei confeſſionem, ſed etiam propter quamcunq; virtutem, qua proteſtamur fidem noſtram, martyrium conſtare.

Quot modis perſecutionẽ poſſimus pati, propter iuſtitiam.

Beati ergo, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, ſiue in ſe comparandam: vt qui pateretur ob baptiſmum ſuſcipiẽdum: vel augendam in ſe, & perficiendam, vt qui ſuſtinet propter ingreſſum Religionis: vel propter perfectionem virginitatis, vel quodcunque aliud opus ſupererogationis: vel in ſe retinẽdam ac conſeruandam, vt qui ne abiuret fidem, vel declinet mores Chriſtianos, à Turcis ſuſtinet mortem, vel ob Iuſtitiam aliis propalandam atque communicandam, vt qui patitur, proptereà quod alios ad fidem ſua prædicatione trahit: vel deniq; contra infideles & paganos inuaſores tuendam, ac propugnandam. Vnde patefactum eſt diuinitùs, complures Caroli Magni milites, qui pro Fide Catholica, & communi Eccleſiæ bono propagando certârunt, martyres extitiſſe, qui etiam à iudicibus pro cauſſa ficta, vel ſecundùm allegata, & probata, vt dici conſueuit, vel ex præſumptionibus ac coniecturis ad mortem damnantur, ſi illam patienter ferant, propè habendi martyres ſunt.

Homil. 9. in Matth 10. 2. operum D. Chryſoſt.

Motat quoq; Autor Operis imperfect. Chriſtum non dixiſſe: Beati qui à Gentibus perſecutionẽ patiuntur, ne putes ſolũ illum beatũ, qui perſecutionem patitur propter idola non colenda, ſed etiã qui ab hæreticis Chriſtum negantibus patitur: nec ab illis tantùm, ſed qui etiam à Chriſtianis potentibus, vti Ioannes Baptiſta ab Herode, & Prophetæ ab Iſraelitis, quòd reprehenderent eorum ſcelera atq; vitia: nec tantũ ab his, qui perſecutionem patiuntur cõtra iuſtitiam, qui prudenter peccant, ſed etiam illi, qui arbitrantur ſe benefacere, & obſequiũ præſtare Deo, atq; iuſtitiam ſeruare, Chriſtianos, & iuſtos perſequuntur, alioqui Iudæi occidentes Chriſtum, & Stephanum lapidibus obruentes, alioſq; Chriſti cultores necantes, iuſti eſſent cenſendi.

Expenditur ob dictum à Chriſto: Beati qui à Gentibus perſecutionem patiuntur.

Matth. 14. Suprà. 5.

Ioan. 14.

Actor. 7.

Primum eorum, qui perſecutionem propter iuſtitiã paſſi ſunt exemplum de tribus.

Iam verò, quo prædicta omnia clariora fiant, proponenda ſunt tria exempla eorũ, qui propter iuſtitiam patiuntur: declarandum deinde, qui non patiuntur: ne nos iſta confundentes minus ea intelligamus. Primum exemplum ſit martyrium primitiuę Eccleſiæ, quos odio habitos conſtat, Innumeraſq; vexatiões perpeſſos, vt docet Tertul. in Apóloget. & Lactant. in ſuis diuinar. inſtitut. libris, magis dæmonum perſequẽtium religionem, & veritatem Chriſtianã odio & inſtigatione, quàm impulſu hominum. Cuius rei in promptu eſt rationẽ aſſignare. Nam cùm omnes inimicitiæ hominum ortũ habeant, vel ab vtilitate, vel ab honore, & gloria humana, vel à delectatione, quæ guſtu, tactuq; percipitur, vt in amantibus contingit: Chriſtiani porrò primitiui ſancti eſſent, & modeſti, pacis & dilectionis etiam ad inimicos ſtudioſi: meritò gentes nullum ius perſequendi Chriſtianos habebãt, niſi dæmones eas excitaſſent.

Tertull. Lactã Firm.

Tribus inimicitiæ oriuntur ex cauſis.

Quæ cauſſæ Romanos in quæ impulerint ad necẽ Chriſtianis inferendam.

Prima cauſa, ſeu crimen Chriſtianis obiect.

Euſeb Cæſar tom 1.

Actor. 15.

Quòd autem paſſi ſint, etiã vſq; ad ſanguinem ab iniuſtis, ob odium excitatũ à Satana, probatur ex Apologet. & libro ad Scapulam Præſidẽ Tertulliani. Primum enim deficiebãt in cauſſa, quæ vel nulla erat, vel ficta, namq; obiiciebant eſum humani ſanguinis infantis, & libidinem inceſtus promiſcui, de quo Euſeb. lib. 5. hiſt. Eccle. c. 1. ferè ſic ſcribit: *Obiiciunt* (inquit) *nobis Thyeſteas cœnas; & inceſta Oedipia, cũ tamen, vel animalium ſanguinem nõ ederent, iuxta decretũ Apoſtolorum Act. 15. vt dixit Blandina: & Gentes olim ederent ſanguinem humanum, quem ſacrificabat, ideò oblato farcimine, hoc eſt, cibo ex ſanguine confecto, periculum faciebant quis deſiceret à Chriſto.* Secundò obiectabant, quod adorarent caput aſini, Iudæoſq; ab Aegyptis expulſos ob ſcabiem, adoraſſeq; caput onagri in deſerto reperti, vt Corne. Tacit. loquaciſſimus mentitur: qui tamen refert,

Secunda cauſa.

Cornel. Tac.

Pom-

Pompeium in templo nullum numen ad adorandum propoſitum inueniſſe. Vnde Iuuenalis de Iudæis ait:

Iuue. ſaty.

Nil, præter nubes, & cœli numen adorant:

& Lucanus de Iudæa:

Lucan.

Incertiq́, ignara Dei.

Gentes autem, feras omnes adorabant, & ſimias, & porcum, & cœpe, & his deteriora. Tertiò, exprobrabant quòd eſſent Cæſaris hoſtes: nec celebrarent eorum feſta, ſed peculiaria facerent conuenticula: cùm tamen pro Cæſare orarent, & ſacrificarẽt, eum diis præponerent, ſoli Deo ſubiicerent, & gentes potiùs, quàm Chriſtiani in Cæſarem conſpirarent: vt ait ad Scapulam Tertull. Quod verò congregationes facerent: illæ orandi, prædicãdi, exhortandiq́; cauſſa fiebant. Quartò, inſultabant quòd eſſent inutiles Reipublicæ: cum orationibus plagas eorum auerterent in pace, & bello impetrarent à Deo pluuias, vt tempore M. Aurelij: militarent pro Republica, laborarent pro communi bono, niſi quòd lenonibus, mathematicis, & aurigis inutiles eſſent: de quibus eodem loco ait: *Certè dicitis, Templorum vectigalia quotidie decoquunt. Non ſufficimus, & hominibus, & dijs veſtris mendicantibus opem ferre.* Quintò, in eos inſurgebant, quòd deos eorum tollerent. Cùm conſtaret, illos homines fuiſſe, & vita defunctos: & ea dicerent, & facerent, quæ dæmones in energumenis & dicere, & operari ſolent, itaque compulſi à Chriſtianis veritatem confiteri, aiebant ſe dæmones eſſe, Chriſtum autem verum Deum. Nemo profectò contra honorem ſuum mẽtitur: & Philoſophi, quia Satanæ amici, nihil paterentur contra deos dicentes. Cumque idola, Deoſq́ue, & principes irriderent, pręmiis afficiebantur: quorum opiniones admirabatur populus, niſi vbi cùm Chriſtianis occurrebant, pro quibus opinionibus erat animi teſtimonium: vt idem Tertull. tradit lib. de animæ teſtimonio: *Quisque ſuos peculiares habebat deos, quos inuictos, atque coactos adoratores velle non debuerunt.* Sextò, obiecerunt illis incendium vrbis per calumniam à Nerone impoſitũ, quo in eos ſæuiret: omniumq́ue cladium Imperij Romani, aut diluuij, aut ignis, aut ſiccitatis, aut peſtis cauſſas Chriſtianis adſcribebant: vt compulſus fuerit propterea admonitione B. Auguſtini Paulus Oroſius Hiſpanus libros de Ormeſta Mundi conſcriptos edere, vt ab his calumniis tueretur Chriſtianam Eccleſiam. Quid dicam de actis inter Pilatum, & Chriſtum confictis in odium Chriſtianæ religionis? enimuerò eorum mendacium apertè detectum eſt ex temporis ratione, vt explicauit Euſebius libr. 9. hiſtor. Eccleſiaſt. Vox deniq; erat omnium Gentilium, vbi quid aduerſi eueniſſet Reipublicæ, *Chriſtianos ad Leonem.* Sed eam pulchrè irridet, ac repellit Tertullianus: *Tam multos*, inquit, *ad vnum*: Deinde ſi quæ cauſſa ſuberat perſecutionis, leuis profectò erat atque nullius momenti, vt vſus pallij, nam dimiſſa toga, ad pallium confugerant. Vnde prouerbium erat: *A toga ad pallium.* Vſus erat cœnæ in communi, ſed quæ agape diceretur, & quæ ex mutua dilectione prodiret. Item, quòd ſe fratres vocarent, & ſimilia. Quin etiam modus perſecutionis, erat præter rationem, & iuris ordinem. Primò enim cauſſam nolebant intelligere, verùm minimè intellectam, damnabant. Deinde plebs ſine autoritate, non ſolùm verbis perſequebatur Chriſtianos, vocans Aſinarios, Sarmentitios, à toga ad pallium. Quouſque tertium genus? ſed etiam luto, & lapidibus obruebant, atque enecabant, mortuos verò exhumabant: iudices etiam cauſſam mortis non recitabant: quæſtionibus compellebant ad falſum profitendum: negantem crimen abſoluebant. Plinius Iunior epiſtola ad Traianum non inquirebat eius mandato Chriſtianos, & tamen oblatos puniebat ob confeſsionem nominis, non criminis. Sæuiebant nouis pœnis, vt igni, & effoſsione oculi dextri, vt Diocletianus: adimebant ſcholas, & ludos literarios, vt fecit Iulianus: non credebant ſpontaneæ confeſsioni, ſed extortæ negationi: Philoſophia, vel mors glorioſa pro mundo, in Chriſtiano taxabantur: qui tamen ſe vlciſci poterat, & cenſum ſubtrahere, nec tamen volebat. Ex quibus conſtare poteſt, quàm felicia, atque fortia noſtræ religionis initia extiterint: & quantum modò ab illis degenerauerimus. Et hactenus de perſecutione primitiuæ Eccleſiæ.

Secundum exemplum eorum, qui ob iuſtitiam patiuntur, ab ijs deſumendum eſt, qui ab hæreticis per multa in bonis fortunæ, & bono nomine, & ipſis corporibus ſuſtinuerunt, quemadmodum Athanaſius, qui ob ea, quæ paſſus eſt ab Arrianis, decies martyr iure dici poteſt. Nam in Synodo coacta inſamatus eſt de immanitate, videlicet de brachio Arſenij, Lectoris ſui, abſciſſo: de vi illata fœminæ cuidam: de retento in Alexandria frumento contra imperatoris mandatũ, vnde toties relegatus: latuit tot annos in ſepultura, in agro paterno, delituit in ædibus virginis.

Tertia calumnia Chriſtianorum.

Tertull.

Quarta.

Idem.

Quinta.

Tertull.

Sexta calumnia Chriſtianorum.

Quo autore libros Paulus Oroſius de ormeſta mũdi conſcripſerit.

Euſeb.

Tertull. in Apologetico.

Quibus iidẽ Romani idololatræ aliis de cauſſis leuiſsimis perſequerentur Chriſtianos.

Quot etiam, quã graues ab illis Chriſtiani paterẽtur iniurias.

Alterum exẽplũ propter iuſtitiam patientium.

Conſtantij Imperatoris, Hunnerici Regis, & Macedonij in Catholicos ſæuitia.

Chryſoſt. quoque pulſus eſt ſede ab hæreticis: Liberius verò, & Hilarius, relegati à Conſtantio Imperatore: qui nauem octoginta Epiſcopos Catholicos ducentẽ, furtim igni ſuppoſito, in mediis aquis ad vnũ vſq; combuſsit: Hunnericus VVandalorum Rex, miniſtri tanto ſanguini fundendo cùm non ſufficerent, Africæ in vnum locum cogebat omnes qui fidem Catholicam profitebantur, eoſque conglobatos, & conſtipatos ad ſuffocationis mortem deducebat: virgines præterea Catholicas occidebat, eorumque ventres frumento implebat, porciſq; edẽdas obiiciebat: vt teſtatur Victor lib. 2. hiſtoriæ ſuæ. Macedonius verò Arrianus, vt Tripartita docet hiſtoria libr. 4. cap. 31. Catholicos ad ſuam communionẽ per vim cogebat, atq; os eorum ligno aperiens, Sacramentũ violenter ingerebat: & fœminarum; nolentiũ ſecum communicare, mamillas abſcindebat, vel ferro, & ouis ardentibus comburebat. Quas tragœdias excitarint noſtri ſeculi hæretici, & quibus tormentis Catholicos excruciarint, quaſq; inauditas & horrendas immanitates in religioſos, & Dei ſacerdotes exercuerint, notius eſt omnibus, quàm vt à me ſit fuſiori ſermone declarandum.

Victor. hiſt.
Hiſt. Tripa.

Tertium exemplum patientiũ propter iuſtitiã perſecutiones.

Tertium exemplum eſt eorum, qui à peruerſis Chriſtianis per cacodæmones agitatis, quotidie patiuntur. Nõ ergo quiſquam dicat: Eccleſia nunc eſt in pace, quia *Ecce in pace* (inquit ille) *amaritudo mea amariſſima*: dici non poteſt, quod nõ habet aduerſarios: nemo poteſt beatus prædicari propter perſecutionem, quia quotidie in in Eccleſia Cain perſequitur Abel, Iſmael Iſaac, Eſau Iacob, & Saul Dauidem, & omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, ait Apoſtolus, perſecutionem patientur. In quæ verba ſic Ambroſius ſcribit: *Nam vtique cùm ſit definita ſententia, quod omnes qui piè volunt viuere, in Chriſto Ieſu perſecutionem patiuntur, videtur is, qui perſecutiones non patitur, abdicatus, quòd non ſit piè intentionis in Chriſto: deuotionem enim fidei prælia perſequuntur.* Hęc ille. Et Dominus dixit: *Quia de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*: & ſi gladius ferri deeſt, certè gladius linguæ ſuaſu dæmonis euaginatus non deeſt; tanta eſt procacitas, & libido contumelioſè, & dicendi, & agendi in eos, qui Chriſto ſyncerè ſeruire volunt. Vnde Gregor. hom. 35. in Euangelia: *Si adiuuante nos Domino*, inquit, *virtutem patientiæ ſeruare contendimus, & in pace Eccleſiæ viuimus, & tamẽ martyrij palmam tenemus.* Et infra: *Et nos ergo hoc exemplo ſine ferro eſſe poſſumus martyres, ſi patiẽtiam veraciter in animo cuſtodimus.* Hactenus illa. Neque putemus nobis defuturos perſecutores, cùm vel ipſi domeſtici non deſint nos perſequentes, de quibus Dominus inquit: *Et inimici hominis, domeſtici eius*: & Dominus ipſe conqueritur de proditore domeſtico, per Prophetam dicens: *Homo pacis mea, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.*

Eſai. 38.
Geneſ. 4.
Infrà 21.
Galat. 4.
Geneſ. 25. 27.
1 Reg. 1.
2. Tim. 3.
Ambroſ lib. ſuper Beati immaculati, lit. 21. verſ. 6. tom 4.

A Chriſto qui ſit abdicatus.

B. Greg. poſt med ho 10. 2.

Quomodo ſine ferro, vt ait Gregor. nos martyres eſſe poſſimus.

Matth. 10.
Mich 7.
Pſalm. 40.
Ioan. 13.

Primum eorum qui perſecutionẽ patiuntur, non tamen propter iuſtitiam exemplum proponitur.

Iam dicendum de his, qui minimè patiuntur propter iuſtitiam. Et primo loco enumerandi ſunt, qui coacti, & per vim patiuntur, compenſantes lingua, vel animo iniuriam, quam recipiunt. Alia eſt ratio de martyre, qui vt miles per ſe bellum nollet, & tamen ob honorem, & obedientiam præſtandam, & prædam, quam ſperat, fortiter pugnat, & in pugna perſeuerat: & ſi occumbat, glorioſum ſibi ducit, & gratias agit Deo: ita martyres, de quibus canit Eccleſia.

Martyrum ſymbolum patientiæ.

Non murmur reſonat, non querimonia:
Sed corde tacito mens bene conſcia
Conſeruat patientiam.

Secundum exemplum non patientium pro iuſtitia

Deinde illi, qui etſi ſponte, leue tamen eſt, & minimum quod patiuntur, nõ ſpectant tamen ad hanc beatitudinem. Nam vt qui dedit potum aquæ frigidæ, non eſt ſpoliandus ſua mercede, cùm virtutem colat miſericordiæ, tametſi ad beatitudinem miſericordiæ minimè ſpectet; ita qui exigua, & minima patitur, habebit quidem fructum ſuæ patientiæ; & felicitatem hanc non attinget. Quocirca Paulus Hebræos ad perferendum adhortatur, dicens: *Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes*: de quibus dixerat: *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Vanum ergo eſt quod quidam nihil ipſi propter Deum perferentes de fratribus, aut parentes martyrij coronam adeptis, vel magnis in Eccleſia confeſſoribus, quod ex eorum deſcendant ſanguine, gloriantur: in quos ait Chryſoſt. hom. 4. de Lazaro.

Matth. 10.
Hebr. 12.
Suprà 10.
Chryſ tom. 2. prope finem.

Tertiũ exemplum, & qui dicti olim circumcelliones.

Tertiò loco computandi ſunt, qui ſe ipſos præ impatientia, vel occidunt, vel præcipitant, vt Cato Vticenſis, Lucretia, Portia Bruti vxor, Empedocles, Zeno, & ex noſtris Circumcelliones, hæreticum hominum genus ſeditioſiſsimum, qui ſe calce aceto illita exoculabant, & ad necem ſui alios, vel inuitos compellebant. Vnde cùm quidam ex illis minaretur Catholico mortem, niſi ſibi mortem infligeret, reſpõdit Catholicus ſe libenti animo id præſtiturum, modò ſe colligari fineret, quo necẽ ſibi tutiùs inferret,

ne in

ne in ſe percutientem inſurgeret. Accepit conditionem, atq; vbi illum colligaſſet, illuſum, & deriſum viuum reliquit: abijtq;, nec eum interficiens, nec interfectus ab eo. His circumcellionibus oppoſiti fuerunt Valentiniani, qui mortem etiam ab allis ſibi illatam pro fide Chriſti recuſabant: & cùm lingua fidem negarent, putabant ſatis eſſe, ſi corde confiterentur. Tales quoque hæretici fuére tempore B. Bernardi, qui ſe in puteos, & foueas præaltas præcipitabant. Lege ſermonem 66. eiuſdem in Cantica. Horum omnium dux, & anteſignanus fuit Iudas, de quo Chriſtus: *Bonũ ei erat, ſi natus non fuiſſet homo ille.* nam in ſe, diabolo ſuadente, manus violentas iniecit. Secus eſt dicendum de his, qui ſecreto Dei afflato mortem ſibi conſciuerunt, vt Samſon, & virgines illæ, quæ pro tuenda virginitate ab incurſu Barbarorum Romæ, ſe in Tyberim demerſerunt: de quibus verba facientes Auguſtinus libro primo de Ciuitat. Dei, capit, 27. & Ambroſius libro tertio de Virginibus, eas inter martyres eſſe colendas exiſtimant. Simili ſpiritu inductus Abraham filium ſuum Iſaac immolare ex præcepto Domini voluit. Quare illi etiam minimè cenſendi ſunt ob iuſtitiam pati, qui legitimè conuicti criminis, ſiue confeſsi, debitis ſecundùm legem ſuppliciis, ac pœnis plectuntur, etſi patiantur propter iuſtitiam, id eſt, vt illi ſatisfiat. Ad quos loquitur Petrus: *Nemo veſtrum*, inquit, *patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem, vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine:* & rurſus: *Si quid patimini propter iuſtitiam, beati.* Rurſum idem: *Hæc eſt*, inquit, *gratia ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Quæ eſt enim gratia, ſi peccantes, & colaphyzati ſuffertis? Sed ſi benè facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deũ.* Horum perſonam ſuſtinens latro bonus in Cruce, dicebat: *Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit.* Tales per ius ſublati non lædunt ampliùs Reipublicæ pacem, deſiſtunt à nequitia, & datur illis occaſio pœnitendi, ac ſaluandi ſe per ignem iuſtitiæ, ſi ſuo vitio nolint fieri diaboli martyres, vel hominum, quorum partes, ac factiones ſequuntur: vt qui Galliæ, vel Hiſpaniæ, Columnæ, vel Vrſi, partes tueri videri volunt. Debent ergo criminoſi iſti de neceſsitate virtutem facere, vt latro fecit in Cruce, vt ſic ſeruentur: etſi non ſint de his, qui ad hanc beatitudinem ſpectant, quia inuiti, & ob iniuſtitiam patiuntur.

Valentiniani oretenus Chriſti fidẽ profitentes, et factis negarent. Rom. 10. B. Bernar.

Matth. 27. Suprà 26. Quinam diuino impellente ſpiritu voluntariam olim ſibi mortem inferebant. Iudic. 16. Augu tom 5. Ambroſ. 10. 2. Geneſ. 22.

Quartum exemplũ minimè patientiũ propter iuſtitiam.

1. Petr. 4.

Suprà 5. Supra 2.

Luce. 23. Sótes cur de medio tollendi.

Quintò, enumerandi ſunt & Philoſophi, qui apud Gentiles ob iuſtitiam aliquam, vel grauibus iniuriis, vel morte iniuſta ſunt affecti, & hæretici inter eos, qui ob iniuſtitiam patiuntur ſuam, tametſi ipſi ſibi ipſis adblandiantur, ac perpulchris titulis cauſſas patiendi exornent, dicentes ſe grauiſsima perferre propter Chriſtum, propter gratiam, propter Euangelium, & veritatem. Sed egregiè teſtatur Auguſtinus in ſer. Domini in Monte: *Vbi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia: Quia iuſtus ex fide viuit. Neque ſchiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittant, quia ſimiliter vbi charitas non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia. Non enim ſequitur Chriſtum, qui non ſecundùm veram fidem, & Catholicam diſciplinam, Chriſtianus vocatur.* Ac vt Tertullianus ait: *Homo ex fide bona probandus, tanquam bonus, non autem probanda fides ex bono homine.* Auguſtin. contra Fauſtũ, hæreticos affirmat gloriari, quòd pro iuſtitia patiuntur, cùm potiùs propter errores, & blaſphemias, quæ merentur, ſupplicia ferant. Et ait, ſanctos viros multò plura, & quidem grauiora pro Fide Catholica, & iuſtitia Chriſtiani pertuliſſe. Hinc pulchrè Beatus Ignatius ad Heronem Diaconum, quem ſedis ſuæ ſucceſſorem poſt mortem reliquit, hunc in modum exhortando ſcribit: *Heronem filium meum moneo, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, cuius & memini filij deſiderabilis, cui cuſtos fiat ille ingenitus Deus, & Dominus Ieſus Chriſtus, non omnibus credere, neque de omnibus præſumere, ne quis te ſubintret (id eſt, latenter decipiat) multi enim miniſtri ſunt Satanæ: & qui citò credit, leuis eſt corde.* Idem paullò ante dixerat: *Omnis igitur* (inquit) *qui dixerit præter illa quæ tradita ſunt, tametſi fide dignus ſit, tametſi ieiunet, tametſi virginitatem ſeruet, tametſi ſigna faciat, tametſi prophetet; lupus tibi appareat in grege ouium corruptionem operans. Si quis Crucem negauerit, & paſsionem erubuerit; ſit tibi tanquam aduerſarius; tametſi ſubſtantiam ſuam pauperibus diſtribuat, tametſi mótes transferat, tametſi corpus ſuũ combuſtioni tradat; ſit tibi execrabilis, & abominabilis.* Hæc ille: & ſimilia ad Polycarpum ſcribit: vbi Ignatius concedit, hæreticum poſſe eſſe fide dignum, id eſt, modeſtum, prudentem, & virtutibus moralibus præditum, cui meritò humanitus ſit credendum: admittit etiam, poſſe ſeruare virginitatem, quod ex ſecta, & applicatione animi ad ſpeculandum contingere poteſt. Nam cùm animæ eſſentia, in qua ſunt facultates eius ſitæ, ſi per alteram illarum, nempe per rationalem ſe exerceat; remiſſa redditur facultas appetitus ſenſitiui: ha u

Quintum exemplum.

Aug. loco dicto c. 9. circ. fin. Habac. 2. & Rom. 1.

Chriſtum ſequatur minimè quis. Tertu. li. præſcriptionũ ad uer. hære. ini. Auguſt. lib. 5. con Fauſt. c. 9 tom. 6.

B. Ignat. epi. 1. paullò à medio. 2. Cor 10. & Corin. 1. & Iere 21. & Infrà 9.

Eccleſ 19. Quibus vel loqui officioſis hæreticis credendum vetet Ignatius. Matth. 7. 1. Cor. 13. Idem epiſt 11.

Hæreticus vnde fide dignus eſſe poſſit, qua item ratione ſeruare virginitatem.

diſsimili ratione ac fons, emittens aquam per vnum orificium, quam per tria erat emiſſurus, fortiùs ac copioſius illam effundit.

Exemplum. Euſeb.

Ita etiam Socrates, dum cœlum, & ſtellas cõtemplaretur, cecidit in foueam: quòd, ſecundùm Euſebium de Præparatione Euangelica, eos nobis repræſentat. qui, cùm intenti ſunt ſpeculationibus, inepti fiunt ad actiones, atque impingunt in moribus.

Signa per hæreticos qualia tantum fiant.

Admittit idem Ignatius, hæreticos poſſe edere ſigna, ſed in ſpeciem tantummodo, & mirabilia potiùs quædam, quàm vera patrare miracula.

B. Auguſt. tom. 7.

Vnde aſſerentibus ab hæreticis fieri ſigna, doctè reſpondet Auguſtinus lib. de vnitate Eccleſiæ contra Donatiſtas, capit. 19. dicens, ſigna modò non probare Eccleſiam; ſed potiùs Eccleſiam ſigna: nam ex eo vera ſigna comprobantur, quòd fiant in Eccleſia. Vel potiùs dicendum eſt, hæreticorum ſigna falſa eſſe & mendacia, qualia etiam Antichriſtus, teſte Apoſtolo, editurus eſt.

2. Theſſ. 2.

Noſtri ſeculi hæreticos vndequaq; Catholicis & orthodoxis ſe fide indignos oſtendere.

Si ergo hæretici tot virtutibus præditi, etiam virginitatem ſeruantes, ſigna edentes, aut prophetantes audiendi non ſunt: quæ, quæſo, noſtra erit ſtultitia, aut oſcitanria, & quàm minimè excuſabilis, ſi nouellos iſtos orbis Doctoris, & hæreticos qui ad nos venerunt, nulla morum autoritate conſpicui, qua fidem à nobis promereantur, ſine ieiuniis, ſine virginitate, ſine ſignis, & Prophetiis, recipiamus? Dum ergo hi hæretici ab Eccleſia iuſtis pœnis plectuntur, vt exilio, carcere, abiuratione publica, vel cruciatu corporis; nequaquam ſunt beati; quia martyrem non facit pœna, ſed cauſa.

Illos, perſecutionem ab eccleſia patientes, falsò ſe beatos, & martyres appellare.

Ac vt egregiè docet Auguſtinus, hæretici magis perſequuntur Eccleſiam in animabus, quàm Eccleſia in corpore perſequatur hæreticos. Nam remiſsionem peccati, & animæ iuſtificationem hæretico offert: etiamſi corpus eius aliàs mortale, ad tempus torqueat & excruciet: ſed videmus ſanguinem corporis illius, & non videmus, teſte Auguſtino, ſanguinem animarum, quas illi veneno dogmatum corruperunt.

D. Auguſt.

Hæreticos nulla ratione eſſe tolerandos in Eccleſia.

Optemus igitur zelo fidei antiquæ retinendæ accendi, hæreticorumque ſtudia & conatus inſectemur & frangamus: neque dubitemus ſaluti ouium conſuli, ſi lupi rapaces, qui gregi inſidiantur, noſtra diligentia deprehendantur, coganturque, aut luporum feritatem & ingenium exuere (quod difficile eſt) aut ſaltem ſuppliciis condignis plectantur: vt ea ratione animarum ſaluti, & incolumitati conſulamus noſtra diligentia: & Chriſti gloriam illuſtremus, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſemper viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Matth. 7.

TRACTATVS XXV.

In illa verba octauæ Beatitudinis: *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

De quibus tractandum.

DICENDVM eſt, cur idem ſit præmium primæ & poſtremæ beatitudinis: & cur per verbum ſubſtantiuum eſt, reliqua verò per verba ad rem adiecta proponantur; & quamobrem hæc enuntientur per verbum Præſentis temporis, illa per Futuri: dicitur enim, *Quoniã ipſi conſolabuntur: Quoniam ipſi poſſidebunt terram: Quoniam ipſi Deum videbunt*, & quæ ſequuntur: deinde quid ſit cœlorum regnũ, quod promittitur: poſtremò, cur illud perſecutionem patientibus propter Iuſtitiam debeatur.

Primæ, & octauæ beatitudinũ præmium cur vnum & idem ſit.

Prima ratio, Ruperti Tuitien. à muſicis ſumpta.

Inprimis igitur annotat Rupertus Tuitienſis, quòd quemadmodum in muſicis ſpeculationibus vſu venit, vt cùm ad ſeptem voces peruentum eſt, non poſsit noua vocis fieri acceſsio, ſed quæ octaua additur, cum prima ita conueniat, vt non duæ, ſed vna vox eſſe videatur: ad eũ modum præmium primæ & octauæ Beatitudinis, idem prorſus eſt: eademq; vox primæ chordæ & octauæ in cithara, qui eſt Chriſtus: *Exurge*, inquit, *gloria mea, exurge pſalterium & cithara*.

Pſalm. 56.

Octauæ diei myſterium.

Octaua item dies, ſi ſacras conſulis literas, nihil eſt aliud, quam primæ diei repetitio, in qua conditi, atque per Chriſti reſurrectionem iterum creati ſumus: & nos per hanc octauam beatitudinem pro iuſtitia tolerantes de integro condimur atque inſtauramur.

Secunda ratio D. Bernardi.

Inſuper, vt docet Bernardus ſermone 1. omnium Sanctorum in fine, eadem promiſsio facta eſt pauperibus & Martyribus, quia verè martyrij genus paupertas voluntaria eſt. *Beatus vir*, ait Propheta, *qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua.*

Eccleſ. 31.

Quoddam martyrium grauius, teſte Bernardo.

Quid mirabilius, aut quod martyrium grauius eſt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter iſte appetitus? An non meritò coronabitur, qui ſic certauerit, mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & (quod glorioſius eſt) de ſemetipſo triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prurientem?

2. Tim. 2.

III Ratio eiuſdem.

rientem? Et ſubdit ibidem Bernardus: *Denique propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cœlorum promittitur: quia paupertate quidem emitur; ſed in paßione pro Chriſto abſque omni dilatione percipitur.*

IV. Ratio.

Adde, cùm duo ſint beatitudinum ordines, quæ penes agere & pati conſtituuntur; prima vtriuſque ordinis velut baſis & fundamẽtum, reſpicit illud, quod inter præmia eſt velut fundamentum, ſcilicet regnum cœlorum, vt nec agens patienti, nec patiens agenti præferatur: ſed Confeſſores Martyribus, & Martyres confeſſoribus, in eſſentiali beatitudine pares & æquales eſſe monſtrentur.

V. Ratio.

Ad hæc, in regno duo ſunt: Opes, & Dominatio. Promittitur ergo pauperibus regnum ea ratione qua diuitias in ſe claudit: nam renuntians temporalibus diuitiis præſentibus propter Chriſtum, dignus qui æternis fruatur efficitur. Patientibus verò debetur regnum, per reſpectum ad dominationem. Qui namque propter Chriſtum libertate deſtituuntur & in carne vt ſerui prẽmuntur; digni ſunt qui in futuro cum Chriſto regnent & dominentur.

VI. & vltima.

Denique beatitudini primæ reſpondet regnum cœlorum tanquam præmium aureæ: vltimæ verò regnum, tanquam aureolæ.

B. Ambr. lib. 5 in Lucã de Beat. tom. 5

Ambroſius ob id repeti promiſsionem regni cœlorũ docet, quòd illud bis iuſtus conſequitur, primò ſecundum animam in diſpoſitione corporis, deinde etiam ſecundùm corpus poſt reſurrectionem, nam pauperibus ſpiritu competit habere regnum cœlorum ſecundùm ſpiritum, paſsis verò perſecutionẽm ſecundùm corpus, in quo perſecutionem ſunt paſsi.

Earundẽ beatitudinũ, primæ ſcilicet & vltimæ, præmium verbo ſubſtantiuo Eſt, reliquarũ verò, eu adiectis nominibus proponantur.

Differentia autem verbi ſubſtantiui atque adiectiui, diſcrimen indicat inter ſubſtantiuum ius æternæ hæreditatis; & ipſam poſſeſsionem hæreditatis: verbo autem præſenti, Eſt, oſtendit beatos in hac vita, ſubſtantiuum æterni ius præmij habere, quod vnum eſt, & omnibus beatis commune: ideò ponitur in prima & vltima beatitudine vtriuſque ordinis, tam agendi, quàm patiendi.

1. Ioan 3. Rom. 8. Galat 4.

Nam, vt ait Dilectus: *Nunc filij Dei ſumus; quòd ſi filij: & heredes*; & iterum Paulus, *Quanto tempore heres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo: cùm ſit dominus.*

Cur etiam illa per tempus præſens, iſtæ verò per futurum exprimantur.

Executio tamen poſſeſsionis & fructus, in alia vita ſeruatur; ideò de futuro, & per verba adiectiua idem præmium deſcribitur; ad diuerſitatem, & copiam fructuum, qui in executione percipientur, explicandam.

B. Chry. ho 15. in princ.

Hinc Chryſoſt. homilia 15. in Matthæum pulchrè admonet: *Tu verò*, inquit, *etiam ſi non per ſingulas beatitudines regnũ audias repromitti, nequaquam tamẽ mœrore turbaris. Etſi enim retributiones ipſas indifferenter appellat eas; tamen profectò cunctas ad vnum cœlorum regnum adducit. Quando autem dicit: Et lugentes conſolabuntur; & miſericordes miſericordiam conſequentur; & mundi corde Deum videbunt; & pacifici filij Dei vocabuntur: nihil omnino aliud niſi cœleſte regnum per hæc cuncta deſignat.* Sic ille.

Chriſtus, vt Chryſoſtomus ait, regnum minimè repromittit.

Propterea idem præmium eſt regnum cælorum cum terra, id eſt firmum: ac ne putes exors eſſe conſolationis; ſubdit, *Conſolabuntur*: Et ne arbitreris conſolationem minimè ſatiantem; addit, *Saturabuntur*. Ne verò opineris ſatietatem cum miſeria coniunctam, adiungit, *Miſericordiam conſequentur*. Ne item valeas exiſtimare, quamuis miſericordiam eſſe, & ſine viſione Dei; ſubiungit; *Quoniam ipſi Deum videbunt.* Et ne vtcunque Deus à nobis videri exiſtimetur tanquam à ſeruis; ſubiecit: *Quoniam filij Dei vocabuntur.* Eſt ergo vita æterna repræſentata per regnum cœlorum, ſed firma cum conſolatione ſatiante ſine omni miſeria; cũ Dei viſione, atq; filiorum Dei appellatione coniuncta.

Beatitudinũ præmia à Chriſto propoſita, eſſe perfectiſſima.

Regnum cœlorum duplex eſt.

Circa ſecundum, Regnum cœlorum, vt plurimum, dicitur dupliciter: vel cœleſtis & æterna vita, de qua: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*, vel accipiatur pro Eccleſia militante, in qua etſi Rex ſit omnis terrę, Deus peculiariter regnat: diciturque cœleſte regnum, quia caput eius de cœlo eſt, iuxta illud: *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt.*

Matthæ. Pſal. 46. Ioan. 3.

Regnum Dei cur cœleſte.

Spiritus quo protegimur, de hoc mundo non eſt, ſed ex Deo, & cœlo: virtutes, quibus Deo coniungimur, vt Fides, Spes, Charitas; non terrena, ſed cœleſtia ſunt: Sacramenta, quibus ſanctificamur, & paſcimur; de cœlo ſunt inſtituta. Finis, ad quem tanquam ad patriam contendimus; in cœlo Empyreo repoſitus eſt: nec non eius ius, & guſtum, ac ſpem, dum in terris verſamur, habemus, ſecundùm illas Apoſtoli voces: *Conuerſatio noſtra in cœlis eſt*: &, *Regnũ Dei inter vos eſt*: rurſus: *Non eſt enim regnum Dei eſca & potus; ſed iuſtitia, & pax, & gaudiũ in Spiritu ſancto.*

Philip. 3. Rom. 14.

Pauperes ſpiritu, & pauẽtes propter iuſtitiã, quomodò nunc regnũ cœleſte poſſideãt.

Et meritò nos hoc regnum modò habere dicimur, quod propriè in dominio ſui ipſius conſiſtit: neque aliunde proficiſcitur, quàm ex vnione ſummi Regis cum Spiritu noſtro, quem propter ea ſpiritum Regem ſui facit; ſic, vt Ioannes dicat: *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.*

Apoc. 1 & infra 5.

Nam vt ex adhæſione ſpiritus noſtri cum Deo, dij, atque ſpiritus noſtri ad Spiritum ſuum, vnus ſpiritus efficimur: ita ex vnione ſpiritus noſtri ad Deum Regem, Reges reddimur, dominantes ſpiritui noſtro, & carni, atque concu-

1. Cor. 6.

Dæmonem vincimus, cũ carnẽ, & eius vires ſuperamus.

B. Auguſt. in Pſal. 143. ſub init. & alibi, tom. 8.

1. Cor. 9.

Geneſ. 3.

piſcentiis noſtris, quæ in ea ſitæ ſunt: & in cupiditatibus ac fomite vis atque poteſtas Satanæ & mundi ad nos proſternendos deliteſcit. Quare debellata carne tanquam hoſte viſibili, contra dæmonem inuiſibilem pugnamus: vt docet Auguſtinus: nam Paulus ait: *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo:* quo caſtigato atque ſubacto, victoriam obtineo de hoſte. Ac vt dæmon per Heuam deuicit Adamum, & per carnem concupiſcentia victam, ſpiritum: ita quiuis Adam, ſiue ſpiritus, deuicta ſua Heua, nẽpe carne, diabolum peruincit. Quando ergo homo vincitur à concupiſcentia: ſeruus eſt, & captiuus dæmonis, & noſtro ſpiritu rebellante ipſi Deo, digni efficimur, io quibus caro rebellet ſpiritui noſtro: ſicut enim Prætor Regi ſuo debitam obedientiam ſubtrahens, in illumq́ue inſurgens, dignus eſt, cui inferiores repugnent & reſiſtant; ita & nos Deo bellum indicentes atque repugnantes, promeremur, vt cupiditates ſenſuum noſtrorum, ac reliquæ creaturæ nobis aduerſentur, in noſq́ue inſurgant. Vbi verò ſpiritus noſter ſe erigit per gratiam, atque cum Deo coniungitur, tunc regnat cum Deo; quia fit vnus ſpiritus cum eo, qui Rex eſt. Hinc Bernardus ſerm. 3. in Pſalmum 90. *Tandiu timendum eſt*, inquit, *donec laqueus contritus ſit, donec corpus iſtud animã depoſuerit. Nam & ipſum corpus laqueus quidam eſt, vnde & oculus legitur animam deprædari. Minimè ergo decet eſſe ſecurum hominem, qui ſecum portat laqueũ ſuum*, Sic ille. Eſt ergo regnum cœlorum, in genere quidem tribulatorum omni[illegible], in ſpecie verò eorum qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Quæ vt apertiùs tradamus, operæ pretium eſſe exiſtimaui, Dei animum atque conſilium, quo tribulationes immittere voluit, attendere: Hæreticus quidam antiquus, Marcio dictus, vt teſtis eſt Tertullianus lib. 2. contra eum, aſſerebat, Veteris Inſtrumenti Deum, fuiſſe quidem iuſtum & ſeuerũ; ſed ſine miſericordia: Deum verò Noui, miſericordem & clementem, ſed ſine iuſtitia. In hunc acutè obiicit Tertullian. Deum ante peccatum, bonum fuiſſe, id eſt, ſuauem, beneficiũ, & ſua largientem: neq; vllo modo vindicem: pœna etenim per ſe nulli, vel Neroni, placet: perditio enim vt talis, delectationis obiectum, vel bonum nõ eſt. Ideò Propheta ait: *Perditio tua Iſrael*: non inquit, ex me: &, *Deus mortem non fecit, non lætatur in perditione viuorum.* Poſt peccatum autẽ ſeuerus effectus eſt, id eſt,

Vnde carnis in ſpiritum pugna.

Quando ſpiritus noſter carni dominetur.

1. Cor. 6.

B. Bernar. in fine ſermonis.

Thren. 4.

Homo dum viuit, cur minimè ſecurus, teſte Bernar.

Tertull.

Impij Marcionis Deum Veteris iuſtũ ſine miſericordia, Deũ Noui Teſtamenti bonũ, ſed in iuſtum aſſerentis, blaſphemia confutatur.

Oſeæ 13.

Sap. 1.

Rom. 9.

puniens delicta, & hoc ob oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ in eos qui ſe vaſa iræ, hoc eſt, punitionis capaces conſtituunt, dum nolunt ſe humiliando, emendare, ſed ſuperbiendo, pœnam perpetuam quæ ſuperbos manet, expoſcere. *Quis*, inquit Propheta, *reſiſtet tibi? Ex tunc ira tua.* Peccati ergo inordinationem pœna, quæ præter ordinem videtur & æquitatem, ſed iuſta, caſtigat: nam, verbi gratia, inordinatum quiddam eſt & præpoſterum, capite plectere reum maieſtatis læſæ, ſi ad ipſum ſpectes: ſed ſi facinus quod admiſit, referas, iuſtitiæ quidam ordo inuenitur. Similiter quod Medicus præcidat membrum aliquod corporis vitiolum ac putridum in ſe inordinatum & malũ videtur: verùm ſi hoc fiat, ne ex membro illo cõtagioſo malum ſerpat in totum corpus, iuſtitiæ atq; ordinis rationi conforme efficitur. Ad eum modum Deum, vel horrendis ſuppliciis in vita præſenti, vel perpetuis gehennæ cruciatibus in futura criminis reos plectere, durum ac malum apparet; atq; iis, qui patiuntur valde incommodum, & graue: ſi tamen ad ea crimina, quæ perpetrarunt, oculos mentis conuertas, profectò cum æquitate, rationeq́; coniunctum eſt. Tribulatio ergo, vt defectum ordinis, ſiue exceſſum ab eo, in quem iræ vaſa delinquendo inciderunt, tollit puniendo; ita in his, qui ſe vaſa miſericordiæ prępararunt, miſeriam ſuam agnoſcendo, mirabiles fructus & vtilitates adducit. Quippe in eis in primis Deus oſtendit miſericordiam ſuã, dum ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ ſeueriuſculè cum filio, in ſecundo pœnitentiæ pacto agit. Deinde filium admonet, vt ſibi, vel ab ira paterna iudicis caueat: vſque enim adeo flagellat omnem filium quem recipit, vt etiam proprio & naturali filio non pepercerit. Præter hoc clementer etiam agit, parans homini minimè obſtinato tanquam latroni, qui ad dexteram Chriſti fuit, crucem, in qua tribus veluti clauis Dei, & ſpiritus noſtri hoſtem ſuffigit, triplicẽ videlicet cõcupiſcentiam: Regemq́; ipſum, id eſt, ſpiritũ, tribus magnis donis confirmat. Nã qui velit Regi in ſuo regno agenti opitulari, nullo modò aptiùs id præſtare valeat, quã debilitando eius hoſtes; & augendo eius vires, & confirmando. Deus itaque, videns veterem hominem, hoſtem noſtrum capitalem & domeſticum, triplici concupiſcentia, carnis, oculorum, & ſuperbiæ vitæ conſtantem; in remedium, vexationem largitus eſt. Ac primo quidem clauo configit concupiſcentiam carnis tribulatio, quæ cõtinua eſt

Cur ſeuerus hominis Deus factus.

Pſal. 75.

Quàm cõueniens & iuſta Diuina malorum punitio.

I. Ratio, cur Deus nos tribulet.

Rom. 9.

II. Ratio.

III. Ratio.

1 Ioan. 2.

Tribulatione carnis cõcupiſcentia, quomodo cõfigitur.

poſt

poſt peccatum, corruptio & mortalitas ipſa, qua in mortem tendimus, nempe fame, ſiti, calore, frigore, nuditate, labore, dolore, ægritudine; namque his omnibus & morte ipſa, quæ omnium terribilium eſt terribiliſſimum, vis ipſa concupiſcendi comprimitur. Etenim ſi, gratia exempli, domus tua gemmis, lapidibusque pretioſis, atque aliis ſplendidis & magnis ornamentis plena eſſet, atque illi igni ſuppoſito arderet: non deberes oleum apponere, ne augeatur incendium, ſed aquam, vt extinguatur: eodem modo corporis noſtri domicilium, gratia, & donis Spiritus ſancti plenum eſt; ſed ardet per innatam concupiſcentiam: ob id, ſi ſapimus, haud eſt oleo temporalium commodorum & deliciarum replendum, quibus ignis eiuſmodi alitur: ſed aqua tribulationum iniicienda, quæ ignem quidem concupiſcentiæ extinguunt, diuinum verò charitatis ignẽ enutriunt.

Carnem ſuā triplicis concupiſcentiæ flammis ardentem, delicatè outrieotes, quid face ſe videantur.

Altero clauo configenda eſt vitæ ſuperbia: nam poſt peccatum hominem inuaſit tanta imbecillitas, vt non poſſit vel ab internis hoſtibus æſtus, frigoris, doloris & febris; ſed nec ab externis quidem, vel à pulice, cimice & muſca ſe tueri atque defendere: inuaſit quoq; illum tanta Dei, & finis ſui ignoratio, vt nihil poſſit ſine labore intelligere: nam *Cunctæ res difficiles*, ait Sapiens, *non poteſt eas homo explicare ſermone*; & Pſaltes, *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Denique inuaſit iracundia, odium, libido, & procacitas alios ſupprimendi & calcandi, iudicium temerariũ, atq; appetitus quidam peruerſus ſimilem ſe Deo efficiendi: verùm per flagella eruditur, vt ſubmiſſiùs & modeſtiùs de ſe ſentiat. Hinc Dauid: *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas: & conuerſus viuificaſti me*.

Vitæ ſuperbiam, vt euā configat tribulatio.

Eccleſ. 1.

Pſalm. 48.

Geneſ. 3.

Pſalm. 70.

Tertio clauo cõfigitur oculorum concupiſcentia: ſiquidem nõ ſolùm ſuperfluis deſtituimur, verùm etiam interdum neceſſariis, vt cibo, veſte & tecto indigemus: pro quibus comparandis angimur, & ſolicitamur. Hinc artifices, agricolæ, pauperes verecundi, ac puellæ nudæ, quæ vix panem quo alantur, habere poſſunt; opprimentibus eas diuitibus, quorum ſunt paſcua: neque opem ferre valemus egenis, vel iuſtitia, vel ſapientia, quæ deſpicabilia habentur: Deus pro ſua ſingulari prouidentia per ſe, vel per Angelos, vel homines, vel dæmones hanc crucem domandi veterem hominem, & in eo diabolum & mundum procurauit.

Quomodo tribulatione oculorum quoque concupiſcentia transfigitur.

Deinde non tantùm tribulatio debilitat hoſtes; ſed etiam ſpiritum noſtrum, quo meliùs regnet, tribus egregiis virtutibus corroborat: nam cum regnum ſpiritus in vnione cum Deo conſiſtat: omnis autem vnio per ſimilitudinem fiat; quo magis ſpiritus noſter Deo ſimilis efficiatur, eo amplius ei vnitur, & magis regnat: ſimilitudo autem in puritate & munditia conſiſtit, quia Deus eſt ter ſanctus, id eſt, maximè purus, & ab omni criminis labe alienus atque remotus.

Tribulatio ſpiritum noſtrum tripliciter confirmat, ac roborat.

Tribulatio ergo purgat à peccatis, & ad pœnitentiam inducit: ſeruat & ab effectu immoderato ad proprium corpus quod corrumpitur: purgat ſimul à confidentia fallacium diuitiarum, ab ſpe collocanda in Principibus, vel in hominibus, qui vel decipiunt, vel ſæuiunt. Quocirca Tertullianus tribulationem confert ventilabro vel cribro, quo granum à palea diſcernitur, & igni metalla purganti ab ſcoriis: vnde Spiritus ſanctus per Prophetam ait, *Excoquam ad purum ſcoriam tuam*. Quo fit, vt ceſſante tribolatione & perſecutione ſub Conſtantino Magno, ſimul cum eo deſæcati, ſiue perfecti Chriſtiani ceſſauerint: vt tradit Auguſtin. in libris de Ciuitate Dei.

Tribulatio qualis Tertulliano

Tertull. li. de fuga in perſecut. in princ.

Eſai. 1.

Cur elim perfectiores quā modo, fuerint Chriſtiani.

B. Auguſt.

Deinde tribulatio corroborat ſpiritum, dum illum illuminat, & Deo, qui lumen eſt, ſimiliorem reddit: docet enim pœnas à Deo nobis immitti; ideò fortiter tolerandas; & intelligit verbum illud Dauidis: *Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid*. Docet quod peregrini ſumus & aduenæ ſuper terram, nec habemus hic manentem ciuitatem; ſed futuram inquirimus. Docet glorioſiùs non poſſe corpus noſtrum occumbere, quàm ſi illud in hoſtiam Deo offeramus. Docet illud Salomonis; *Qui non eſt tentatus, quid ſcit?* & illud Prophetæ, *Tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui*; & illud egregium Gregorij: *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit*. Hinc tentatio ſimilis eſt oleo lumen lampadis alenti; & vt fel piſcis Tobiæ, quo iniuncti oculi parentis, aperti ſunt, & viderunt.

Vt ſpiritum illuminet tribulatio.

2 Reg. 16.

Hebr. 13.

Eccleſ. 34.

Eſa. 28.

Docet inſuper nobiſcum Deum eſſe, cum tribulamur, ſecundum illud: *Cum ipſo ſum in tribulatione*. In quæ verba Bernard. ſerm. 16. expoſitionis eius Pſalmi: *Vnde ſcimus*, inquit, *quòd nobiſcum ſit in tribulatione? Ex eo vtique, quòd in ipſa tribulatione nos ſumus. Quis enim ſuſtineret, quis ſubſiſteret, quis perſiſteret ſine eo? Omne gaudium exiſtimemus, cum in varias tribulationes inciderimus, fratres mei, non modò quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; ſed quoniam iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. Si ambulauero in medio vmbra mortis (ait quidam) non timebo mala; quoniam tu mecum es. Ita ergo nobiſcum eſt omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.*

Pſalm. 90.

B. Bern. circa med ſerm.

Dei quodnā maneous nobiſcũ in tribulatione ſymbolum.

Iacob. 4.

Actor. 14.

Pſalm. 33.

Pſalm. 22.

Matth. vlt.

Tertia tribulationis ſpiritum noſtrũ confirmandi ratio.

Iacob. 1.

Hæc ille. Ad hæc, tribulatio, confirmat, & perficit ſpiritum; quia patientia opus perfectum habet: nam vt pictor tot adhibet lineas & colores figuræ, quot nouit opus eſſe ad illam illuſtrandam: ſimiliter anima ad Dei imaginem condita, tot aduerſitatibus, quaſi coloribus quibuſdam, ornatur à ſummo illo Deo pictore, quot nouit ad perfectionem eius, & decorem requiri. Et vt ruſticus cernens malleo percuti aurum, vel argentum, ſtultus eſſet, ſi rogaret artificem ne percuteret, cum eiuſmodi ictibus vas, tùm pulchriùs, tùm capacius efficiatur: ad eum modum vexationibus homo afflictionibusque à Deo tanquam aurifice, in vas honoris perficitur atque expolitur. Ecce igitur in genere fructus tribulationis, quæ, iuxta Tertullianũ eſt ſicut ſcala Iacob, in qua boni aſcendunt, & mali deſcendunt. Magnaque fuit miſericordia, vt Irenæus & Auguſtinus docent, ſententia mortis in Adam lata, & eiectio eius de paradiſo, poſito fomite, & concupiſcentia in homine. Videmus enim proſperam valetudinem, & diuitias homini nocere: quid ergo feciſſet paradiſus, deliciis atque commoditatibus plenus? *In labore*, inquit Dauid, *hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos ſuperbia.* Dei etiam potentia, & Angelorum charitas, & hominis virtus, & dæmonis confuſio, magis ſe exerunt atq; ſplendent in hac ſpinarum via, & tribulationum. Perſecutio autem quæ ab homine infertur, idem, ſed perfectius efficit quod tribulatio: quippe difficilius illam ferimus, & ob id magis caro reprimitur: & Spiritus magis Deo ſubjicitur. Habet enim perſecutio ab homine inflicta, peculiarem difficultatem, vt fortiter feratur. Primò in extenſione: nam tot bella, ſtrages, homicidia, plagæ, furta, rapinæ, adulteria, inceſtus, iurgia, atque odij ſymbola ab hominibus in homines quotidie fiunt, qui omnibus creaturis ad vindictam abutuntur, vt belluis, ferro, igne, aqua, veneno, ad alterius perniciem accommodatis; vt ferè ſine numero ſint; quemadmodum Peripateticus quidam curioſè enarrat, teſte Cicerone. Deinde dolorem lenit, ſi intelligamus nos à Deo, vel Angelo per ſe, vel à rebus naturalibus, vel à dæmonibus affligi & vexari. Scimus namque Deum eſſe nobis patrem chariſſimum & amicum, Angelos conſeruos & cuſtodes, naturalia verò, & ratione carentia, haud ſponte nocere; dæmones autem capitales hoſtes exiſtere, nec cernimus illos mala inferentes, quoniam ſub aſpectum non cadunt noſtrum: cumque obſtinati ſint, magnaq; poteſtate præditi, apertiùs videmus, illos nihil, niſi permiſſos, contra nos machinari; quemadmodum nec in Iob, nec in porcos, niſi obtenta à Domino licentia, quicquam valuerunt: nam alioqui ſi liberi eſſent, omnia deuaſtarent depopularenturq;. Ab homine autem libero, quem oculis cernimus, qui deberet prodeſſe, cùm naturaliter ſit amicus & ſocialis, & eiuſdem ſpeciei difficilius ex parte eius patimur; ex parte Dei verò ægriùs quieſcimus in eo, quòd ſinat illum contra nos inſurgere: quippe iniuſta videtur eiuſmodi permiſſio. Vnde Propheta: *Iuſtus quidem tu es, Domine, ſi diſputem tecum: veruntamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt?* & Dauid. *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Sed conſideranda ſunt, vt ibidem ſubdit, nouiſſima eorum, quem exitum videlicet, & quàm tragicum, ſortiatur eorum proſperitas: rurſus conſideranda nouiſſima iuſtorum, & quanta in felicitate & pace terminetur eorũ perſecutio. Hinc Gregor. Nyſſe. in hanc beatitudinem ſcribens, ait: *Quemadmodum igitur ſi quis futuri ſtatus præditus, Ioſepho prædixiſſet, Inſidiis petitus beatus eris, prima fronte credibilia dicere audientis, & ad id, quod in præſentia acerbum eſt, reſpicienti non videretur (non enim fieri poſſe putaret, vt mali propoſiti bonus deſignaretur euentus) ita nimirum etiam hic cùm perſecutio, qua fideles à tyrannis agitantur, multum iuxta ſenſum acerbitatis habeat; efficit, vt ab iis, qui carni paulò magis obnoxij ſunt, ea, quæ per res aſperas & acerbas ipſis propoſita eſt, regni ſpes haud facilè admittatur atque probetur. Sed Dominus naturæ vitio deſpecto, prædicit infirmioribus, qualis laborioſi certaminis euentus ſit, vt ſpe regni temporalium rerum aduerſum ſenſum facilè deuincant.* Sic ille. Ad hæc, expedit non ignorare, tam præmeditatam, & paratam eſſe à Deo perſecutionem, quã à proximo vel cogitatione, vel lingua, vel facto recipis; quam ſit bonorum ac beneficiorũ, quæ ab eo recepiſti, elargitio, quodque integra prouidentia diuina, & nequaquam aliqua eius pars (cùm infinita ſit, nec partes habeat) ita circa te totum verſatur, ac ſi nihil aliud curaret. Debes ergo non tantùm Dei prouidentiam agnoſcere in euentis omnibus, ſed etiam ab hominibus illatas iniurias, quaſi miniſtris Dei, fortiter tolerare: neque tantùm inter bonos, ſed etiam inter improbos virtutum officia cuſtodire. Hinc Bernard. epiſtol. 25. ad Hugonem, Rothomagenſem Archiepiſcopum, ſcribit:

Geneſ. 28.
Tertull. li. de fuga in perſecut. initio.
Tribulatio cui ſimilis ſcalæ Iacob.
Iren. lib. 3. cap. 37.
Auguſt. in tract. de nouo cantico, ca. 8. tom. 9.
& Pſal. 72.
In tribulatione quænam virtutes eluceant.
Prima ratio, perſecutio quàm tribulatio cur magis ſit efficax.
M. Tull.
II. Ratio. Tantum poteſt in nos dæmõ, quantum permittitur.
Iob. 1 & 2. Matth. 8.
Ierem. 12.
Pſalm. 72.
Perſecutionẽ patiẽtes duo vehementer conſolari poſſunt.
Greg. Nyſſen.
III. Ratio. cur inquam tribulatione ſit grauior perſecutio.
Proprium Diuinæ prouidentiæ.
B. Bernard.

Et

Et quidem inter bonos bonum eſſe, ſalutem habet; inter malos verò & laudem. Illud tanta facilitatis eſt, quanta & ſecuritatis; hoc tanta virtutis, quanta & difficultatis. Quale nempe eſt illud, tangere picem, & non inquinari ex ea, in igne ſine læſione verſari, & in tenebris abſq; caligine? Palpabant quondam tenebras Aegyptij cùm tamen de populo Dei Scriptura dicat: vbicunque Iſrael erat, lux erat. Et infra: *Quà tanta gloria quàm dicere poſſe; Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus? Eſto ergo patiẽs, quia es cum malis: eſto pacificus, quia praes malis.* Hęc Bernardus. Qui verò ita perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, beati ſunt; quoniam ipſorum hic eſt regnum cœlorum, id eſt, Deus regnat in illis: nam fomes regnum impedieos, peculiariter reprimitur à ſimili alterius fomite alterius carnem vorante ac publicè deſpiciente, vt Nemrod robuſtus venator coram Domino, vel in inſidiis, nempe aſtutus venator, qui occultè opprimit alios defraudando. Humiliant autem iuſti ſe ipſos Deo per homines punienti: & in teſtimonium ſummæ veritatis, ad proximi vtilitatem & ſalutem, non tantùm ore, ſed & ſanguine, quod altiſſimum eſt, confitentur. Et cùm interfecti ſunt, victores ipſimet interficientium fiunt: cùm contrà, in mundo victores ſint interfectores. Ex quo Ignatius ait: *Magni athletæ eſt ferire, & vincere, Dei autem nomine ſuſtinere oportet omnia.* Et vt Tertullianus teſtatur: *Animus inuictus eſt: & corpus cùm cadit, finem ſuum aſſequitur*, nempe honorem Dei, animæq; ſalutem; & meritum ad glorioſam reſurrectionem. Quemadmodum autem ſtrenui milites, dum fortiter pugnant, victoriam, & honorem illam conſequentem, communiſque boni defenſionem, atq; pretioſam obtinent prædam: pari ratione iſti victoriam, ob inuictum animum, quem pœnæ, ſuppliciaq; non flectunt, conſequuntur; & propterea tum in cœlo, tùm in terra, ſanguinis ſui profuſione pro veritate Chriſti, immortalem gloriam comparant ſibi: nam ore facilè eſt confiteri. Habent præterea prædam vitæ, atq; gloriæ: namque in cœlo plenum erit gaudium, poſitis ſub pedibus inimicis, quando aliàs pro nihilo corpus interiturum erat: ideò per dura & aſpera aſſueſcamus ad agonẽ & certamen, vt hortatur Tertullianus. Ipſorum eſt igitur regnum cęlorum, ſcilicet futurũ, vt ibi agat, & dominetur, nec vltra ab hoſtibus iã peſſundatis patiatur. Deinde ipſorum eſt regnum cęlorum, ſiquidem paupertate emitur regnum: ſed in tolerantia afflictionum pro Chriſto, ſublata omni mora, poſſeſſio eius percipitur. Item, quia pro eis erit in futuro iudicio iuſtitia, vt nihil fiet contra eam, quemadmodum ipſi modò pro iuſtitia tuenda certarunt. Hinc Eccleſ. 4. dicitur; *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Ad hæc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: nulli autem magis vim illi regno inferunt, quàm qui veterem hominem expugnant, illique vim faciunt. Inſuper quia tales pretium habent regni: hinc Auguſtinus quodam loco pulchrè ait: *Venale habeo. Quid Domine? Regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Ampliùs, quòd tales vim ſibi ipſis faciẽtes ſocij ſunt Chriſti in tribulatione, in pane doloris, & aqua tribulationis: hinc ſocij erimus in feſto gloriæ, & in beata menſa. *Nam ſi compatimur; & conglorificabimur: & ſi ſocij ſumus paßionum, ſimul & conſolationum erimus.* Poſtremò, Martyrum peculiariter eſt regnum, quandoquidẽ plus guſtabunt Deum, pro quo plus laborarunt & paſſi ſunt; quẽadmodũ lepus labore proprio captus magis ſapit, quàm qui pretio emptus eſt. Ita Martyres, qui venerunt ex tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni, quo in menſa cœleſti perpetuò ederent cum Chriſto Domino, cui cum Patre & Spiritu ſancto, eſt par honos, maieſtas & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Eccleſ. 13.
Exod. 10.
Ibidem.
Pſal. 119.
Perſecutionẽ patiẽtes propter iuſtitiã, cur beati.
I. Ratio.
Geneſ. 10.
B. Ignat. epi. ad ... ſub init.
Magni athletæ proprium quid, & animi inuicti.
Tertull. li. de Reſurr. carnis à medio.
Idem lib. de Fuga in perſecutione, & alibi.
II. Ratio.
III. Ratio.
Eccleſ. 4.
IV. Ratio.
Matth. 11.
B. Aug. 10. 8. in Pſal. 93. verſ. Qui fingis laborem.
V. Ratio.
Rom. 8.
2. Tim. 2.
VI. & poſtrema.
Apoc. 7.
Luc. 22.

TRACTATVS XXVI.

In illa verba: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me:* & reliq.

TVBA Spiritus ſancti Apoſtolus Paulus ad Rom. ſcribens, dicebat. *Scimus; lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato.* Si ergo hinc conſideremus legis perfectionem, & puritatẽ Euangelicæ: Inde verò imperfectas & imbecilles vires noſtras, ſiue pronitatem ad ea quæ carnis ſunt, lex profectò Chriſti impoſſibilis nobis videri poterit. Sed hæc impotentia, partim quidẽ vigore gratiæ Dei mitigatur, nam *Omnia ſunt poßibilia credenti*; & Apoſtolus, *Omnia poſſum in eo qui me confortat*, Vt namque ferrum candens manum apprehendentis comburit, ſecus ſi forcipe manus vtatur; ad eum modum tribulatio naturam vincit, verum à natura

Rom. 7.
Lex Chriſti vnde nobis ad ſeruãdum difficillima: eadẽ vnde facillima meritò videatur.
Marc. 9.
Philip. vlt.

gratia

Tantæ veri tatis efficaciſſima Martyrum exempla.

gratia Dei nouata facilè vincitur, partim verò Martyrum exemplis, Apoſtolorum, Confeſſorumque lenitur, qui pro veritate Chriſti tuenda atq; propugnãda tanta perpeſſi ſunt. Nam Petrus & Andreas, exemplo nos ſuo docuerunt, crucem nihil poſſe in Chriſti cultores, qui Spiritu Dei muniti ſint: Paulus verò ac Iacobus, Ioannis frater, gladium nihil valere; at Iacobus Iuſtus, præcipitium minimè eſſe formidabile; Bartholomæus porrò ſæuam illam ac truculentam pellis detractionem, cõſtantem fidei confeſſionem non poſſe euertere: cæterum B. Stephanus, Ignatius, atque Laurentius, contemnenda eſſe docuerunt exemplo ſuo, immania tormenta quæcunque, quæ vèl à lapidatoribus, vel à beſtiis, vel ab igne Chriſtum colentibus impendent. Vnde Dominus dixit: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint*, &cęt. Pauca in genere dicenda ſunt de his beatitudinibus; & an his verbis conſtituatur noua beatitudo. Deinde verba hæc diligenter ſunt expendenda, in eiſque delitеſcentes theſauri aperiendi.

Actor. 12.

Supra 7.

Philoſophorum inter & Chriſti doctrinã diſcriminis ratio quænam ſit.

Sapientiſſimè igitur initio legis Euangelicæ ferendæ, Chriſtus finem, ad quem tandem contendimus, aſſequendum in patria, propoſuit: atque eas virtutes addidit, quibus mediis adipiſcimur ipſum finẽ. Nã finis in operatione, habet rationem principij: ex eo enim agendi ratio deſumitur. Et hinc accipitur diſcrimẽ doctrinæ Chriſti, & Philoſophorum. Illi enim felicitatẽ huius vitæ in ſe ipſa inueſtigarunt: at Saluator illam non niſi ad æternæ vitæ gaudium referendo, cõſtituit. Hinc eſt, quod ait, Beati primò: & poſtea, Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: ponit enim hic beatitudinem, non ſimpliciter, ſed vt meritum proximè pariens ęternã felicitatem. Quòd autem tot diſtinxerit beatitudines, nõ vnam tantum, ſine ratione factũ non eſt. Nempe quòd in domo Patris cœleſtis manſiones multæ ſunt, ad quas variæ ducunt virtutes, vt ſemitæ. Factum eſt etiã, vt felicitas Euangelica diſtinguatur in hac vita ab ea, quã Philoſophi ſtatuerunt, apud quos vna excludebat aliã, ſiquidem Stoicis tãtum erat beatus, qui præditus erat virtute; Peripateticis, qui ad contemplationem ſummarum cauſſarum perueniebant; aliis, beatus erat indolẽs; aliis verò qui voluptatibus & deliciis affluebat: at Chriſtus ita docet beatũ eſſe pauperem ſpiritu, vt non excludat mitem, vel miſericordem: neq; miſericordẽ ſic, vt excludat mundum corde, vel pacificum, & ita de reliquis. Sunt autẽ octo beatitudines tantum, vt ex Patrum ſententia à

Quare Chriſtus tot beatitudines aſſignauerit.

principio ſtatuimus: Patres verò qui tantũ dixerunt ſeptem, vt Aug. ac Bern. benignè ſunt interpretãdi. Etenim beatitudines in agendo poſitas, quæq; in noſtra ſunt poteſtate, conſiderarunt: at vltima minimè eſt in poteſtate noſtra, niſi perſecutionibus poſitis. Tamen reuera octo ſunt, vt probauimus, & de ſingulis Dominus dixit in plurali numero, & non in ſingulari, beatos; vt in qualibet beatitudine multitudo hominum infinita comprehenderetur, ſi vellẽt ſecundum illam eſſe beati. ¶ Nouum autem eſt, & ſine ratione dictũ à quodam, his poſtremis verbis addi nonam beatitudinem: tùm quia Patres nõ plures nouerunt quam octo: quibus etiam interpretandis librum vnũ tribuit Greg. Nyſſ. tum quia octonarij tolleretur Sacramẽtum numeri, quo triũphus Chriſti de diabolo, atque ingreſſus in æternum felicitatem ſignatur & veræ Circumciſionis myſterium, vt Hier. annotauit. Ambroſ. quoq; quoſdam Pſalmos inſcribi pro octaua docuit, quos ad Chriſti reſurrectionem atque ad has beatitudines accommodat. Et Petrus deſcribens, quibus rebus miniſtrabitur nobis introitus in æternum Chriſti regnũ, octo enumerat virtutes: *Miniſtrate*, inquit, *in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.* Et ſubdit: *Sic enim abũdanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum*, &c. Quę octo virtutes ferè per omnia reſpondent his octo beatitudinibus.

Qui Patres tantũ ſeptẽ beatitudines poſuere, quare id fecerint.

Caietani de nonem beatitudinibus opinio confutatur.

Octonarij numeri Sacramentum quod ſit.

Hieron. in Matt. tom. 9.

Amb. lib. 5. in Luc. cap. 14. tom. 4.

2. Pet. 1.

Quibus virtutibus octo miniſtrandũ nobis introitum in æternum Chriſti regnum doceat Petrus.

Neque obſtat, in ſecunda perſona hæc verba fuiſſe ad Apoſtolos dicta, ad hoc vt nouam ac nonam beatitudinem cõſtituat: quippe hæc ratio probaret, quatuor beatitudines à Luca cap. 6. deſcriptas, pronuntiatas à Domino in ſecunda perſona, diſtinctas eſſe ab iſtis. Dixit enim: *Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnũ Dei. Beati qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini:* & quæ ſequuntur. Sed vt iſtæ quæ habentur apud Lucã, quia cõueniunt in argumento cũ illis Matthæi, ab illis diuerſæ non ſunt, ita nec hæc noua ab octaua quouis modo diuelli debet, cum vtraq; de perſecutione ſuſtinenda loquatur: & in fine tolerandi perſecutiones conueniant. Nam idem eſt pati perſecutiones propter Iuſtitiã, & pati propter Chriſtum, vt in his poſtremis verbis edocemur. Eſt enim Chriſtus, vt ait Paulus, factus nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redẽptio. Neq; propria eſt Noui Teſtamenti beatitudo patiendi propter Chriſtum, vt ſentit Caietanus, qui idcircò nonam con-

Caietani in contrariũ de Chriſto Apoſtolos alloquente, obiectio diluitur.

Pati propter Iuſtitiam, & pati propter Chriſtum, non eſſe diuerſum.

1. Cor. 1.

ſtituit,

Pati propter Chriſtũ. Veteris etiam Iuſtis proprium Teſtamenti, non Noui tantũmodò probatur.
Actor. 7.
Hebr. 11.
Exod. 2.

ſtituit, & ſeparat octaua. Nam etiam ante Chriſti aduentum multa ſimilia paſſi ſunt Prophetæ, vt Prophetæ ſunt prænuntiantes nempe de aduentu Iuſti. Vnde Stephanus ait, *Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? & occiderunt eos qui prænuntiabant de aduẽtu Iuſti, cuius vos nũc proditores & homicidæ fuiſtis.* Et Moſes à Paulo ad Hebr. prędicatur improperium Chriſti portaſſe, quod reſpiceret ad remuneratioñẽ. Chriſtus item expreſſe idem tradit hoc loco: *Sic enim,* inquit, *perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos,* Expende verbum, *Sic,* nempe propter eandem cauſam, ſiue propter eundem Chriſtum. Atq; ita non eſt noua beatitudo, ſed repetitio octauę non ſine cauſa facta, vt mox dicemus. Illud grauius eſt, quòd cum à Matthæo enumerentur beatitudines octo à Luca tãtum ponuntur quatuor. Sed hoc egregiè ſoluitur ab Ambr. in Lucam. *Quatuor,* inquit, *tantùm beatitudines Sanctus Lucas Dominicas poſuit, octo verò ſanctus Mattheus: ſed in iſtis octo illæ quatuor ſunt, & in quatuor iſtis illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus eſt Cardinales, ille in illis octo myſticum numerum reſerauit. Pro octaua enim multi ſcribuntur Pſalmi, & mandatum accipis octo illis partem dare fortaſſe beatitudinibus. Sicut enim ſpei noſtræ octaua perfectio eſt, ita octaua ſumma virtutum eſt.* Et infra, *Nunc dicamus quemadmodum in quatuor benedictionibus S. Lucas benedictiones octo ſit complexus. Et quidẽ ſcimus virtutes eſſe quatuor Cardinales, Temperantiam, Iuſtitiam, Prudentiam, Fortitudinem. Qui pauper eſt ſpiritu, auarus non eſt. Qui flet, non ſuperbit; ſed mitis eſt & pacatus. Qui luget, humiliatur. Qui iuſtus eſt, nõ negat quòd omnibus ſit ad vſum communiter datum. Qui miſeretur, largitur de ſuo. Qui ſuum donat, non quærit alienum, nec dolum proximo ſuo ſtruit. Connexæ igitur ſibi ſunt, concatenatæq; virtutes, vt qui vnam habet, plures habere videatur: & Sanctis vna competit virtus: ſed eius quæ fuerit vberior, vberius eſt præmium. Quanta hoſpitalitas in Abraham, quanta humilitas, quanta ſanctitas, vt fratris filium ab hoſte ſeruaret? & quanta abſtinentia, vt nihil de præda quæreret? Sed quia fide præſtitit, fidei præ ceteris meruit principatum. Ergo vnicuiq; plura præmia, quia plura incentiua virtutũ. Sed quod in aliquo merito copioſius; hoc etiam in præmio redundantius. Beati igitur pauperes ſpiritu. Habes temperãtiam, quæ à peccato abſtinet, ſeculum calcat, illecebroſa nõ quærit. Beati qui eſuriũt, & ſitiunt. Qui enim eſurit, eſurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo ſit iuſtus: quia iuſtitia eius manet in æternum. Vnde & in Matthæo famem, & ſitim intelligimus ſpiritalem, qua cibus iuſtitiæ deſideratur, aut potus: quæ virtus quaſi materia quædam virtutum eſt, vt iuſtus æqualem ſe inferioribus præſtet, dolum excludat, veritatem requirat. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Habes prudẽtiam, cuius eſt flere occidua, & ea quæ æterna ſunt quærere, lugere ſecularia, quæ ſecum ipſa pugnẽt Deum pacis inquirere, qui ſtulta mundi elegit, vt confundat ſapientes: & qui ea quæ non ſunt, deſtruat, vt quæ ſunt, non poſſit adipiſci. Beati eritis, cùm vos oderint homines. Habetis fortitudinem, ſed eam quæ odium non mereatur ex crimine, ſed perſecutionem patiatur ex fide.* Hucuſque Ambroſius. Et cùm hactenus præmiis excitauerit ad beatitudinem, conſequenter eos deterret à peccatis per quatuor comminationes, maledictionesve oppoſitas prioribus beatitudinibus: quæ tamen à mundo benedictiones, & ſtatus felices iudicantur. Omnes enim in paupertate, eſurie, luctu, & hominum vituperio ſitam cenſent eſſe ſummam miſeriam; quarum prima eſt; *Veruntamen væ vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram.* Diuites hic vocat illos, qui diuitiis ad proprias voluptates abutuntur, oblectantes ſe in earum poſſeſſione, & honoribus, atque deliciis, quas opibus ſibi parant. Quod colligitur ex eo quod ſubiungit, *Qui habetis,* vel, vt Græca vox ſignificat, *Accipitis hic conſolationem veſtram:* quod non vt determinatio diuitum eſt poſitum, quibus Dominus væ interminatur, ſed vt cauſa condemnationis. Quia enim Græcè dicitur, non, qui, ὅτι videlicet, quæ adiungitur etiam duabus conſequentibus ſententiis. Hæc ſententia verbo Abrahæ confirmatur, qui Epuloni dixit, *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua.* Et de alio diuite, qui in opibus ſuis ac conſolationibus felicitatem conſtituebat, dicitur in alia parabola à Domino, illum ad ſe dixiſſe; *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, epulare.* Dixit autem illi Deus, *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem paraſti, cuius erunt?* Secunda comminatio eſt: *Væ vobis qui ſaturati eſtis: quia eſurietis.* Væ autem, vt teſtatur Chryſoſtomus, in Scripturis interminationem mortis, & ignis gehennæ habet; aliquando verò prædictionem imminentis mali, vt ſæpe in Veteri Inſtrumento, & in Nouo; *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Quia ergo diuitias ſequitur ventris ſaturitas, & omnium cupiditatum expletio, *Væ vobis qui ſaturati eſtis,* veritatem huius ſecundæ comminationis docet diues Epulo, qui in inferno poſitus, ne aquæ quidem guttam ad leniendum linguæ inflammatæ ardorẽ ac dolorem valuit obtinere. De his ait Dominus per Eſaiam: *Ecce ſerui*

Cur Matth. octo beatitudines, Lucas quatuor tãtùm commemoret.
B. Amb. li. 5. in Luc. c. 14. inìt tom. 5.

Octo in quatuor beatitudinibus quomodo includantur, ſecũdùm Ambroſium.

Geneſ. 14.
Ibidem.
Laus Abrahæ.

Temperãtiæ munus atq; iuſtitiæ.

Pſalm. 110. & Pſal. 111.

Propriũ Tẽperantiæ, ac Fortitudinis.
1. Cor. 1.

Væ quibus erit diuitibus hic ſuam cõſolationem habentibus.

Luc. 16.

Supra 12.

Væ in Scripturis quid ſignificet.
Chryſ. hom. 15 in Matth. tom. 2.

Matth. 24.

Quanta eſuries illius Saturis Epulonis.
Luc. 16.

Eſai. 65.

mei

mei comedent, & vos eſurietis, Ecce, ſerui mei bibent, & vos ſitietis: Ecce, ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: & reliqua. Tertia in-

Quænunc ridentes lugebunt.

terminatio eſt: *Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.* Vbi riſum immoderatum & ex his quæ Deum, vel proximum lædunt, vel obſcœna, & turpia in ſe ſunt, eos reprehendit: cùm locus hic & tempus flendi ſit. Luctus ad animum, fletus verò ad corpus ſpectat: quanquam hæc ſæpius inter ſe confundantur. Quarta eſt: *Væ cùm benedixerint vobis omnes homines*, Quia diui-

Luctus & fletus inter ſe quid differant.

tes, & deliciis affluentes ab omnibus laudari, & prædicari ſolent, rectè dixit; Væ, cùm benedixerint vobis omnes homines: per homines intelligens mundanos & adulatores, à quibus laudari conſueuerunt, qui falſa ſpecie felicitatis clari ſunt in hoc mũdo. Nam lingua adulatoris pluſquàm gladius nocet; & ita peccatum vt oleum lampadem nutrit. Vnde Eſaias dicebat; *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Subdit Dominus: *Secundùm hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.* Nimirum parentes Iudæorum ſecundum carnem olim ſanctorum Prophetarum verba reſpuebant, & falſis Prophetis applaudebant: de quibus Eſai. 30. *Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aſpicientibus, Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Et hactenus de verbis Lucæ dictum ſit. Sed iam redeat oratio noſtra ad verba Matthæi expendenda.

Lingua adulatoris quantum noceat.

Eſai. 3.

Infra 30.

Patiẽtes propter iuſtitiā Chriſtus cur denuo beatos fore pronuntiet.

Actor. 14.

2. Tim. 3.

Igitur, inquit, *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines.* Repetitur octaua beatitudo. Tùm quia ſummè neceſſaria eſt in nouo Teſtamento omnibus qui ad Crucem vocati ſunt. Nam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei & omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur: ſecus erat in veteri Teſtamento, vbi temporaria commoda, & præmia promittebantur iuſtis ex vi legis: quanquam perfectiſſimi viri, & veluti aliorum columnæ, vt Prophetæ, cunctorum calumniis, & perſecutionibus eſſent expoſiti. Deinde repetitur, vt magis in ſpecie explicentur iniuriæ, tùm internæ, nimirum odij; tùm externæ, verborum atque factorum. Ad hæc

II. Ratio.

vt finis ipſe explicatiùs tradatur: quod enim ſuperiùs dixerat, propter iuſtitiam, hic declarans, ait, Mentientes propter me.

III. Ratio.

Theophyl.

Tertiò, cùm ad hanc octauam beatitudinem difficiliùs inducantur homines, idcirco vt Theophylactus docet, vt eam magis imprimeret, etſi vltimo loco pronuntiata eſſet: ſicut poſtremo opere vitæ ſuæ Chriſtus patientiæ ſuæ nobis præbuit exemplum eam repetiuit. Quartò, vt ma-

IV. Ratio.

gnum eam præmium manere declararet: ait namque, *Gaudete, & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cælis.* In ſecunda autem perſona loquitur Dominus, vt hanc beatitudinem de perſecutionibus tolerandis ad ipſos Apoſtolos maximè pertinere doceat, & ab ipſis inprimis in praxim deducendam. Nec enim ſat eſt ſcire, beatos eſſe qui patiuntur propter iuſtitiam, ſed tu beatus, ſi pateris: quid enim iuuat ſcire, & non facere, niſi ad hoc vt vapules plagis multis? Hinc Dominus apud Ioann. poſtquam dixit; *Non eſt ſeruus maior domino ſuo, neq; Apoſtolus maior eo qui miſit illum*, ſubdit: *Si hæc ſcitis; beati eritis, ſi feceritis ea.* Poſtremò, vt prædiceret tanquam Propheta Apoſtolis, quanta eſſent pro Chriſto toleraturi, atque ita illos præmoneret, ac præmuniret: quia iacula præuiſa minùs feriunt. Simul etiam ſecundùm Euthymium, oſtendit doctorum eſſe, ac magiſtrorum perſecutionem pati propter verbum Dei.

Luc. 12.

Ioan. 13.

V. Ratio. cur videlicet patiẽtes beati iterũ prædicentur.

Euth. cap. 5. in Matth.

Quod verò Matthæus dicit, *Eſtis*, in Luca de Futuro legitur, *Eritis*: nihil refert, quia omnino eadem eſt vox Græca ἐστὶ, & propterea eodem modo vertenda, cùm ſit vel Indicandi modi, vel Imperandi. *Cùm maledixerint vobis homines.* Antiqua tranſlatio habebat *Oderint*, & Lucas cap. 6. eandem recitans beatitudinem, habet, *Oderint*: & odium radix eſt omnis iniuriæ, & perſecutionis; & conſonat aliis Chriſti dictis alibi, vt cùm inquit: *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Ideò magis quadraret lectio, *Oderint*, quam *Maledixerint*; vt triplex iniuria ſignificetur; Cordis, Oris, & Operis; Cum Corde oderint, Verbis exprobrauerint; Factis perſecuti fuerint. Nam alioqui bis diceretur de iniuria oris, de corde nihil. Sed quoniam Græci codices conſtanter habent ὀνειδίσωσι, quod eſt, iniuria afficient, ſiue maledicent; & verbum Oderint, poſſet ſuppleri ex Luca, cùm eandem Chriſti enarrat ſententiam; dici poteſt, Dominum ſemel de perſecutione in facto locutum, de verborum verò iniuriis bis. Quippe bonus Chriſtianus pati debet iniurias, teſte Auguſtin. quæ tùm in facie, & maledictiones vocantur, tùm in abſentia fiunt, quæ detractiones, & murmurationes appellantur à Domino in illis verbis: *Et dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me.* Deinde verborum conuitia, quibus Chriſtum petebant Iudæi atq; Pagani, plus affligebant martyres atque cruciabant, quàm perſecutiones corporis: nam has ſilẽtio amplectebantur,

Hæc lectio: Cũ oderint, alter. Cũ maledixerint vobis homines cur præſtet.

Luc. 21.

Alter textus habẽs: Cùm maledixerint, &c. cur potiùs retinendus.

Aug lib. 1. de ſerm. Dom in Monte. c. 9 à medio, to. 4. circa finem.

II. Ratio.

Tertia.

bantur, at illas omninò diſſimulare non poterant. Ad hæc verborum contumeliæ magis durant,nam ad Conſtantinum vſq;, cacodæmones, Cæſares, & mundus totus perſecuti ſunt Chriſtianos, trucidando eos,& factis opprimendo: ab eo verò tempore manſerunt, ac manent etiam nunc maledicta, & contumeliæ, quæ ore fiunt.

August. Eccleſia cur ante Cōſtantinum perfectior quam poſt illum fuit,teſte Auguſtino.

Ita Auguſt. aiebat, Chriſtianos ante Conſtantinum, perfectos atq; ſynceros fuiſſe. Nam qui Chriſti amplectebantur fidem, opprobriis & iniuriis ſe exponebant, imò bonorum ſuorum expoliationi, odio parentum,& filiorum,& denique mortis periculo: nam tunc intrabant per anguſtam portam.

Matth. 7.

Vbi verò Conſtantinus ſalutari baptiſmatis aqua intinctus eſt,& fidem Euangelicam profeſſus, ab eo tempore Chriſtus in honore haberi cœpit: & ita omnes ablata tribulatione, per latam portam ingreſſi ſunt ad profitendam Chriſti fidem, & ſic imperfecti, ac imbecilles Chriſtiani redditi ſunt, & ob id tāquam infirmis, minores tentationes, perſecutionesque diuina prouidentia adhibitæ, iuxta id Apocal.

Apoc. 3. Illud Apocalypſis: Oſtiū apertum nemo poteſt claudere, qa modicam habes virtutem quomodo accipiēdum.

Ecce dedi coram te oſtium apertum (ſcilicet vt euadas tribulationes) *quod nemo poteſt claudere, quia modicam habes virtutem.* Vbi Græcè non ἀρετὴν, ſed δύναμιν habetur, vt intelligas non poſſe referri ad virtutem humilitatis, vt quidam interpretantur, ſed ad vires, poteſtatemve. Eſtq; ſenſus; Propterea tibi oſtium euadendi tribulationes dedi: quia imbecillus es, & infirmus. Et confirmatur hic ſenſus verbis Apoſtoli, dicentis:

1. Cor. 10.

Qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Tentationes igitur, quæ poſt Conſtantinum manent, vt plurimum, verborum iniuriæ ſunt, ad quas nos ſæpè odio, & lingua, & manibus vindicandas impatientes, quaſi diſcipuli dæmonis, & non Chriſti ſaltamus.

Homines maledici hoc loco qui: quomodo belluæ, & etiam filij diaboli fiant.

Homines hoc loco appellat Dominus eos, qui lumine Dei, & gratia eius deſtituuntur: qui quia laſciuiæ & carnis voluptatibus incumbunt, à belluis non differunt. Si autem ambitioſè ad honores, & dignitates, aut ad vindictas, & homicidia attendant, diaboli quidam filij efficiuntur. Ideò bonum eſt talibus diſplicere.

Ioan. 15.

Nam ſi de mundo fuiſſetis, Dominus inquit, *mundus quod ſuum erat, diligeret.*

Et perſecuti vos fuerint. Non tantùm verbis, ſed etiā factis vos affligēdo, & in mortem machinādo veſtram.

Qua ratione Valentiniani mortem pro veritate fidei detrectarēt.

Sed Valentiniani mortem pro veritate fidei detrectabāt: & cùm verbis negarent, ſophiſticè dicebant, mortem eſſe donum Dei, non omnibus datum, & ſatis eſſe, vel hic corde, vel in alia vita confiteri. Lucas cap. 6. explicat hanc perſecutionem verbo: *Cùm ſeparauerint vos*, inquit, id eſt, tanquam excommunicatos, & vt leproſos à Synagogis eiecerint ſuis, vel tractauerint vos velut anathemata, id eſt, homines ſceleſtos, ac impuros, quibus ſublatis, placari putabant deos ſuos. Sequitur in Luca: *Et eiecerint nomen veſtrum tanquam malum.* Id eſt, memoriam nominis veſtri denigrauerint, & poſteris abominabilem, & infamem reddiderint, vocando vos magos, ſuperſtitioſos, infanticidas, Galilæos, aſinarios, &c. *Et dixerint omne malum aduerſum vos.* Græcè explicatiùs dicitur, Omne malum verbum, id eſt, rem ſeu crimen.

Homines ad gloriā: quàm ad voluptates cur ſint propēſiores.

Quia enim ſpiritus, altior pars hominis eſt, ideo inclinatio eius ad gloriam & honorem fortior eſt, quàm pronitas ſenſus ad laſciua carnis obiecta, quia obiectum ſpirituale eſt fortiùs, ac vehementiùs allicit: ideò non nihil eſt mala verba pati propter Deum. Et ſicut Deo ſacrificium fit, priuando nos propter eum obiectis ſenſus; ita maius eſt, & excellentius bono nomine, & honore propter ipſum deſtitui. Vt autem beatitudinis huius ſimus participes, doctore Euthymio, haud ſatis eſt malis verbis impeti, & opprobriis affici, ſed opus eſt, vt quæ dicuntur, mendacia exiſtant, & propter Chriſtum ea dicantur.

Euthym. vbi ſuprà productius ſuit.

Chriſtiani veteres quot, & quanta ab ethnicis maledicta, & contumelias protulerint.

Hinc eccleſiæ primitiuæ mille mēdacia per calumniam Chriſti cauſſa Pagani obiectarunt, vt infanticidium, eſum humani ſanguinis, inceſtus promiſcuos, peculiaria conuenticula, crimen læſæ Maieſtatis deorum, hoſtes Cæſaris, Magos, vrbis incenſores, Aſinarios, Sarmentitios, Creſtianos, ſeductores vocabant, cauſſamque omnium cladium vrbis, & Imperij, & multa ſimilia ſuperiùs enarrata.

Quàm meritæ & iuſtæ hæreticorum quibus à Catholicis afficiuntur iniuriæ.

Quòd verò interdum ſancti hæreticis detrahant, illorumq; crimina, & impudicam vitam in vulgus efferant, ſapienter factum eſt aliquando, & nunc etiam fit, quia bonæ famæ iniqui ſunt poſſeſſores, ne illa in aliorum perniciem abutantur, neque in illis vllum eſt mendacium. Hinc Cyprian. Nouati hæretici crimina detegit, Auguſtinus peculiari volumine impuriſſimos Manichæorum more inſectatur, B. Bernard. Petri Abailardi vitam traducit, Ioannes Cocleus in libro de actis, & geſtis Lutheri, egregiè nobis tanquam in ſpeculo, vitam eius omni arrogantia, impudentia, atque obſcœnitate refertam, repræſentat.

Aug. tom. 6.

Bernard.

Quare Chriſtus diſcipulos ſtultos, & tardos, Galatas Paulus inſenſatos vocauerint.

Quòd verò Chriſtus diſcipulos in Emmaus proficiſcentes, ſtultos, & tardos corde increpet, & Paulus inſenſatos Galatas vocet, & ſimilia à parentibus in liberos, vel

Luc. 24. *Galat. 3.*

à magiſtris in diſcipulos, vel à dæmonis in ſeruos correctionis gratia ex charitate dicantur: ad has iniurias, & probra, de quibus hic eſt ſermo, minimè, id eſt, referendum: conſtat enim meliora eſſe vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis: nam plerunq; his ſanctis iniurioſis excitati homines, à peccato reuocantur. Teſtatur Auguſt. in libris confeſſionum, matrem eius B. Monicam, cùm puella eſſet paulò viuacior, & indulgeret vino, & ſemel fuiſſet cū ſamula ad hauriēdum vinum ingreſſa, obieciſſetq; illi ſerua vitium bibendi, vocans eam meribibulam: eo conuitio adeò fuiſſe permotam, & penetratum cor eius, vt nunquam amplius illi vitio ſubiacuerit.

Aug. li. 9. confeſſ. ca. 8. poſt mediū, 10 1.

Piorū actiones, & paſſiones omnes ad Deum tāmmodò referendę ſunt.

Mentientes propter me. Hoc verbum debet ad omnes actiones ſuperiores extendi: vt ſit ſenſus; Beati eſtis cùm vobis maledixerint, mentientes propter me: cùm perſecuti vos fuerint propter me, &c. Quicunque igitur ſanctam, & inculpatam vitam agit, omnia quæcunque operatur, patiturve, refert in Deum: ideò quicunq; pro tuenda vitæ ſanctimonia, ſuſtinet, malediciturve, ille hic beatus prædicatur, ſed præſertim qui pro confeſſione nominis Chriſti, qui pro hac veritate primus occubuit, patitur. Dicebāt enim Iudæi Pilato: *Secundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit:* & Chriſtus ipſe conſtitutus ante Caipham: *Ego ſum*, inquit, *Chriſtus, & amodò videbitis Filium hominis venientem*, & reliqua: pro cuius rei confeſſione dixerunt: *Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus?* Vnde Dominus, protomartyr, & archimartyr, meritò dici poteſt inter adultos. Etenim Ioan. Baptiſta pro illa veritate: *Non licet tibi habere Herodiadem vxorem fratris tui, cecidit*: Prophetę apertè non ſunt pro cōfeſſione Chriſti interfecti: nam Iudæi, vel boni erant, & tales de aduentu Chriſti prænūciato gaudebāt: ac tales cùm ſperarēt quendam Chriſtum, id eſt, Meſſiam ſecūdùm carnem, poteſtate, gloria, diuitiis, ac reliquis bonis temporalibus, atque victoriis florentem, ſuaque Iudæis communicantem, prædicatione Chriſti minimè promouerentur, quare Apoſtolus: *Etſi nouimus ſecundùm Chriſtum carnem*, inquit, *ſed nunc iam non nouimus.*

Ioan. 19. *Matth. 26.* *Matth. 14.*

Prophetas vnde certum ſit pro confeſſione nominis Chriſti non fuiſſe à Iudæis occiſos.

2. Cor. 5. *Actor. 7.*

Verbum Stephani de Iudęis: Occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu Iuſti, quomodo verum ſit.

Quod verò dicitur Actor. 7. ab Stephano, Prophetas omnes, qui prænuntiabant de aduentu Iuſti, interfectos à Iudæis: non ob id aſſerit interfectos quòd prædicarent de aduentu Chriſti; ſed id propterea additum eſt, Prophetas, quales erant, qui prænunciabant de Chriſto, propterea quòd eorum vitia acri oratione inſectarentur, à Iudæis fuiſſe interfectos.

His verbis: Gaudete, & exultate, &c. quid ſignificetur.

Supra 6.

Gaudete, & exultate. Intus gaudete, extra verò ex abundantia ſuperiorum virium exultate: hinc in Stephano reſplenduit facies eius tanquam Angeli: vel ob duplicem ſtolam accipiendam, corporis, & animę. Deinde oſtenditur gratia Spiritus ſancti promiſſa in Nouo Teſtamento, ad tribulationes etiam cum gaudio perferendas extendi. Vnde Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati: B. Andreas Cruce conſpecta, eam fertur ſic allocutus: *Securus*, inquit, *& gaudens venio ad te, ita & me ſuſcipias gaudens, diſcipulum eius qui pependit in te.* B. quoque Laurentius dixit: *Gaudeo ſanè, quia Chriſti hoſtia effici merui.*

Suprà 5.

Deus quàm copioſus remunerator bonorum.

Matth. 10.

Quoniam merces veſtra. Deus, tam liberalis eſt, vt vſq; ad calicem aquę frigidæ, tantùm datum in nomine diſcipuli, ſit remuneraturus, quanto magis iniurias, opprobria, & mortis tormenta, quæ pro eius amore ſuſtinuerunt ſancti. Merces ergo veſtra à vobis quæſita, & deſiderata: neq; ſolùm conſequens eum, qui pro Chriſto patitur, vt veſtis puerum, ſequitur, quemadmodum hoc loco falſo docet Bucerus, ſed quia etiam intuitu operis in Deo facti datur. Vnde ad beatitudinem vocans Dominus iuſtos, ait: *Poſſidete paratum vobis regnum, &c. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare* & Paulus, propter fidem ſeruatam, & curſum cōſummatum, teſtatur ſibi repoſitam eſſe coronam iuſtitiæ. Confusè ait, *Merces veſtra*, non declarans quænam ſit: quod ad immenſitatem præmij ſpectat, quòd nulla nominata menſura exprimi poſſet. *Copioſa eſt in cœlis.* Non in terra, terrenisve bonis: & integra ſeruatur merces, vt ſimus longanimes expectando, iuxta illud: *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Vt autem intelligas, cur copioſa dicatur, attēde, illud eſſe obſeruatum, quo res altior eſt in ſuo genere, eo ſimpliciorem exiſtere, ac in operibus efficaciorem: nam anima bruti ſimplicior eſt anima plātæ, quæ præſtat quicquid illa poteſt, & aliquid ampliùs: quippè vltra vegetationem etiam ſentit. Anima rationalis ſimplicior eſt ſentiente, quoniam ratiocinatur, & ſpiritualia, & æterna percipit. Angelus verò adhuc ſuperior eſt, & ſimplicior animo noſtro, quia ad percipiendū colores, vel ſapores, qualitatesve primas inſtrumēti minimè eget, vt nos. Ita inter vniuerſa præmia nullum ſimplicius gloria æterna, quæ tam magna eſt, vt à nobis comprehēdi nequeat, ſecundùm id: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit*

Contra Bucerum hæreticum.

Matth. 25. *2. Tim. 4.*

Iuſtorum patientium cur Chriſtus nō expreſſerit mercedem.

Habac. 2.

Copioſa cur dicatur Domini merces.

Vniuerſa quo ſimpliciora ſint.

Merces cęleſtis quā ſimplex, magna pretioſa, diuturna, ac delectabilis.

1. Cor. 2. & Eſai. 64.

parauit

parauit Deus iis,qui diligunt eum. Tam pretioſa eſt, nullo, vt pretio, aut labore poſſit cõparari. Vnde poſt labores,& tormenta vocatur gratia,& miſericordia: *Gratia Dei,* inquit Paulus, *vita æterna.* Tam diuturna, vt finem ſit habitura nunquam: *Beati,* Dauid ait, *qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Tam delectabilis, more vt fluminis inundet, ſicut dixit Propheta: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Vbi Bernardus expendit, *Flumen planè eſt,* inquit, *ſed quod affluat, non influat, vel effluat.* Hoc autem tantum præmium quid aliud futurum eſſe putamus, quàm ipſum Chriſtum, de quo Eccleſia canit:

Rom. 6.
Pſal. 83.
Pſalm. 45.
Bernard.
Quæ ſit merces bonorũ.
In feſto Corporis Christi.

Se naſcens dat ſocium:
Conueſcens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Christum in ſe omnium beatitudinũ continere mercedem.
Matth. 13.
Eſai. 40.
Ioan. 6.
Pſalm. 47.

Ipſe enim Chriſtus regnum eſt cœlorum, quod eſt ſimile theſauro abſcondito in agro pro pauperibus: Ipſe eſt terra illa promiſſa poſſidenda manſuetis: Ipſe eſt conſolatio Iſraël, quam prædicabat Eſaias, lugentibus promiſſa: Ipſe eſt ſaturitas, & panis viuus de cœlo deſcendens, ab eſurientibus manducandus. Ipſe eſt magna illa miſericordia, de qua Propheta: *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui,* quæ miſericordibus impenditur. Ipſe eſt Deus qui videtur, & videre per donum fidei ſuæ facit, quod ratione videre non poſſumus: qui mundis corde promittitur. Ipſe eſt Filius Dei per eſſentiam, de cuius dignitate & nomine participamus: pacificis in præmium propoſitus. Ipſe eſt iterum regnum cœlorum ſimile margaritæ, quæ in mari inuenitur, in corde tribulatorum ſcilicet, atq; perſecutiones propter iuſtitiam ſuſtinentium. Et ſicut ſunt in his beatitudinibus incrementa virtutũ ſecundùm Ambroſ. ita & præmiorum augmẽta. Primum enim præmium eſt regnum cœlorum: ſed cùm noſtrum poſſit eſſe aliquid quod non poſſidemus, maius eſt quodammodò terram poſſidere. Et quia multa poſſidemus cum triſtitia; tertio loco ponitur conſolatio. Et quia aliquando conſolatio non ad ſatietatem contingit; additur ſaturitas. Et ne ſaturi metueremus aliquem defectum; adiũgitur miſericordiæ promiſſio ab omni liberãs miſeria, & reddẽs ſecuros. Quoniam verò parum eſt cõregnare, niſi conuerſatio cum Rege habeatur: promiſſa ſexto loco eſt Dei viſio. Et quoniã videre Regem, etiã ſeruis conceditur, filiorũ Dei dignitas & titulus adiũgitur. Prætereà Chriſtus ipſe eſt regnum, ſed firmum & ſtabile: nam dicitur: *Terra autem in æternum ſtat:* & ita eſt firmũ, vt conſoletur; ita conſolatur, vt ſatiet; ita ſatiat, vt faſtidiũ omne, & miſeriã tollat per miſericordiam: ita eſt DEI miſericordia, vt ad Deum videndum pertingat: ita Deum videt, tanquam filius Dei effectus ſit: ita viſionem, atque filiationem cõfert, vt regnum noſtrum ſit, & viciſſim nos eius regnum, illeque in nobis, & nos in illo regnemus. Quare pulchrè Bern. ſerm. in Pſalm. 90. *Deus eſt qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Ipſe ergo autor, ipſi remunerator operis: ipſe remuneratio tota: vt ſummum illud bonum, cuius nimirũ tam perfecta eſt ſimplicitas in ſe ipſo, duplex quodãmodò vt videatur in nobis cauſa bonorum, effectiua ſcilicet, & finalis.* Sic ille. Quia ergo copioſa eſt merces, quæ in bonis huius mundi, vt potentia, gloria, atq; opibus, non poteſt eſſe ſita, quia illa nobis cum improbis & cum belluis nobis ſunt communia, & citò ſatietatem & faſtidium generãt, ideò in cœlis, & non in tempore hoc erit remuneratio. Nam, teſte Lactantio, beatitudo eſt, cognoſcere nullam hic eſſe poſſe beatitudinem, eius hæc ſunt verba: *Hoc vno beati eſſe in hac vita poſſemus, ſi minimè beati eſſe videamur.* Si ergo in cœlis erit: ergo immortalis, & incorruptibilis erit. Subdit: *Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerũt ante vos.* Nẽpe quia in dignitate eadem eſtis in qua illi, & eundem iuſtũ, quem illi prædixerunt, vos prædicaturi eſtis. Accendit Apoſtolos ad paſſionum, & perſecutionum tolerãtiam, nõ ſolùm intuitu mercedis tam amplæ, ſed etiam exemplo Prophetarum ſanctorum, quibus aſſimilari perpulchrum eſt, & eadẽ de cauſa pati atq; illi, perhonorificum eſt. Et tacitè inſinuat ſuam cum Deo Patre, à quo Prophetæ mittebantur, æqualitatem: ne putent munus Apoſtolicum inferius eſſe Prophetico. Sic, inquit, hoc eſt, verbis, factis, & animo, & mentiẽtes propter Chriſtum. Sic, indeſinẽter, crudeliter, multipliciter. Quare rectè exponit Euthymius: *Ita enim, inquit, perſecuti ſunt Prophetas, &c. Quomodo ita? opprobrio videlicet afficientes; & perſequentes, & dicentes omne malum verbũ mentiendo propter Deum.* Hæc ille. At duplex eſt Propheta, verus, & falſus. Verus eſt qui prędicit interitum carnis, paupertatem, ignominiã, & non placet malis, vt Achab qui dicebat: *Remanſit vir vnus, per quẽ poſſumus interrogare Dominum: ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum.* Falſus verò Propheta eſt, qui conſona ſenſui & affectui prædicit: qui & tẽporaria bona, quibus veterem hominem alamus, promittit. Ideò ſecundùm Lactantium, ſchola & diſciplina Epicuri celebrior erat, pluresq; ſectatores habe-

Matth. 13.
Quo in mari Chriſtianũ, quis margaritam inueniat.
Ambr. ſuprà dicto loco.
Beatitudinũ præmiũ vndequaq; abſolutum eſſe atque perfectum.
Rom. 8 & 2. Tim. 2.
Regni Chriſti qualitates ex ipſiſmet beatitudinibus cõtextæ.
Eccleſ. 1.
Bern. ſerm. 9. in Pſal. Qui habitat init. Philip. 2.
Merces iuſtorũ cur in cœlis repoſita.
Lactan lib. 5. ca. 12. in fine.
Iudæi quare perſecuti ſint Prophetas, & Apoſtolos.
Quomodo vtros q; fuerint perſecuti.
Euthym. in Matth.
Propheta verus, & falſus, quiſnam ſit.
3 Reg. 22.
Lactan. lib. 3. c. 17. in prin.
Epicuri diſciplina multò celebrior cur fuerit sẽper, quã cæterorum, teſte Lactantio.

habebat, quia applaudebat omnibus, omnibus placebat, & ambientibus magiſtratű, magiſtratus laudabat, & vitæ ſtudioſis priuatę, magiſtratus damnabat: apud carnales & laſciuos delicias carnis commendabat, continentiam apud cœlibes: ſtudia & literas apud earum ſectatores: ignorantiam apud ruſticos, & philoſophorum contemptores: & ita in omnium hominum mores & ſtudia ſe transformabat, Gnatoniſq; inſtar, qui dicebat: *Si aiunt, aio: ſi negant, nego:* omnibus ſe accommodabat. Simili ratione ingreſſus eſt Mahometus, & poſtremò venit ad nos Lutherus: vt propterea mirű videri non debeat, ſi tot diſcipulos & alumnos inuenerint. Vt ergo falſi Prophetę placent mundo, ita veri Prophetę opprobria, deriſiones ſuſtinere debent à mundo.

Terent. in Andria.

Mahometus & Lutherus Epicuri diſcipuli.

Ad beatitudines virtute comparandas adhortatio.

Si igitur beatitudo regnum eſt cœlorű, cœleſtes efficiamur, & in nobis regnemus: ſi terra, ſimus ſtabiles & firmi in vocatione: ſi conſolatio, toleremus tribulationes: ſi ſatietas, ieiunemus modò: ſi miſericordiæ magnæ cóſecutio, vtamur modica noſtra erga fratres benignitate: ſi viſio Dei, aſſueſcamus diuinis contemplationibus & meditationibus fidei: ſi filiorű Dei appellatio, vocari hypocritę, vel falſi Chriſtiani ſuſtineamus: ſi copioſa merces in cęlis, non ſolùm perſecutiones atq; opprobria propter Chriſtum non fugiamus, ſed etiam libenter amplectamur, & tanquam rem honorificã & pretioſam ambiamus. Nam ſicut maiorem charitatem nemo habet, quã vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis; ita nemo eorű qui Chriſtum profitentur, maiorẽ habet perfectionem, quã qui pro tãto amico ponit animam ſuam, nempè talibus aperta eſt ianua regni cęleſtis, vt in illud confeſtim cum gloria ineffabili ſuſcipiãtur, peculiari munere & auxilio Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cű Patre, & Spiritu S. omnia laus, honor, gloria, & imperium atq; gratiarum actio debetur ab vniuerſa creatura in ſecula ſeculorum, Amen.

Ioan. 15.

Amici Chriſti maxima perfectio qualis.

TRACTATVS XXVII.

In illa verba: *Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

I. Ratio. Chriſti poſt beatitudines de Eccleſiæ paſtoribus ac doctoribus diſſerendi.

HACTENVS Dominus Euangelica ſuæ Philoſophiæ principia poſuit, & tanquam fundamenta iecit grauiſſimas ac breuiſſimas ſententias (nondum tamen præceptis vrgens, ac propoſuit finem, ad quem actiones noſtræ referendæ ſunt, quibus ſcilicet in rebus ſummum quod ab omnibus expetitur bonum, ſitum eſt. Cùm autem inter omnia, quæ ad reſpublicas tuendas ac conſeruandas neceſſaria ſunt, illud in primis requiratur, vt ij qui regendis ciuitatibus deſtinantur, cæteris omnibus & prudentia, & vitæ integritate præſtent; alioqui fieri, vt eorum peccata in ciuium redundent detrimentum: nam vt quidam Ethnicus rectè dixit:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Horat. lib. 1. Ep. ad Lollið.

Ideò poſt beatitudines omnibus ad conſectandum propoſitas, ad ea priuatim deſcẽdit, quæ ad Epiſcopos, & animarum paſtores ſpectant, indicans quam illis perſonam imponat, & ad quid elegerit eos, quo videlicet in his quæ hactenus dixit, vt in futurum dicturus eſt, alios ſe duces præbeant, & ante omnes hæc ipſi vitæ ſuæ exemplo cæteris præluceant, exordiű ſumens ab eorum vita, atq; doctrina, vt ſimul etiam illud intelligas, ſermonem nunc ad eos dirigi: nam Matthæus refert, ad eum acceſſiſſe diſcipulos ſuos: & Lucas, Dominum Ieſum eleuatis oculis in diſcipulos, cępiſſe ſermonem. Deinde, vt exhortetur ad tam perfecta munera præſtanda, declarat ea ex officio obeűdi neceſſitatem: quaſi dicat, vt ait Chryſoſto. non tantùm pro veſtra ſalute, ſed etiam vniuerſo orbe hęc vobis doctrina committitur. Item, cùm poſtremis verbis de perſecutionibus ferendis ſermo eſſet, cauſam addit, quòd vt ſal mordere, & conteri debebãt, vt alios ſalire poſſent, ipſi in primis tribulatione ſalſi: dicitur enim Marci 9. *Omnis igne ſalietur: & omnis victima ſale ſalietur.* Quod tãtundem aſt, ac ſi apertiùs diceret; Omnis homo igne tribulationis, ſaliendus eſt, nam *Omnes* (inquit Apoſtolus) *qui piè volunt viuere, in Chriſto Ieſu perſequutionem patientur:* & omnis qui victima ſapiens effici deſiderat, ſale tribulationum eſt cõdiendus. Poſtremò, ſi per ſal, ſapientia, ſiue diſcretio veniat intelligenda, iuxta illud Comici; *Qui habes ſalem, qui in te eſt;* & iuxta verbum Apoſtoli ad Colloſſen. *Sermo veſter ſemper in gratia, ſale ſit conditus:* Dominus Apoſtolos tales eſſe vult, qui ſuos, & ſuorum ſubditorum moderẽtur actus, viuentes in medio nationis, prauæ & peruerſæ, quæ perſequutiones in ſeruos Dei ſemper molitur; ad quod prudentia eſt opus ſerpẽtina: & reuera nec ſapientia niſi in religione, nec religio niſi in ſapientia inuenitur, vt lib. 4. diuin. inſtit. ca. 3. & 4. egregiè probat Lactantius: & c. 2. admiratur Platonem ac Pythagoram, magnis peregrinationibus obitis apud exteras & remotas regiones, ſapientiam perquiſiuiſſe. Iudęos verò,

Secunda ratio ac tertia.

D. Chryſoſt. hom. 15. in Matth. to. 2. initio.

Marc. 9.

2. Tim 3.

IV. Ratio.

Terent. in Eunucho.

Coloſ. 4.

Quales Dominus Apoſtolos eſſe voluerit.

Philip. 2.

Lact. Firm.

Cur Plato, & Pythagoras vt Lact. ait, apud Iudęos non quæſierint veram ſapientiam.

proximos & vicinos, penes quos vera erat ſapientia, neglexiſſe, non ob aliam cauſam quòd eorum religio huius mundi ſapientibus contempta, & eorum ſapientia ſtulta videretur. Poſteà verò, vbi gẽtibus ſapientia vera per Meſſiam, veraq; religio detecta ſunt, Iudæi quia Ieſum eius auctorem contempſerunt, vtriuſq; effecti ſunt exortes, in magnaque cœcitate, & tenebris verſantur. Atq; hæc pauca pro ratione ordinis eorum quæ ſequuntur ad ſuperiora explicanda, dicta ſint ſatis. Iã Domini verba diligenter ſunt expendenda. Ait igitur, *Vos*, nempè Apoſtoli, & in vobis ſucceſſores omnes, ac eccleſiarum paſtores, verbiq; Dei miniſtri. Priuilegium namq; communitati, ſiue ciuitati collatum, non tantùm ad illos, qui tunc agunt reſpicit, ſed etiam ad ſequentes, & futuros. *Eſtis*, id eſt, eſſe debetis, & à me, vt tales ſitis, conſtituimini, nempè quantum ad officium, ſtatum, & vitam. *Sal terræ*. Secundùm regulam B. Auguſtini lib. 2. de doctr. Chriſtiana. Quando Scriptura ſacra aliquid peregrinum & externum per metaphoram tradit, eius rei cognitio à peritis & doctis in illa arte petenda eſt: vnde vult, Theologum, & ſacrarum literarum tractatorem omnibus liberalibus diſciplinis, maximè verò rerum naturalium ſcientia inſtructum eſſe oportere, vt promptè poſſit, & doctè expedire, quæ tropicè & tranſlatè traduntur: ad hunc modum ſalis natura & proprietates, à naturalibus & ab ipſa experientia accerſendæ ſunt.

1. Cor. 1.

Apoſtolorũ etiam ſucceſſores cur ſal terræ.

B. Aug. c. 40. Tom. 3. Vtilis B. Auguſtini canõ intelligentiæ ſcripturarũ.

Sal igitur, quantum ad nomen, per metatheſin Græca vox eſt, dicitur enim ἅλς, è quo ſal deſcẽdit, maſculini & neutrius generis in ſingulari, in plurali verò ſẽper eſt maſculini. Quòd ad naturã verò eius ſpectat, ſi materiam ſalis venari velimus, illud eſt ſtatuendũ, ſalem vt alia multa foſſilia & ſubterranea, qualia ſunt, aurũ, argentum, æs, ſtannum, plumbum, lapides, ſulphur, nitrum, ex terra generari: cõmuniter tamen ex partibus aquæ terreſtribus, calore, & vi to congelatis, ſubtiliq; ipſius aëris in vapores ſoluto gigni ſolet: cumq; terreſtris ſit, vt ipſa terra grauis efficitur: & cũ calore aduſtus eſt, ſiccus, amaruſq; redditur, qua ratióe ipsũ mare ſignificat, iuxta illud Poëtę:

Salis nomen vnde. Sal vnde naſcatur.

Salis effectus atq; virtutes.

Li. 2. Æneid.

Et ſpumas ſalis ære ruebant.

Quia verò eſt ſiccum, & exuſtum, terram ſterilẽ reddit: ideò dicitur à Dauide: *Terrã fructiferã in ſalſuginem à malitia inhabitãtium in ea*: vocat ſalſuginem terrã infrugiferam & ſterilem: hinc in ſignum ſterilitatis terra ſale arari ſolet, quare Iud. 9. ciuitas interfectis cunctis habitatoribus deſtructa eſt, ita vt ſal in ea diſpergeretur. Tum quia ſiccũ, præſeruat à putredine, quæ ab extrario humore generatur: hinc fit, vt carnes, ſiue piſces, quos volumus incorruptos ſeruare, ſaliamus; ſimiliq; ratione à fœtore & vermibus, qui putrefactionem conſequũtur, tuetur. Adhibitus ſal quoq; ad medelam plagarum, mordet vulnera: vnde putreſcentia corpora, ita ſal vendicat, vt durẽt ea per ſecula: quod Aegyptiorum comprobant inſtituta, qui mortuos ſale condire ſolebant, vt autor eſt Herodotus. Cic. lib. 2. de natu. deor. *Sus verò*, inquit, *quid habet præter eſcã? Cui quidem, ne putreſceret, animã ipſam pro ſale datam dicit eſſe Chryſippus.* Ob eandem etiam cauſam, nempè quia ſiccũ eſt, ſitim excitat, & acrimonia ſua qui eduntur cibos condire ſolet: ita vt lauta ſplendidaque conuiuia nihil ſint, ſi cibaria & fercula ſale deſtituãtur: vt rectè dicat Iob ca. 6. *Nunquid poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum.*

Pſalm. 106.

Iud. 9.

Ægyptij mortuorum corpora cur ſale condiebant.

Herodot.

M. Tull. à medio.

Salis neceſſitas.

Iob. 6.

Per tranſlationem autem multa ſalis nomine ſignificantur, non ſolùm ipſum mare, & ſapientia, ſed etiã gratia ipſa & venuſtas hominũ, ſiue in dictis, ſiue in factis, vt de homine inſulſo quidam Poëta dicat:

Salis ſignificata.

Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.

Catull. libr. 1. Epigram. 6.

Significat & amicitiã, qua de dicitur 1. Eſd. 4. Nos autem memores ſalis quod in palatio comedimus, & ad diuturnam amicitiã noſtram comprobandam, prouerbij loco ſolliti ſumus dicere, multos modios ſalis cum aliquo nos comediſſe. Antiquitus tantus honos habitus eſt ſali, vt tanquam amicitiæ ſymbolum hoſpitibus ante alios cibos apponeretur: quo ſignificari voluerunt, fortiſſimã fore, adeoq; immortalem amicitiam. Et vt ſal ex multis fuſibilibus coit in ſolidum quiddam, adeò, vt ferro ſæpè cædatur, vt inquit Ambr. li. 5. Hexameron c. 11. ita ex diuerſis conuenientes animi per amicitiam in vnum quidam & ſolidum coaleſcunt. Plin lib. 31. c. 7. 8. & 9. de ſale multa egregiè philoſophatur: *Salis natura*, inquit, *per ſe ignea, & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens. Corpora verò aſtringens, ſiccans, alligans. Defuncta autem ac putreſcentia ita vendicans, vt durent ea per ſecula. In medendo verò mordens, adurens, repurgans, extenuans, diſſoluens.* Hæc Plinius. A Galeno medico præcipitur, vt infantes recens nati ſale aſperſi, faſciis obuoluantur. Auicenna ait; feſtinandum eſſe, vt infantum corpuſcula perluantur aqua, in qua colliquatus ſit ſal, vt occaleſcat vmbiculus, atq; item cutis: ita tamen vt non cõtingantur nares, aut os. Ad hanc ſententiam alludit Ezech. cap. 16. dicens: *Quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus vmbiculus tuus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis.*

1. Eſdr. 4.

Sal quàm olim res honorifica.

B. Ambr. tom. 4. initio

Salis proprietates ex Plinio.

Galen. lib. 1. de ſanitate tuenda, ante med. tom. 2.

Auicen.

Ezech 16.

Chriſtus cur pactum ſalis in ſempiternum coram Domino, vocetur à Moyſe.

Quibus conſtitutis, dicendum eſt, per metaphoram ſalem in primis Chriſtũ ſignificare, qui ſolus eſt ſal per eſſentiam, & ſal cœlorum; Apoſtoli ſal terræ: diciturq; Chriſtus ſal fœderis, ſiue pactum ſalis ſempiternum, quia ſine Chriſto, nihil vnquam Deo gratum fuit, nullaque hoſtia ſine fide ſanguinis eius, accepta illi eſſe potuit: hinc Abel & Abraham, & reliqui patres de fide Meſſiæ in eorum ſacrificiis Deo faciendis commendantur: de hoc ſale per allegoriã, & in myſtico ſenſu dicitur Leuitici 2. *Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo:* & libr. Numerorum ca. 18. *Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino tibi, ac filiis tuis.* Meritò autem Chriſtus dicitur ſal, qui vt ex aquæ natura, tanquam ex materia efficitur; ita Chriſtus ex aqua naturæ humanæ, de qua ſcriptum eſt; *Aquæ multæ, populi multi:* & ex terreſtri parte aquea, non ex ſubtili, id eſt, ex carne ſimili carni peccati minimè veſtita adhuc immortalitate; eſtq; vi & flatu Spiritus S. cõceptus. Eſt etiam grauis deitate ſua, qua fundamentum eſt omnia continens, humanitate verò, nec proſperis eſt elatus, nec aduerſis fractus: vnde de ſe ipſe teſtatus eſt; *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, ſcilicet leuitatis: ideò fugit regnum offerentes, & tentantes Iudæos acerbè reprehendebat: erat etiam impiis Iudæis ad vidẽdum grauis, & ad portandum quòd eſſet ipſis in vita diſſimilis.

Geneſ. 4. Infrà 22. Iacob. 2. — *Leuit. 2.* — *Num. 18.*

Cur ſal myſticè Chriſtus. — *Apoc. 17.*

Chriſti & Dei, & hominis grauitas qualis. — *Ioan. 14.*

II. Ratio.

Deinde Chriſtus circa qualitates primas ſal extitit; nam alienus erat ab omni carnis affectu, ac per vim ardoremq; Spiritus ſancti terram improborum hominum, & Iudæorum ſterilitate percuſſit, dum exemplo, & doctrina monitoris abutentes, facti ſunt deteriores. Teſte enim Irenæo, præſens lux excæcat neminem; ſed tu te eruendo tibi oculos excæcas: nullus quippè ob defectum aliorum, ſed ob proprium, damnationi eſt obnoxius. In bonis verò, & pietatis cultorib. ſterilis efficitur terra, hoc eſt, ſenſus, non germinãs corruptionem, aut ſpinas & tribulos, vt illi à Domino dictum fuit. A putredine quoq; vitiorũ, & ſæpè mortis temporalis imminentis, fœtoreq; mali exempli, atq; à mordentis conſcientiæ præſeruat vermibus: ſui item exẽpli acrimonia Dominus, vitiorum noſtrorũ mordet vulnera, noſq; confundit. Præſtat prætereà ſitim benè operandi: *Beati*, inquit, *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam:* & Paulus cognita Chriſti in orando, & prædicãdo, & pro nobis patiendo diligentia, dicebat: *Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad anteriora conuerto me ipſum.*

B. Iren. lib. 4. cap. 48.

Bonorum & piorum ſterilem terram vt faciat Chriſti ſal. — *Geneſ. 3.* — *Matth. 5.* — *Philip. 3.*

Tertia ratio, cur ſali comparetur Chriſtus.

Tertiò, circa qualitates ſecundas ex primis reſultãtes, quæ ſunt, albedo, grauitas, acer ſapor, & ſimiles, Chriſtus metaphoricè eſt ſal per eſſentiam: nam prӕterquam quòd omnes creaturas ſalis, eis bonũ dans eſſe, per quod ſibi incorporãtur aliquo modo, & vniuntur per aliquam ſimilitudinem; peculiariter tamen Angelis & hominibus ſaporẽ ſapientiæ largitus eſt, vt per diuinam hãc ſapientiæ ſimilitudinem coniungerentur ei. Sed Angelus multò magis quã homo, ſuo vitio ſal infatuatum euaſit, ſecũdùm illud *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo: perdidiſti ſapientiam tuã in decore tuo:* proiectus eſt diabolus cũ ſuis omnibus in ſterquilinium inferni, in æternũ cõculcandus: at Homo per peccatũ quidẽ ſalem amiſit, ſaporemq; ſapientiæ: nam cum in honore eſſet, nõ intellexit: cõparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: euaſitq; terra inſipida per errores & veri Dei ignorationẽ: nã ſalem eum perdidiſſe conſtat, qui dixit in corde ſuo, Non eſt Deus. Euaſit quoque frigida amiſſo calore diuini amoris, cõcupiſcentiæ humoribus ſubiecta, corruptibilis ac putrida per affectus immoderatos, de quibus Pſalmiſta; *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt:* perditæq; vitæ exemplo fœtens; vermi rodentis conſcientiæ ſubiacẽs Titij illius miſeri inſtar, cuius iecur perpetuò arrodi à vulture, fabulãtur poëtæ. Deniq; facta eſt amara & inſipida, vt fel Chriſto datum, quod cùm guſtaſſet, noluit bibere.

Chriſtus cũ omnia creata, tum verò Angelos & homines vt aliat. — *Ezech. 28.*

Lucifer eum ſuis præter eum, & homo, ſal quomodo infatuatum euaſerint. — *Pſalm 48.* — *Pſalm. 13* — *Ibidem.* — *Matth. 27.*

Quid aquæ Iericho amariſſimę easq; Heliſæus dulcedine[illegible] præfigurauerit. — *4. Reg. 2.*

Pulchrè autem repræſentatur natura humana in illa aqua ciuitatis Iericho, quæ ob amaritudinem potari non poterat; Heliſęus tamen miſſo ſale in aquam, eam dulcem reddidit atq; potabilem: ad hunc modum Chriſtus in Heliſæo figuratus, cum Deus, propter peccatum, naturam noſtrã traiicere non poſſet, magno cõſilio ſalem, hoc eſt, ſapientiam à ſe genitam per incarnationem, in aquam naturæ humanæ immiſit: atq; ea ratione aquæ naturæ noſtræ ſanabiles factæ ſunt, atq; potabiles, & redditi ſumus per donum ſapientię Dei guſtatui ſapidi, calidi amore, dulces manſuetudine, per cordis teneritudinem facilis digeſtionis, cibus bonæ ſubſtantiæ, quantum ad interna, boni caloris; & odoris circa externa; qui tamen ex contrariis vitiis anteà conſtabamus. Ad quod præſtandum non ſat fuit ſalem cœli, ſiue Dei ſapientiã vniri noſtræ humanitati, ſed etiam in Cruce cõteri, ibiq; inſtar ſalis proiecti in aquam liqueſieri, iuxta illud: *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.*

Effectus incarnationis Chriſti. — *Pſal. 21.*

Apoſtoli, eorumq; ſucceſſores quomodo ſal terræ.

Poſt hũc ſalem eſſentialem & primariũ fecit Deus maiores & meliores, nimirum Apoſtolos, paſtores, & doctores, vt eſſent

ſal par-

ſecundũ Euthymium.

ſal participatum, ſiue ſal terræ, hoc eſt, totius mundi, & peccatorum inſipidorum, ac plebis: quomodo Chriſtus eſt ſal cœlorum, id eſt, maiorum, de quibus: *Cœli enarrant gloriam Dei*, Nam terra, vti Dominus explicuit ipſe in parabolis, ſignificat homines, & corda humana. Et Euthymius hoc loco ait: *Terram hîc homines appellauit quaſi è terra formatos. Eſt autem tantum ac ſi diceret: Homines in peccatis putrefacti ſunt; corrupti ab humore affectionũ. Vos igitur à me electi ad curandam hanc totius mundi putredinem, eſtis ſal terræ, accepta virtute ad conſtringẽdum ipſos & coarctandum, prætereà ad occidendum vermes inuiſibiles, hoc eſt, vt per bonam famam, rationales affectus à graui peccatorum odore liberetis.*

Pſalm. 18.
Matth. 13.
Euthym. hoc loco.

Sal terræ cuius illi fuerunt.

Hæc ille. Et ſal quidem terræ Dominus inquit, nempè non tantũ alicuius & peculiaris terræ, verum vniuerſæ: non enim in terram vnã Dominus eos mittebat, ſed in vniuerſum orbẽ: vt acutè Chryſoſtomus annotauit: cùm etenim Prophetæ ad vnam Iudææ gẽtem miſsi ſint; vos autem ſal eſtis vniuerſi orbis per doctrinam arguendo, ac ſtringendo diſſolutos, ne æternos producant vermes. Debent igitur in primis omnes, qui curam animarum in fidem ſuam recipiunt, & verbi Dei funguntur miniſterio potiſsimùm, & quiuis Chriſtianus etiã pro captu ſuo, ſal eſſe terræ. In primis quia ardore amoris paterni, & aqua baptiſmi, cum flatu Spiritus ſancti bona & ſancta vita generantur, per quam ſumus vt ſal: ideo in ore infantis baptizati de more apponitur ſal. Deinde paſtores per ardorem inflammationemq́; ſancti Spiritus, ac combuſtionem ſicci, ab omni carnis concupiſcentia, quaſi humore putreſacto, vacui & liberi eſſe debẽt: hinc Paulus ait: *Quum enim eſſemus in carne, paſsiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur: ita vt ſeruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetuſtate literæ*: & infrà ait, Chriſtianos ambulare non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritũ. Tertiò, eorũ eſt à putredine ſubditos præſeruare, id eſt, ab ira pœnæ temporalis imminentis, & ex ſe ſemper à peccato & à culpa, quapropter eorum vnus dicebat; *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: etenim maiorum virtutes virgæ quædam ſunt, vitia ſubditorum, qui computruerunt velut iumenta in ſtercore ſuo, percutiens ac verberantes: quemadmodum eorum delicta, calcaria inferiorum ſunt ad peccandum. *Nam ſecundum iudicem populi*, ait Sapiens, *ſic & miniſtri eius: & qualis rector ciuitatis, tales & habitantes in ea*: & Paulus Petro in faciem

Prima ratio, Eccleſiæ paſtores cur ſal terræ nominentur.

Secunda ratio.

Rom. 7.

Rom. 8.

Tertia ratio. paſtores cur ſal terræ dicantur.
1. Cor. 11.

Ioel. 1.

Eccleſ. 10.

reſiſtens, dixit illi, *Si tu quum Iudæus ſis, Gentiliter viuis, & non Iudaicè; quomodo Gentes cogis Iudaizare? &c.* vocans eius exemplum, coactionem. Nam ſi Sacerdos curam animarum habens intelligat, paſtorem ſuum, ſiue Epiſcopũ, reſidentiam in Eccleſia ſua negligere, ieiunia non curare, venationibus, aut alearũ ludo incumbere; tãto exemplo excitatus, quaſique clypeo protectus quodam, in eadem liberè prolabetur. Quòd verò propter viros ſanctos flagella ab inferioribus auertat, docet Deus ipſe, qui propter decem iuſtos, qui fuiſſent, toti ciuitati Sodomorum ignoſcere paratus erat: id etiam indicat Moſes, de quo Propheta teſtatur: *Et dixit vt diſperderet eos: Si non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius* (id eſt, in precatione, quam afflicto confractoque ad Deum animo effudit) *vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos*: de Dauide quoque dicebat Dominus, *Protegam vrbem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* Quartò, quemadmodum ſale aratus ager, ſterilis redditur: ita paſtores, terrenos homines inexcuſabiles reddunt, ne prætextu ignorantiæ excuſare valeant ſuas vſuras, blaſphemias, adulteria, odia & falſa teſtimonia, cùm audierint, eiuſmodi delicta, execranda apud Deum haberi: quare Chriſtus rectè dixit: *Si nõ veniſſem, & locutus fuiſſem eis: peccatum non haberent: nunc autem excuſationem nõ habent de peccato ſuo*: & infrà. *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit: peccatũ non haberent: nunc aute & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meũ.* Et alibi: *In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* In bonis verò hominibus, terrenam eorum partem verbi, & Sacramenti miniſterio ſterilem & infructuoſam facere ſtudent boni paſtores; carnis mundi vanitatem & fluxum oſtendentes. Quintò, vermes inuiſibiles, id eſt, dæmones, ſiue morſus conſcientiæ extinguunt, dum putrefactionem peccati, à qua generantur, ac nutriuntur, tollunt. Sextò, eadem ratione fœtorem malæ vitæ, & infamiæ, quæ ex peccato oriri ſolet, auſerunt: & dum hanc vitam omni præditam virtute adducunt, odorem boni nominis ſibi conciliant, & in alios ſpargunt. Septimò, vulnera peccatorum, tum vitæ exemplo, tùm acri oratione, quaſi ſale mordicant, vt Chryſoſtomus ait. Non ergo mordacitatem reprehenſionis abiiciatis: & ſed & opprobria & perſecutiones ſuſtinete. Hinc per Prophetam dicitur: *Quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorũ, & domui Iacob peccata eorũ.* Qui ergo abblandiri auditoribus

Galat. 4.
Mali exemplum paſtoris quam efficax.

Viri ſancti quàtum poſſint apud Deum.

Geneſ 18.
Pſal. 105
Ex 32. & ſeq.

4. Reg. 20.

Quarta ratio

Ioan. 15.

Ioan. 9.

Quinta ratio

Sexta.

Septima.

B. Chryſoſto. homi. 15. in Matth 10. 2.
Eſai 58.

Hæretici quàm fatui ſint Euangelici miniſtri.

volunt, nihilque quòd eos perſtringat, dicere; haud facilè eorum vitia detergunt, quod hodie faciunt plurimi eorum, qui ſe ſolos Euãgelicos dici volunt, puram tantũ Euangelij literam auditoribus proponentes, neque micam ſalis, hoc eſt, mordicationis & amarulentiæ in detergendis eorum flagitiis & peccatis admiſcentes: neque ob aliam profectò cauſſam magis hodiè mundus corruptus eſt, quàm ob Epiſcopos, prædicatores, & conſiliarios, qui Regibus blandiuntur adulanturque, ponentes puluinos ſub omni cubito manus, & facientes ceruicalia ſub omni ætate ad capiendas animas, ſicut dixit Propheta: vnde Regibus, tributis grauioribus populos opprimere concedunt: Epiſcopos ad reſidendum, quaſi graue non ſit delictum à diœceſi abeſſe, non vrgent: Sacerdotibus plura beneficia, & quæ dicuntur incompatabilia, conniuent, & permittunt: fœminis fucum, impudicaque alia ornamenta, quibus alliciunt ad peccandum, indulgent.

Ezech. 13.
Iidem quàm magoi adulatores, & palmones.

Hanc rationem ſecuti magi & ſapientes Pharaonis, ſuadebant Principi, ne Iudæos extra ditionem ſuam abire permitteret, dicentes; Iudæi iſti maieſtatem veſtram ſeducere volunt: nos omnia miracula quæ præſtant, edere parati ſumus. Enimuerò defecerunt in tertio ſigno: nam ciniphes ac muſcas quæ in facie, & oculis homines & iumenta mordebant, illiſque moleſtæ erant vaidè, facere non potuerunt. Eiuſmodi ſiquidem aſſentatores mordere neminem, verbiſq; ſuis moleſtiam vlli inferre non nouerunt. Caueant igitur qui ſunt à conſiliis Principum vel Epiſcoporum, vel qui ſunt à cõfeſsionibus, vel qui miniſtrãt verbum Dei; ne ſtudio hominibus placendi, diſpliceant Deo, qui eorum oſſa diſsipabit, teſte Propheta. Audi ſententiam Hieronymi, exponentis illud Eccleſiaſtes 12. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi: Simul & hoc notandum eſt*, inquit, *quòd dicantur verba ſapientum pungere, nõ palpare, nec molli manu attrahere laſciuiam: ſed errantibus, & vt suprà diximus, tardu pœnitentia dolores, & vulnus infigere. Si cuius ergo ſermo nõ pungit, ſed oblectationem facit audiẽtibus; iſte non eſt ſermo ſapientis: verba quippe ſapientum vt ſtimuli. Hoc ſtimulo nec dum Paulũ, ſed adhuc Saulũ puto in via errorum audiſſe: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Hæc ille.

In quibus delineati illi nebulones.
Exod. 8.
Pſalm. 52.
Hier. tom. 7. Eccleſ. 12.
Quare ſint (vt Hierony. ait) verba ſapientum, vt ſtimuli.
Actor. 9.

Octauò, ſalis eſt, condire cibos, atque hac ratione, vt Hieronymus interpretatur, Apoſtoli ſal appellãtur, quia per illos vniuerſum hominum conditur genus: atque Deo illi quidem terram hominũ condiunt, vt illam poſsit edere, ſale Chriſti, ſapientiaque diuina, & ſui imitatione aſpergendo, ita vt Dei palato homines ſapiant: quod fit, cùm leo mutatur in agnũ: & Paulus qui lupus erat rapax, in ouem Chriſti: condire ergo hominum corda Chriſti ſapientia, & virtutibus, quatenùs illis Deus veſci poſsit, paſtorum eſt, & prædicatorũ: ad hunc ſenſum, & ad hanc ſalis proprietatẽ videtur Dominus reſpicere, cũ ſubdit, Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Debent etiã fidelibns cibos condire, quibus in fide Chrilti corroborentur, atq; confirmẽtur: inter hos autem cibos primum locum tenet Deus, qui cibus eſt grandium, vt audiuit Auguſtinus: atq; hic eorum arte condiẽdus eſt, quo fidelibus ſapiat. Nam dum theſauri miſericordiæ, ac benignitatis eius ad homines oſtenduntur, atq; ardens eius dilectio, qua ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, eiuſque bona voluntas, qua nos per Spiritum adoptionis in filios recepit, nec non ad æterna bona poſſidenda, atque corporis immortalitatem deſtinauit; quid aliud quàm cibum palato animæ ſuauiſsimum nobis effecit? Chriſtus item dum noſtram naturam induit, & nobilitauit, & pro nobis tam dira Crucis tormenta ſuſtinuit, cœloſq; ad præparandum nobis locum, conſcendit; talis per paſtores prædicatus, delicatus vitæ panis nobis efficitur, illumq; vti frequenter in Eucharistiæ myſterio edamus, efficaciter ſuadet. Talis quoque cibus eſt Spiritus ſanctus, qui Paracletus eſt propter nos dictus, & corda noſtra inhabitare voluit, illaq; virtute ſua corroborare. Condiunt propterea paſtores ſacras nobis Scripturas, quæ ſanè difficiles exiſtũt, & duriores, quàm vt dentibus noſtris mandi poſsint ac confici: ſed Apoſtoli, & qui his ſuccedunt, panem paruulis frangunt, Scripturas prędicatione edifferunt, obſcura illuſtrant, implicita explicant: Veteriſque Teſtamenti nucleum nobis præbent: atque ita eorum diligentia factum eſt, vt Sacræ literę nobis & ſapiant, & placeant. Sacramenta quoque, dum eorum inſtitutionem, neceſsitatem, & virtutem ſanctificandi nobis aperiunt, in præclaras exquiſitaſque nobis illa porrigunt eſcas: nec non amara quæque & triſtia, veluti Crucem, ieiunia, ſui ipſius abnegationem, dilectionem inimicorum, confitendorum neceſsitatem criminum, atq; præcepta ad eſum apta noſtrum efficiunt: dum præcipientis autoritatem, temporis breuitatem, præmij magnitudinem, iuſtitiã prę ceptorum, ſimul & gratiam Spiritus ſancti, & velle, & percipere pro bona voluntate dantem, oſtendunt. Quæ vt magis credibi-

Octaua ratio, cur in quam ſal terræ doctores.
Geneſ. 49.
B. Augu. lib. 7. conf. c. 10. in fine tom. 1.
Ioan. 3.
Rom. 8.
Galat. 4.
Chriſtus qualis cibus noſter effectus ſit, vt etiam Spiritus ſanctus.
Actor. 1.
Ioan. 14.
1. Cor. 6.
Quomodo nobis paſtores ſacras cõdiãt Scripturas.
Thren. 4.
Qua etiam ratione ijdẽ condiant Sacramenta fidelibus.
Philip. 2.

Boni paſtores quomodo ſalis inſtar cõterendi ſint ac liquefaciendi.
Matth. 5.
Rom. 9.
Nona ratio.

dibilia efficiant, debent ipſi maiores tanquàm ſal terræ conteri, & liquefieri per deſideria ſpiritus, per aſsiduas deprecationes, per ſudores & labores pro inferiorum ſalute ſuſceptos. Hinc Paulus: *Optabam ego,* inquit, *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*; & alio loco: *Ego impendar, & ſuperimpendar pro animabus veſtris.* Nonò, vt ſal ſitim excitat; ita Apoſtolorum, & Sanctorum Patrum exempla, atque vita mirabilem ſitim iuſtitiæ, & illorũ veſtigia, conſectandi ſtudium, fauoremq́ue nobis iniiciunt. Vnde Paulus Sanctorũ facta ante oculos noſtros proponit, vt eos imitetur. Lege 11. caput epiſtolæ ad Hebræos, vbi dicitur: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetũ ignis,* & quæ ſequuntur. & cap. 12. ſubiungit. *Ideoq́; & nos tantã habentes impoſitam nubem teſtium: deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum.* Decimò, ſal grauis eſt: & vitæ grauis & naturæ, in fideq́; ſemel ſuſcepta cõſtantis doctrinam atque exemplum maiores inferioribus tradunt. Nam doctrina ſolida eſſe debet, ne circumferamur omni vento doctrinæ: & Apoſtòlus; *Sermo,* inquit, *noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo Eſt, & Non, ſed illo Eſt.* Vita etiam Chriſtiana virtutis conſtantia debet elucere, ne ſit de illorum numero, qui ſtatim credunt, & in tempore tentationis recedunt. Auguſtinus in Pſal. 86. ita ſcribit: *Arca Noe ædificata ex lignis quadratis eſt: nam quadratus lapis, quacunq́; verteris, ſtat. Stantem te inueniat omnis caſus.* Hæc ille ferè. Caſsian. quoque collat. 6. docet mentem iuſti mollem vt ceram, quæ recipit vnam imaginẽ poſt alteram, eſſe nõ debere, ſed velut quoddã adamantinum ſignatorium, quod reliqua domat, & ſemper ſuã characteris imaginem ſeruat. Dñs quoq; per Prophetã dixit; *Vt adamantẽ, & vt ſilicẽ dedi faciẽ tuã: ne timeas eos, neq́; metuas à facie eorũ.* Deniq; qui paſtores ſunt penſare debẽt, quia animalia Dei paſcunt, de quibus Propheta; *Animalia tua habitabũt in ea.* Et quemadmodũ Greg. ait: *Sæpè videmus quod petra ſalis brutis animalibus antèponitur, vt ex eadẽ ſalis petra lambere debeãt, & meliorari. Quaſi ergo inter bruta animalia petra ſalis debet eſſe ſacerdos in populis.* Hæc ille. Beatus igitur, qui in cibũ conditur Dei, membrũq; & paſcha ſit Chriſti: miſer verò, qui cibus ſerpentis per peccatum efficitur; miſerior, quẽ euomit os Dei, vt in dæmonib. cor, & ventrẽ intret, vbi pœnis cõtinuis putreſcat, ac verme mordẽte cruciabitur, atq;

Hebr. 11.
Infra 12.
Decima ratio, cur ſal terræ paſtores.
Ephe 4.
2. Cor. 1.
Quæ duo maximè ſint paſtori animarum neceſſaria.
Luc. 8.
Aug. tom. 8.
Geneſ 6.
Caſsia. colla. 6. c. 12
Mens iuſti qualis eſſe debeat.
Ezec. 3.
Fideles paſtoribus quales cogitãdi ſint & tractandi.
Pſalm 67.
Gregor. hom. 17. in Euang. ante med. 1. 2.
Peccans qualis cibus dæmonum fiat.
Apoc 3.
Luc. 16.

ſitiet mundana inſtar Epulonis, quæ habere non poterit: eritq; omni puluere inconſtantior, & morti perpetuæ deſeruiẽs, atq; fœtorem tetrum perpetuò exhalabit. Quiuis ergo paſtor det operam vt ſal ſit, & ſalis habeat cõditiones erga oues ſuas; Princeps erga populos quos regit; Paterfamilias erga domeſticos; quiſque fidelis erga ſe, & ſibi proximos.

Hoc verbo: Quod ſi ſal euanuerit, *in quo ſalietur?* quid Chriſtus ſignificet.

Quòd ſi ſal euanuerit. Oſtendit Dominus quàm grauiter puniantur non, tantùm in præſenti vita, ſed etiam, ac multò etiã magis in futura, qui officij ſui immemores extiterunt, & ſuo exẽplo corruperunt alios. Nam fortioribus fortior inſtat interitus; &, Potentes potenter tormenta patientur. Quod dicitur, *Euanuerit,* Græcè eſt μωρανθῇ, id eſt, infatuatũ, vel inſulſum fuerit redditũ, amittendo ſuam ſaliendi vim: quo ferè modo fatuam ficũ appellant, quæ virtutem non habet ferendorum ficuum. Et ita paſtor perdendo ſalem ſuum, qui eſt Chriſtus, vel vitam ſanctam, ſiue prudentiam, fatuus meritò cenſetur. Sicut enim inſulſum à cibo transfertur ad animũ prudentia deſtitutum: Ita fatuum ab homine transfertur ad cibum. Hinc Martialis betas, quòd inſipidæ ſint, fatuas vocat:

Sap. 6.
Ibidem.
Paſtor, ſeu doctor quomodo ſalis inſtar euaneſcat.

Vt ſapiant fatua fabrorum prandia betæ.

Martial.

Auguſtin. ſuper illud Ioan. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo; ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo:* ita ferè ſcribit: *Quid eſt,* inquit, *habere vitã in ſemetipſo? Non habere illã ab alio, ſed à ſeipſo: quemadmodum lux Solis nõ oritur ab alio corpore lucido, cũ ipſe Sol fons ſit omnis lucis. Lux tamen lampadis & à te pendet, qui potes eam extinguere, & ab oleo, ſi deficiat: ideò lucem à ſe non habet* Ita ille in ſenſu. Ad eum modum ſal quidem eſt per eſſentiam Chriſtus Dominus, qui euaneſcere non poteſt, nec amittere vim, & acrimoniam ſuã: quia certum fundamẽtum Dei ſtat; Sal autem participatus, vt Epiſcopus, Sacerdos, religioſus, doctor euaneſcere poteſt, & inſulſus reddi: quo facto, remediũ ſuper eſt. Nam poteſt terra per Chriſtũ, & alios bonos paſtores ſaliri: namq́; Deus eos, qui ex ſe inutiles ſunt, vtiles facit, vt ſpina edens roſam, vlmus ſuſtentans vitem, ex quibus colligit roſas & vuas, relictis ſpinis, & vlmo. Vnde Augu. in Ioan. *Vt vuas vocas fructum vitis, non ſpinæ; ita tu collige mea bona verba, quæ per me dicit Spiritus, vel Chriſtus relinque ſpinas quæ mihi ſoli nocebunt.*

Aug. tra. 22. in Ioan. to. 9.
Ioan. 5.
Patrem habente vitã in ſemetipſo quid ſecundũ Auguſtinum.
Aliter eſt ſal terræ Chriſtus, aliter miniſtri eius.
2. Tim. 2.
Illos infatuatos & euaniſdos iterum Chriſtus, vt valeat ſalire.
Aug. in Ioan. tom 9.

In quo ſalietur? Sal ipſum: id eſt, In quo recipiat ſal ſuũ ſaporem? atq; ita non eſſe verbum imperſonale, vt ſit ſenſus, in quo fiet aliorum ſalitio: ſed paſsiuum, indicat Marcus cap. 9. vbi ait. *Quòd ſi ſal inſulſum fuerit;*

Eccleſiæ paſtores infatuati qua ratione ſaliri nequeãt: quod etiam difficillimè.
Marc. 9.

in quo

Luc.14.

in quo illud condietis? idem docet Lucas cap. 14. imò his ipſa Domini verba ſubiuncta: ſequitur enim, *Ad nihilum valet vltra niſi, vt mittatur foras & conculcetur, &c.* Sal ergo ipſũ, videlicet, Prælati, vt tales minimè docentur, neque corriguntur; quia quatenùs tales ſunt, vt Apoſtoli, ac ſummi Pontifices, haud ſaliuntur: quatenùs autem terra ſunt reſpectu Chriſti, vel aliorum bonorum paſtorum & ſuperiorum, velut Pontifices ſummi, vel Archiepiſcopi, vel primates, vel metropolitani; ex Dei præſcripto difficilimè ad ſalis naturam redeunt.

Hebr. 6.

Ait namq; Apoſtolus. *Impoſsibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, &c. & prolapſi ſunt; rurſus renouari ad pœnitentiã.*

Illud Apoſtoli: Impoſsibile eſt ſemel illuminatos rurſus renouari ad pœnitentiam, biſariam accipi poteſt.

Quòd ſi de Sacramento baptiſmi iterando ſermo ſit, propriè capitur impoſsibile: nam Sacramentũ Baptiſmi iterari nequit. Si verò Apoſtolus loquatur de pœnitẽtia: impoſsibile dicit id quod valdè difficilè eſt, quomodo etiam Ariſtot. li. 5. Metaphy. quãdoq; vſurpari tradit. In quo ſenſu exponit Hieron. contra Montanum, & Nouatum hũc locum: nam poſt illa verba ſubiungit, vt ipſe ponderat: *Confidimus autẽ de vobis, dilectiſsimi, meliora & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur.*

Philoſophus cap. 9. tom 3. Hiero. lib. 2. aduerſus Iouin prope ini. tom. 2.

Difficile ergo tales ſaliuntur, quia de tã alto loco & gradu cadentes, frãguntur omninò, atq; ægrè reſurgunt. Secus de imo loco decidentes, id eſt, populus. Vnde dixit Spiritus ſanctus; *Si peccauerit in virũ, placari ei poteſt Deus: ſi autẽ in Dominũ peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Orig. ho. 2. in Leu. *Obſeruandũ ſanè eſt*, inquit, *quòd in peccato Pontificis non addidit legislator, Quia per ignorantiam, aut non voluntate peccauerit. Neque enim cadere ignorantia poterat in eum, qui vt cæteros doceret, prælectus eſt.*

1 Reg. 2.

Orig. tom. 2.

Sal infatuatũ quàm ſit inutile.

Ad nihilum valet vltra. Cùm vinum corruptũ fiat acetum, & poma putrida proijciantur in porcos: ſal tamẽ iſtud corporale nõ valet, vt dicitur Luc. 14. vel vt ſeminetur in terram, ſicut cætera grana, quo fructum ferat, nec in ſterquilinium in quod cætera ciborum genera corrupta proiiciũtur: eo quòd ex ſtercore fimus ſit impinguans terram; ſal verò, ſterile & ſiccũ reddit ſterquilinium: hoc voluit Dominus dicere, Nec vtilis erit paſtor vt præficiatur ijs, qui ſani ſunt mente, & fœcũdi vt terra, neque his qui inſtar ſterquilinij vitijs carnalibus ac putoribus infamiæ ſqualẽt, ſordentque. Et nihil valere ex ſe dicitur illud, quod ad finem ſuum non valet, ſecundùm Lactantium: vt lingua diſertiſsima infans eſt non laudans Deum: nam ad illum finem creata eſt, vt Deum laudibus celebret; & vitrum fractum nihil valere dicimus, ſcilicet ad vſum bibendi, & gladium hebetem cenſemus nihil valere, quòd fine ſecandi careat. Eadem ratione Epiſcopus, qui ſal dicitur ob id quod oues ad bonum non promouet, nihil valere cenſetur. Poteſt & illud hîc etiam dici, tales ad nihilum diuinum valere, qui extra gratiam Dei & charitatem ſunt, ſine qua Paulus nihil eſt, & ſine Chriſto ſalem quem amiſit, facere nihil valet: quanquã alioqui in oculis mundi atq; conſpectu magni eſſe, & magna efficere videantur. Ad nihilũ etiam humanę gratię, quę illos dedecet, vt in apoſtatis, de quibus illud eſt: *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo*: apoſtatæ ſiquidem vt à Deo deſpecti, & illi ingrati, ſalis ſaporẽ amiſerunt: ſic quoq; coram hominibus redduntur contemptibiles. Hinc Malac. c. 2. ait: *Propter quod & ego dedi vos*, (nempè Sacerdotes, de quibus ibi eſt ſermo) *contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut nõ ſeruaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege.*

Luc. 41.

Fatui paſtoris inutilitas extrema.

Lactan. Nil ex ſe quę valere dicantur.

Eccleſiæ paſtores inſulſi & infatuati qua etiã duplici ratione nihil valeant.

1. Cor. 13.

Prouer. 6. Homo apoſtata, vt ait Salomon, quare vir inutilis.

Malach. 2.

Niſi vt mittatur foras. Eiicitur ſal corporalis de cellis ſalariis, vt prorſus inutile, & in plateas ſpargitur, vt cõculcetur à tranſeuntibus: ita de paſtoribus: nam quamquã tales, quod ad ſe attinet, inutiles exiſtãt ad finem ſuum aſſequendum: ex parte tamen Dei ſemper eſt exeptio, quia non ſinit rem aliquam, quæ vtilitate careat: vt ſi vitro fracto non vtimur ad bibendum, valet tamen in vſum ſulphuris, nec non ad alia vaſa fingenda, neq; deſunt qui vitrea vaſa hunc ad finem emant: gladius ſimiliter hebes ſi ad ſcindendum non valet, vtilis tamẽn eſt ad formandum nouũ gladium, vel ad alia inſtrumenta conficienda. Qui ergo nolit eſſe vas miſericordię, & vas in honorẽ ſanctificatũ Domino, erit vas iuſtitiæ, ſiue vas cõtumeliæ, vt cæteri corrigantur viſa ſtatua ſalis, quam Deus ſolus facit in exemplum aliorũ: nam ex ſe inutile eſt ſal tale, vel ad ſtatuã ipſam. Porrò vxor Lot mutata eſt in ſtatuam quidẽ, quia noluit in via Dei progredi: ſalis verò mordentis, ob acerbitatẽ peccati: vt ait Euthym. Dicitur autẽ mitti foras, quia iã eſt extra conſortiũ Dei, nec enim Deus in illis habitat, neq; ipſi in Deo: eſt & extra cœli & Angelorũ amicitiã: ſed mitti dicitur foras à ſeipſo vitium conſectante: atq; Deo ſibi gratiam ſubtrahente; extra Eccleſiæ pariter obedientiam, atque extra vtilitatem, & honorem, quę poteſtati ſunt annexa, quibus interdum in hoc ſeculo, ſemper autẽ in morte, iuſto Dei iudicio priuatur. Hinc in Cãticis Spiritus ſanctus ait; *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres* (id eſt, ô Prælati, qui præcipua & pulchro Sponſæ Chriſti pars eſtis, & tantæ

Deo nil inutile.

2. Tim. 2.

Vxor Lot cur verſa in ſtatuam, & illã quidem ſalis.

Geneſ. 19.

Euthym. hoc loco.

Fatuus & inutilis animarum paſtor, vt mittatur foras.

Cant. 1.

Quid illud Canticorũ:

Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum, &c.

dignitatis ignoratione laboratis) *egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*: ſcilicet egredere de ſanctuario meo, & de corde tuo, & ſequere exempla inferiorum tuorum, qui vt greges & animantes ratione carentes, deberent eſſe reſpectu paſtorum. Sequere ergo eorum luxurias, vſuras, comeſſationes, vindictas, ludos, cæteraq; flagitia, quibus ſordent, quandoquidē ijs ipſe vtiliter non præes. Atq; ita mittitur foras à protectiōe Dei cooperiēte defectos eius, ne plebs contemnat poteſtatem, ac non ſinēte malos ſingua, vel manu ſæuire in eos, qua protectione Dei deſerente, fiunt contemptui hominibus & prædæ.

Paſtor ille infatuatus quot modis conculcetur ab hominibus.

Et conculcetur ab hominibus. Conculcantur non corde tantùm & lingua, ſed etiam manu atque ſcriptis; nec modò à Catholicis, qui tanta & verbo, & ſcripto aduerſus negligentes prælatos dixerunt, ſed etiam ab hæreticis: vnde hodie Lutherani magnos & acres inſectatores hac in re ſe præſtitére. Et homines vocat, homines quæ carnis ſunt ſectantes, diligentiusq; curantes; ſiue cacodæmones, qui in malis paſtoribus poteſtatem non agnoſcunt, quoniam nec habentes ipſi eam cognoſcunt: aliàs intelligerent, conſerri beneficium propter officium, & honorem propter onera: poſt vitam verò ab inimicis hominibus, id eſt, dæmonibus conculcantur. Contrà accidit bono ſali: ſiquidem à malis, & dæmonibus timetur, & à bonis diligitur: neque conculcatur, quia nō vincitur à perſequente. Hinc Auguſtinus li. de ſermone Domini in mōte ait: *Calcari enim non poteſt niſi inferior: ſed inferiór non eſt, qui quamuis in corpore multa in terra ſuſtineat, corde tamen fixus in cœlo eſt.* Hæc ille. ¶ In his autem verbis Dominus duntaxat detegit quid mali paſtores, doctores, & Epiſcopi mereantur; non autem quid nos debeamus exequi: nam alioqui peccator occidendus eſſet. Quod ergo ait, malos paſtores eiiciendos foras, & conculcandos ab hominibus: præceptum nobis non eſt, vti hoc erga illos præſtemus, qui præcipit dominis obedire etiam dyſcolis, & orare pro Regibus: & pro vita Nabuchodonoſor, & Balthaſar filij eius, Baruch præcipiebat orare: ſed iuſta Dei permiſsio detegitur, qui ſinit illuſores (hoc eſt, docentes, & minimè facientes, vel nec docentes, ac rapiētes, quod eſt illudere) illudi. Quare Lactantius libro 4. cap. 23. rectè tradit, quòd Philoſophi habuerūt diſcipulos multos, ſed imitatores paucos: quia tantùm dicebant, & non faciebant. Eadem ratione peſsimi paſtores, & doctores ſinuntur il-

Hominesquinam illi.

B. Auguſt. li. 2. de ſer. Dom. in mon. c. 6. to. 4 ſub. fin.

Domini dictum de paſtoribus malis foras mittendis, & ab hominibus conculcandis quomodo accipiendum.

1. Pet 2.

1. Tim. 2.

Bar. 1.

Cur multi Philoſophorum diſcipuli fuerint, imitatores.

ludi, & conculcari à nouerca, nimirum ab hæreticis, & à Turcis, poſtquàm matrem ſuam potentiſsimam non audiunt, hoc eſt, ſanctos Patres, vt Bernardum, Auguſtinū, Hieronymum, Chryſoſtomum, Baſilium, atque Ambroſium. Aegrè etenim ſolo verbo ſaluari poteſt Eccleſia, quando factu res poſsibilis non oſtenditur: ob quam cauſſam Deus homo mortalis voluit effici, & ſimilis nobis paſsibilis, faciens, & dicens; potens opere & ſermone: imò quo ſe magis nobis accommodaret, ob imperfectas vires noſtras, ſanctos nobis proponi decreuit: vt docet B. Antonius in epiſtola quadam. Huiuſmodi autem conculcantes Epiſcopos, Religioſos, & magiſtros, conculcantur & ipſi in meliore parte ſui, hoc eſt, ſpiritu à dæmonibus. Monentur ergo illi hoc loco, quod conculcantur, atque id Deo permittente: ſed quoniam ab ipſo vetatur, peccat qui facit, quemadmodū Dominus dixit: *Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala: veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalū venit.* Magna ergo reuerētia proſequamur omnes, qui in ſuperiori gradu conſtituti, Chriſti locum ſuſtinent, illoſq; debita honorificentia afficiamus nō ſecus, atq; Chriſti Crucem pictam ſcultamque, ſeu imaginem aliquam Apoſtolum, vel Martyrem referentem; temporis tamen ſitu & ſqualore deformatam dehoneſtatamq;, honoris attamen ſignū, propter id quod repræſentat, nequaquàm ſubtrahimus: namque ita nos conditionem ſalis habere monſtrabimus, ſalemque ipſum eſſentialem imitabimur, qui Chriſtus Ieſus eſt, Dominus noſter, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit omnis honor, laus & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

verò pauci ſecundùm Lactan. tum;

Actor. 1.

Luc vlt.

B. Anto Abba. epi. 3. ſub initium.

Superiores ſuos eiicientes, & conculcantes, quo d merito patiātur.

Matth 18.

Præpoſiti noſtri quāto digni honore & reuerentia.

TRACTATVS XXVIII.

In illa verba: *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.*

QVEMADMODVM in hoc mundo aſpectabili, quædam corpora ſemper illuminant, nec illuminantur, vt Sol; quædam verò illuminantur ſemper, nec illuminãt, vt terra, atq; omnia corpora opaca; quędam verò illuminant ſimul, & illuminantur, vt Luna, ſtella, aer, vniuerſaque corpora quæ perſpicua ſunt: & mōſtro eſſet ſimile, ſi terra vellet illuminare, & illuminari Sol: ad hunc modum in Eccleſia Dei, quæ mūdus quidam myſticus exiſtit, atq; per Chriſtum Patri reconciliatus, qui-

Quæ corpora tantùm illuminēt, quæ verò illuminentur ſolūmodò, quæ porrò & illuminent, & illuminentur.

2. Cor. 5.

dam ſunt, quorum officium eſt perpetuò illuminare alios, vt Chriſtus, alij verò qui illuminant, illuminanturque ipſi, quales ſunt Apoſtoli, Paſtores, & Doctores; quidam verò illuminantur tantùm, vt inferiores; monſtrumque eſſet, ſi ipſi docere vellent, & vſurpare cathedras magiſtrorũ, vel magiſtri ipſi lucere nollent: nam vtrũque deteſtandum videtur: propterea Chriſtus Dominus ait: *Vos eſtis lux mundi.* Et rectè quidem poſt ſalis metaphoram, addit illam lucis. In primis, quoniam, vt rectè inquit Theophylactus; *Qui reprehendit quæ occultè fiunt, ille lux eſt. Omne enim quod manifeſtat, lux eſt.* Deinde poſt vitam condientem alimenta conſequitur doctrina paſtoris illuminans quæ cognitione percipiuntur; vt ita ſubditi intellectu & volũtate perfecti reddantur. Ad hæc, poſt vitam qua accedimus ad Deum, lux copioſa ſequitur: & ſi mediocris quidẽ præceſſerit vita, magna tamen eſt quæ illam conſequitur. Vt rectè dictum ſit à Propheta: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Paſtores etiã boni lux mũdi vocati quadruplici de cauſſa.

Theophyl. Ephe. 5.

Pſalm. 110.

Salis & lucis quæ ratio cõiunctionis.

Lactan. li. 4. c. 3. & 4.

Pulchrè autem ſali lux coniungitur: quia, vt teſtis eſt Lactantius, ſapientia vera ibi eſt, vbi vera religio inuenitur: & contrà, vera religio eſt, vbi ſapientia. Et poſtquã multa de ſapientia nobis diſputata ſũt, ille ſapiens dicitur, qui iuſtè & piè viuit, Deumque colit ac veneratur: & agnitio fine, per commoda ſubſidia atq; adiumenta, ad illum aſſequendum contendit. Hinc rectè ait Iob: *Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligẽtia:* & Sapiens, *Initium ſapientiæ, timor Domini.* Vos ergo inquit, Apoſtoli, & in vobis paſtores omnes, & doctores, eſtis, ſiue eſſe debetis, quod ad officium, dignitatem & gradum veſtrum attinet. ¶ *Lux mundi*, hoc eſt ad pellendas verbo & opere tenebras hominum: nam & Gentiles in tenebris verſabantur, verum Deum ignorantes, & Iudæi vmbras legis ſectantes, ad veram & claram lucem, qua ſalutem & iuſtitiam apprehendant, nondum peruenerant. Sed iam aduerte, quod lux, præſtantiſsima, & pulcherrima res eſt, & inter omnia quæ apprehẽduntur ſenſu, ſummè neceſſaria: quo fit, vt per metaphoram Deus Chriſtus, Ioannes Baptiſta, Angeli Apoſtoli, Chriſtiani denique lux dicantur. Eratis enim, inquit Apoſtolus, aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Lux ergo in ſe corpus non eſt, nam duo corpora eſſent in eodem loco, nempè in aëre, & aqua, & in omni corpore diaphano ſiue perſpicuo. Deinde illuminatio motus eſſet localis, & in inſtanti factus, quia nihil lumini reliſtit: & tamẽ motui loci repugnat in inſtanti fieri. Ad hæc, omne corpus, ad certum & determinatum mouetur locum: lux autem ad omnem partem poſitionis, & à medio, & ad medium, & recto motu, & obliquo. Item, recedente Sole aër corrumperetur. & vnde quotidiè tantùm corpus Solis generaretur.

Iob 28.

Pſalm. 110.

Lucis præſtantia.

Ioan. 1. & aliàs. Infrà 5. Epheſ. 5.

Lucem non eſſe corpus, quadrupliciter.

Deinde dicendum eſt, lucem non eſſe ſpiritualẽ naturam aliquam: quoniam nulla talis ſub ſenſus cadit, qui corporearum rerum in cognitione verſantur. Lux non eſt forma ſubſtantialis Solis, eo quòd nulla ſubſtantia per ſe ſenſu percipitur, ſed ſolo intellectu apprehẽditur; & fieri nequit, vt forma, quæ eſt ſubſtantialis in vno, extrinſeca ſit forma in alio. Nam formę, quæ ſubſtantialis dicitur, per ſe conuenit rem in ſpecie conſtituere: vnde ſemper & vbique ei adeſt. Lux autem, aëris forma ſubſtantialis non eſt, quia ea recedẽte aër corrumperetur. ¶ Supereſt igitur, vt cum Damaſceno libr. 2. de Fide orthodoxa dicamus, lucem, eſſe qualitatem actiuam corporis lucidi, quæ formam ſubſtantialem Solis conſequitur: quemadmodum calor, actiua eſt qualitas ignis. Et quia eſt qualitas primi corporis alia tranſmutantis, cõtrarium non habet, agitque in inſtanti: ſecùs ignis in materia, quam calefacit, nam ſenſim & paullatim operatur. Eſt autem lux valdè ſpiritualis, datque eſſe ipſis coloribus, & vitam: eſtque medium ad nos deferens omnia quę à cœlo deſcẽdunt: etenim motus tantùm lucis vehiculum eſt. Et ſecundùm Philoſophum eſt cœli purpura, maleficiorum inimica, nauigantium directio, oculus noctis, rerumque omnium facies: vbique ſe diffundit abſque ſui diminutione, penetrat cuncta, pellit tenebras, calefacit, lætificat, & fructus producere facit: eſtque amabilis valdè. Lux igitur, ob ſui excellentiam, ſecundùm Areopagitam Dionyſium, Deum repræſentat: *Deus*, inquit Ioannes, *lux eſt, & in tenebræ in eo nõ ſunt vllæ*: cuius vnitas in eſſentia, & Trinitas in perſonis, & efficacia in operibus, pulchrè ſymbolo lucis adumbrantur. In primis enim lux, inter ea quæ hauriuntur ſenſibus, ſpiritalis maximè videtur eſſe naturæ, quæ omnia penetrat, eſtque perfectio corporum, quæ quo plus de luce participant, eo maiorem habent perfectionem: quo fit, vt aqua quã terra, præſtantior ſit, & aër pluſquàm aqua, & ignis pluſquàm aër, & cœlum plus omnibus elementis. Ad hæc, inter metalla aurum ideò præſtat cæteris, quia luce maiori præditum eſt; idcirco inter planetas aſsimilatur Soli; inter gemmas illæ

Quòd lux nõ ſit ſpiritualis naturæ.

Quid ſit lux Damaſceno.

Damaſc. c. 8.

Effecta lucis, eius Ariſtotelicum encomium.

Ariſtot.

B. Diony. lib. de Diuinis nomi p. 1. ca. 4. in prin.

1. Ioan. 1.

Ratio prima cur Deus luci comparetur.

Deus qualis lux.

... habentur, quæ lucidiores ſunt, vt adamas, pyropus, & ſmaragdus. Ad hunc igitur modum lux per eſſentiam eſt Deus, qui has proprietates lucis, longè excellentiùs ſibi vendicat. Eſt enim Deus omnia permaneans, cœlum & terram implens, & vt Poeta dixit:

Virgil. Ecl. 3. circa mediu.

Iouis omnia plena:

omneſq; ſpecies quæ videntur, & colores creas. Atque hunc quidem Deum omnia creata aliquo modo participant: nam ipſe eſt vita omnium, de quo Apoſtolus: *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*: quo autem creaturæ Deo ſunt viciniores, eo ſunt perfectiores, atque plus lucis ſpiritualis habent. Hinc Angelus præſtat homini, homo animantibus, animantes plantis, plantæ vero rebus prorſus inanimis. Deinde lux apta eſt ad Trinitatem perſonarum aliquo modo repræſentandam. Nam vt in ſubſtantia Solis eſt lux, lumen verò in medio à luce ortum, ſplendor item ab vtroque productus: ita ferè ſe habet trium Perſonarum ratio. Præterea in Sole inuenitur ſubſtantia, lumen & calor, quæ ſimiliter Trinitatis ſunt perſonarum veſtigia. Adde etiam exemplum Dionyſij Areopagitę de tribus luminibus immixte ſe habentibus, cubiculumque implentibus. Ita enim ſcribit cap. 2. part. 1. de Diuinis nominib. *Quemadmodum,* inquit, *cereorum lumina (vt ſenſibilibus ac familiaribus vtamur exemplis) in domo vna cùm ſint, & tota in totis mutuo ſunt, & integra tamen atque perfecta, & ab ſe inuicem diſcretione ſeparantur, diſcretione coniuncta, & coniunctione diſcreta. Denique cernimus in domo pluſium tedis illuſtri, ad vnumquodq; lumen cō[illegible] omnia lumina fulgoremq; vnū indiſcretum indiuiduumq; præferre. Neq; reor poſſet quiſpiā huius facis lumen ab alijs ex aere lumina cuncta cōtinente diſtinguere, & alterū ſine altero cernere, cùm tota in totis merè cōmiſta ſint. Verùm & ſi quis facem vnam tecto ſubducat, omnis quoq; ipſius lux vnà exibit, nihilq; ſecū ex luminibus reliquis ſubtrahet, vel ex ſuo cæteris linquet. Erat enim illis (vt dixi) omniū ad omnia exacta cōiunctio, merapenitùs, & nulla ex parte confuſa: idq; cùm eſſet lumē in corpore, aere, & ex materiali igne penderet. Superſubſtantialem itaq; con unctionē illam longè eminere dicimus, non modò corporalibus coniunctionibus, verùm & animalibus & ſpiritualibus ipſis.* Et reliq. Hactenùs ille.

Actor. 17.

Vnde maior, & minor perfectio creaturarum.

Secunda ratio, lucis etiā & luminis, et ſplēdoris cōtinens differentiam.

Tertia ratio, Magni Dionyſij in tribus cereorum luminibus Trinitatis exemplo coniuncta.

Circa effecta verò, vt lux eſt communis, ita Deus commune eſt bonum, omnib. cōmunicabile, celerrimū, ſine labore om[illegible] voluit, fecit, *Quia ipſe dixit, &* [illegible] *mādauit, & creata ſunt.* Vniuer[illegible] captu eorū, ſed præcipuè [illegible] hominem venientem in hunc mundum: calefacit amore, lætificat gaudio, nec non ad edendos fructus naturæ conſonos iuuat. Ac vt ſedem lucis corporeę in Sole poſuit, ita lux illa diuinitatis, In Sole Humanitatis poſuit tabernaculum ſuum: quamobrem Deum maximè in gratuitis repræſentat lux mūdi Chriſtus factus, & ab Apoſtolis participatus, tanquā luminaribus factis, propterea quod Verbum vitæ, id eſt, Chriſtum continent: vt inquit Apoſtolus: *In quibus lucetis tanquàm luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Verbum autem vitæ, Dominus apud Ioannem vocat lumen vitæ, cùm ait: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Hinc Apoſtoli, paſtores, & doctores, non tam vita, quàm doctrina, referre debent prædictas proprietates lucis. Eſt enim euangelicū Dei verbū, ſpirituale, promittens ſpiritualia, & conſiſtens in ſpiritu; perfectum, quod ad vim eius ſpectat & intenſionem: nam verba hominū ſunt vt paleæ; verbum autem Domini vt ignis, & triticum, & malleus conterens petras. Quantum ad extēſionem verò omnia implet, nā ante legem offerebat ſacrificia iuſtitiæ, quę à fide pendent, ſicut fides à verbo Dei; per quod vera circūciſione cordis, & verò Sabbato ſeruatis, ſalutem homines aſſequebantur. Eſt ergo perfectum, quia perfectas facultates perfectis ſuauiter implere docet obiectis: & quo quiſque pluribus infunditur, eo perfectior exiſtit. Eſt & verbum Euangelicū penetrantius omni gladio ancipiti, cuncta detegens, noſque regenerās: voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ait frater Domini: facitq; videre colores, id eſt, bonos qui obediunt verbo. Refert etiam Trinitatem primum in potentia confirmante; *Confirma me,* inquit, *in verbo tuo*: deinde in ſapientia illuminante: *Lucerna* enim *pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*: ad hæc in bonitate nos inflammante, vnde diſcipuli Domini dicebant, *Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Præterea verbū Dei lux eſt in Chriſto, lumē in Apoſtolis, ſplēdor in populo. Refulſit enim Sol in clypeos aureos & æreos, & reſplenduerūt montes ab eis: vt eſt in lib. Machab. Etenim Chriſtus Sol Iuſtitiæ, in Apoſtolos fulgorem miſit, ac totus eorum ab ſplendore illuminatus eſt mundus. Propheta etiam dixit: *Suſcipiant mōtes pacem populo,* id eſt, verbum pacis, ſiue verbum reconciliationis. Habens etiam Dei verbum, eſt tanquàm luminoſum corpus, ipſum verbum verò lumen eſt, quod calor amoris ardentis conſequitur.

Diuinorum effectuum cum illis lucis ſimilitudo pr[illegible]tur.

Pſalm. [illegible]

Pſalm. 18.

Chriſtus homo Deum in quibus repræſentet.

Ioan. 8. & 9.

Philip. 2.

Ioan. 8.

Verbum quo quo euangelicū aptè luci comparatur.

Ierem. 23.

Ibidem.

Hebr. 4.

Iacob. 1.

Pſalm. 118

Ibidem.

Luc. vlt.

Verbum Dei vt fuerit lux in Chriſto, lumen in Apoſtolis, ſplēdor in populo.

Malach. 4.

Pſalm. 71.

Quid illud: Suſcipiant montes pacē populo.

Verbi Dei tã quã lucis proprietates, & effectus.

Quod attinet ad effectus, verbum Dei commune eſt, ſine vlla ſui diminutione, omnibus, ſiue temporibus, ſiue locis, ſiue perſonis ſeſe diffundens. Celerrimum quoque eſt, & magnæ actionis, quippe id per duodecim viros prædicatum, vniuerſum

Pſalm. 18. Rom. 10.

orbem commouit, penetrauitq; in omnes mũdi plagas, ita vt Propheta dixerit: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: Cùm magna item ſuauitate diffuſum eſt: error namq; cum ſit priuatio, vim vllã ad reſiſtendũ non habet: illuminat inſuper de ſummè neceſſariis, vt de vita, ac via vitæ, de morte & præcipitio, & de via quæ ducit ad mortem: præſtat tũ Dei, tùm noſtri ipſorum cognitionem, naturæ, & gratiæ, corporis & animę, æternorum, & temporalium, vitiorum, & virtutum, hoſtium & amicorum: obſcuratq; malos, ac inexcuſabiles reddit, vt curioſos, & maximè hæreticos, verbũ Dei temerè tractantes. Caleſacit, frigus Aquilonis pellendo, nempè peccata, cacodæmones, tenta-

Lux verbi Dei quos cõtriſtet & offendat. Ioan. 3.

tiones, teporem ſpiritus atq; ſcrupulos; & adducendo Auſtrũ, & ignem Dei, & creaturarum, quo in Dei amore incaleſcimus: corda lætificat, tùm ſpe æternorum, tùm nouo Paracleto impetrato: contriſtat tantummodò adulteros, & latrones, & omnes qui malè agunt & lucem oderunt, qui

Pſalm. 138.

dicunt, *Forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis.* Et vt ac-

Ariſto. lib. 2. Phyſic.

cedente Sole, & recedente fiũt ortus & interitus: & teſte Philoſopho Sol, & homo

Verbum Dei vt nouũ hominem generet in Chriſto.

generant hominem; ad hunc modum verbum Dei, ad corruptionem & ſterilitatem veteris hominis iuuat, & facit, vt anima verbo Dei grauida, fructus tanto ſemine dignos edat. Nam velut terra educit nos foras tanquàm plantam in cœlum tendẽtem, datque truncum rectæ intẽtionis quæ ſurſum ſunt quærentis, ac duritiem trunci, id eſt, patientiam, largæ ramos charitatis, folia ſanctorum verborum, deſideriorum flores odoriferos, bonorum operum fructus, quibus Deus libenter veſcitur, & iuſtus in cœleſti gloria veſcetur, & proxim⁹ ob bonum exemplum deguſtat: atque ita paſtor, doctor, & quiuis fidelis, pro captu ſuo, debet habere lucis proprietates: & vt lux minimè à ſordibus inquinatur, ita neq; viri perfecti à ſeculi huius curis, ac impuris

Geneſ. 1. Apoſtoli cur lux mundi.

hominibus. Ac vt prima creatura verbo Dei condita, eſt lux, ita Apoſtoli primi à CHRISTO per Verbum Dei facti in Nouo Teſtamento, vt Verbi eſſent præcones. Vos ergo eſtis lux mundi: nam mundus totus in tenebris eſt, imò & tenebræ ipſæ, quæ lucem veram in mundo exiſtentem,

Ioan. 1. 1. Cor. 1. Cuius mũdi, & lux qualis illi ſunt. Infrà 3.

qui Chriſtus eſt, per lumen naturale non agnouerunt. Vnde Apoſtolus; *Non cognouit mundus per ſapiẽtiam Deum.* Mundi enim appellatione hîc mundi dilectores ſignificantur, quorum lux tenebræ ſunt apud Deum: nimirum ſapientia huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Vos ergo, lux noua fidei, gratiæque miniſtri, quibus poſsit mundus apprehendere vbi iacet, quò tendit, quos duces habeat, quid ſit Chriſtus, quàm pretioſa eius munera, quàm ſalubria conſilia, quàm iuſta, quamque ſuauia præcepta, quã glorioſa præmia exiſtant. Quòd

Cur non omnes Chriſtiani fiant ſecundũ Chryſoſtomum. B Chryſoſto. om. 4.

ſi vt par eſt luceremus; iam nullus eſſet infidelis, nullus Iudæus, nullus Saracenus, nullus Paganus, omnes Chriſtum amplecterentur, Chriſtum ſaperent, Chriſtum ſpirarent. Hinc Chryſoſtomus homil. 10. in priorem ad Timotheum pulchrè ait: *Idcirco nempè nos ille elegit, vt ſimus quaſi luminaria, vt veluti fermentum euadamus, vt magiſtri cæterorum efficiamur, vt veluti Angeli cum hominibus verſemur in terris, vt tãquam viri cũ infantibus pueris, quaſi ſpiritales cũ animalibus, vt ex contubernio noſtro ingentia illi lucra conquirant, vt ſemina ſimus, vt fructum latiſsimum afferamus. Nihil opus eſſet verbis, ſi in hũc modũ vita noſtra ſanctitatis luce fulgeret. Nihil magiſtris opus eſſet, ſi virtutis probos alí⁹ præferremus Nemo profectò Gentilis eſſet, ſi ipſi, vt oportet, Chriſtiani eſſe curaremus: ſi Dei monitis, ac iuſsis obtemperaremus: ſi iniurias perpeſsi, vicem nõ referremus: ſi maledictis laceſsiti, benediceremus: ſi pro malis bona redderemus.* Hæc ille, & ſanctiſsimè, & eloquentiſsimè. Vos ergo eſtis lux mundi: oculi ſitis, quibus populus videat, quibus iudicet, quibus ambulet, quibus negotietur, quibus diligat. Sed modò verendum eſt, ne populus lux ſit ſacerdotum, & paſtorum: nam plerunque cognitione, & amore rerum cœleſtium, nec non Scripturarum notitia, vitæque ſanctimonia paſtores vincunt.

Prima ratio, Cur Chriſtus tertia ſimilitudine vtatur ciuitatis in Monte. Matth. 13.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Poſt ſalem, & lucẽ, ſequitur meritò metaphora ciuitatis in monte. In primisq; homines lucidi, & ſancti ex ſe quærunt latere: vnde regnum cœlorum dicitur ſimile eſſe theſauro abſcondito in agro, quẽ qui inuenit homo, abſcondit. Et innuit, paſtores ſic debere latere, vt vel inuiti detegantur: vnde Ioannes Baptiſta in deſerto deli-

Luc. 13.

teſcens, tandem vbi miſſus eſt à Deo, prodiit in lucem: atq; hanc rationem, cur poſt

Rupe. Tuitiẽ.

ſalem, & lucem adhibeatur metaphora ciuitatis, attulit Ruper. Tuitien. Hinc Chriſtus quo magis prohibebat, ne opera ſua in vulgus efferrentur, tanto illa prædicabant

Marc. 7.

magis: vt dicitur Mar. 7. Et quoniã maiores

prodi-

prodirc debent in lucé:per ſimiles cſle ſtu-
deant faci accenſæ,quę quo vento plus agi
tatur,eo magis accéditur:ſecùs lumen can-

Secũdaratio. *Chryſoſt ho. 15 in Matth. tom 2.*

delæ paruæ. Deinde vt Chryſoſt. annota-
uit, cùm dixiſſet, Apoſtolos cſſe ſalé mor-
dentem plagas,& lucem detegentem adul-
teros, latrones, & hæreticos, cùm illi bel-
lum ſeruis Dei,& paſtoribus indicant, in-
nuit, paſtores ciuitatem inexpugnabilem
eſſe oportere,quæ ſuper mõtem polita eſt.

Apoſtoli,ac prædicatores cur dicantur ciuitas.

Comparat ergo hoc loco Dominus Apo-
ſtolos, & prædicatores ciuitati propter
multa. Primùm quidem,quoniam vt ciui-

Prima ratio,

tas ampla,& capax eſt; ita ipſi omnes oues
ſibi creditas,tanquàm ciues quoſdam,cha-
ritate complecti debent. Hinc Petro dixit:

Ioan.21.

Amas me? Paſce oues meas, quaſi dicat; ex a-
more quem mihi debes,illas paſce. Paulus

2.Cor.6.

Apoſtolus talem ſe eſſe ciuitatem oſtende
bat,cùm diceret: *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij,cor noſtrum dilatatum eſt. Non angu-
ſtiamini in nobis, anguſtiamini autem in viſceri-*

Boni vita, & doctrina paſtoris quo tẽdat.

bus veſtris. Vita enim, & doctrina boni pa-
ſtoris eo ſpectare debet, vt omnes in Eccle
ſiam Dei ingrediantur per verbi, & Sacra
menti miniſterium, tanquàm in ciuitatem

Pſalm 86.

Dei,de qua Propheta: *Glorioſa dicta ſunt de te,ciuitas Dei. Ecce alienigena,& Tyrus, & po-*

Matth.16. & infrà 10.

pulus Aethiopũ,hi fuerunt illic. Eò etiam perti
net poteſtas illis à Chriſto collata,& claues
regni cœlorum; quod eſt hæc ipſa ciuitas,

Secunda ratio.

vt omnibus ad eam pateat acceſſus. Dein-
de quemadmodum ciuitas debet eſſe for-
tis, & propterea habet muros, & ante mu
rale,turres, & propugnacula, militumque
cuſtodiá: ita Prælati inſtar ciuitatis fortiſſi

Matth. 16. Ioan.10. & ſeq.

mæ præſtare ſe debent, ir quos porte inſe
ri non præualeant, & qui glorioſum ducãt
more boni paſtoris animã ponere pro oui-
bus. Hinc per Prophetã Dominus conque-

Ezech. 13. Supra 3.

ritur dicẽs: *Non vos oppoſuiſtis murũ pro domo Iſrael*:& ad quendam Prophetam dictũ eſt:
Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eo

Infra 33.

rum, & frontem tuam duriorem frontibus eorũ,
vt ſcilicet tuearis populum tuum ab impe-
tu aduerſariorũ. Nam eius quæ perierit ani
mæ ſanguis,de manu ſpeculatoris eſt requi

Tertia ratio, Ciuitas quid. *Ori. ho. 15. in Geneſi inito tom. 1.*

rendus. Præterea,ſicut nomine vrbis mœ-
nia intelligimus,ita ciuitatis nomine ciues.
Eſt enim ciuitas quaſi plurium ciuium vni-
tas,& quia,teſte Orig. πόλις Græcè dicitur
ciuitas,atq; hoc,quia vnus ſibi ſoli non ſuf
ficit,cum multis egeat, & ſi vnus nouit fa-
cere veſtes,nun panẽ,& ſi panem,non do-
mum,& ſi domum, non tamen cætera ne-

Præpoſitus quænã præſtare debeat, ſecundùm Origenem.

ceſſaria. Ideo opus fuit,vt vnus vni arti,al-
ter militiæ,alter regimini incũberet. Qua-
re prælatus omnium debet eſſe ordo,& cũ-
cta ordinata facere, ac vnicuique quæ ſuæ
ſunt vocationis præſcribere. Ita vt quem-
admodum de ordine miniſtrantium Regi

3. Reg. 10. 1. Cor. 14.

Salomoni, mirata fuit Regina Saba, ita in
Eccleſia Dei omnia honeſtè, & ſecundùm
ordinem fiã: vt ait Apoſtolus. Atq; ita ci-
uitas ordinata eſſe debet per ſapientiã. Am

Quarta ratio

pliùs vt ciuitas omnib. rebus neceſſariis eſt
abundans(ita enim ſolent dicere qui in pa-
gis degunt; Eamus in ciuitatem, vt cuncta

Ariſtot. lib 3. Politico.

nobis neceſſaria cõparemus,& Ariſtotes in

Ciuitas quid ſecundũ Philoſophum.

Politicis: *Ciuitas*,ait,*eſt multitudo ciuium per ſe ſufficiens ad viuendum.* Talis debet eſſe Epi
ſcopus,vel Prçlatus,in quo vidua inueniat
reſugiũ,pupillus patrem, peccator ſui deli
cti abſolutionem,velut ciuitas reſugij, iu-
ſtus patrocinium, iniuria affectus iuſtitiã,
peregrinus domum, mœſtus conſolatio-
nem,imperitus doctrinam, hæreticus, &
ſchiſmaticus obicem,dæmon cõfuſionem,
mundus contemptum, & deſpicientiam:
ita vt ad illum confugiens,omnia,quæ ne-

Quinta ratio

ceſſaria ſunt, inuenire poſſit. Præterea,
quoniam,vt ciuitas ex multis ciuibus, etiã
nobilibus conſtat: pari ratione quiuis pa-
ſtor, & doctor, cum aliis Eccleſiæ prædi-
catoribus,& paſtoribus,quę eius partes prę
cipuæ ſunt, vnam Eccleſiæ ciuitatem facit,
atq; conſtituit, cuius partes quiuis eorum
adminiſtrant. Ideò ſimul iuncti in Conci-
lio,leges conuenientes condunt: *Qui vos,*

Luc. 10.

inquit,*audit,me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Suntq; eius ciuitatis veluti funda-
menta,muri,turres,portæ, clauigeri,recto
res,& gubernatores, de quibus Propheta:

Pſal. 86.

Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Siõ ſuper omnia tabernacula Iacob.

Sexta ratio.

Poſtremò, vt ciuitas ſuper montem ædifi-
cata abſcondi nequit,ſed neceſſario omniũ
oculis eſt expoſita propter montis altitu-
dinẽ: ita vos Apoſtoli ob gradus veſtri, &
ſtatus celſitudinem delitеſcere nõ valetis,
ſed neceſſariò omnium oculi in vos cõuer-
tendi ſunt. Mõs enim altiſſimus,ſuper quo

Matth. 10. & infrà 10 & Ioan. 20.

ædificati ſunt, id eſt, Chriſtus, conſpicuos
eos, & maniſeſtos facit per mirabilem po-
teſtatem eis traditam,per prædicationis,&
Sacramẽtorum miniſterium, per admira-
bilem ſignorũ perfectionẽ, deniq; per vi-

Eccleſiæ ciuitas cur ſupra montẽ Chriſtum poſita.

tæ ſanctæ conuerſationem: *Supra montem.*
ne Chriſto aſſerit Paulus, quod eſt funda-
mentum illud, præter quod nemo poteſt

1. Cor 3. Colloſ 1.

aliud ponere: quia in ipſo condita ſunt vni
uerſa. Et ab Eſaia dicitur: *Mõs domus Domini*

Eſai. 3. Pſalm. 67.

in vertice montiũ. Dauid verò: *Mõs*, inq̃t, *Dei, mons pinguis. Mons coagulatus, mons pinguis, vt*

Chriſtus qualis lapis.

quid ſuſpicamini mõtes coagulatos? Mons in quo beneplacitũ eſt Deo habitare in eo (per vnionẽ
nẽpe hypoſtaticã) *Etenim Dominus habitabit in finem.* Chriſtus etiam Dominus multa, &

magna myſteria in montibus operari dignatus eſt. Eſt item lapis angularis, qui factus eſt in caput anguli, teſte Dauide: & lapis ille apud Danielẽ, qui percuſsit ſtatuã, & factus eſt mons magnus. Familiaris eſt ſacris literis hæc ſimilitudo mõtis Pſa. 45. 47. & 86. Eſa. 60. 65. Ezech. 40. vbi Propheta demittitur ſuper montem excelſum valdè, ſuper quo viſum eſt ciuitatis ab auſtro ædificium. Deinde poſita eſt hęc ciuitas ſuper montem iuſtitiæ Chriſtianæ, quæ reſpectu illius iuſtitiæ, quæ in lege erat, mons quidam eſt excelſus. Vnde ipſe Dominus infrà ſubdit: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquàm Scribarum, & Phariſæorum, nõ intrabitis in regnum cœlorum:* atque ita beatus Auguſtinus interpretatur, & affirmat hũc ſermonem de iuſtitia Chriſtiana in monte ipſum habitum eſſe. Demùm poſita eſt hęc ciuitas ſuper montem dignitatis, & poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ facit eminere prælatos, & doctores, & vndique tanquàm lucernas in candelabro poſitas, ab omnibus ſpectari. *Poſita.* Non ſe ingerens videlicet, vel intrudens, ſed à me deſtinata, vocataq; ad tantã dignitatem, atque iuſtitiã: quamobrem ciuitas in alto loco poſita, vel eminentiores partes ciuitatis, vt turres, haud poſſunt abſcondi.

Pſalm 117 & Matth 21. & Actor 4. & Rom 9. Dan 2.

Qualiſetiam Eccleſię mõs iuſtitia Chriſtiana.

B Aug. de ſe. Domini in Monte, c. 6. tom. 4

Quis tertius Eccleſię mõs ſuper quem eſt poſita.

Per hanc autem ſententiam inprimis firmatur fides, deinde ædificãtur & mores. Fides quidem corroboratur, quia ad hoc ſignum ciuitatis poſitæ in mõte, corruunt omnes ſectæ falſæ & ſola Chriſti Eccleſia conſiſtere poteſt. Nulla eſt ènim, vel fuit hominum cõgregatio in monte, ſed in angulo, vel in ſpelũca occultè fabricata fuit, vt idololatræ, de quibus Lactan. lib. 5. cap. 20. *Iudæi certè nihil magis timent quàm publicam diſputationem, vt cùm Stephano atq; Paulo diſputantes experti ſunt, quia habent velamen ante oculos, vt nõ fulgeat illis Euangeliũ Chriſti:* Mahometus conſcius ſuæ impuritatis, & ſpurcitiæ, lucẽ fugit, diſputationeq; interdixit ſuos: hæretici omnes, vt circumcelliones, ex antris, & latibulis, ſecretiſq; locis prodierunt, vt illi qui dicebant.

Eccleſię Chriſti ſupra mõtem poſitio, & ædificatiu quantoperè Chriſtianam fidem roboret, atq; confirmet.

Lactan. Actor. 6. Infrà 9. 2. Cor. 3.

Iudæorũ Mahometi præſertim & hæreticorũ Eccleſia quàm obſcura, & tenebroſa.

Iura periura; ſecretum prodere noli:

Manichæi impuriſsima, & auditu horrẽda committebant, quemadmodum, & Gnoſtici: at Valentiniani ad loca obſcura, ac tenebris oblita Scripturarum cõfugiebant: noſtræ tempeſtatis hæretici primùm delituerunt in tenebris; deinde tanquàm vulpes ex antris prodierunt in lucem, ſuis dolis & technis pacem, & concordiam Eccleſiæ fingentes, & in primis ab ſcholaſticis doctoribus ad Patres veteres appellarunt: illis conuicti, ad Concilium generale, & Oecumenicum: illo aperto, ad lucem venire recuſarunt, atq; ad Scripturam ſuo ſenſu intellectã pertinaciter, ac improbè profugerunt. Cùm inſtat perſecutio, in pedes ſe dare ſolent, ſi capti ſunt, aut negant crimen, aut dolis, & fallaciis obtegunt: ſi dimittantur, ad vomitũ redeunt. Indiæ Occidentalis populi nuper inuenti, à diſputatione fugiunt, quòd per eam intelligunt ſe colliqueſcere, ſicut ceram à facie ignis: ſola Chriſti Eccleſia eſt ſuper montem poſita, parata omni poſcenti ſe rationem reddere de ea, quæ in nobis eſt fide, & ſpe. Hoc etiam verbo, peculiari ratione iugulatur recens quædam hæreſis à noſtri ſeculi hæreticis excogitata, quæ Eccleſiam quandam fingit olim occultam fuiſſe, cui ſua ſit continuata; ne confiteantur nouam eſſe ipſorũ Eccleſiam, aut doctrinam. Sed hoc illorum inuentum multis, & magnis rationibus euerſum atque labefactarum, penitùs ruit. Namq; Eccleſia vera, vt hìc ait Chriſtus, ſuper montem poſita fuit, cunctorum aſpectibus patens, cuius paſtores lux mundi fuère, atq; eius membra fuerunt tanquã luminaria in mundo, verbum vitæ continẽtia. Vbi ergo aſſeritur occulta aliqua Eccleſia, ac incognita, aſſeritur etiã nequaquã fuiſſe: ſiquidem, vt tradunt Iuriſperiti, de non apparentibus, & non exiſtẽtibus, idem eſt iudicium. Deinde hoc ſe clypeo protegere falſa omnis ſecta poſſet: nã Sacramentariorum ſecta, aut Anabaptiſtarum poſſet obiicere, ſe occultos habuiſſe maiores ſuos, & ita hæc ratio tã militaret pro aliis ſectis, à quibus abhorret Lutheranus, atq; eas inſectatur, quàm pro ipſa ſecta Luteri. Vt enim omnes araneæ eiuſdẽ ſunt ingenij in tela contexenda, atque omnes eodem modo mellificãt apes: ita omnes hęretici, ſemper ſibi nomen Eccleſiæ vſurparũt, vt tradunt Tertul. Auguſt. & Bernard. eiſdemque artibus, ac dolis agunt. Ampliùs, qui in tali Eccleſia occulta fuiſſent verſati, profectò ſeruari minimè potuiſſent: etenim in vera Eccleſia exigitur oris confeſsio ad ſalutem, vt docet Apoſtolus; neceſſarius eſt vſus Sacramentorum ſenſibilium: ſi ergo illi fidem proteſtabantur, & Sacramentis ſanctificabantur, occulti eſſe nequibant. Item Eccleſia, quæ occulta, & abſcondita eſt, id habet, vt ad eam confugere nemo poſsit tãquàm ad ciuitatem refugij, & ceu ad arcam Noë, in qua ſola, diluuio mundũ perdente, ſalus inueniebatur. Si ergo Eccleſia deliteſcebat, & eam nemo cognoſcebat, nulli profectò, qui ſuæ ſalutis deſiderio teneretur, perfugium erat. Adhæc, ſi vllo vnquã tẽpore latere debuit Eccleſia,

Hæreticorũ mores, & ingenium.

Pſalm 64. 1. Pet 3.

Lutherani cuiuſdã ſuam Eccleſiam Eccleſiæ Chriſti olim occultæ ſemper cõtinuatam aſſerẽtes fuiſſe, vaniſſimũ refellitur cõmentum.

Philip 2.

Secundũ argumentum.

Tertul lib de præſcript. hæret. & alibi. B Aug pluribus in locis. B. Bern. ſer. 66 in Cant.

Tertium argumentum.

Rom. 13. Geneſ 6 & 1. Pet. 3.

Quintum argumentum.

certè

certè tyrannorũ tempore, quo mors vniuerſis Chriſtũ profitentibus inferebatur. Enimuerò ſi hiſtorias Eccleſiaſticas, & maiorum noſtrorum ſcripta cõſulas, nunquã magis Eccleſiam emicuiſſe atq; eminuiſſe deprehendes, ſanguiniſq; profuſione pro Chriſto, atq; doctrina magis conſpicuam, & illuſtrẽ extitiſſe: nunquã igitur Eccleſia ſe occultauit.

Sextum argumentum.

Prætereà, ſi cuiquam fuerunt dogmata ſua occultanda, maximè hoc ſpectabat ad ipſa hæreticorũ capita, vt Luthe. Buce. Calu. at iſti fuerunt olim Sedis Apoſtolicæ publici cultores, & vt ipſi dicunt, Papiſtici maximè; ergo nulla vnquàm fuit ſecta, ab Apoſtolis in hunc vſque diem cõtinuata, quæ talia ſecretò crediderit. Imò ij ipſi vehementer gloriantur, quòd ipſi, & ſoli, Scripturarum germanũ ſenſum adinuenerint: quòd ſalutis viam, in qua ſaluentur homines, excogitauerint: quòd Sacramentorum vſum legitimum cõſtituerint. Ante eos igitur nulla talis fuit Eccleſia, niſi mathematica & imaginaria.

Hæretici quęnam ſibi arrogent ſuperbi illi, & impij nebulones.

Septimum & vltimum argum.

Matth.10.

Poſtremò, error ipſe, eius eſſe naturę deprehenditur, vt diù occultari nequeat: *Nihil*, inquit Dominus, *opertum quòd non reueletur, & occultum quòd non ſciatur*: hinc hæreticos perſpicimus ſuo tempore magno impetu foras prodiiſſe, & delitеſcere minimè potuiſſe: veritas igitur quæ non odit lucem, ſed amat, diu ſe abſcondere nunquàm potuit. Si ergo prædicti noſtræ tempeſtatis hæretici, continere ſe non potuerunt vnquàm, quin foras eruperint: multò minus alij eos præcedentes ſi qui fuiſſent, ſe in ſecreto cõtinere, valuiſſent. Cum igitur ſola Romana Eccleſia ſucceſſionem ſuam cõtinuatam, nuoquàm interruptam, integram ſemper & eandẽ, manifeſtamque ſemper tenuiſſe, per hiſtorias probatas, & patrum traditionem oſtendatur: illa profectò ſola, cum omnibus adhærentibus ſibi, tanquàm filiabus, vera erit Chriſti ſponſa, vera ſoror, vera columba, veraque Chriſti eccleſia: cæteræ verò congregationes, quæ ab illa ſe ſegregarunt, velut infames meretrices, ſecretis in conuenticulis fornicantes, ſunt reiiciendę ac deſerendæ: etiamſi fuco verbi Dei, Scripturarumq; ornamentis, ceu coloribus, liniant facies ſuas, ſpeciemq; virtutis atque honeſtatis obtendant.

Romanæ Eccleſiæ ſucceſſionis perpetuitas vnde colligitur.

Deinde ex hac ſententia formantur boni mores. Namq; paſtor poſitus ſuper mõtem dignitatis, facilè videt omnes, ſed & facilius ab omnibus videtur: idcirco eius vita, ſi bona eſt & cum virtute coniuncta, ædificat: ſi mala eſt, ſcandalizat, populũq; ad peccandum allicit, incitatque, quem tanquàm lucerna quædam ducit, vt traditur, 2.Reg.21. Hinc Leuit.4. dicitur. *Si ſacerdos qui vnctus eſt peccauerit, delinquere faciens populum, &c.* quòd profectò non diceretur, niſi peccatum ſacerdotis, imitatione redũdaret in alios.

Ex eo quod Eccleſia ſupra montem poſita eſt, tria capiuntur documenta benè viuendi.

2. Reg. 21.

Leuit. 4.

Debet ergo paſtor & doctor ita vitam ſuam inſtituere, quaſi ſpectaculũ factus mundo, Angelis, & hominibus: Deo quidem, vt ſe commẽdet: Angelis, quo eorum fauorem, preceſq; ſibi conciliet: hominibus verò, tanquàm in eorum vitæ formandæ ſpeculum ſit propoſitus. Debet & lauari ſacerdos in vaſe facto de ſpeculis mulierũ, vt dicitur de ſacerdotibus Veteris inſtrumenti: id eſt, tanquàm exemplar quoddam cõmune viuendi, omnibus ſe accommodare: ob quam cauſſam Dominus interrogabat diſcipulos ſuos, *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* non ad ſuam, qui non egebat, ſed ad noſtrã inſtitutionem & diſciplinam: nempè quo intelligamus, in quo quenquam offendere, vel mœrore afficere poſsimus, vt caueamus.

1. Cor. 4.

Sacerdos Chriſti in vaſe æneo de ſpeculis mulierum facto quando ſe lauet.

Exod. 38.

Matth. 16.

Tandẽ nos omnes ciues eſſe huius nouæ ciuitatis ſtudeamus, & tanquã in mõte poſiti, quæ ante nos ſunt cogitemus, & quæ retrò: rurſus quæ ſupra nos, & quæ ſub nobis ſunt: denique quæ à dextris, & à ſiniſtris: cogitemuſq; nos poſitos eſſe veluti in ſpecula, vt aliorũ infirmitates cognoſcentes, ad eorum miſerationẽ moueamur: ac vt videamur à Gentibus, Iudæis, Hæreticis & Chriſtianis. Propter eà abiicientes opera tenebrarũ induamur arma lucis, & ſicut in die honeſtè ambulemus.

Quilibet Chriſtianus quando erit ciuitas ſupra montem poſita.

Philip. 3.

Rom. 13.

Finge te pictorẽ eſſe egregium & opus tuum depictum in oculos omnium aliorũ prodire oportere, vt de eo ferãt iudicium: certè ſi gloriæ eſſes auidus, & aliorũ iuſtas reprehẽſiones timeres, quoties penicillum ſumeres, caueres ne quid inconcinnum vel ineptũ, aut artis regulis aduerſum pingeres: ita ſanè fidelis quiſq; cogitare debet apud ſe, quid, & quo modo operetur, ne alienum quicquam à decoro, & vocatione ſua efficiat.

Diligẽs Chriſti cultor quid in bono pictore habeat imitari.

Sed maximè hæ ſunt partes ſacerdotis, ſiue Epiſcopi, ſiue doctoris, quem vt ducem ſequi debet populus, ac vt ſpeculũ, in quo ſe cernat, intueri, & tanquàm exemplar ad imitandũ propoſitum omnes ſpectare, & tanquàm ſcopum, in quem collimare debeant, & tanquàm regulam, qua ſe omnes metiri habeant, denique tanquàm cor, quo omnes ſapiãt, & ceu ſtomachum, quo omnium cibi digeruntur, ac tanquàm caput, quo omnia membra Eccleſiæ dirigantur. Ita enim erunt ciuitas ſuper montem poſita, & verè referent Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ſit laus, honor, gloria, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Sacerdotis, Epiſcopi, & Doctoris officia.

TRACTATVS XXIX.

In illa verba: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.*

Similitudinũ ordo prædictarum, & ſequentis de lucerna.

CVM Hactenùs Dominus Apoſtolos cum ſale, quantum ad vitam, comparauerit: & cum luce, quod ad doctrinam attinet: tertiam adiecit comparationẽ de ciuitate ſupra mõtem poſita, quo oſtenderet, vitæ ſanctimoniam, quæ in paſtoribus & doctoribus inueniri debet, diu deliteſcere nõ poſſe: nunc quartam adiicit metaphoram de lucerna: per quam edocentur Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, eos quod ad miniſterium verbi attinet, doctrinamq; communicandam, abſcondi minimè oportere.

Prima ratio, cur Chriſtus Apoſtolos prius lucem, nunc lucernam appellauerit.

Ad hæc, conſiderandum, quòd Chriſtus comparauit Apoſtolos luci: modò verò illos lucernæ aſsimilat: vt doceat, ita eos eſſe lucem, non quidem per eſſentiam, vt Deus ſolus, qui per ſe lumen habet, & non ab alio mutuatum, dependensve: ſed eſſe lucem deriuatam, ceu lucernam, quæ fomento eget olei, extinguique poteſt: quod Apoſtolus explicauit vno verbo dicendo de Gentibus iam ad fidem conuerſis: *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.*

Epheſ. 5. Secũda ratio.

Dixerat prætereà, Apoſtolos eſſe lucem mundi, quæ omnium eſt cauſa generationum, nõ tantùm foſsilium atq; plantarum, ſed etiam animalium atq; hominũ, quippe acceſſu Solis, & receſſu, omniũ fiũt rerum ortus & interitus. Ne quiſquam autem valeret exiſtimare talẽ eſſe lucẽ Apoſtolos, ſimiles eos lucernæ facit, quæ illuminat quidem, at productionem nullam per ſe efficit. Vnde vel Chriſtus, qui ſe vocat lucem mundi Ioan. 8. & 9. tamen in Apocalypſi capt. 21. aſsimilatur lucernæ, ait quippe: *Et ciuitas nõ eget Sole, neq; Luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt Agnus.*

Ioan. 8. Infrà 9. Apoc. 21.

Chriſtus ſi Sol, & lux mundi, quo modo eſt lucerna.

Tametſi etenim præſenti vita Chriſtus verè ſit Sol, & lux mundi, propter cõtinuas hominum generationes, qui ex filiis iræ fiũt filij Dei, & ex filiis regni efficiuntur filij perditionis: finita tamen præſentis ſeculi vita, locus tranſmutationibus nullus erit: ob quamcauſſam dicitur Agnus lucerna. Et hactenùs de ſe ſerie, ordineq; contextus ſit dictum.

Propoſitæ ſimilitudinis de lucerna non ſub modio poni ſolita, ſed ſuper candelabrũ explicatio.

Circa ſenſum verò, & in primis quantum ad corticem, lucerna non ideo accenditur, vt ſub modio, vel in angulo ponatur: quia ſine fructu, & nullius illuminatione cõſumeretur, atq; ita oleum & opera periret. Neq; lucernæ & candelæ, quæ accẽdi in tẽplo ſolent, ponũtur ſub modio, vt hæretici blaterant. Nam in Lege, lucernæ candelabri incendebantur, & lucebant ante Deũ: at in nouo Teſtamento, vel in meridie, in argumentũ lætitiæ, & fidei Chriſti, nec nõ gloriæ lucentiſsimæ, quam expectamus, accenduntur: vti Hieronymus in Vigilantium teſtatur.

Exo. 25. & ſæpè aliàs.

B. Hieron. to. 2 in princ.

Comparantur autem Apoſtoli atq; Doctores lucernis: nã id frequens eſt in ſacris literis. *Paraui*, inquit Dauid, *lucernam Chriſto meo*: quod de Ioanne Baptiſta dictum videtur, de quo Dominus: *Ille erat lucerna ardens, & lucens*: & de Chriſto paulò antè diximus, *Lucerna eius eſt agnus*: & Dauid de ſe ipſo: *Quoniã tu illuminas lucernã meã, Domine.* Adhæc 2. Reg. 21. *Iam non egredieris nobiſcũ in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael*: cuius quidẽ metaphoræ rationes aliquot reddi poſſunt.

Pſal. 131. Ioan. 5.

Apoc. 21. Pſalm. 18.

Apoſtoli atque Doctores cur ſimiles lucernæ à Chriſto dicantur.

Prima eſt, quòd quemadmodum lucerna non ex ſe illuminatur, ſed limitatum ac mutuatum aliunde lumẽ habet: ita omnes ex nobis ſumus tenebræ, & tenebras, id eſt, priuationes lucis, ſiue perfectionis habemus: atque hoc quidem expedit vt paſtor agnoſcat, quò tum ſe, tũ alios perfectè agnoſcere queat: ideò vbi vult qui accendit lucernas Deus, & quãdo, ad quantum vult, illumimatur Apoſtolus, vel paſtor, vel doctor: at quod egent continuo fomento olei, nempè diuinæ gratiæ, ac expurgatione, vt reddant lucem. Atque hanc ob cauſam Apoſtolus, præter gratiã, & pacem eius miſericordiam optat in ſalutatione in epiſtolis, quas ad Timotheũ, & ad Titum ſcribit.

1. Tim. 1. 2. Tim. 1. Tit. 1.

Ad hæc, vt diuerſis lucernis, diuerſis in locis vtimur: cùm vna ſatis eſſe nequeat: ita diuerſos epiſcopos tanquàm lucernas, in diuerſis Deus conſtituit locis.

Tertia.

Item comparatur lucernæ Apoſtolus ſiue doctor, quoniã vt eius vſus eſt abſente luce Solis, ita Chriſto remoto, cùm præſentiam ſenſibilem ſe ſubduxerit in cœlum, paſtor tenebras noctis vitę præſentis illuminare debet: quod præſtare nõ valet, niſi ſacra Scriptura vtatur, quæ teſte B. Petro, lucerna ardens eſt in caliginoſo loco, donec dies gloriæ illuteſcat, & Lucifer Chriſtus oriatur in cordib⁹ noſtris per lumen gloriæ.

2. Petr. 1.

De quib⁹ paſtores illuminẽt ſuos ſubditos.

Illumioat autem paſtor de credendis, ſperandis, diligendis, fugiendis, cauendisve, & denique de omnibus ad ſalutem neceſſariis atq; vtilibus, pro ſtatu cuiuſq; & vocatione: dubiaq; emergentia elucidat. Namque *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiã, & legem requirent de ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Vbi verò paſtor, ſiue doctor nõ docet, lucerna accẽſa nõ eſt ſed extincta potiùs & fœtens: eo quòd noluit

Malach. 2.

uit ſuſcitare ſemen fratri ſuo Chriſto. Nūc enim Euāgelij quiſq; prædicator, ita debet in Eccleſia laborare, vt defuncto fratri, id eſt, Chriſto, ſuſcitet ſemen, qui pro nobis mortuus eſt: & quod ſuſcitatū fuerit, eius nomen accipiat. At verò qui electus ab Eccleſia, miniſterium euāgelizandi, & baptizandi renuerit, ab ipſa Eccleſia dignè, meritoq; contemnitur. Qui enim & ſibi prodeſt, & Eccleſiæ, benè intelligitur vtroque pede calceatus, vnde illud: *Quā ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizātium bona.* Qui autē lucrādorum curam refugit aliorum, diſcalceati illius non figuratum ſignificauit, ſed in ſe impletū portauit opprobrium. Hęc Aug. in lib. contra Manichęos: & citantur à Gratiano 8. quæſt. 1. c. olim.

Deut. 25. — *Rom. 10. Eſaiæ 52. Nahum 1.* — *B. Aug. 10. t.*

Quarta ratio dictę comparationis lucernæ.

Præterea comparatur Apoſtolus lucernæ: quoniā vt lucerna priùs in ſe ardet, quā luceat cæteris: ad eum morem debet charitate Epiſcopus ardere in ſe priùs, quàm lucere per doctrinā aliis: hinc illa vox Pauli: *Si linguis hominū loquar, & Angelorum* (id eſt, naturalia, & quæ naturam ſuperant, explicem) *charitatem autem nō habeam, factus ſum velut æs ſonās, aut cymbalum tinniens.* Etenim ſi quis verbum Dei, prædicatoris officio fungens, miniſtraret, extra charitatem Dei politus, profectò, ſi quorundam Theologorum ſententia vera eſt, delictum graue & lethale non euaderet, maximè ſi eius delictum eſſet omnibus compertum & notū: quamobrem Chriſtus à B. Petro priùs exegit charitatem quam illi diceret: *Paſce oues meas.* Bona enim paſcendi oues pars in doctrina communicanda poſita eſt. Hinc de Ioanne aſſeruit Dominus, quòd erat lucerna ardens & lucens: quæ verba expendens Bernar. ſerm. de natiuitate Ioannis Baptiſtæ, ſcribit: *Eſt enim, inquit, tantùm lucere vanum: tantùm ardere, parum: ardere, & lucere, perfectum. Audi quid dicat Scriptura: Sapiens permanet vt Sol: ſtultus autem vt Luna mutatur. Quia enim ſplendet Luna ſine feruore, modò plena, modò exigua, modò nulla videtur. Mutatum ſiquidem lumen nunquam in eodem permanet ſtatu, ſed creſcit, deficit, extenuatur, adnihilatur, & penitus non comparet. Sic ſi qui conſcientias ſuas in alienis labiis poſuerunt, modò magni, modò parui ſunt, modò nulli, ſecūdùm quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At verò Solis ſplendor igneus eſt, & cùm feruet acriùs, etiam oculis lucidior exhibetur.* Sic ille. Hinc Dominus Apoſtolos deſtinaturus per orbem vniuerſum ad euangelizandum, priùs miſit in illos Spiritum S. in forma ignis, quo intus arderēt zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum, ac iuſtæ indignationis in dæmones, & peccata; meritò

1. Cor. 13. — Quid linguis hominum loqui, & Angelorum. — *Ioan. 21.* — *Supra 5. B. Bernar.* — *Eccleſ. 27.* — Quare ſtultus, vt ait Sapiens, ſicut luna mutetur, teſte Bernardo. — *Actor. 2.*

vt lucere poſſent. Inſuper, vt lucerna impertit lucem ſuam aliis lucernis, ſine vllo ſuo detrimento; ita Apoſtolus, ſapientiā & doctrinam, quā in alios ſpargit, ſibi retinet, imò & per hoc augeri promeretur illā ſibi, iuxta illud: *Date, & dabitur vobis.* quod non ita eſt de tēporariis bonis. Eadem planè ratione Pater Filio cōmunicat eſſentiā ſuam, quam tamen non amittit: gratis ergo proponi debet verbū Dei, & ſine inuidia.

V. Ratio. — *Luc. 6.*

Ampliùs, lucerna ſi manu tāgatur, vrit, velut ſplendor vehemēs offuſcat oculum: non ſecùs Prælatus vrit tāgentes ſe, & murmurantes hæreticos: ita Moyſes, vt lucerna accenſa à Deo de monte deſcendit, opusq; fuit faciem eius velari, ne quenquam magno ſuo offenderet ſplendore: atque ob id diuinæ res non niſi velaminibus ſenſibilibus inuolutæ nobis propoſitæ ſunt: *Et Verbum caro factum eſt.* Quomodò autem vrere habeat Prælatus eos, qui aduerſantur & reſiſtunt veritati, docet Origenes homil. 4. in Cantica, his verbis: *Hos Sanſon* (ſcilicet vulpes, id eſt, fallaces peruerſoſq; Doctores) *qui veri & fidelis imaginem tenet Doctoris, capiens verbo veritatis, caudam ad caudam colliget, id eſt, aduerſantes ſibi, & diuerſa à ſe inuicem ſentientes, docentesq; confutet; atque ex ipſorum verbis propoſitiones collectionesque accipiens, in Allophylorum ſegetem ignem concluſionis emittat, & ex propriis eorum argumentis omnes eorum fructus atque vineas, & oliueta peſſima generationis incendat. Sed & ipſe numerus trecentarum vulpium, quæ à ſemetipſis diuerſa & diſſonantes erant, triplicem formam indicant peccatorum. Omne enim peccatum aut in facto, aut in verbo, aut in conſenſu mentis admittitur.* Hactenus ille. Poſtremò, lucerna vbi extincta eſt, fumo deſœtet; ſimili modo Doctor, vel Epiſcopus vitæ ſanctimonia atque doctrina non lucens, in ſumum vanitatis reſoluitur, fœtetque vita eius, & coram Deo & coram hominibus, domusq; eius ſiue Eccleſia in tenebris manet. Quid enim abiectius & contemptius, quàm neglecto munere Apoſtolico, cum Iuda loculis incubare, atque conſanguineis ditandis incumbere? Hinc virgines fatuæ lampades extinctas geſtātes; ob ignorationem eorum quæ ſuæ ſalutis ſunt, à regno excluduntur. Sed iam expēdamus verba textus.

VI. Ratio. — *Exod. 34. 2. Cor. 3.* — *Ioan. 1. Iudic. 15.* — Quemadmodum bonus paſtor veritati aduerſantes vrere debeat. — *Orig. tom. 1.* — Quid trecētæ vulpes à Samſone colligatæ ſignificent. — VII. Ratio, cur ſcilicet Apoſtoli, & Doctores comparētur lucernæ. — *Ioan. 12. Matth. 25.*

Neque accendunt lucernam. Accenditur in primis à ſanctiſſima Trinitate, quę lux eſt, in qua non ſunt vllæ tenebræ, & ignis conſumens. Deinde accenditur ab Angelis, per quos Dei verba, & reuelationes, ſiue inſpirationes ad nos veniunt, & deſcendunt, de quibus Propheta: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.*

Sanctiſſima Trinitas, Angeli, & homines ſancti lucernam quomodo accendant. — *1. Ioan. 1. Deut. 4. & Hebr. 12.*

Pſalm. 103.
Hebr. 1.

Tertiò, accenditur à viris bonis, & ſanctis qui docent, & in doctrina ſana exhortantur, quare veteres Patres atque Doctores Eccleſiæ qui dicuntur lumina, euoluendi diligenter verſandique ſunt: quorum lectio & ad fidem retinendam mirificè inſtruit, & ad amorem Chriſti accēdit, ſimul ea etiam quæ aliis erudiendis neceſſaria videantur, ſuppeditat.

Diuina eandem lucernā vti accendat Scriptura.

Quartò, accenditur à ſacra Scriptura, quæ vim ignis, & luminis & lucis habet. Ignis quidem, quia charitatem incendit, & omnem ſcoriam peccati conſumit. Vnde ſcriptum eſt: *Nonne verba mea ſunt quaſi ignis?* iterum, *Ignitum eloquium tuum vehementer*: rurſusque, *Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe.* Lucis verò, quia de Deo & fine noſtro, deque neceſſariis ad ſalutem inſtruit. Hinc Propheta ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis.* Lucerna quidem, ad cauenda peccata, quæ ſunt opera noctis, & tenebrarum; lumen verò ſemitis meis, ad virtutum officia præſtanda, quæ quidem opera ſunt diei, & lucis.

Ierem. 23.
Prouer. 30.
Pſalm. 30.

Pſalm. 118.
Lucerna pedibus noſtris vt ſit verbū Dei, & lumē ſemitis noſtris.

Profani Doctores quatenus legēdi.
Actor. 12.
1 Cor. 15.
Tit. 1.
Clem. Rom. ep. 1. à medio.
Sacrarum intelligentia Scripturarū vnde petēda.

Cæteri verò Doctores haud ita inſtruunt, nec mouent: licèt interdum aliquid ex eorum officina, penuque depromi poſſit: ſobriè tamen, vt fecit Paulus, & cum iudicio: potiusque ad noſtram confuſionem, quàm diſciplinam. Hinc Clemens Romanus epiſtola ad Ieroſolymitanos; *Oportet*, inquit, *à Deo intelligentiam diſcere Scripturarum, qui eam à maioribus ſecundùm veritatem ſibi traditam ſeruauit, vt & ipſe poſſit ea quæ rectè ſuſcepit, competenter aſſerere. Cùm enim ex diuinis Scripturis integram quis, & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi aliquid etiam ex eruditione, ac liberalibus ſtudiis, quæ fortè in pueritia attigit, ad aſſertionem veri dogmatis conferat; ita tamen, vt vbi vera didicit, falſa & ſimulata declinet.* Hæc ille ſanè perelegāter, & doctè.

Ethnici Doctores ſuam ferè è ſacris Scripturarū fontibus hauſere doctrinam.
Exod. 12.
B. Aug. lib. 3. Confeſſ. c. 4. to. 1. ſub init.
M. Tul. Cic. Hortenſius quid profuerit Auguſt.

Sed Patres magno ſtudio illos conſectati ſunt: etenim Gentes omnibus opibus tanquàm Aegyptios ſpoliarunt, & tanquam ab iniquis dominis in vſum noſtrum aſſeruerunt. B. Auguſtinus in libris ſuarum Confeſſionum teſtatur ſe lectione dialogi cuiuſdam Ciceronis, quem inſcripſit, Hortenſius, & qui exhortationem ad Philoſophiam continet, mirificè ad amplectendam Chriſti fidem fuiſſe permotum, atque inflammatum.

Res etiā creatæ qua ratione Dei lucernam accendant.

Quintò, ſuccenditur lucerna ab vniuerſis creaturis, quæ cùm ex amore Dei ſint conditę, & in teſtimonium dilectionis eius, quam erga nos gerit, vim habent non tantùm illuminandi de abditis, abſtruſiſque perfectionibus diuinis, vt docet Apoſtolus; ſed etiam inflammandi, ad charitatemq; numinis impellendi. Poſtremo inter omnia nihil magis accendit lucernas noſtras, quàm Humanitas Chriſti ſanctiſſima, quæ diuino incenſa atque inflammata Verbo, atque in candelabro lucis poſita maximè luxit, ſplendoreque ſuo magna mundi luminaria obtuſcauit.

Chriſtus homo eiuſmodi lucernam quamuis accenderit.
Luc. 15.
Qualis Humanitas Chriſti.

De hac lucerna in Euangelio Dominus videtur locutus, cùm illam aſſeruit per mulierem ſapientem fuiſſe accenſam, vt quæreret drachmam perditam: & ab illa Agni lucerna ignita accendendæ ſunt omnes lucernæ noſtræ: nec in alium vſum lucendum eſt, niſi vt nos ipſos & proximos noſtros Deo perditos per peccatum, Chriſto ad ſalutem inueniamus.

Apoc. 21.

Cur lucere debeamus.
Marc. 4.
Luc. 8.

Et ponunt eam ſub modio. Aduerte circa literam Marc. 4. Luc. 8. vbi hæc ſententia alio loco dicta citatur, addi de poſitione lucernæ ſub lecto, & apud Lucam pro modio ponitur vas: *Nemo*, inquit, *lucernam accendēs, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit.* Et idem cap. 9. *Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio*: quibus metaphoris, etſi diuerſis, eadem ſemper ſignificatur occultatio lucernæ. Domus enim ampla eſt, vt lux in eam diffundi, & extendi poſſit; modius verò, paruus eſt, & lux per illum reſtringitur, prorſusq; inutilis redditur.

Infrà 11.

Per modium quid: modio cur legem Moſaicam Chriſtus comparet.
Amb. in Lucam. lib. 7. cap. 23. tom. 5.

Modius ergo eſt, id omne, propter quod lux doctrinæ Chriſti reſtringitur, inq; anguſtias cogitur. Et in primis modius, eſt Synagoga, ſiue Moſaica lex, vt tradunt Ambroſ. & Hilarius. Non enim eſt lux Euangelica ſub menſura legis concludenda, nec intra terminos vnius legis cohibenda. Verba Hilarij ſunt: *Synagogam dignè Dominus modio comparat, quæ ſuſceptos fructus intra ſe tantùm receptās certum modum dimenſa obſeruantia continebat. Nunc autē fructus omnis aduentu ſe vacuauit, non tamen potens luminis occludendi: atque ideò iam lucerna Chriſti non recondenda ſub modio eſt, neq; operimento occultanda Synagogæ.* Sic ille.

Quid etiam modius ſignificet ſecundùm Auguſtinum.
Aug. cap. 12. lib. 1. de ſerm. Dom. in Monte, tom. 4. prope finem.

Deinde verò modius eſt finis ſtrictus alicuius cōmodi corporei, ſeu temporarij, ſecundùm Auguſtinum in ſermone Domini in Monte: ſiue vana, & popularis aura, quæ ita prędicatoris os obturat, ne vel vitia, vt par eſt, acriter reprehendat, vel ad virtutum ſtudia vehementiore accendat oratione, ne propoſitum lucrum, compendiumve amittat. Auguſtini verba ſunt hæc: *Quid putamus ita eſſe dictum ſub modio, vt occultatio tantùm lucernæ accipienda ſit, tanquam ſi diceret, Nemo accendit lucernam, & occultat illam; An aliquid etiam modius ſignificat, vt hoc ſit ponere lucernam ſub modio. ſuperiora facere corporis commoda, quàm prædicationem veritatis, vt ideò quiſq; veritatem non prædicet,*

dum

Modus commodum eſt corporale dupliciter. 2. Cor. 5.

dum timet ne aliquid in rebus corporalibus & temporalibus moleſtia patiatur? Et benè modius dicitur, ſiue propter retributionem menſuræ, qua quiſque recipiet quæ geſsit in corpore: vt illic inquit Apoſtolus, Recipiet vnuſquiſque quæ geſsit in corpore: & tanquam de hoc modio corporis alio loco dicitur;

Matth. 7.

In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur: ſiue quoniam temporalia bona, quæ corpore peraguntur, certa dierum menſura & inchoantur, & trāſeunt, quam fortaſſe ſignificat modius; æterna verò, & ſpiritalia nullo tali fine coarctentur.

Ioan. 3.

Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum: ſub modio ergo lucernam ponit, quiſquis lucem bonæ doctrinæ temporalibus obſcurat, & tegit. Hucuſque ille diuinus Pater. Qui ergo prædicant ad mercedes temporales ſpectantes, pulchrè in Balaam repræſentātur: de quibus Apoſtolorū Princeps in poſteriori epiſtola ait:

2 Pet. 2.

Balaam Propheta quos adumbrauerit.

Derelinquētes rectam viam errauerunt: ſecuti ſunt viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ.

Num. 22.

Subiugale mutum animal in hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam. In quæ verba ſcribit Beda:

Beda in c. 2. poſter. Petro to. 2. circa fin.

Nonnunquam, inquit, multi Catholici tantum mercedem amant iniquitatis, vt etiam docti ab indoctis, à laicis Clerici modò lacerentur. Qui iure comparantur Prophetæ, qui verbis aſinæ contra naturam loquētis corripitur, nec tamen à propoſito praui itineris retardatur. Quibus etiam aptiſsimè nomen congruit ciuitatis, de qua Balaam veniſſe perhibetur.

Boſor quid ſonet.

Boſor namq; carneus, ſiue in tribulatione dicitur. Neque alia magis cauſa luxurioſis exiſtit verbū veritatis amore pecuniæ, vel deſiderium temporalium adulterare, quàm quòd carnis ſe concupiſcentiæ mancipauerūt, indigni nimirùm Apoſtolicæ laude, quà verè fideles glorificans ait:

Rom. 8.

Vos autem fratres non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Vnde & in tribulatione ſunt poſiti, non quidem ea, quam pro Domino ipſi patiuntur, ſed in illa potiùs quæ animos infirmorum perniciſis operum ſuorum exemplis, ne ad ſalutem exurgere, vel reſipiſcere poſsint, opprimunt.

Balaam quid ſignificet.

Sed & nomen ipſius Balam, qui vanum populum, ſiue præcipitans eos interpretatur, talibus conuenit. Qui enim agnitam veritatis viam ſponte ipſi deſerunt, quid niſi vanus ſunt populus? quid niſi in præcipitium ſuos mittunt auditores; quibus non ſalutaria quæ corrigant; ſed quæ illos delectent, erronea prædicant? Hactenus Beda.

Tertia modij acceptio.

Ad hæc modius, eſt menſura luminis humani, finem & viam ad illum ducentem neſcientis. Vt enim iniuſtum foret, ſi lumen ſenſus, quod ſtrictum & perangustū eſſe conſtat, lumen rationis, quod maius & amplius eſt, veluti tyrannide vellet opprimere; ita vt nihil aliud ſit verū ex his quæ ratio dictat, ſed id tantùm quod ſenſus: ſimile profectò eſſet, & humani ratione diſcurſus diuina Sacramenta metiri.

Humana ratio cur debeat ſe ipſam (vt ait Apoſtolus) captiuare in obſequium fidei. 2. Cor. 10.

Quamobrem opus eſt, vt ratio ſeipſam deiiciat verbo Dei, & omnia ſimpliciter credat: plus enim facere poteſt Deus dormiendo (ſi in illum ſomnus caderet) quàm nos intelligere vigilando. Ex quo hæretici ridiculos ſe hodie præſtant, qui fide deſtituti, ſimilibus rationibus argutantur: Quomodò (inquiunt) totus Chriſtus in tam paruo pane deliteſcit? Quomodò deſcēdit de cœlo? Quomodo valet vnus & idem tot occupare loca? Quomodo fracto pane, nō frangitur Chriſtus?

Hæreticorū conuenticula (quæ quarta eſt acceptio) quàm rectè modius appellentur.

Item modius, conuenticula hæreticorum ſunt, antra & cauernæ vulpium, & luſtra ferarum: nam ea ratione pro paucis mortuus eſſet Chriſtus; obſcura quoque eſſet Eccleſia, atque latens; nec fidem exerta voce confitens. Hinc Bernard. ſermone 66. ſuper Cantica in quoſdam ſui temporis hæreticos, ſcribit:

B. Bern. circa med. ſerm.

Se dicunt Eccleſiam: ſed contradicunt ei qui dicit: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuprà montem poſita. Ita ne lapidem de monte abſciſſum ſine manibus, montem factum, & implentem mundum, veſtris credidis incluſum antris?

Dan. 2. & ſeq.

Et proximè ſuprà: *Nempè, inquit, iactant ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & Apoſtolicos nominant: nullum tamen Apoſtolatus ſui ſignum valentes oſtendere. Quouſque lucerna ſub modio? Vos eſtis lux mundi, dictum eſt Apoſtolis, & ideò Apoſtoli ſuper candelabrum, vt toto luceant mundo. Pudeat ſucceſſores Apoſtolorum lucem non eſſe mundi, ſed modij; mundi autem tenebras.*

Quales ille ſe vendicent infelices.

Sic ſanctus Pater.

Quinta modij ſignificatio.

Eſt præterea modius puſilli animi atque timidi, in tēpore neceſsitatis propter homines Chriſtum confiteri erubeſcentis: *Qui erubuerit me,* inquit, *& meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet.*

Luc. 9.

Catholicus prædicator debet cum Propheta dicere: *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & nō confundebar.*

Pſalm. 118.

Sextus modij ſignificatus.

Ad hæc, modius eſt, prædicatorem diuini verbi perpaucis curioſis tantùm velle placere; cùm tamen laxanda ſint retia in capturam, vt multi piſces capiātur: vt Petrus bis fecit Act. 2. & 4. qui magnam hominū multitudinē ad Chriſtū conuertit.

Luc. 5. Act. 2. infrà 4.

Concionatores à paucis tantùm volētes intelligi, quales merito videantur.

Qui autem ſermonē affectāt, quo à paucis intelligantur, ſimiles ſunt iis, qui multos ad prādium inuitarent, & tamen duorū, triumve guſtatui cibos condirent, reliquis verò vel crudos vel parū ſapidos proponerēt. Sunt ergo ſubtilia omnia reſecāda, atq; inutilia; quæ verò ſalutaria exiſtunt, planè ac perſpicuè pro auditorū captu accommodāda.

Quid candelabrū, cui ſuperponitur lucerna, ſignificet.

Sed ſuper candelabrum. Per candelabrum, vel Chriſtus ipſe, vel clauis ſciētiæ, vel poteſtas docendi, vel ipſa Eccleſia, quæ nota eſt, valent intelligi. Eſt enim Eccleſia, vt mōs. ſuper quo paſtorum ciuitas ſita eſt: &

candelabrum, ſuper quo lucernæ hinc inde poſitæ ſunt: & Apoc. 1. ſeptem candelabra aurea ſeptem interpretantur Eccleſiæ. ad quas Ioannis ſcripſit. Etenim vt Moyſi candelabrum tres ex vno latere lucernas, & totidem ex alio habebat, & ſeptimam lique maximam lucernam in medio: ad hunc ſanè modum Chriſtus Dominus, in ſummo gradu candelabri collocatus eſt, tanquam ſumma lucerna, habetque à dextra lucernas tres, id eſt, Doctores Inſtrumenti Noui; tres verò à ſiniſtris, nempè Veteris Teſtamenti Prophetas & magiſtos.

Apoc. 1. Ibidem. Exod 25. & alibi.

Vt luceat omnibus qui in domo ſunt. B. Auguſtinus per domum, mundum intelligit, de quo dixerat, *Vos eſtis lux mundi:* ad quod alludit Paulus, cùm ad Philip. ſcribit, quòd lucerent tāquàm luminaria in mundo. Sed germanior videtur expoſitio, ſi per domum intelligamus Eccleſiam, de qua Apoſtolus; *Hac tibi ſcribo, fili Timothee, vt ſcias quomodò oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* Namque in Eccleſia tantùm lux eſt, ideò eò intrandum, vt lux videatur: & Chriſtus, qui intus eſt, alias lucernas accendens, agnoſcatur. Vt miserè hallucinentur hæretici, qui extra Eccleſiam quærunt veritates: ſimileſq; efficiuntur iis, qui hortum multis & pulchris fontibus ornatum, credere nollent, quia ipſi nondum viderunt; rogati verò vt ad eum ſpectādum ingrederentur, recuſarent, ſed dicerent, Adhuc fontes iſtos ad me, vt poſſim credere. Ita hæretici cùm extra Eccleſiam ſunt, clamitant, Demonſtra mihi veritates iſtas, quo credam. Quibus dicendum eſt, vt primùm Eccleſię ſe in gremium recipiant; quod vbi præſtiterint, quamprimùm illis lux veritatum Catholicarum fulgebit. Inter Catholicos verò multi ſunt, qui volunt quidem ad lucem mundi Chriſtum, & ad priſcorum Patrum exempla reſpicere: vt vitam Chriſtiano dignam viro agant; ſed ad candelam paruam rationis & prudentiæ humanæ: vnde in multis deficiunt. Curent ergo paſtores Eccleſiarum meminiſſe ſe poſitos ad lucendum vita atq; doctrina. Quare Eſaias dicebat: *Væ mihi, quia tacui;* & Paulus, *Væ mihi eſt, ſi non euangelizauero.* Exod. 28. Præcipit Dominus, vti Sacerdos, dum ingreditur Sanctum Sanctorum, veſtem gerat tintinnabulis, & malogranatis contextam vndique, vt audiatur ſonitus, quando ingreditur Sanctuarium, & non moriatur. Quia, vt Magnus Gregorius ait: *Iram contra ſe occulti iudicis erigit paſtor, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit.* Debet autem ex charitate, charitas ipſa, vnitas, pax & concordia Chriſtiana, in malogranato ſignificata, prædicari, vt ita habitum, quem geſtat, vita & moribus adimplere videatur, ope & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto ſemper viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Domus quid Auguſt. quid alius probabilius. B. Aug lib. de ſerm. Domini in monte, in ſin. tom 4. Philip. 2. 1. Tim. 3.

In Eccleſia Chriſti ſola lucem eſſe, contra Lutheranos.

Quinam ex Catholicis ponere lucernam ſub modio videātur.

Eſai. 6. 1. Cor 9. Exod. 28. Quid quòd ſummus olim Sacerdos Sanctuariū ingrediens, veſtē vndiq; tintinnabulis, & malogranatis contextam geſtare debeat. Greg Rom li. 2 epiſt 29 circa med. to. 2.

TRACTATVS XXX.

In illa verba: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

QVIS ſit ſcopus in bonis actionibus ſpectandis, ex Platonis ſententia Cicero libro 1. Offic. aperuit. Ait enim: *Non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici.* Volebant igitur ad illa tria ſapientem, ſiue Philoſophum opera ſua referre oportere. Sed profectò verum nobilioris partis parētem ignorabant, nempè Deum ipſum; veram etiam patriam, quæ in cœlis nos manet: etenim magno in errore is verſaretur, qui carcerem patriam eſſe exiſtimaret ſuam: veros etiam amicos neſciebant, quorum negotium agere debemus: hi ſunt omnes homines, qui à nobis tanquam proximi & amici tranctandi ſunt. Etſi ergo Philoſophi ex parte attigerint, quòd ſit referendum bonorum operum ſtudium; integrè tamen atque perfectè Chriſtus in propoſitis verbis illud præſtitit: quæ more noſtro diligenter excutienda ſunt & ponderanda.

Quid Plato bonarum actionum in ſue ſtatuēdo peccauerit. M. Tull. ſub initium. Hebr. 13.

Circa eorum verò contextum dicendum eſt primò, quòd cùm Chriſtus comparaſſet Apoſtolos ſali terræ, mundi luci, ciuitati ſuper montem poſitæ, & lucernæ lucenti in domo, hoc eſt, Eccleſia, atq; habente bonum teſtimonium ab his qui foris ſunt, qui mundus dicuntur; periculum autem eſſet, ne ita ſe ingererent ad inſtruendos alios, vt interim obliuiſcerentur ſe ipſos, docet nunc modum & finem propter quem aliis lucere debeant. Hinc ad bona opera rectè perficiēda hortatur Dominus, ſicut & Paulus; *Attende*, inquit, *tibi & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Quidam enim inueniuntur, qui ſibi ſolis, & non doctrinæ attendunt; atque hoc exiguum eſt, & his qui docendi munus habent, haud ſatis. Quidam verò aliis tantùm inſtituendis ſtudent, ſui verò curam omninò negligunt; at hoc vanum eſt, & inſtar candelæ illumi-

Quæ ratio connexionis horum cum præcedentibus.

1. Tim 4. Tria Doctorum genera: & quodnam deterrimum genus hominum.

illuminantis alios, conſumentis ſe ipſam. Porrò alij ſunt, qui & ſibi, & aliis vacant; quod prudentis eſt charitatis: at poſtremo loco deterrimoque ſunt, qui nec ſibi, nec aliis proſpicientes, more brutorum animãtium hic degunt, quo præcipites ferantur; quos ſuo exemplo ſecum trahunt, nihil curantes.

Prædicatores quando perfectè doceãt, ac moueant auditores.

Hortatur deinde Chriſtus Apoſtolos, & in eis eos, qui docendi munere funguntur, vt doctrinam quam verbo prædicant, factu facilem reddant, illamque bonis operibus, vt ait Apoſtolus, ornent atq; confirment: *Nam alioqui vnus ædificans, & vnus deſtruens, quæ vtilitas in vtriſque?*

Eccleſ. 34.

Benè enim docendo, & malè viuendo, Deum doces, quomodò te punire & condemnare debeat, teſte Chryſoſtomo.

Chryſ. ho. 25. tom. 2. initio.

Adde, quod cùm operibus externis bonis & laudabilibus, qualia ſunt docere, ſacrificare, ieiunare, orare, & eleëmoſynas facere, maximè inſidietur inanis gloria, illaq; adiecto malo fine corrumpere nitatur:

Bona opera cur in Dei Patris gloriã ſint tantummodò referenda.

Dominus his verbis docet, in quem ſit potiſſimùm finem intuendum, nempè vt Pater in omnibus glorificetur. Proponens quippè verbum Dei, ſi aptè & cùm fructu ſuum præſtet o[illegible]icium, periculum eſt vanæ gloriæ, ac ſolutioris vitæ: ſi verò ineptè, aut ſine auditorum frequentia, & fructu prædicet, ob auditorum malitiam, in diſcrimen venit deſiſtendi à munere ſuo, tacendiq;. Idcircò Chriſtus inſtruit, vt ſimul cum doctrina inſtemus bonis operibus, quæ autoritatem præſtant & efficaciam verbo prædicato.

Quomodò ſimul ſint lux, & lucerna doctores.

Docet inſuper quomodò ſimul ſint lux, & lucerna: lux quidem, illuminando abſque vlla ſui diminutione, velut lucerna vel candela facit: lucerna verò, vt pendentes ab alio, nempè Deo, in illuminando nos eſſe intelligamus. Omnes enim creaturę velut vmbrę quędam ſunt, à Deo, qui velut corpus eſt, depẽdentes. Expendamus iam ſingula verba.

Quemadmodum lucere debeat lux noſtra corã hominibus.

¶ *Sic*, inquit, *luceat lux veſtra*. Doctrina ſcilicet Euangelica, quæ eſt lux lucernę deriuata, tendens ad Deum, limitataque, & ardens in caliginoſo loco. *Sic luceat*, inquit, nempè quomodo dixi lucernam lucere ſuper candelabrum omnibus qui in domo ſunt. Vel ſimpliciter ita luceat lux veſtra, vt videant, hoc eſt, adeò luceat lux veſtra, vt videant opera veſtra homines. Non autem ſignificat finem, non enim, inquit, ad hoc luceat lux veſtra, vt videant homines: ſed ita luceat, vt homines videant, & ſic tantùm conſecutio eſt, non finis, qui eſt glorificare Patrem, vt ſubdit.

Lux cur noſtra dicatur.

Et addit, *Veſtra*, Tum quia à Deo donata eſt vobis, neq; quærentibus, neq; promerentibus; nam Deus ſcietiarum. Dominus eſt: quanquã interdum rogari velit. *Si quis*, ait Iacob. *indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*.

Iacob. 1.

Tuum eſt enim, quod tibi ab altero datur, vt caſtrũ, veſtis, liber; ita & quod tibi donatur à Deo.

Hanc lucem vt i nos intellectu poſſideamus.

Deinde dixit, *Veſtra*, id eſt, à nobis triplici ratiõe poſſeſſa. Primò quidem intellectu, capiente & penetrante illam, non autem offuſcato vel obtenebrato: nam alioqui confunderet alios: atq; hoc beneficium datum eſt fidei & Eccleſiæ. *Niſi enim credideritis*, inquit Eſai. *nõ intelligetis*: nam vbi non eſt fides, nullum eſt lumen ſcientiæ: vt in hæreticis conſtat.

Eſai. 7.

Hæreticos vtpote infideles ſine luce eſſe.

Quemadmodum ſi in templo aliquo tantùm panis eſſet, & extrà ingẽs fames omnes inuaderet: qui ex templo exiret, proculdubio in famem incideret, nec haberet vllos veros cibos, ſed pictos, vel ſictos, qui eſuriem minimè tollerẽt: ad eum modum Eccleſia Bethleem eſt, ſiue vera domus panis, ab ea quicunq; per hæreſim recedit, nõ poteſt non eſurire; vt filius ille iunior, qui à domo patris recedens, abiit in regionem longinquam. Facta eſt autem fames valida in regione illa, & cœpit eſurire: nec inuenit niſi ſiliquas porcorũ. i. mẽdacia verbi Dei prætextu colorata, venenaque melle lita.

Luc. 15.

Si lucem hæretici nõ habẽt, quid nobis interdũ lumen doctrinæ ſuppeditant.

Quòd ſi dicas, multa bona hęreticorum libros continere, non negamus: ſed hæc ad panem Eccleſiæ Catholicæ ſpectant, vnde illa ſuffurati ſunt. Paulus ergo meritò de his ſcribit, quòd non intelligunt neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.

1. Tim. 1.

Voluntate lux quomodo poſſidetur à nobis.

Deinde non tantùm intellectu, ſed etiam voluntate poſſeſſa eſſe lux debet. Etenim veritas ipſa, & ſapientia maximè eſt amabilis. & rapiens cor noſtrum: hinc eſt, quod Philoſophi pulchrum ſibi nomen indiderunt, id eſt, amatores, vel amici ſapientiæ. Ita quoque Chriſtiani affectu debet eſſe transformatus in ſapiẽtiam ipſam, quæ Chriſtus eſt, & cùm Salomone dicere; *Hanc amaui, & exquiſiui eam à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius*.

Sap. 8.

Qoid lucem vita, vt debemus, & moribus poſſidere.

Ad hæc poſſideri etiam debet, vita, moribus, & guſtu: dicere enim ſolitus erat B. Franciſc. *Tantum quiſq; ſcit, quantum operatur*: Philoſophus verè ille eſt, qui præcepta, quæ de virtute & honeſto ſunt, in mores transfundit. Pulchrè enim Seneca lib. 12. epiſt. epiſt. 85. ad Lucilium ſcripſit:

Magni Senecæ exemplum aptiſſimum.

Alimenta quæ accepimus, quamdiu in ſua qualitate perdurant, & ſola innatant ſtomacho, onera ſunt. At cum ex eo quòd erant, mutata ſunt, tunc demùm in vires, & in ſanguinem tranſeũt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, præſtemus, vt quæcunque hauſimus, non patiamur integra eſſe, nec aliena ſint, ſed concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Hæc Seneca.

Lucere debeat lux noſtra quare coram hominibus, ſecundū Origenem. Orig. circa med. ho. 10.

Coram hominibus. Ponderat hoc verbum Origen. homil. 9. in Prophetam Ezechielem, his verbis: *Quomodò, inquit, lomē lucernæ ad Solis radios obſcuratur, & velut alia quædam cæca materies contenebreſcit: ſic licèt fulgeat iuſtorum omnium lumen ante homines, non tamen fulget ante Chriſtum. Luceat quippè lumen veſtrum, non ſimpliciter dictum eſt, ſed luceat ante homines. Ante Chriſtum non poteſt lumen fulgere iuſtorum. Vt ſplendor Lunæ, & micantia cæli ſydera, priuſquàm Sol oriatur, iuſtationibus ſuis rutilant, orto verò Sole abſconduntur: ſic lumen Eccleſiæ, vt lumen Lunæ, priuſquàm oriatur lumen illud verum Solis iuſtitiæ reſplendet, & clarum eſt ante homines: cùm autem Chriſtum viderit, ante eum contenebreſcet.* Sic ille. Ergo coram hominibus, qui ex ſe ſunt tenebroſi & lippi, neque claritatem Solis in ſe ipſo ferri apti; quibus opus eſt, paulatim lucem contemperatam in ſanctis hominibus oſtendere, quam in luce inacceſſa, hoc eſt, in Deo ferre non valent.

Qualis lux noſtra præ Chriſti luce: quo ſplendore.

1. Tim. 6. Deum lucē inacceſſam, quibus oculis videre poſſimus.

Simili ratione, qui diu vixit in obſcuro carcere & tenebroſo, haud debet quā primùm inde educi ad ſpectandum lumen Solis, ſed in cubiculum clarum, inde in aliud clarius, & inde tandem ad lucem meridianam Solis: ita Deus Optimus Maximus in ſe ipſo quidem nobis inacceſſa lux eſt, ſed in nube Humanitatis, magis eſt ſpectabilis, in Sanctis adhuc magis comprehenſa. Hinc beatus Antonius epiſtola tertia ſub initium, Sanctos aſſerebat nobis à Deo datos, qui ſe infirmitati noſtræ attemperarent: quare Moyſes de monte deſcendens, faciem velabat propter populum, ne gloria vultus eius offenderentur: quem prædicator verbi Dei imitari videtur, qui altiſſima fidei dogmata, multis contegit comparationibus, variis condit parabolis ac exemplis, quo capi poſſint.

B. Anton.

Exod. 34.

2. Cor. 3.

Vt videant opera veſtra bona. Hoc eſt, vt videntes opera veſtra bona glorificent: nam quomodò alioquin lucere poſſet lux coram hominibus, quin eam viderent? Non debet Chriſtianus Doctor in ſecretum locum ſe abdere, ne ſuſpicionem præbeat ſiniſtrè de ſe cogitandi. Nam qui malè agit, odit lucem. Quo fit, vt Chriſtus Dominus publicè edere, bibere, conuerſari, & orare coram teſtibus voluerit, vt ipſe de ſe dixit: *Ego palam locutus ſum mundo, Ego ſemper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus ſum nihil.* Deinde, vt videant, inquit: non tantùm vt audiant veſtram ſanam doctrinam, ſed vt etiam videant veſtra opera bona; nempè plus mouent exempla, quàm verba: &,

Ioan. 3. Cur publicè, nō priuatim docere debeant prædicatores. Infrà 10.

Segniùs irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator:

Horat. libro de arte.

Et Seneca libro primo, epiſt. ſexta: *Primòm quia homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt; deinde quia longum iter per præcepta, breue & inefficax per exempla.* Sic ille. Naufragium quippè oculis viſum plus mouet, quàm pictum, vel auditum.

Externum Dei cultum ſine interno nihil valere.

Tertiò, cauendus eſt hic duplex error grauiſſimus. Primus eorum, qui contenti larua quadam externa quorundam bonorum operum, vt ieiunij, eleēmoſynæ, precationis, pſalmodiæ, ſacrificij, & ſimilium; cor tamen plenum habent Dei diffidentia, odio proximi, impatientia in aduerſis rebus, ſuperbia in proſperis. Quare de Gētilibus dixit Lactantius Firmianus libro quarto, capite tertio: quòd omnis eorum religio erat, Indigetis occidere animalia, dare munera. Talis erat error Phariſæorum, qui iuſtificabant ſe coram hominibus; Deus autem nouerat corda illorum: qui mundabant quod deforis eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni erant rapina & immunditia. Hic autem propterea grauis eſt error, quia Deum, qui ſpiritus eſt, putabant externis delectari, aut quaſi homo corpus tantùm eſſet, & non Spiritus. Vt namque donum externum ab aliquo qui te odio proſequeretur, oblatum, gratum tibi minimè exiſteret, aut acceptum: ita de tanto numine cogitare debebant, atq; illi in vtroque homine ſeruiendum: ne dicat; *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

Lactant.

Luc. 16. Matth. 23.

Eſai. 2. Matth. 15.

Internū contra Dei cultū ſine externo nō ſufficere.

Alter error etiam diligenter cauendus eſt eorum, qui exiſtimant ſatis eſſe, cor Deo donare. Ego, inquiunt, credo, ſpero in Deo, illū diligo, illi me ex intimis cordis commendo viſceribus, ad illumque ſecretas fundo preces; externa verò alia opera quaſi vana & Phariſaica, & quę ad tumorem inducant operantes: declinant: qua ratione ducti recentes hæretici, contentos ſe iactant fide, ſiue fiducia quadam in Deo, murmurāt verò in omnes externas bonas actiones, quaſi neq; ad ſalutem neceſſarias, neq; verè bonas. Sed in hunc errorem clypeo veritatis muniendi ſumus. Primò quidem, cogitando diuinam iuſtitiam, & ſapientiam, quæ ſingulis rebus ſecundùm ſuam naturam legis tulit: & lapidi quidem, qui totus quantus corporeus exiſtit, indidit legem corpoream, vt ex alto loco deſcendat ad centrum: at Angelo, qui totus ſpiritus eſt, legē ſpiritalem dedit, vt ſcilicet cōditorem agnoſcat, illiq; perpetuas gratias

Primum argumentum à Scripturis.

agat:

Geneſ 4. Luc. 21. Matth. 26. Luc. 18. Matth. 25.

agat: homini verò, qui corpore & animo conſtat, legem ſpiritui,& corpori ſeruientem largitus eſt. Hinc Chriſtus in Scriptura laudat fidem Abel, & munera eius; viduam ornat minuta duo inſcrentem in Gazophylacium: commendat mulierem, quæ effudit vnguentum ſuper caput ipſius recumbentis, & bonum opus operatam fuiſſe teſtatus eſt: celebrat Publicanum, qui in templo longè ſtabat, & percutiebat pectus ſuum: quæ omnia planè ſunt externa: vituperabit quoq; eos in iudicio, qui non fuerint ornati operibus miſericordiæ externis.

II. Argum.

Deinde impoſſibile eſt prorſus, cor eſſe bonum, & guſtans quæ ſpiritus ſunt, qui in opera externa erumpat. *Cor*, ait Dauid, *meum*, *& caro mea, exultauerunt in Deum viuum*: ac vt ira ſæpe per corporis motus, ſenſuſque prodit; ita ſpiritus intus deliteſcens, per opera pietatis, & iuſtitię ſe ipſum exerit. Rectè Iacobus ait, *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam*; & infrà, *Fides ſine operibus mortua eſt*, hoc eſt, viua non eſt, nec vitæ ſenſum, motumve habet.

Pſal. 83. Iacob. 2. III. Argum.

Ad hæc, quia homines ſumus, nec interna cordium poſſumus penetrare, multis fomentis ſubſidiorum externorum inuicem indigemus, ac mutuis obſequiis, quibus nos inuicem ædificemus, ſolemurque. Ideò Chriſtus ait, *Vt videant opera veſtra bona*, & Paulus ad Tim. *Exemplo eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*; ac rurſus ad Romanos, *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus*.

Matth 5. 1. Tim. 4. Rom. 12.

IV. Argum. & quo etiam modo debeant lucere paſtores.

Amor Dei etiam non conſtat ſine amore proximi: vbi verò eſt amor, illum obſequia & mutua officia conteſtantur. Rurſus ait, *Vt videant*: ſiquidem magnæ lucernæ, vt tedæ atque faces, vento non ſolum non ſæpè extinguuntur, ſed magis flatu ipſo incenduntur; ſecus ſi paruæ ſint lucernæ: ita Prælati tanta luce debent fulgere, vt nec ſecundis rebus efferantur, nec frangantur aduerſis.

Chriſtianæ religionis præſtantia ſuper alias ſectas vnde colligi poſſit.

¶ *Opera veſtra bona.* Vita, moreſque Chriſtianorum longè antecellunt alias ſectas profitentium mores; ac propterea Gentes meritò arguere poterant, præſtantiorem eſſe noſtram religionem, ac maiori cum ſapientia coniunctam. Namque, vt diximus, ſapientia cum religione connexa eſt. Atque ob hanc cauſam voluit Dominus, Sacerdotes eſſe magiſtros, & Doctores. *Labia*, inquit, *Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Malach. 2.

Cur Deus Sacerdotes voluerit eſſe Doctores.

Qui verò apud Gentes ad Sacerdotium promouebantur, cùm magna inſcitia laborarent, Doctores non erant: vt Lactantius libr. 4. cap. 3. affirmat.

Lactant.

Ait autem, *Opera veſtra*, nempe à Deo vobis donata, ac proinde veſtra; quemadmodum vita veſtra, anima veſtra; quæ tamen ab ipſo ſuppeditantur.

Quibus de cauſis bona opera Chriſtus noſtra vocauerit.

Deinde addit *Veſtra*, quoniam cooperamur in omnibus operibus bonis: itaq; tota Deus operatur tanquam principale agens, tota etiam nos vt organa viua, & animata efficimus: quemadmodum literæ omnes huius Scripturæ totæ ſunt calami, totæ & Scriptoris, & fructus omnes plantæ toti producuntur ab arbore, & toti à terra: vt tradunt Patres, Bernardus & Auguſtinus, Gregorius verò quodam loco ita ferè ait: *Bona opera noſtra, & Dei ſunt, & noſtra: Dei, per præuenientem gratiam: & noſtra per ſubſequentem voluntatem. Hinc dicitur à Propheta, Omnia opera noſtra operatus es nobis: & Apoſtolus: Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.*

Bernard lib. de liber arb. Aug lib. de praedeſt ſanct. c.7. tom 7. Greg. ho 5. in Ezech. to. 2. Iſai 26. Philip. 2.

Ne quis autem exiſtimaret, ita Deum operari in nobis bona opera, vt nihil nos ad ea efficienda conferamus: ſubdit; *Omnia autem facite ſine murmurationibus & hæſitationibus*: & paulò ante, *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.*

Bona opera vt præparauerit nobis Deus, vt in illis ambulemus.

Ad illa tamen bona opera præparauit Deus, cor fide illuminando & intus iuuando. Vnde ad Ephesios ſcribit *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.*

Epheſ. 2.

Omnes quippe creaturę, vt Philoſophi etiam docent, propter operationem ſuam ſunt, vt Sol, cœlum, terra: atque ita quiuis Chriſtianus, ſiue concionator Euangelicus, intelligat ſe ad actiones aliquas deſtinatum.

Opera cur dicuntur bona.

Vocat autem iſta opera, bona: quia operantes boni ſunt, & cum Deo bono operãtur, & bonum finem ſpectant: quare meritò dicuntur bona.

Tẽpli fabricam, Miſſas, & eleẽmoſynas bona eſſe opera & vtilia contra Bucerum.

Hoc loco Bucerus bona opera interpretatur, ea quæ vtilia ſunt; quod verum eſt, & admitti poteſt. Ergo Miſſæ, vel templi fabrica, vel eleemoſyna, ad ſubleuandas Purgatorij animas, cùm vtiles minimè exiſtant (vt ait) bona opera non erunt. Verùm iſte more phrenetici, dementiſque, obliquum cerebrum ſuum in tanta re iudicem conſtituit, neque fidem vel Eccleſiam, vel etiam rationem conſuluit: quæ docet, quòd ſi eleemoſyna poteſt iuuare corpus proximi tui periturum, dando illi cibum, & veſtem, & hoſpitium, multo magis vtilis eſſe poterit animo, dando operam, & iuuando, vt fiat locus orationis, in quo audiatur verbum Dei, & ſacrificium celebretur, & Sacramenta diſpenſentur.

Bona etiam eſſe opera, ſuffragia mortuorum

Ad hæc, quid impedit, quominus ſuffragari poſſimus noſtris precibus, eleemoſynisve, animis qui purgentur, quibus cum

vnum corpus (in quo eſt noſtra fraternitas & cognatio) vna in carne efficimur? Dices; Non video Purgatorium: at hoc eſt, quia fide es deſtitutus; etſi ea duntaxat quæ oculis percipiuntur, credenda eſſent, neque Trinitatem, neque Diuinitatem in Humanitate deliteſcentem crederes: cùm tamen Petrus dicat; *In quem nunc quoque non videntes creditis*: & Apoſtolus, Fidem, ait, eſſe argumentum non apparentium, & inuiſibilium. Quòd ſi aſtruas, de diuinitate Chriſti mentionem eſſe in Scripturis: reſpondebo, & de defunctis iuuandis ſcriptum eſſe: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Bona ergo opera vtilia eſſe admittimus. Sed inter illa præſtantiorem locum tenent, quæ animo potiùs, quàm corpori conducunt: neque reuera vllum eſt opus bonum proximi tui, quod tibi non ſit vtile, vt ſanctus vir quidam dicebat: quia in vno corpore cum eo manes, vbi mutuò gaudent, & compatiuntur ſibi inuicem membra, & prece & exemplo mutuò ſe iuuant. Quicquid ergo expenditur in cultu Dei, & vtile exiſtit, & ſanctum, ac bonum; quantumcunque murmuret Iudas fur, qui auaritiæ ſuæ tegendæ gratia dixit: *Vt quid perditio iſta vnguenti facta? Poterat enim vnguentum iſtud venundari plusquàm trecentis denariis, & dari pauperibus.*

Hæretici, vt aiunt, cur nō videant Purgatorium.

1. Pet. 1.
Hebr. 11.

2. Mach. 12.
Animi, quā corporis præſtatiora eſſe opera bona.

Marc. 14.
Eſai. 61.

Et glorificent Patrem veſtrum. De hac Dei Patris glorificatione futura prædixerat Eſaias cap. 61. *Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Perſpice, bone lector, quòd Luciferi, & Adami, atque cuiuſuis peccatoris ruina, in hoc ſita fuit, quòd ad ſe conuerſi omnia trahere voluerint, & peruerſe Deū imitari. Nam cùm ille infinita ſit bonitas, perfectio atque maieſtas, meritò ad ſe totus eſt conuerſus, & ſe ſuper omnia diligit, ſeque ſummo honore proſequitur, & denique omnia ad ſe trahit. Hinc dictum eſt à Salomone, *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* In hoc autem quòd petit à nobis coli, & laudari; vtilitatem ſuam nequaquam quærit, ſed creaturæ. Sicut enim mater volens infantem ſibi ſubiici, haud propter ſe, ſed propter filiolū, quem maximè diligit, eiusque vitam à gladio, igne, omnique alio caſu ſeruare contendit, cuique facultates ac poſſeſſiones atque honores relinquere cogitat: ad hunc ſanè modum Deus benedictus, qui tanquam pleniſſima eſt mater omnium hominum, vult vt nos omnes illi ſubiiciamur, illique per omnia pareamus, illumq; honorificemus. Creatura ergo, quæ in hoc Deum imitari contendit, grauiſſimè delinquit dum vult ſibi ab hominibus exhiberi honorem, metum ab hominibusq; laudari & extolli magnificè. Huius grauiſſimi erroris, pernicioſiſſimique radices præſcindit Chriſtus, dicendo; *Vt glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*, indicās omnia opera noſtra ad Dei gloriam illuſtrandam, nomenque eius magnificandum referenda eſſe: vt ex fine tam alto & eximio agnoſcamus & magnitudinem operantis, & altitudinem præmij, quod operantes manet. Quare cùm diſcipuli dixiſſent Ioanni Baptiſtæ, *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Reſpondit Ioannes, & dixit; Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo, &c. Hoc ergo gaudium meum impletū eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui habet Sponſam, Sponſus eſt, & eam poteſt fœcundare, & ditare.* Ego amicus Sponſi ſum, quia ille Deus, ego purus homo: illum oportet creſcere per opera mea, & per miniſterium baptiſmi mei, vt Meſſias & filius Dei agnoſcatur & glorificetur. Deus porrò glorificatur, non tantùm cordibus noſtris, & linguis, ſed etiam factis. Vt pictor enim in operibus ſuis gloriam ſibi cōparat, ita Deus, in hoc quòd tales ac tantos ſeruos habet, qui dicūt & faciunt. Nec enim poteſt Dominus bonum nomen habere, qui malam familiam habet, vt ait Autor imperfecti in Matthæum: & dicendo, *Et glorificent*, non ait Deum, ſed, *Patrem veſtrum*, inſinuat, hoc redundare aliquo pacto in gloriam noſtram, nam gloria tota Patris ad Filium ſpectat: glorificabitur igitur Deus vt pater, ſi nos ei per omnia morem geramus, illum diligamus, reuereamurque, atq; operemur propter eum vt filij: debet ergo eſſe cuique talis gloria, calcar ad bonum. Petrus in prima ſua Canonica dixit; *Conuerſationem veſtram inter Gentes habētes bonam: vt in eo quòd detrectant de vobis tāquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.* Quid eſt glorificari Deum in die viſitationis? Nempe quando ipſi à Deo viſitati, & ſale conditi, & luce illuminati, agnoſcent ſuum errorem, dicentque ille iuſtus, ille ſanctus erat, ille lux & lucerna. Sæpe enim cùm iuſti bene operantur, deridentur à malis, neque proficiunt apud illos: verùm poſteà, dum à Deo viſitantur, atque ſublata illa perturbationis veluti nebula, ad cor redeunt, Deum laudant, atque eius miniſtros. Ideò Auguſtin. rectè admonet, correptionem fraternam, etiam ſi frater doleat & angatur cum fit, minimè eſſe ſubtrahendam:

Vnde totum ſuum malū animæ peccatricis.

Prouerb. 16.

A nobis honorē, & gloriam cur Dominus requirat.

Diuinæ laudis, & honoris fructus ipſis.

Ioan. 3. ſupra c. & ſeq.

Deus Pater quemadmodum a nobis glorificetur.

Autor oper. imperfect. in Matt. ho. 10. tom. 2 oper. D. Chryſoſt.

1. Pet. 2.

Quid Deū, vt Petrus ait Apoſt. glorificare in die viſitationis.

B. Aug. ep. 50. ad Boniſaciū & alibi paſſim, tom. 2.

hendam:

Ingrata tamen & moleſta, vt ait Auguſt. cur minimè ſit omittenda fraterna correctio.

Patrem cur Chriſtus vocet cęleſtem, alioqui implentem omnia.

hendam: quia tempore ſuo fructum edet: quemadmodum medicina amara cùm ſumitur, minimè placet, & cauterium quod dolorem efficit, acerbum exiſtit: ſed paulò poſt beneficium cauterij & amaræ potionis ſentitur, & agnoſcitur. Subdit, *Qui in cœlis eſt.* Ad differentiam terreni parentis, & vt indicet rationem cur ſit Pater ille cęleſtis glorificandus, quare Dominus eſt omnium in cœlis habitans. Tametſi Deus omnia impleat, in cęlis tamen eſſe dicitur, quia ibi verè cognitus eſt; ac proinde ab Angelis, & beatis mentibus ſummè dilectus, atque laudibus cohoneſtatus. Vt nos intelligamus, quanto ſtudio affectanda ſit atque ambienda illa cœleſtis manſio, quo eum cum reliquis, indeſinentibus laudum præconiis, ſummaque honoris ſignificatione proſequi valeamus, per gratiam Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui cum Patre in vnitate Spiritus ſancti ſemper viuit & regnat, in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS XXXI.

In illa verba: *Nolite putare quoniam veni ſoluere Legem, aut Prophetas. Non veni ſoluere Legem, ſed adimplere.*

Eſai. 9.
Chriſtus cur Admirabilis & Conſiliarius à Propheta nominetur.

MAGNA ratione à Propheta Chriſtus Dominus dictus eſt Admirabilis, Conſiliarius, quòd non tantum in operibus ſuis Dominus, ſed in omnibus etiam verbis dignus ſit admiratione. Cùm ergo hactenus beatos prædicauerit pauperes, mites, lugentesque, ac perſecutionem patientes; quæ certè paradoxæ mundo atq; prudentiæ humanæ videntur: ita nũc ſententiam ſubiungit, quæ non minorem quàm cæteræ omnes admirationẽ mereatur. Etenim cum conſtet poſt Chriſti mortem, finem habuiſſe legem, & Prophetas: mirum ſanè poteſt videri; qua ratione dixerit, *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Hoc ergo nunc agamus, in eoque elaboremus, vt hic nodus ritè diſſoluatur.

Hęc ſuperioribus verbis quàm aptè reſpondeant.

Circa cõtextum autem præmittenda ſunt duo: alterum ex Autore operis imperfecti in Matthæum, quòd cùm Chriſtus propoſuiſſet octo illas ſententias planè paradoxas, à communique omnium ſenſu remotas de perfectione Chriſtiana, addidiſſetque: *Vos eſtis ſal terræ, lux mundi, ciuitas & lucerna*, poterant Iudæi (qui exiſtimabant ſe vitam in Scripturis habere, ſciebantque quòd Moyſi locutus eſſet Deus) putare quòd Chriſtus noua, peregrina, & aliena

Matth. 5. Infrà 9.

à Patribus & Lege Moyſi introduceret: hoc præueniens ſoluit, dicendo; *Nolite putare quoniam veni ſoluere Legem, aut Prophetas.* Eius hæc ſunt verba ho. 10. *Propter duas cauſas dicit non ſe veniſſe vt ſolueret Legem, ſed vt adimpleret. Primùm, vt diſcipulos ſuos, quos omnibus bonis operibus adornatos eſſe debere ſuprà docuerat, his verbis ad ſuum prouocaret exemplum; vt quemadmodum ipſe omnem Legem implebat, ſic & illi omnia, etiam minima, Legis feſtinarent implere. Deinde quia futurum erat, vt Iudæi calumniarentur in Sabbatis operantem, & lepram tangentem quaſi ſoluentem Legem: ideò priuſquàm incurrat in calumniam, calumniatoribus ſatisfacit.* Sic ille. Alterum eſt, quòd Chryſ. (quem ſequuntur Theoph. ac Euthy.) annotauit, Dominum hæc verba præfatum fuiſſe ad Iudæos, quia Veteris legis præceptis maiora adiungere volebat, dicturusque erat; *Audiſtis quia dictum eſt antiquis*, hoc vel illud. *Ego autem dico vobis.* Quibus verbis videbatur excitare ſeditionem, & Legi, vt imperfectæ, adderet: ideò præmunit eos hac præfatiuncula, & admonitos veritatis reddit. Nam reuera in omnibus valde neceſſaria exiſtit conſonantia in doctrina, vt Dei eſſe poſſit iudicari; quia vna eſt veritas, & vnus Spiritus veritatis, atque vnus Deus, qui non fallit, aut ſibi contradicit. Quod ideò annotatum eſſe voluimus aduerſus noſtri temporis hæreticos, qui omnino noua, & antiquis contraria introducunt: cùm tamen, Domino teſte, *Omnis Scriba doctus in regno cœlorũ, ſimilis ſit homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo* (non noua contra vera, ſed) *noua & vetera.* Ex quo Auguſtinus 18. de ciuitat. Dei doctiſſimè probat, Scripturam ſacram veram eſſe ex conſonantia Veteris & Noui Teſtamenti; ſectas verò Philoſophorum omnium ex diſſonantia colligit à Deo non eſſe. Ait ergo, *Nolite putare*, id eſt, non vos opprimat talis cogitatio, quia falſa eſſet, vel impia. ¶ *Quoniam veni ſoluere legem.* Particula, *Quoniam*, quæ Græcè eſt ὅτι, frequenter ab interprete vertitur *Quoniã*, vbi clarius dici potuiſſet, quòd: nam Græca vox vtrumque ſignificat: verùm hoc leuiſſimum eſt. Senſus quidam porrigitur huic loco à quibuſdam, parum certè literæ ac veritati conſonans: *Non veni*, inquit ille, ſcilicet in propria perſona ad ſoluendam legem, benè autem poſt mortem per Apoſtolos. In quem ſenſum magni ponderis occurrunt nonnulla. Primum quia Dominus ſubiungit, *Donec trãſeat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*: neque ergo dum vixit, neque poſt obitum legem venit ſoluere. Deinde

Quibus duabus de cauſis ſe dicat Chriſtus non veniſſe vt ſolueret Legem.

Luc. 6.

II. Solutio.
Chryſ. ho. 16. tom. 2.
Theophyl.
Euthym.

Hęretici Scribæ indocti meritò videri poſſunt, vt pote noua tãtummodò proferentes.
Matth. 13.
B. Aug. 10. 5.

Caietani hic ſenſus: Non veni ſoluere legẽ, in propria videlicet, ſed Apoſtolorũ perſona, multis refellitur.

perinde eſſet, veniſſe ad ſoluendum, ac veniſſe ad præcipiendum ſolutionem per Apoſtolos: qui tamen ſe non ſoluiſſe affirmant. Namque Apoſtolus ad Rom. 3. ait, *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus.* Rectè enim dicitur Chriſtus veniſſe vt det vitam mundo, quanquam hoc poſt mortem ſuam impleuit, ſicut & verè dixit: *Ignem veni mittere in terram*, licèt hoc poſt obitum & aſcenſionem ſuam in die Pentecoſtes perfecerit. Prætereà Dominus non tantùm, inquit, *Non veni ſoluere legem*, verùm adiecit, *ſed adimplere*: vt intelligas nunquam ſoluendam, quæ maximè poſt eius mortem implebatur. Adimplere ergo legem, non eſt ſoluere legem. Ad hæc, ſi per Chriſtum lex non eſt ſoluta, profectò neque Apoſtoli, nec Eccleſia primitiua, quæ parem cum Deo poteſtatem non habet, ſoluiſſent, neq; ſoluere potuiſſent: eo quòd poteſtas inferior non poteſt irritam facere legem ſuperioris; etſi poſſit voluntatem Dei declarare, ad eam firmãdam, ſi Dei eſt, vel infirmandam, ſi non ſit eius. Apparet ergo hic ſenſus neque verus, neque intentus ab Spiritu ſancto.

Rom. 3. Ioan. 6. & Infrà 19. Luc. 12.

Secundus ſenſus eſſe poſſet, verus quidem in ſe, ſed ad hunc locum minimè requiſitus, nec accommodatus, nempe quod Chriſtus in propria perſona ſeruauit legẽ & in nullo violauit. Nam circa vitam, circumciſus eſt octauo die, quadrageſimo in Templum oblatus, aſcendit ad feſta Ieroſolymam, more Iudæorum habitum geſtauit, præcepta legis impleuit, cibos lege præſcriptos comedit: vt dixerit; *Sic nos decet implere omnem iuſtitiam.* Quãtum ad doctrinam verò, nihil alienum à lege Moyſi tradebat, neque Sabbati quidem violationem: quippe Iudæi ipſi in Sabbato extrahebant bouem, vel aſinam ex fouea, ſi in eam cecidiſſet; puerum circumcidebant in Sabbato, Sacerdotes operabantur in templo die Sabbati: nec violauit legem indemnata adultera, non enim, inquit, Adultera non eſt lapidanda; ſed, *Ego non te condemno*: quaſi dicat, non ſum ego executor Legis: ad me non pertinet damnare, vel abſoluere. Verè ergo Chriſtus per omnia legem impleuit. Accuſationes verò Iudæorum: *Nos legem habemus: & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*; meræ extiterunt calumniæ & impoſturæ, nimirum ex inuidia maleuolentiaq; profectæ. Vnde illis obiecit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & Apoſtolus ait de Chriſto, factum fuiſſe ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret: at factum eſſe ſub lege, nihil eſt aliud, quàm obſequentem mãdatis Legis ſe præſtitiſſe. Hic ſenſus verus quidem eſt, minùs tamẽ ad rem facere videtur. Inprimis quia dixit, *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant*; quibus verbis apertè inſinuat, aliquid faciendum ſupereſſe. Siquidem præterita certum eſt non poſſe non fuiſſe. Deinde, quia hæc Legis obſeruantia erat illi communis cum cæteris, vt Dauidi, Zachariæ, Elizabethæ, qui per omnia ſeruaſſe traduntur legem. Ad hęc, vno, vel altero implente, vel ſoluente legem nõ dicitur abſolutè lex adimpleri, vel ſolui. Imò qui non implet, ſoluitur ipſe, lex autem permanet in vigore ſuo. Adde quòd obſeruare legem, finem rationis non habet, vt ob hoc dicatur veniſſe: lex quippe ob aliud obſeruatur, nempe vel ob amorem, ceu finem intrinſecum, nam finis eius eſt dilectio, id eſt, vt homines ſe mutuo amore proſequantur: quia vel Philoſopho teſte humanus legiſlator ciues, amicos potiùs quam iuſtos facere ſuis legibus cooatur: fit autẽ lex propter eius promiſſa conſequenda, tãquam ob finem extrinſecum.

Alter ſenſus, improprius huius loci. Leuit. 12. Luc. 2. Ibidem. Ibidem. Leuit. 11. & Deut. 14. Matth. 3. Infrà 12. Ioan. 7. Matth. 12. Num. 28. Ioan. 8. Leuit. 20. Ioan. 19. Cur Iudæi Chriſtum Legis inobſeruantiæ notauerunt. Suprà 8. Galat. 4.

Prædicti ſenſus nempe quòd Chriſtus in ſua perſona Legem venerit ſeruare exponuntur incommoda. Pſalm. 118. & ſeq. Luc. 1. Finis legis cuiuſque. Ariſt. lib. 1. Polit. ca. 14. & alibi paſſim, tom. 3.

Ad verum autem ſenſum ſtatuendum, tria priùs explicanda ſunt. Primùm, quid ſit lex, deinde quid ſit legem ſoluere, poſtremò quid eſt implere legem. Primò ergo lex, hebraicè à Domino dicta eſt Thorah, hoc eſt, regula, inſtructio, doctrina, à verbo ירה quod eſt inſtruxit, ſiuè docuit: vnde Moreh ab eadem radice ſignificat doctorem, ac inſtructorem: Græcè verò νόμος dicitur ἀπὸ τοῦ νέμειν, à tribuendo ſcilicet, quod vnicuiq; ſuum tribuat, lex verò Latinis vocatur, vel à legendo, quod legeretur ſcripta, vel in corde, vel extra in tabulis lapideis, velut illa Moyſi; vel in æreis tabulis, vt illæ Romanorum, vel à ligando, vt alij volunt, vel vt Cicero ait, à delectu, quod in ea eſſet delectus boni, & æqui, vel denique lex dicitur quaſi lux. Et quoniam inter omnes inſtructiones doctrinaſque, illa quæ Docet Deum, & finem vltimum, eumque aſſequi, atque cum eo coniungi, potiſſima exiſtit: ideò per excellentiam illa inſtructio ſiue regula dicitur Thorah, ſeu nomos, ſiue lex. Nulla enim maior inſtructio aut beatior illa, de qua Propheta. *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum*: nulla maior diſtributio, quàm Deo, proximo, & ſibi tribuere quod debet: nihil magis dignum à nobis legi, nullo etiã magis nos digni ligari: nulluſque maior æqui bonique delectus: nulla denique amplior, & felicior lux. Atque hæc quidem de nomine. Aduerte tamen, quòd etſi nomine legis veniat Scriptura Veteris Teſta-

Lex Hebraicè Thorah Græcè νόμος ſit dicta Latinæ legis variæ denominationes. Exod. 31. & 34. Cic. lib. 1. de legib. Lex atq; doctrina quæ omnium præſtantiſſima. Pſalm. 93. De qua lege in præſenti ſit ſermo. Ioan. 18. Pſalm. 54.

Teſtamenti vniuerſa, vnde Dominus dixit: *Vt ſermo impleatur qui in lege eorum ſcriptum eſt, Quia odio me habuerunt gratis*, quod tamen in Prophetæ Dauidis Pſalmis inuenitur: propriè tamen hoc loco accipitur pro Pentateucho, quem vocant Hebræi Thorach, quia diſtinguitur contra Prophetas. De re ipſa dicendum, legem integram, & Prophetas, in vno verbo charitatis contineri. Hinc Dominus inquit: *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ*; & Paulus: *Finis præcepti eſt charitas*: quod etiam hinc liquidum fiet. Nam cùm lex in eum finem nobis ſit lata, vt Deum colamus, duplexque cultus exiſtat, alter internus, alter externus, atque inter hos externus ſimpliciter minimè exiſtat neceſſarius, nam Angeli, & animi hominum beati, Deum ſine externo ritu, vel ſacrificiorum, vel ceremoniarum, vel ieiuniorum, vel laudum, quæ vocibus conſtant, venerantur, & colunt: porrò internus cultus, vt teſtantur Paulus, & Auguſtinus, in Fide, Spe, Charitateq; conſiſtat, ex quibus fides habet quidem cognitionem Dei, verùm cum obſcuritate, & ænigmate coniunctam: efficitur, cùm ab Angelis & beatis Deus ſine fide colatur, in ea merum cultum nequaquam exiſtere. Deinde Spes, robur quoddam in Deo habet, ſed tanquam de re abſente, necdum poſſeſſa. Cùm ergo beati Deum comprehendant, exinanita eſt Spes: reliquum eſt igitur, vt cultus internus, totus præcipuè conſtat in amore Dei. Inſuper lex iuſta non eſt, ſi non ſit conueniens, & conformis eorum naturæ, quibus fertur: quo fit, vt rebus corporeis, legem merò corpoream: Angelis verò qui ſpiritus ſunt, purè ſpiritalem tradiderit: homini ergo, qui animo & corpore conſtat, legem præſcripſit, quæ internum ex ternumque cultum præciperet: vnde Adam in Paradiſo terreſtri, vtroque genere cultus Deum erat proſecuturus: etenim à certa arbore abſtinétiam Illi indixit: quod ad exteriorem cultum pertinebat. Deinde in lege naturæ, Deus patres inſtruxit, vt in ſe crederent, ſperarent, ſeq; amarent & diligerent ſuper omnia: docuit illos ſacrificia, & reliquas cæremonias, quibus Deum colendum intelligerent. Poſt hæc in Lege Moyſi præter multa præcepta, quæ ad internum cultum ſpectabant, tradidit peculiares ritus, modos, atque tempora ceremoniarum, in quibus, tanquam extrinſecis, & non principalibus, cultus Dei continebatur. In lege etiam præcipuè traduntur præcepta pro formando, inſtituendoque in vita, & moribus illo populo: ſub illis tamē ritibus, & ſacrificiis Chriſtus atque eius myſteria continebantur.

Legem vniuerſam in Dei amore conſiſtere.
Matth. 22.
1. Tim 1.
Cultus Dei alter internus, alter externus: hunc vnde certum ſit non eſſe ſimpliciter neceſſarium.

B. Auguſt in tract. de laudib. charitatis, tom. 9. & lib de vera relig. c. vlt. to. 1 & alibi.
1. Cor. 13.
In fide, & ſpe potiſſimum Dei cultum minimè contineri.
Qua ratione legis homini Deus, & internum, & externū Dei cultum imputare debuerit.

Contrà autem in Prophetis, qui in primis prædicant, & futura Meſſiæ myſteria, & interim exhortantur ad cuſtodienda legis præcepta, quæ proximè ſpectabant ad illam legem, licèt eorum finis eſſet Chriſtus, vt ait Apoſtolus. Ex his quæ diſſeruimus, elicitur quid ſit lex. Eſt enim nihil aliud, quàm inſtructio ad colendum Deum, non tantùm Fide, Spe, & Charitate, ſed etiam externis honoribus. Neruus autem, & eſſentia legis eſt, tùm Dei cultum eſſentialem, & per ſe Deo gratum, qui conſiſtit in receſſu à peccatis, & acceſſu ad Deum per iuſtitiam fidei, & proximi dilectionem, oſtendere, tùm Chriſtum, per cuius gratiam illum cultum præſtare poſſent, adumbrare. Præcipuum autem, & eſſentiale Prophetis fuit, Chriſtum, id eſt, caput, & corpus eius, quæ eſt Eccleſia dictis, & factis prædicare; & cultum Dei ac dilectionem docere. Atque hæc tantùm ſunt, quæ Deus per ſe præcepit, extrinſeca verò; & quaſi aduentitia pro tempore, loco & perſonis, ſunt externæ colendi Deum formæ, & ceremoniæ, quibus interiorem cultum exercebant, ac poteſtabantur, iudiciaque, quibus homines erga proximos ſuos in officio continebantur. Atque hæc omnia exteriora per Moyſen ſeruum tradita ſunt: Vnde per Ieremiam Dominus dixit: *Holocauſtomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes: quia non ſum locutus patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocauſtomatum, & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus.*

Aliter lex, aliter Prophetæ de Chriſto docebant.

Rom 10.
Lex quid ſit: in quo maximè conſiſtat.

Prophetarū præcipuum mun⁹ quod.
Epheſ. 2. & Coloſ. 1.

Ierem 7.

Quod ergo ait: *Non præcepi eis de verbo holocauſtomatum, & victimarum*: intellige per ſe, & immediatè, & à principio, ac quaſi haberent vim mundandi conſcientiam, bene autem per Moyſen, & poſt peccatum idololatriæ, atque vt ſacrificia, quæ diis ſalſis exhibebantur, ſaltem vero Deo impenderentur. Ideò per occaſionem præcepi, & non quaſi ad emundationem conſcientiæ quicquam proficerent. Quod verò ſubdit: *Sed hoc verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam*: ſignificat ſe ab eis exegiſſe fidem, pietatem, charitatemque, quæ partim clare, partim in illis ceremoniis, ac ritibus adumbratæ erant. Porrò quod attinet ad cultum noſtrum internum, ſeu eſſentialem, quem in via Deo exhibemus, illius in gloria, quod imperfectum in eo eſt, ceſſare debet: qua ratione fidei obſcuritas manente cognitione abolebitur,

Deum non præcepiſſe Iudæis de verbo holocauſtomatum, & victimarū iuxta Ieremiā, id quomodo verum ſit.

Exod 32.
Illud: Sed hoc verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam, quid ſibi velit.

1. Cor. 13.

ſicut & ſpei eſſentia, manente robore, & poſſeſſione accepta: at charitas ſublato omni defectu permanebit. Legis igitur illa externa officia, atque cultus in aduentu Meſſiæ ceſſare debebant. Et hactenus de lege.

Quomodo Chriſtus nō venerit ſoluere legē, vt ipſe dixit.

Soluere legem quid.

Matth. 26.
Ioan. 2.
Infrà 10.

Ad ſecundum verò, aſſerendum eſt, aliud eſſe, legem deſinere, aliud ſoluere: aliud legem tranſgredi. Nempe ſoluere legem, aliud non eſt quam illam deſtruere. vigorem eius tollere, vimque infringere. Nam cùm dixiſſet Dnminus Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: Ioan. etiam 10. dicitur: *Non poteſt ſolui Scriptura*, id eſt, frangi ita, vt non impleatur. Simili ratione ait in prima Catholica ſua: *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt*: nimirum qui diſſoluit ligamen, vinculum, & vim vnionis hypoſtaticæ.

1. Ioan. 4.

Quid ſoluere actum.

Soluere ergo legem, eſt vim legis adhuc vires habentis tollere, ac frangere: & dum adhuc prædicta eſſent aliqua, quæ cnmplenda erant, deſtruere, nam ita lex ſolueretur profectò. Ceſſare verò legem, eſt, illam peruenire ad finem, metamve ſuam. V. g. vt res exemplo fiat illuſtris, candela accenſa ſi flatu extinguitur, poteſt dici ſolui: ſi verò cōſumpta ſit materia ceræ, haud ſoluitur, ſed per ſe ceſſat. Similiter iuuentus ſoluitur, ſi violentè occidas iuuenem, vt ſi quis completa iuuentute, virilem ingrediatur ætatem, ceſſat quidem ætas iuuenilis ſe ipſa, non ſoluitur. Dominus igitur primùm ſe ait non veniſſe ſoluere legem; nunquam tamen aſſeruit ſe veniſſe, vt non ceſſaret lex, quæ per ſe ſuapte natura deſitura erat, atque peritura. Porrò legem tranſgredi, eſt, legi non obedire, ſed violare legis præcepta. Atque in primo illo ſenſu capitur hic ſoluere pro deſtruere, vel abolere, vt ſcopus verborum Chriſti ſatis indicat, & vis verbi Græci hic poſiti καταλῦσαι, quod eſt deſtruere, non ſimplex verbum λῦσαι, quod tamen mox ponitur, cùm ſubiungit: Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis. Et Ioann. 7. quando docet nō ſolui legem per circumciſionem factam in Sabbato.

Ceſſare legem quid.

Legem tranſgredi quid.

Quod Chriſtus minimè ſoluerit legē, oſtenditur.

Quòd igitur per ſe non venerit legem ſoluare, ex eo demonſtrari poteſt, quoniam quantum ad eſſentialia eadem eſt Iudæorum fides atque noſtra. Nam quæ illi de vno Deo, ac vero, cœli, terræque conditore, & qui eduxit populum Iſraëlem de Aegypto, legemque, & Prophetas illis dedit, Iudæi crediderunt, & nos credimus. Deinde quod ad ſpem attinet, docemur pariter in Euangelio, ſperare in Deo viuo, qui vitam opes, gratiam, atque omnia bona nobis ſuppeditat: quem admodum edocti erant Iudæi. Adhæc charitatem ſtatuit, quæ amorem Dei, & proximi præcipit: quod idem faciebat Lex vetus.

Exod 14.
Infra 20.
1. Tim 6.

Chriſtum legem Moyſi minimè ſoluiſſe, multis oſtenditur.

Atque ita Dominus legem non ſoluit, id eſt, verbum, ſeu eſſentiam legis, at ceremonias atque iudicia Dominus minimè ſoluit, verum ſuapte natura ceſſarunt. Primùm, quia de illis in aduentu Meſſiæ prædictum erat à Prophetis quòd terminanda forent, ac ceſſatura, vt Malach. 1. Eſai. 1. Pſalm. 39. Oſeæ 4. Danielis 9. & alibi plures.

Secundò, accertum argumentum.

Deinde quoniam eiuſmodi præcepta, quæ ſuo tempore erant deſitura, voluit Dominus per hominem, id eſt, per Moyſen tradi, moralia mandata verò, quia æterna, per ſe ipſum promulgauit, ſiue per Angelum perſonam Dei referentem, Exod. 20.

Exod. 20. & ſeq.

Euſeb. li. 1. de demon. Euág. ca. 3. tom. 1.

Tertiò, quia vt ait Euſebius de demonſtratione Euangelica, impoſſibile erat legem Euangelicam per totum orbem extendendam tales continere ceremonias: nam quomodo poſſent omnes homines vniuerſi orbis conuenire in Ieruſalem ad ſacrificia? aut qui poſſet omne maſculinum ter in anno comparere coram Domino è remotiſſimis partibus, vti iubebat Dominus, maximè nunc ablata Ieruſalem de manibus Iudæorum? Vt enim ait Chryſoſtomus orat. 1. contra Iudæos: Quemadmodum medicus videns ægrotum frigidam concupiſcentem, ac ni accipiat, periturum, vt vel ad laqueum fugiat, vel vt ſe præcipitem det è ſublimi, permittit quod minus eſt, cupiens illum à violenta morte reuocare, & phiala à ſuis ſedibus allata, præſcribit, vt ex hac ſola bibat aquam, deinde clam his qui miniſtrant, præcipit, confringere phialam illam, vt auocet ab illa cupiditate bibendi frigidam: ita Deus permiſit Iudæis priùs victimarum oblationem, ne dæmoni facerent & euerti ciuitatem ipſam, extra quam non poterant ſacrificare. Hæc ille ad ſenſum.

Exod. 34.

B. Chryſto. 1.
Temporalis ad vſque ad Chriſtum Iudæis permiſſa ſacrificiorum oblatio, qualis Chryſoſtomo.

IV. Argum.
Hebr. 10.

Quartò, quoniā omnes ceremoniæ, ſacrificiorumque ritus, futurorum in Chriſto figura erant, & typus; atque ideò illas velle obſeruare, nihil aliud eſſet quā proteſtari quòd Chriſtus nondum venerit; quod pernicioſiſſimum mendacium eſſet in cultu: quemadmodum mendax exiſteret ſignum rami ante tabernam, in qua non venderetur vinum. Venit ergo ceremoniarū terminus, qui eſt Chriſtus, vt traditur Gal. 4. ac Roman. 10. *Finis*, inquit, *Legis Chriſtus, ad iuſtitiā omni credenti.*

Galat. 4.
Rom. 10.
V. Argum.

Quintò, eſſet lex illa Moyſi perſonis nunc valde inconueniens, & incommoda: pleraq; ſiquidē minutiora continebat, vt vel ex quarundam rerum con-

taminarentur contactu, opuſq; erat aqua luſtrari, & expiari: quæ conuenire Nouo Teſtamento haudquaquã poterant. Quãobrem Apoſtoli legem non abrogarunt, quia nec poterant abrogare; ſed ex ſcripturis, verbo, & ſignis, & oratione iam deſiiſſe declararũt. Obligarunt autem ad declinandum à ſanguine, & ſuffocato, & idolis immolato: quæ & neceſſaria vocarunt, vt interim ad tempus coaleſceret charitas.

Actor. 15. Lex illa Apoſtolorum, abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato, & idolis immolato, cur lata.

Sed Paulus paullò pòſt abrogata eſſe illa omnia à Deo, & mentem Dei atq; Concilij declarauit, ad Rom. 14. Gal. 4. 1. Timo. 4. Quanquam reuera aliquo modo dici valeat lex abrogata quantum ad ceremonias, & iudicia. Hinc Paulus ad Epheſ. 2. ait. *Legem mandatorum in decretis euacuans*, non ait ſimpliciter legem euacuans, ſed, *Legem in decretis*, quæ quaſi ex conſilio, & ad tempus interpoſita ſunt, quoad veniret ſemen cui erat promiſſum: & ad Hebræos: *Reprobatio quidem fit præcedẽtis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.* Hæc autem decreta, ſiue mandata ad Coloſſ. 2. explicat idem Paulus, his verbis: *Si mortui eſtis,* inquit, *cũ Chriſto ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo, decernitis? Ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neque contrectaueritis: quæ ſunt omnia in interitum ipſo vſu, ſecundùm præcepta, & doctrinas hominum.* Atque ita Luc. 16. dicitur: *Lex, & Prophetæ, vſque ad Ioannem*, lex quidem quatenus præfigurans, & ita ducens ad Chriſtum, quatenus etiam tradit moralia, ſed vt præcepta à Moyſe, & præmiis, vel pœnis ad ſui obſeruantiam inuitans. Prophetæ etiam vſque ad Ioannem, ſcilicet prænuntiantes de Chriſto venturo, non autem ſimpliciter Prophetæ. Siquidem Ioannes Apoſtolus, & Agabus prophetarunt; filiæ quoque Philippi Diaconi prophetantes erant, & alij plerique inueniuntur Prophetæ in Nouo Teſtamento. Quod ergo accuſatores Stephani dixerunt Acto. 6. nempe quòd Ieſus Nazarenus mutaturus eſſet traditiones Moyſi, manifeſtum extitit mendacium, atque à falſis, & mendacibus productum teſtibus. Sextò, delierunt penitus omnes illi ceremoniarum ritus, ad ſenſum pueris Iudæis conuenientem, ac proximum: Vt, *Os non comminuetis ex eo: Non alligabis os boui trituranti*: & quod inuẽto nido auiculæ in arbore, vel in terra, relicta matre, ſumerentur pulli: ad ſenſum verò perfectum, & viris maturis conuenientem, non ceſſarunt, quia primum de Chriſto agno Ioan. 19. intelligitur: ſecundum Paulus de prædicatore explicat: tertium verò non eſt aliud quàm id; quod nos facimus: nam relicta litera, tanquam matre, ſpiritalem ſenſum tanquam pullos nobis deſumimus: vel relicta matre Synagoga, Chriſtum, & Apoſtolos veluti pullos apprehendimus. Non ergo ſimpliciter lex ſoluitur, nam remanent moralia mandata, non quatenus à Moſe, ſed quatenus à Deo tradita ſunt. Remanet & neruus legis, amor videlicet, & gratia, quia ceremoniæ per ſe ceſſarunt: nec ante tempus ceſſationis earum iuſſit Chriſtus eas aboleri, aut ſolui earum vigorem. Adeò, vt Petrus dixerit Actor. 10. *Nunquam manducaui omne commune, aut immundum.* Et quia permanet ad verum, ac perfectum ſenſum, & veras promiſſiones metaphoricè per literam ſignificatas, aliis arctioribus ceremoniis loco illarum ad tempus, id eſt, vſque ad iudicium per Eccleſiam inſtitutis. Atq; hic ſenſus verus eſſe comprobatur ex verbis ſancti Sixti III. in epiſtola de diuitiis. *Adimplet*, inquit, *Legem, cùm eam veram eſſe oſtendit: veram enim oſtendit, quando per ſe ceſſare facit illa, quæ iam ceſſatura prædixerat, & de antiqua lege legem produxit nouam, & Nouum Teſtamentum promulgauit ex veteri, vt magis, ac magis legis, & Prophetarum prædicta ſuppleret, in quibus continebatur: De Sion procedet lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Et hæc de ſecundo.

Ephe. 2. Lex Moyſi quatenus abrogata.

Hebr. 7.

Coloſſ. 2.

Luc. 16.

Quid illud: Lex, & Prophetæ, vſque ad Ioannem.

Actor. 11. *Infrà 21.* *Suprà 6.*

Sextum argumentum.

Exod. 12. *Deut. 25.* *Supra 22.*

Ioan. 19.

1. Cor. 9. *2. Cor. 3.*

Quid quod Iudæi inuento nido auiculæ in arbore, vel in terra, pullos matre relicta ſumere debebant.

Moralia quatenus adhuc vigeãt Moyſi præcepta.

Actor. 10.

Sixtus III. Papa.

Veram vt Chriſtus legem oſtenderit.

Eſai. 3.

Ad tertium, explicandum eſt, quomodo Chriſtus legem impleuerit. Hoc autem tripliciter præſtitit Dominus: tum illam ſeruando, ſicut dicitur: *Qui diligit proximũ, legem impleuit*, id eſt, ſeruauit. Tum ſecundo, vt promiſſione legis ipſo facto exhiberet, quomodo frequenter dicitur in Euangelio: *Vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam*; Et, *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege, & Prophetis, & Pſalmis, de me.* Tum tertiò implere legem, eſt eam perficere, imperfecta legis tollendo, & ornamenta quædam, & in præcipiẽdo, & quantũ ad illos, quibus præcipitur, & quod attinet ad ſubſtantiam præceptorũ ratione item finis præcepti ſuperaddẽdo. Ad primũ igitur, multæ erant in lege permiſſiones, namq; vſuram cum gentib. illis Deus permittebat, modò fratres ſuos non grauent; diuortium ſiue repudium, ob vitandum vxoricidium, vxorum multitudinem ob populi laſciuiam; odiũ inimicorũ ob retinendos eos in religione. Imperfectum autem propter ſe nõ intenditur, ſed propter perfectum. Imperfecta autẽ legis ſcriptæ (quæ conſona erat his quę dictabat parua gratia, quæ ante aduentum Meſſiæ

Tribus modis Chriſtus legem impleuit.

Rom. 13.

Matth. 1. & 2. & 4. & alibi. *Luc. vlt.*

Iudæis olim quæ fuerint permiſſa, & quamobrem.

Deut. 23. *Infra 24.*

Leuit. 19. *Matth. 5.*

Cur illa Chriſtus omnino ſuſtulerit.

dabatur) reſpectu legis nouæ ſcriptæ in corde, quæ nihil eſt aliud quã magna gratia, Dominus correxit atque amputauit. Dixit enim: *Mutuum date, nihil inde ſperãtes:* item prohibuit repudium, excepta cauſſa fornicationis: nec non multitudinem vxorum ſuſtulit, dicens: *Erunt duo in carnem vnam, itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Pręcipit etiam dilectionem inimicorũ, quando inquit: *Diligite inimicos veſtros:* & in genere dixit, *Niſi abũdauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, &c.*

Luc. 6.
Matth. 19.
Geneſ. 2.
Matth. 5.
Ibidem.

Lex Vetus quoad autoritatẽ eius ſpectat, à Chriſto, vt fuerit impleta, minimè ſoluta.

Si verò ornamenta ſpectemus, in primis deerat in lege ſumma autoritas: quoniam data per Moſen ſeruum. Pulchrè dixit Seneca, Philoſophos parum fructus feciſſe: nimirum, teſte Lactantio, quia dicebant, & non faciebant, & Philoſophia facta erat ſchola diſputandi, non regula viuendi. Ideò opus fuit Chriſto Deo, qui polleret virtute, & dictis ſuis maieſtatem conciliaret: qui etiam tanquam homo exemplum præberet imitabile. Non itaque ſoluitur lex, ſed impletur, ſi quod præcepit Deus per famulum, diſtrictiùs præcipiat per Filium. Hinc Paulus: *Multifariam, multiſq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio* Quod ad eos verò attinet, quibus tradita eſt lex, aucta eſt, & impleta. Lex quippe vetus multis modis limitata erat, tum generatione, tam ſolis filiis Abrahæ data erat: ſolis item eorum maſculis præcipiebatur circumciſio: ſolis Leuitis miniſteriũ templi. Erat etiam lex loco addicta ac circumſcripta, quia ſolùm in Ieruſalem paſcha erat celebrandum, atque extra minimè licebat ſacrificare. Porrò impletur lex quia extenditur ad omnes populos, & gentes: & Baptiſmus omnibus vtriuſq; ſexus fidelibus eſt neceſſarius: ſacerdotiumque cunctis ritè ordinatis conuenire poteſt, nec non paſcha noſtrum, vbiq; celebrare licet, iuxta illud Malachiæ: *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda,* Impletur etiam in hoc, quòd lex hæc nõ datur, niſi baptizatis, & à peccato mundatis, & idcirco habentibus Chriſti Spiritum, quo poſſint legi Domini ſatisfacere. In quo defecit ille populus qui dicebat: *Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes;* tamen paullò poſt fabricauit vitulum, quem coleret, & adoraret. Data ergo hæc lex non parricidis, & homicidis, vt illa, teſte Paulo, aut pueris egentibus pædagogo, eodem autore, ſed data eſt viris iam maturis, atque illis quidem ſanctificatis. De ſubſtantia verò præceptorum, ornauit illam Dominus: nam

Lactan lib. 3 inſtitu diuin.

Philoſophi (vt ait Seneca) cur parũ fructus fecerint.

Hebr. 1.

Chriſtus etiã legem omnibus ferendo communem & generaliſſimam, quomodo legem impleuerit.

Geneſ. 17.

Deut. 16.

Malach. 1.

Quibus lex tradatur Euangelica, ſicque etiã impleatur lex Moyſi.

Exod 24.
Infrà 32.

1. Tim. 1.
Galat. 3.

Lex præthereà vetus Fidei, Spei, & Cha-

Fidem additis articulis nouis de Trinitate, Incarnatione, & Sacramento Euchariſtiæ, atque aliis myſteriis auxit, & locupletauit. Spem quoque maioribus vinculis Chriſti incarnati, mortui, atque ſacrificij altaris ſancti, nec non pacti pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum, prece item, ac inuocatione ſanctorum, per quos Deo vnimur, maximè amplificauit, cõfirmauitque. Charitatem Dei etiam vehementer auxit, oſtẽdendo in ſe amorem, ac modum eius: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: &, In hoc eſt charitas non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Filium ſuũ propitiationem pro peccatis noſtris.* Paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ conſiliis magna acceſſio charitatis Dei facta eſt: diuitiæ ſiquidem, & carnis delectationes, propriaque voluntas, dilectionem Dei valde imminuunt. Amorem proximi quantus debuit eſſe, docuit, cùm dixit per Dilectum diſcipulum: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere;* & quis habendus pro proximo ſit, expreſſit, dicens: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.*

ritatis additione præceptorum, à Chriſto quomodo impleta.

Ioan. 3.
1. Ioan. 3.

Cõſiliis quoque legem Euangelicã quàm Chriſtus impleuerit.

1. Ioan. 3.
Matth. 5.

Moralia præcepta expreſſiùs nobis tradidit, declarando quid ſit non occidere, & non mœchari: quid eſt etiam non iraſci, neque concupiſcere: cohibendo etiam non tantum manum, vt lex, ſed præcipuè animum, & magis curans interna, quã externa. Quantum ad iudicia verò, magnum certè his incrementum acceſſit. Chriſtus etenim pœnas temporarias peſtis, gladij, ignis, mortis, oculi pro oculo, & dẽtis pro dente, haud comminatur, ſed iram de cœlo, æternaque ſupplicia gehennæ. Bona etiam temporaria quæ pereunt, adiicit ſeruis ſuis potiùs quam pollicetur, at ſempiterna gaudia, & regnum cæleſte promittit apertè, atque lex ita impletur. Lex enim Moyſi quatenus ex Moyſe eſt, neque promittit æterna pręmia, nec interminatur æternas pœnas, nec cruciatus.

Lex inſuper quantum ad mores, & iudicia, quid acceperit incrementi.

Exod. 23. & alibi.

Matth. 6.

Ratione ceremoniarum maximè legẽ impleuit, veritatẽ per illas figuratam præſtando, nempe ſe ipſum, qui Meſſias eſt & Chriſtus, qui finis eſt legis, qui eſt hoſtia iuſtificans, & expiatio, & vitulus, & hircus pro peccato: exhibuit etiam Sacramenta homines ſanctificantia, & gratiam conferentia. Quanquam autem ceremoniæ amplius non obſeruentur, reuera tamen implentur, quod dum promiſit in chirographo, re ipſa præſtat, ac poſtmodum chirographum diſcerpitur. Manet etiam litera ad conſolationẽ noſtrã, & in ſenſu virili,

Lex item ea parte quæ ad ceremonias ſpectat, per Chriſtum, in quibus adimpleta.

Rom. 10.
Leuiti. 1. & ſæpius infr.
Infra. 20.

& pro-

Quod Chriſtiani ſunt veri Iudæi.

& perfecto nos enim ſumus veri Iudæi, laudantes gloriam Chriſti, & peccata noſtra,&iuſtitiam eius cōfitentes. Non enim qui in manifeſto, Iudæus eſt, vt ait Apoſt. (Rom. 2.) Sunt enim quidam, qui dicunt ſe Iudæos (Apoc. 3.) eſſe,& nō ſunt,ſed ſunt Synagoga Satanæ: & non omnes qui ex circumciſione ſunt, ij ſunt Iſraelitæ. (Rom. 9.) Nos ſumus vera circumciſio:qui ſpiritu Deo ſeruimus,& qui motus carnis per gratiam reprimimus & coercemus. (Exod. 12.) Nos celebramus verum Phaſe: quia Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. (1. Cor. 5.) Nos ab Aegypto mundi huius corde egredimur,& in terram promiſſam, id eſt, cœleſtem properamus. (Exod. 14.) Nos mare Rubrū baptiſmi tranſimus,vt in deſertò cum hoſtibus confligamus. (Ibidem.) Nos edimus verū manna de cœlo deplutum. (Infra 16.) Nos ad ſerpentis ænei ſimilitudinem oculos non attollimus, ſed Ieſum Chriſtū,& hunc crucifixum, in illo ſerpente adumbratū adoramus. (Num. 21 & Ioan. 3. & 12. 1. Cor. 2.) Nos verè Sabbatizamus,quia in Deo à peccatis, quæ verè opera ſunt ſeruilia, quieſcimus: nam vt ait Apoſtolus, relinquitur Sabbatiſmus populo Dei. (Hebr. 4.) Nos veram Pentecoſten celebramus, qua Spiritum Dei in corde recipimus, quo lex Dei impletur. (Leuit. 23. Supra 23.) Nos feſtū tabernaculorum colimus, quibus dicitur: *Chariſſimi; obſecro vos tanquam aduenas, & peregrinos;abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam*: &, *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* (1. Petr. 2. Hebr. vlt.)

Legem denique, quantū ad eius finē, qua ratione Chriſtus impleuerit.

Quod ſpectat ad legem ea impletur iuxta finem ſuum. Eſt autē intrinſecus finis legis bonos homines facere: in quo mirificè defecit lex illa, quæ neminem ad perfectum adduxit. (Hebr. 7.) Lex indicabat morbum, id eſt, peccatum & medicum & medicinam, nempe Chriſtum; quem tamen illa non conferebat, vt noſtra, quæ dedit illum ſimul,& ſpiritum. Finis etiā præcepti, teſte Apoſtolo,charitas eſt: (1. Tim. 1.) hanc impleuit Dominus,qui non timore,ſed amore vult coli, & qui vnam charitatē incolcat, illamq; à nobis ante omnia exigit. Ad hæc finis legis eſt Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti,vt Paul.teſtatur: (Rom. 10.) hic autem donatus eſt nobis, eſtque perpetuus Emmanuel manens nobiſcum in æternum, implens omnia quę legis ſunt. (Eſai. 7. & Matth. 1. Ibidem.) Vnde ſæpè de eo dicitur in Euangelio: *Vt impleretur quod ſcriptum eſt de eo: Vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam.* (Infra 4. & aliàs.) Ipſe etiam eſt qui facit, vt per nos iuſtificatio legis impleatur, vt Apoſtolus docet. (Rom. 8.) Atq; ita abundè oſtendimus quomodo Chriſtus legem impleuerit.

Quid impleatur propriè.

Impletur enim quod imperfectum eſt,dum perficitur;vel perfectum, dum magis illuſtratur. Vnde Theophylactus: *Sicut pictor*, inquit, *nō corrumpit lineamenta prima. ſed magis illuſtrat, & adimplet; ita Dominus.* (Theophylact. in Matth.) Hæc ille. Rogemus igitur Dominum, vt qui legem perfectiſsimè adimpleuit, nobis quoque Spiritum,quo illam præſtare poſsimus,impertiat,vt ad præmia obſeruatoribus propoſita rectè peruenire valeamus auxilio, & gratia eiuſdē Domini noſtri Ieſu Chriſti,cui cum Patre & Spiritu ſancto, perpetuus reddatur honos, gloria, & imperium in ſecula ſeculorum,Amen.

TRACTATVS XXXII.

In illa verba: *Amē quippè dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum,aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines,minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorū.*

Cōtinuationis ratio.

DOCVIT hactenus Dominus, ſe non ſoluiſſe legem, id eſt, fregiſſe;nec docuiſſe frangendam eo tempore, quo lex vim ſuam habuit: nunc addit, circa ea, quæ ſuperſunt implenda, nec in minimo quidem frangendam vel violandam. Et ait: *Amen quippè dico vobis.* Quod perinde eſt ac dicere, In veritate dico vobis, vt Luc. 4. (Luc. 4.) Significat enim Hebræum *Amen*, fiat,vel efficiatur, firmumve ſit: atque eſt modus aſſeuerandi,& confirmandi,ſecundùm alios etiam iurandi, vt Origenes in Matthæum tradit, & Chryſoſtomus hom. in epiſt. ad Hebræos, ac Auguſtinus in Ioannem.

Amen quid Hebræis.

Aſſerit ergo Dominus rem veram fore ex prouidentia, ac proinde ex præuiſione Dei. *Donec tranſeat cælum, & terra.* Oſtendit legem indiſſolubilem eſſe, quemadmodùm etiam Luc.16.dixit; *Facilius eſt cælum, & terram præterire; quàm de lege vnum apicem cadere.* (Orig. hom. 13. in Matt. to 2. propè initium. Chryſoſt. ho. 11. in epiſt. ad Hebr tom 4. circa finem. Aug tract 4 in Ioan. to. 9. Luc. 16.) Significat ergo omnimodam, perfectam atque integram legis obſeruationem, ac talem, vt nec in minimo dicto, vel præcepto cadat à ſua integritate.

Illud: Donec tranſeat cœlum,& terra, &c. dupliciter accipitur.

Duplexque poteſt eſſe ſenſus. Primus, quòd nihil in lege dictum non completum manebit, quia ante diem iudicij, & mundi conſummationem, in qua cœlum & terra tranſibunt: omnia erunt completa, vel ſi quæ poſt tranſitum cœli, & terræ ſuperſunt, implebuntur. (Matth. 24.) Secundus ſenſus eſt, quòd ſicut impoſsibile eſt cœlum, & terram tranſire ſecundum ſubſtantiam, ſiue materiam: nam cœli non generantur,

Cœli cur nec generentur neq; corrumpantur.

Eccleſ. 1. Geneſ. 1.

neque corrumpuntur, vt omnes iacent: vnde dicitur: *Terra autem in æternum ſtat:* (Nam Deus æternus, id eſt, ſemper exiſtēs, & ſine vlla ſucceſsione, condidit cœlum, & terram ſempiterna, id eſt, ſemper exiſtentia (cum ſucceſsione tamen, vt ait Boëtius) ita impoſsibile eſt legem non impleri.

Boetius.

Tranſire qua tenus cœli dicantur.

Tranſire autem dicuntur quantum ad accidētia, id eſt, ſitum, motum, influxum, & claritatem auctam, ſed non ſecundùm ſubſtantiam, quod quidem impoſsibile eſt. Eſt licèt lex, quoniam de contingentibus, & voluntariis, faciliùs tranſiret quàm eſſe cœli, & quantum ad eſſe naturale cœli in ſe, & eſſe legis in Dei voluntate, æquè exiſtat difficile: tamen ſi conſideretur eſſe naturale cœli in ſe ipſo, & eſſe legis in voluntate Dei, facilius eſt cœlum, & terram tranſire. Attamen prior ſenſus Scripturis videtur magis conſonus. Nam dicitur, *Cœlum, & terra tranſibunt; verba autem mea non præteribunt.* Et per tranſitum intelligo, innouationem eſſentialem, ſaltem ſecundùm formam. Dicuntur enim cæli non tantùm tranſire, ſed perire etiam, & veteraſcere. Deficere vt fumus, & ſeneſcere, apud Eſaiam. Atteri apud Iob: *Donec,* inquit, *cœlum atteratur*: Recedere, in Apocalyſi: Ardere; & ſolui apud B. Petrum. Cæli noui, & terra noua dicuntur ab Eſaia & in Apocalypſi. *Vt enim* (ait Chryſoſtomus) *nutrix fruitur bonis filij educati: ita cœlum & terra quæ electos nutrierunt.* Et quanquam cælum non recipiat peregrinas impreſsiones ignis ex ſe; ſecus erit ex præcepto Dei. Ideò Petrus apud Clementem lib. Recognitionum tradit, quòd vt ouum frangitur, vt pullus deliteſcens videri poſsit; ita cœlum hoc quod ſub aſpectum cadit, diſſoluendum eſt, vt gloria beatorum appareat: de qua re fuliùs alibi diſſerendū eſt.

Matth. 24. Per tranſitū cœli & terræ quid.

Pſalm. 101. Eſa. 51. Iob 14. Apoc. 6. 2. Pet. 3. Eſai. 66. Apoc. 21. Chryſ. ho. 16. in Matth.

Clem. libr. 3. recognit. Cœli quare ſoluendi ſint.

Iota, non ioth, cur vetetis interpres.

¶ *Iota vnum, aut apex vnus.* Cùm Chriſtus vir Hebræus fuerit, & ad Hebræos Hebraicè ſit locutus, & de lege, quæ ſermone Hebraico tradita eſt, atque conſcripta, non dixit iota, ſed ioth, quæ minimum eſt elementum Hebræorum: verùm interpres noſter ad inflexionem Græcam iota expreſsit. Vel potius quia Chaldæis moris eſt, vocibus Hebręis in conſonante terminatis addere alpha in fine dictionis, vt Golgatha, manna, paſcha, Acſieldema: Chriſtus iota pronuntiauit. Eſt autem iota, minimum elementum & Hebræis, & Græcis. Apex vero, minus eſt litera, & vſum vocalis præſtet apud Hebræos, qui vocalibus carent. Et hi apices, ſiue puncta interdum ſubſcribūtur literis, interdum interſcribuntur, aliquādo verò ſuperſcribuntur. Quia tamen vſus punctorū longè poſt Chriſtum inuentus eſt, ac introductus, vt Hebræi traduot, neq; eorum vnquā Hieronymus Hebraicè doctiſsimus meminit, non videtur mihi per apicem puncta illa intellexiſſe, ſed vel accentus Hebræarum vocum, vel puncta, quæ variam pronuntiationem literis adſerunt, vel ſummum elementi faſtigium, vel deniq; aliquid, quod abbreuiandæ dictionis cauſſa adderetur. Et exaggeratio quædam eſt per hyperbolem, & tropum: nec eſt de literarum apicibus laborandum, cùm etiā conſtet quædam Veteris Teſtamenti volumina intercidiſſe, quorum nomina adhuc extant in quibuſdam canonicis libris: ſed id tantùm agitur, & aſſeueratur, nihil omninò promiſſum, aut proditum in lege, quod non ſit implendum. *Et ex figura literæ oſtenditur,* inquit Hieronymus, *quòd etiam quæ minima putantur in lege, Sacramentis ſpiritualibus plena ſint, & omnia recapitulentur in Euangelio. Cuius ergo eruditionis eſt.* Hæc ille. Non ſignificant autem hæc verba, Scripturam ſomniis Cabaliſticis applicandam, quæ in numeris, & figuris literarum, & ſignificationibus conſiſtunt vocum, vnde multæ illuſiones, & ſenſus pueriles potius, quàm ſolidi efficiuntur; cùm hęc ratio exponendi Scripturam, non minus ſeruiat Iudæis contra nos, quam nobis contra illos. Chriſtus etiam, & Apoſtoli, aut priſci Doctores, artem hanc Cabaliſticam non attingant: nec eſt alia purior intelligentia Scripturæ veteris, quàm Euangelica, Apoſtolicaque doctrina. Theophylactus hoc loco, & Gregorius Nyſſenus ante eum lib. De perfecta vita hominis, tradunt, per iota literam rectam, & apicem tranſuerſum, crucis figuram confici: vt ſit ſenſus, quòd nihil eorū quæ ad crucem ſpectant, cadat à complemento ſuo. Alij verò traduot, Iota, quod ſignum eſt, decem apud Hebræos, Decalogi ſignificare præcepta; per apicem verò ceremonias & iudicia, quæ illi legi ſuperaddita erant. Sed hæc etſi vera, haud longè abſunt tamen à Cabala, magiſque ſunt ſubtiliter ac piè excogitata, quàm ſolida. ¶ *Donec omnia fiant.* Eſt ergo ſermo de abroganda lege, antequam fiant & impleantur, quæ in ea ſcripta ſunt. Poſtquam autē facta ſunt, non poſſunt tranſire: ſicut nec facta non eſſe, quæ ſemel ſunt facta. Etenim præter illa quæ Chriſtus in ſua perſona impleuit, qualia fuerunt paſsio, mors, reſurrectio, & aſcenſio, alia multa perficientur vſque ad diē iudicij, cuiuſmodi ſunt, vocatio Gentium, obcæcatio Iudæorum, perſecutiones

Iota, quid, & apex Hebræis cur vtantur apicibus.

Vnde cō... hoc locum... Hebręorum per apicem deſignari.

Apicis nomine quid ſignificauerit Chriſtus.

Hier. lib. 1. in Matth. 20. 9 in prin.

Præſentis loci vaniſsimus quorundam reiicitur intellectus.

Theoph. in Matth. Greg. Nyſſen. Duo quorundam alij ſenſus minus idonei reprobantur.

Quis propri verus, atque germanus ſit ſenſus huius dicti: Nil præteribit à lege donec omnia fiant.

Eccle-

Eccleſiæ à tyrannis, ab hæreticis, ab Antichriſto, reſurrectio generalis omnium, iudicium vniuerſale, atque remuneratio cuiuſq; pro meritis; quæ omnia prædicta ſunt à Prophetis. Tempore autem iudicij quandoquidem Scriptura eſt facta pro viatoribus, vniuerſa inuenietur impleta, tota intellecta & guſtata. Et quemadmodum literæ Sponſi ad Sponſam ceſſant, cùm datur alteri frui præſentia alterius & alloquio; & chirographum promiſſæ hæreditatis, accepta re ipſa promiſſa deſinet: ſic omnes Scripturæ tunc terminabuntur, & finem accipient, ſoloſq; Meſsias legem vniuerſam in capite & in membris præſtabit.

Scriptura ſeruat tantùm quibus; hæc quando ioue nietur impleta.

Magnus qui, minimus, Chriſti teſtimonio, qui medius inter illos.

¶ *Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis.* Hucuſque Apoſtolus, & in eis paſtores ac doctores omnes inſtituit, nunc inter eos conſtituit quis ſit maximus, & quis minimus. Magnus enim eſt, qui dicit & facit: minimus, qui nec dicit, nec facit; medius autem inter hæc extrema is eſt, qui facit, & non dicit; vel qui dicit, & non facit: & in extremis comprehenduntur: qui enim facit & non dicit, vocabitur & ipſe quodammodò magnus, quia etſi nõ verbo, facto tamen & conuerſatione docet; qui verò dicit, ſed non facit, ad eos pertinere videtur, qui minimi vocabuntur, quia factis docent non faciendũ quod ipſi non faciunt. Deinde cùm Dominus ſe ipſum à calumnia & ſuſpicione liberaſſet, quaſi eſſet corruptor & violator legis; nunc exterret, minaſque maximas proponit contra eos, qui vel minima eius legis præcepta eſſent violaturi. Pro cuius loci intellecto, quæ ſint minima præcepta explicabimus; & quomodo ſoluuntur: & quid eſt vocari minimum in regno cœlorum.

Quid mandatum ſit, quid conſilium.

Circa primum animaduertendum, quòd mandatum eſt lex obligans ad aliquid faciendum, vel omittendum, ſub peccato: ſicut conſilium, eſt opus perfectionis, neminem arctans ad faciendum; ſed copioſiùs remunerans obſeruantem.

Legis vtriuſque mãdata cur magna.

Omnia autem mandata, tam veteris, quàm nouæ legis, ſi in ſe ipſis ſpectentur, magna ſunt, quia magnum legiſlatorem Deum oſtendunt: item quia magnum efficiunt obſeruantem: atque magno præmio eum afficiunt: tùm quod nullus poteſt quauis ſpecie obtenta, ab eorum obſeruantia excuſari; ſaltem à moralibus; tũ deniq; quoniam omnium virtutum officia ſectanda, vitiaq; omnia fugienda docent. Poſſunt tamen maiora vel minora relatiuè dici: & hoc dupliciter, vel comparando præcepta vnius legis ad præcepta alterius, id eſt, veteris ad illa nouæ; vel componendo vnius legis quædam præcepta, ad alia eiuſdem legis: vt v. g. in lege veteri maiora ſunt moralia, quàm ſint cæremoniæ, vel iudicia: & inter moralia, maiora cenſentur præcepta primæ tabulæ, quæ proximè Deum reſpiciunt; quàm quæ ſequuntur, quæ proximũ attingunt, de quibus Chriſtus loqui videtur hoc loco: & inter mandata vtriuſq; tabulæ maiora exiſtunt, quæ tranſgreſſorum obligant ſub lethali crimine, quàm quæ ſub veniali; ſicut maiora ſunt conſiliis quantum ad vim obligandi. Rurſus inter præcepta primæ vel ſecundæ tabulæ, maiora ſunt quæ iubent facere bonum, quàm quæ declinare à malo; & inter hæc maius præceptum eſt homicidij vitandi quàm adulterij; & magis fugiendi adulterij iuſſum, quàm furti, & in his etiam grauiora quæ ad mortiferum, quàm quæ ad veniale.

Inter ſe illa comparantur dupliciter.

Exod 20 & ſeq.

Pſal. 33. 1. Petr. 3.

His præmiſsis, iure quæritur hic quid intelligat per minima præcepta Chriſtus. Cùm enim omnia in ſe ſint magna, non poſſunt aliqua dici minora, niſi per reſpectũ aliquem. Difficile quoque videtur intellectu, quomodò ſoluens præceptum obligans ſub veniali, minimus vocetur in regno cœlorum; ſiue eiuſmodi præcepta ſint Veteris, ſiue Noui Teſtamenti, Ergo dicendum, quòd minima intelligũtur, vel comparata ad alia alterius legis mandata; vel ad alia eiuſdem legis. Et ſic duplex accipitur ſenſus.

Mãdata quæ minima à Chriſto dicantur.

Primus eſt Græcorum Patrum Chryſoſtomi nimirũ cum Theophylacto & Euthym. minima mandata interpretantium illa, quæ Chriſtus addidit legi: nam præcepto non occidendi, addidit, non eſſe iraſcendum: præcepto non mœchandi adiunxit, non eſſe cõcupiſcendum: & hæc dicuntur minima, quia difficiliùs ſeruantur; eorumq; tranſgreſsiones puniuntur leuiùs: plectitur enim minus iracundus, ſiue qui tantùm iraſcitur, quã homicida: cõtra verò, Moyſi mandata factu faciliora, ac in punitione maiora: minima etiam, modeſtiæ cauſſa dicta ſunt, vt diſcamus noſtra extenuare; & nequaquam amplificare.

Primus ſenſus Græcorũ.

Chryſo. hom. 16. in Matth. tom 2.

Theophyl. Euthym.

Item minima, ne illa ſeruantes inſoleſcant, magnaq; de ſe ipſis ſentiant, ſed vt facientes dicãt, *Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus* Et videtur de iſtis Dominus ſermonem habere, quia cùm dixiſſet de mãdatis iſtis, ſtatim ſubdit, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum*: & rurſus, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis. Ego autẽ dico vobis, &c.* at præcepta legis nec prædicauit ipſe, nec Apoſtolis prædicari præcepit. Terret igitur Chriſtus eos, qui à

Minima etiã mandata vocantur dupliciter ſecundùm illos.

Luc. 17.

ſhis

ſuis mandatis, & à lege a l. promulganda abhorrerent, illam ſoluentes: magnificat verò eius obſeruatores: & ſoluens etiam præceptum, conſcientiam leuiter arctans eſſet minimus: quia, etſi qui admittit venialia, aut ad illa alios impellit, venialiter delinquat: quia tamen reprehendit legiſlatorem, atque docet non obligare, legem ſoluit & deſtruit: non ſecus atque ille, qui traderet. conſilia nô obligare quenquam, poſtquam illa cœpit profiteri, cenſeretur hæreticus: tametſi conſilia ad peccatum vllum obligent neminem: attamen arctant, ne quiſquam audeat illa contemnere, aut in illa dogmatizare. Hæc eſt Græcorum ſententia Patrum. Salua nihilominus tantorum Doctorum expoſitione, ſuauior, atque literæ conſona magis videtur expoſitio Auguſtini lib. 1. de ſerm Domini in monte cap. 8. & 9. & Ruperti Tuitienſis in hunc locum: qui quidem per minima præcepta intelligunt, legis mandata, ſiue Decalogum, & à fortiori ceremonias & iudicia; vt, Non occidere, Non mœchari, Non peierare, Non diligere niſi amicum, & odio habere inimicum: vocantur autem minima reſpectu mandatorum nouæ legis, nimirum Fidei, Spei, & Charitatis, quæ maxima dicuntur, Marc. 12. & Matth. 22. item Matth. 23. ait Dominus: *Reliquiſtis me grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem.* Ideò à lege Naturæ homini dictantur, erantque veluti pædagogia illius populi, vt perueniret ad finem legis, qui eſt Chriſtus. Deinde minima appellantur, quod à Chriſto per explicationem augeantur; & per conſilia illuſtrentur: nec nô quia minoris meriti erant apud Deum, à minoriq; charitate profecta. Minima etiam, vt ait Auguſtin. quia tantû faciunt declinare à malo, quod eſt incipientium: vt, *Non occides: Non mœchaberis*: quæ autem præcipiunt bonû, maiora habentur: cuiuſmodi ſunt mandata Noui teſtamenti. Minima quoque vocantur, quia tametſi ſeruarentur, non continuò dabant præmium viſionis Dei, ſed opus erat expectare Meſsiam. Et bene, de mandatis iſtis minimis, inquit, nimirum ſignificatis per iota, & apicem, id eſt, Decalogum deſignatum per iota, quæ valet decem, & per apicem qui additur literis, nempè ceremonias & iudicia, quæ Decalogo de integro acceſsère moralibus mandatis. Vnde Hilar. can. 4. in Matthæum, per minima mandata intelligit crucem Chriſti; quam qui erubeſcit confiteri, minimus erit. Non deſunt etiam aliæ plures rationes, propter quas minima nuncupentur: vtpotè quòd tradita ſint ab homine puro legiſlatore, & ſeruo Moyſe: & data populo minimo, id eſt, Iſraëlitis paucis, & peccatoribus, & pueris quaſi agentibus ſub pædagogo: & ratione finis, quia neminem ad perfectum adduxit lex. Hic ergo ſenſus ſuauior videtur contextui, quia dicit, *Non veni ſoluere legem*; &; *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Congruit etiā vocì minimus, ſi quidē minima dantur pueris, quibus pollicetur regnum terrenum: & denique congruit veritati, quia maiora ſunt præcepta Euangelica promittentia in præmium regnum cœlorum, quàm Moſaica; & altiora officia pietatis erga Deum & proximum, ac ſeipſum præcipiunt, quā illa veteris legis.

Alter ſenſus Latinorum aptior & congruentior.

B. Aug to 4. Rupe. Tuitié.

Exod. 20. Leuit. 19.

Marc. 12. Matth. 22. Infra 23.

II. Ratio. cur ſcilicet minima vocet Chriſti mandata.

III. Ratio. & quibus illa verbis deſignauerit.

Quid Hilario minima mandata: eiuſdem rei rationes tres aliæ proferuntur.

Galat. 3.

Hebr. 7.

Quæ res continent magis poſteniorem intelligentiam.

Nec obſtat, quòd præcepta veteris legis amplius non cuſtodiantur: quia Dominus loquitur de legis mandatis, quando erat in robore ſuo & vigore; tunc enim cū lex nondum ceſſaſſet, implenda ad literam erant: at poſtquam ſuperficie tenus, ſeu in ſenſu puerili ceſſarunt, ſuperſunt tamen nobis adimplenda, ad ſenſum perfectum, ſpiritualem & virilem; ratione cuius qui ſolueret, eſſet minimus.

Minima etiā cur legis mādata ſint ſeruanda, cum lex illa non amplius obſeruetur?

Ad ſecundum veniamus; Soluere, vt ſupra dictum eſt, non eſt tantùm violare legem ſacto aut opere, ſed deſtruere, ſiue illam demoliri: quod fit, vel docendo legem nô eſſe iuſtam, vel à Deo; vel nequaquam habuiſſe pro tempore ſuo vim obligandi, iuxta literam, vel modo ſecundum ſpiritū; vel deniq; non probè intelligendo legem, etſi poſteà malè docendo: vt hoc loco rectè docet Gloſſa ordinaria. Sic enim aliàs dicitur, *Non poteſt ſolui Scriptura*; &, *Omnis Spiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt*; quod intelligendum eſt de peruerſe dogmatizante, vt ait Auguſtinus. Et hinc ſoluitur propoſitum dubium; quomodo ſcilicet ſoluens, etiam ſub veniali obligans præceptum, hæreticus eſt, & lethaliter peccat & erit minimus in regno; Nam ſoluere, non eſt dicere verbum otioſum, vel incitare alios ad illud: ſed dogmatizare, licitum eſſe dicere verba otioſa; quod eſſet facere vel affirmare, Chriſtum mendacem, aut ignorantem, qui aliter docuerit. Ait ergo, *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis*, (ſcilicet legis) *minimus* (ne dicam de maioribus, & omnibus quæ etiam minima ſunt reſpectu Euangelij in ſenſu literali & verò pro illo tempore, quo nondum abrogata erant legalia vel in ſpirituali poſt eorum abrogationem: & ſic docuerit, vt ſoluit, non vt legit, & inuenit in ipſa lege) *minimus vocabitur in regno cœlorum, &c.*

Quid ſoluere legem vel mandata.

Gloſſa ord. Ioan. 10. 1. Ioan. 4.

B. Auguſt. in hunc locū Ioannis tract. 6 in fin. tom. 9.

Minima etiā præcepta qui ſoluant, inde; hæretici cenſeantur.

Tertium

Qui'd minimum vocari in regno cœlorum ſecundùm Auguſtinum.

Tertium iam venit explicandum, quid ſit eſſe minimum in regno cœlorũ. Vt ſæpè dictum eſt, regno cœlorum interdũ triumphans, interdum militans ſignificatur Eccleſia, ſiue Eccleſia duos habens ſtatus, alterum militantium, triumphantium alterum; vt vna & eadem religio locum habet nouitiorum, & locum profeſſorum: & primo modo intelligit Auguſtinus, ponderãs quòd vocabitur à beatis, quorum iudicium erit certum: minimus, inquam vocabitur, nec dignus gloria, ad quam non niſi magni perueniunt. Ideò non dixit, Minimus erit in regno cœlorum, quia in eo non erit. Si verò de militanti eccleſia ſit ſermo: ſenſus eſt, quòd erit minimus, hoc eſt, vilis atque abiectus, nec non alienus à regno & poteſtate docẽdi, ita vt numero filiorum vel doctorum Eccleſiæ ſit eiiciendus, niſi reſipiſcat; vt Iudas proditor, quia tranſgreſſor legis, ac eius tranſgrediendæ autor extitit maleq; ſentiendi de legiſlatore. Vel tertiò, per regnum cælorum intelligi poteſt tempus reſurrectionis, ſiue tempus iudicij, velut Chryſoſto. exponit: nam eo tempore Dominus vt Rex veniet, & apparebit, & quemq; pro meritis remunerabit, & quiſque doctor detegetur qualis fuerit: & quo modocunq; exponas, in idem redit. ¶ *Minimus.* Eſt autem minimus, tantundem atq; infimus, vilis, abiectus, vt de Bethleem dicitur: *Nequaquam minima es:* & Dominus, *Quamdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis;* rurſus Apoſtolus: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc,* videlicet abiecto, vili, & abortiuo; & alibi: *Ego ſum minimus Apoſtolorum,* id eſt, infimus; idem cauſſas profanas de bonis temporalibus, minimas vocat 1. Corinth. 6. cùm ait; *Et ſi in vobis iudicabitur mũdus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis?*

Cap. 8. in fin.

Aliis quid verò, & quidem non inepte.

B. Chry hom. 16. in Matth.

Matth. 2.
Matth. 25.
Ephe. 3.
1. Cor. 16.
Suprà 6.

A quibus nã legis mãdata ſoluantur.

B. Hier. to. 9. in prin.

Ad extremum dicendum qui ſunt iſti qui ſoluunt legis mãdata. Primo loco ſunt Phariſæi; de quibus Hieronymus elegãter hunc locum interpretatur his verbis: *Hoc capitulum cum ſuperiori hæret teſtimonio, in quo dixerat: Iota vnum, aut apex vnus nõ præteribit à lege, donec omnia fiant. Suggillat ergo Phariſæos, qui contemptis mandatis Dei, ſtatuebãt proprias traditiones: quòd non eis proſit doctrina in populis ſi vel paruum quod in lege præceptum eſt, deſtruant.* Hæc ille. Secundo loco veniunt Iudæi omnes quotquot pertinaciter in ſua ſecta & lege ad literã ſeruanda permanent: quoniam eo ipſo ſoluunt totam legẽ, quia dicunt habere vigorem quem non habet; velut ſi quiſquam aſſereret nõ habere quãdo habebat. Proinde, cùm omnia illa mandata eſſent ad tẽpus poſita, donec veniret ſemen Chriſtus, qui finis eſt legis, & cerimoniæ ad tempus correptionis poſitę velut inter mediũ quoddam; & quia Prophetæ legem abolendam prædixerant, atq; nouam illi ſucceſſuram; idcirco Iudæi maximo in errore verſantur, non ſecùs ac ille, qui rem mortuam exiſtimaret viuam, atq; ille, qui cum ſit vir perfectus, leges puerorum ſeruare vellet; & qui medicinam pro infirmis inſtitutam, alioqui ſanus & valẽs, aſſumeret, quandoquidẽ ille ſumendo medicinam, periclitaretur: vt Auguſtinus ait contra Fauſtum. Vanus eſſet prætereà, qui vmbram vellet edere, nõ panem ipſum, & qui ſignũ non tolleret de turri, poſtquam nauis in portum appulit, nimirùm Chriſtus ad Eccleſiam. Atq; ita cæci Iudæi, circumciſione & Sabbato, ac reliquis ceremoniis falſum ſignificant, & falſum Deum colunt, qui cum volebat obſeruari ab eis legem, non obſeruabant: at quando voluit illam non ſeruari, ſeruant. Itaq; hoc verbo Chriſti percutiuntur omnes, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt.

Secundũ genus hominũ ſoluentium legem.

Galat. 3.
Rom. 10.
Hebr. 9.

Iudæi adhuc legem retinere, & ſeruare volentes, quibus meritò comparẽtur.

B. Aug li. 32. contra Fauſt. c. 14. tom. 6.

Eorum cæcitas, & inobedientia.

Apoc. 3.

Tertiò, ſoluunt legem oẽs hæretici, qui aiebant, cùm Euangelio veterem legẽ cuſtodiendam, vt Hebionitæ & Nazareni dicti, atq; illi, contra quos definitũ eſt in cõcilio Apoſtolorum Act. 15. hinc gloſ. ordi. hoc loco ait: *Soluere eſt, vel quod rectè intelligis, non facere: vel malè intelligere, per prauam aſſertionem.* Quartò, minimi cenſentur, qui dicebant, legem eſſe à malo principio; reprobabantq; illam, vt Manichæi. Quintò qui aſſerunt, modò legem veterẽ iuxta ſpiritum non eſſe ſeruandam: quia litera occidit, ſpiritus autem viuificat. Sextò, qui traderent, legem, quod attinet ad ceremonias & iudicia, adde etiam ad moralia, nobis deſiiſſe: quod etſi verum ſit, quatenus moralia à Moyſe lata ſunt, ſunt tamẽ nobis retinenda, quatenus naturalis lex illa dictabat ante Moyſen, & quatenus à Deo, & à Chriſto in Euangelio, & ab Apoſtolis ſunt repetita. Falſum tamen quod ad morum pręcepta Chriſtiani non obligentur, ſed tantùm ad pręceptum credendi: vt hæretici recentiores docent: qui tamen tali ſomnio legẽ Euangelicam ſoluunt, illudq; confirmant ex falſo intellectu quorundam locorũ Pauli, quales ſunt: *Lex iuſto non eſt poſita;* &, *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege;* &, *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Verùm hæc alium longè diuerſum habent ſenſum, atq; à ceremoniis & iudiciis legis nos tantùm liberos oſtẽdunt. Tandem ſoluunt legẽ Chriſti, quotquot non ſolùm liberant nos à præceptis moralibus per Chriſtum & Apoſtolos inculcatis, nobiſq; commendatis & traditis;

Quatuor alia, vel quinque hominũ genera legis mandata ſoluentium.

Gloſſa ordin.

2. Cor. 3.

Lex quaten᷒ Moyſi nobis tantum mortua ſit, & extincta.

1. Tim. 1.
Gal. 5.
2. Cor. 3.

Poſtremò legem Chriſti qui ſoluant.

ſed etiam qui conſtitutiones Eccleſiæ aiũt eſſe meras nugas,& traditiones hominum. Etſi etenim illa quæ per Eccleſiam decreta ſunt,& ad ſeruandũ nobis propoſita, ad Ius diuinum propriè non ſpectent, ſed ad Ius Eccleſiaſticum, in Apoſtolicis traditionibus,atq; conciliorum generalium canonibus,nec non ſummorum Pontificum decretis expreſſum explicatumq́ue: attamen violatur Ius diuinum, & verbum Chriſti, dũ quod eius autoritate fit, Satanæ. hominibusve tribuitur. Hinc Chriſtus dixit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*: Paulus quoquè: *Itaq; fratres*, inquit, *ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*: & iterũ: *Laudo vos, fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.*

Luc. 10.
2. Theſſ. 2.
1. Cor. 11.

Legem facere quid, & docere.

Sequitur: *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Facere dicitur legem non tantùm qui opere illam complet, ſed qui intellectu & mente primo credit eſſe Dei, habereq́; vim obligandi;& ita afficitur, vt tandem eam facto compleat: nec enim compleret, qui opere externo tantùm faceret, & mente non acquieſceret, hic enim fictus eſſet: vt qui dono offerret nudum corticem pomi, ſine ipſo pomo. Magnus vocabitur, ſiue maior, ſcilicet, his qui vel tantùm faciunt, vel tantùm docent, iuxta illud Danielis: *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et intellige, qui fecerit minima, quorum omiſſio dilectionem minimè violat, vt, decimare menthã, & anethum, quod perfecta eſt iuſtitia: ponitur enim quòd ſeruet maximum mandatum, dilectionis Dei,& proximi: ideò minimũ rectè capitur pro præcepto paruo legis. Cùm ait, *Docuerit*, adde, *Sic*: vt Auguſtinus notauit, id eſt, qui ſic docuerit, vt ipſe facit intellectu & opere implendo mandata legis. Cùm dicit, *Hic magnus vocabitur*: innuit ſe Chriſtus hoc verbo talem eſſe, vt ait Rupertus: eò quòd ſolus perfectè fecit: ſolus perfectè docuit: ſolus perfectè & abſolutè magnus in Eccleſia triumphanti atq; militanti agnoſcitur: ſolus iudex eſt, qui remuneraturus eſt docentes,& facientes, per ſui Spiritus participationem. Tales quippè promerentur, vt cęteri eos audiant & imitentur. Iudicaturus etiam eſt, nec faciẽtes, nec docentes; vt illos paſtores, qui altum dormiunt, nihil de ſuo grege ſolliciti: item facientes,& non docentes: velut qui Epiſcopatus ambiunt, cùm omninò inepti ſint ad docendum: adhæc non facientes,& docẽtes, quales multos Doctores Catholicos

Dan. 12.
Matth. 23.
Au. c. 8. lib. 1. de ſer Dom. in Monte.

Chriſtus quã magnus meritò vocetur. *Ruper Tuit.*

Hominũ quatuor genera à Chriſto iudicandorum.

videmus, qui digni ſunt audi.tu, non tamen imitatione; deniq; omnes malè facientes, & peius docentes, vt hæreticos, Scripturaſque perdeprauatos ſenſus detorquẽtes. Eſt igitur magnus, qui docet, & facit, paruus, qui facit, nec docet, minor, qui docet, & nõ facit, minimus, qui nec facit, nec docet: & in hoc gradu adhuc peior eſt, qui malè facit, & malè docet. Meminerint itaq; prædicatores verbi Dei, vt inſtar galli gallinacei priùs excutiant ales,& ſe vigilantes per bona opera oſtendant: antequã alios per cantum ad vigilias vocent: vt docet Gregorius lib. 30. Moralium, cap. 7. vt ita ſint magni in regno cœlorum: etiamſi ſæpè ab hominibus minimi habeantur, ſatis eſt, ſi coram Deo magni exiſtant, vt Baptiſta Ioannes, de quo ſcriptum eſt: *Hic erit magnus coram Domino.* Qui ergo Deum magnũ colimus, atq; magno pretio empti ſumus, attendamus ad mercedem illam magnam, quæ repoſita eſt nobis in cœlis, & quam non niſi magni & ſublimes corde conſequentur, ſubſidio & adminiculo Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſempiterna reddatur ab omni creatura laus, honor, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Magnus qui, paru9, minor qui, minim9, & illo deterior quis.

D. Greg. 30. 2.
Luc. 1.
Matth. 5.

TRACTATVS XXXIIII.

In illa verba: *Dico autem vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

QVEMADMODVM ab adoleſcentibus alios mores exigimus, quàm à pueris, alios verò à viris iam perfectis,& maturis; nec ab omnibus eadem requirimus: ita ſanè Deus Opt. Max. cuius opera ſunt cum ſumma ſapientia coniuncta, aliam legem mundo infanti præſcripſit, aliam Iudæo puero quaſi ſub pędagogo degenti, aliam denique Euangelicam mundo iam maturo atque adulto. Vnde meritò ab Euangelicam legẽ profitentibus abundantiorem exigit iuſtitiam, dicendo: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra.*

Abundantiorem à nobis iuſtitiã, quã Phariſaicam cur Dominus requirat.

Ad huius loci intelligentiam, quo dilucidior noſtra procedat oratio, explicabimus primò, quorſum hęc ſententia ſit propoſita à Chriſto. Deinde quæ ſit iſta cõminatio. Nõ intrabitis in regnum cœlorum. Tertiò loco, quomodo abundandũ ſit in iuſtitia ſupra illam Scribarũ & Phariſęorum.

Diuiſio tractationis huius.

Vt primum expediam, aduerte, Græcè non haberi, autem, ſed cõiunctionem cauſalẽ, γὰρ, & ita Auguſtinus,& Rupertus legunt,

Quænam huius dicti ratio: Niſi ab-

daucrit iuſtitia veſtra pl⁹ quam Scribarum, & Phariſçorum, &c

Aug. c.9. lib. de ſer. Dom. in Mont. to. 4. Rupertus in Matthæum.

gunt: *Dico enim vobis*: dat enim rationem, quare venerit ad implendam legẽ, & quare velit, vel minima eius præcepta ſeruari. Deinde nõ eſt ignotum quod prçceſſerit; nempe, *Non veni ſoluere* (legem) *ſed adimplere*: tùm omiſſa addendo, tùm permiſſa, in quibus Deus eorum infirmitati cõniuebat, ac vitia tollendo; tùm quæ perfecta ſunt, in perfecta commutando. Et addidit: Non ſolùm non veni ſoluere legem, ſed etiã vt, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non poſſitis in regnum cœleſte intrare.

Altera ratio connexionis. *Aug. ibidem.*

Vel, teſte Auguſtino in ſermone Domini in Monte dixerat Dominus, Qui fecerit minima, & docuerit ſic homines, magnus vocabitur in regno cœlorum: poſſet dici, Quid ergo opus eſt aliis? Iam ſubdit: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra*, id eſt: licèt Scribæ, & Phariſæi, ſeruata minima illa iuſtitia, in regnum cœlorum poſſint venire; vos tamen, quos ad maiora voco, accendoque, nequaquam poteritis, niſi hæc quæ à me adduntur, maiora conſeruetis.

Minima quæ præcepta Chryſoſt. *B. Chryſ. homi. 16 in Matthæum. to. 2.*

Collatio Domini illa Apoſtolorum propria, & ſucceſſorum quã alia ſub ſe duplicem comparationem contineat.

Adde ex Chryſoſtomo, qui per minima præcepta intelligebat ea, quę à Chriſto denuò addita ſunt in Euangelio, quæ qui ſoluerit, & docuerit ſoluenda, ita erat minimus in regno cœlorum, vt in illud non intret. Et hęc etſi petant Apoſtolos, & Prælatos Noui Teſtamenti, ſicut Scribas, & Phariſæos, qui proceres erant Synagogæ, atq; hæc ſola comparatio apertis verbis proponatur: tamẽ ſub hac aliæ duæ intelligendæ ſunt comparationes. Altera eſt, quòd ſicut maiores Noui, debent in iuſtitia vincere maiores Veteris Inſtrumenti; ſic proportione quadam populus Chriſtianus populum Iudaicum. Altera eſt, vt ſicut Patres legis antiquæ ſanctiorem vitam præ populo habere debebant, ita maiores noſtri reſpectu populi noſtri. Vult ergo Dominus Chriſtianos optimis, & pro ſanctiſſimis habitis apud Iudæos meliores eſſe, & iuſtiores. Ait ergo: *Dico enim vobis.* Aſſeueratio eſt Domino conſueta, qua res graues, magniue momenti ſolitus eſt confirmare, vt alibi ſæpè admonuimus.

Abundãtionis iuſtitiæ ſupra illã Scribarum & Phariſæorũ, quale ſit præceptum.

Venio ad ſecundum: *Dico enim vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra, &c.* Id eſt, non moneo, non exhortor, non ſuadeo, vt Auguſtinus interdum explicat, ſed præcipio. Nota etiam, particulam, Niſi quę frequenter præceptum denotat, vt ibi: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: (*Ioan. 3.*) *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*: (*Luc. 13.*) *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*: (*Ioan. 6.*) *Niſi credideritis* (*Infra 8.*) *quia ego ſum; moriemini in peccato veſtro.* Eſt ergo præceptum hoc graue: quod ſubiuncta comminatio comprobat: *Non intrabitis in regnum cœlorum.* Quæ comminatio familiaris, & conſueta Domino fuit, quam iuſtis, & piis facere in more habebat, quemadmodum iniuſtis, & peccatoribus Dominus comminabatur gehẽnam. Etenim ſuppliciorum metu coercentur mali, & in officio continentur.

Quibus Dominus minitatur: Non intrabitis in regnum cœlorum.

Quid comminaretur Deus Iudęis, quid polliceretur olim.

Quę comminatio vt magis agnoſcatur, præmittendum eſt, Deum olim apud Iudæos comminari ſolitum: Non intrabitis in terram, quam promiſi patribus veſtris, dare vobis. Nam filiis Iſraël in Aegypto oppreſſis primò pollicitus eſt libertatem ab ergaſtulo Aegypti, & à domo ſeruitutis, & promiſſa terra Chananæorum, melle & lacte manans, vt habes Exod. 3. (*Exod. 3.*) Huius enim potiundæ deſiderio tracti ſunt ex Aegypto. Et quoties ad legem ſeruandã hortatur, ſolet illam promiſſionem inculcare; & quoties idola colebant, aut à mandatis eius recedebant, comminabatur eis, non eſſe illos in terram ingreſſuros. Et poſtquã in eam intraſſẽt, interminatur ab ea expulſionem, & in Gentes captiuitatem. Vnde illud; *Iuſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam*; (*Pſalm. 36.*) & rurſus, *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſcêris in diuitijs eius.* (*Ibidem.*) Et per Eſai. (*Eſai. 1.*) *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiã prouocaueritis; gladius deuorabit vos.* Et Moſen, & Aaron priuauit ingreſſu Terræ Illius, propterea quòd non ſanctificârunt illum ad aquas Contradictionis. Vnde de Aaron Num. 20. habetur; (*Num. 20.*) *Pergat*, inquit, *Aaron, ad populos ſuos: nõ enim intrabit terram, quam dedi filijs Iſraël, eo quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas Contradictionis.* (*Ibidem.*) Et ad Moſen dixit Deut. 34. (*Deut. vlt. Gen. 22. & 13 & 18 & 26.*) *Hæc eſt Terra, pro qua iuraui Abrahã, Iſaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam.*

Moſes & Aaron cur terram promiſſionis nõ ſint ingreſſi.

Cœlum quibus promittitur.

At verò in Nouo Teſtamento non eſt promiſſa terra, ſed cœlum. Hæc enim fuit prima vox Chriſti prædicantis (vt & eius Præcurſoris) (*Matth. 4. Supra 3.*) *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*: & hoc ipſum in iudicio præſtabit Dominus, cùm dicet; (*Matth. 25.*) *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Ideò comminationes Chriſti in Nouo Teſtamento ſunt de non dando regno cœlorum quantum ad iuſtos; de qua; (*Suprà 7.*) *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, &c.* Vel, (*Suprà 6.*) *Mercedem non habebit apud Patrem*, quod idem eſt.

Pœna damni cur grauior, & atrocior pœna ſenſus *Chryſoſt.*

Duplex autem exiſtit pœna gehennæ, altera quidem ſenſus, altera verò damni, quæ omnium eſt maxima, teſte Chryſoſtomo. Cui quidem maximè fauet ratio. Siquidem pœna damni duplicem habet æternitatem: priuatur enim homo bono infinito, & æterno, ac infinito tempore: pœna verò ſenſus tantùm ſimplicem habet, quia tantùm priuat bono finito, & creato, tempore tamen infinito: nam creatura cùm ſit finita, infiniti mali capax eſſe nequit.

Pœna damni cur modò nihil, aut parũ torqueat peccatores

Quanquam autem hæc priuatio boni infiniti modò non vrgeat, neq; pungat: tùm quia fide non viuimus; tùm quia licèt adſit fides, altũ tamen dormimus, & veluti ſomniantes, cibos huius mundi phantaſticos edimus, hoc eſt honores, delicias, ſcientias, & opes ſeculi iſtius: tamen cùm euigilauerit homo à ſomno, quod cõtinget illi, cùm anima à corpore hoc ſeparabitur, tunc fames & ſitis ingens excitabitur, quia ad eum videndum, edendum, atq; fruendum creati ſumus à Deo, & à Chriſto redempti, & per gratiam toties diſpoſiti, & noſtro vitio tantum bonum amiſimus: de quibus intelligi illud poteſt Pſalmiſtæ: *Et famem patientur vt canes.* Erit ergo fames quædam, ſeu canina rabies tãti boni poſsidendi, quã Ethnici ex parte expreſſerũt, cùm quidam eorum dixerit:

Eiuſmodi pœna qualis & quanta erit, poſt hanc vitam.

Pſalm. 50.

Horat. 1. ſer. ſaty. 1. circa medium.

Tantalus à labijs ſitiens fugientia captat
Flumina.

Pſalm. 112.

Et Dauid: *Peccator videbit, & iraſcetur; dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.* at profectò nullum deſiderium magis premit, quàm illud cœleſtis gloriæ poſsidendæ. Quod explicatum nobis Dominus eſſe voluit ex eo quòd operarij iniquitatis, qui in Chriſti nomine prophetârunt, & dæmonia eiecerunt, volentes ingredi in regnum cœlorum, talem à Domino in die iudicij patientur repulſam: *Diſcedite à me*, inquit, *omnes qui operamini iniquitatem*: quia nunquam noui vos: item Matthæi 25. quando virgines fatuę clauſo oſtio dicunt; *Domine, Domine, aperi nobis*: non dixit, Aperi nobis, quia cruciamur in hac flãma, vel quia dæmones nobis illudunt, & perpetuò torquent, ſed tantùm quòd eſſet clauſſa ianua: quibus dictum eſt, *Neſcio vos.* Sed interim hunc ſenſum illius gloriæ atq; eius ſitim, impendit muſica & voluptas huius mũdi; quemadmodum leniebatur Saul Rex ab oppreſsione mali ſpiritus, quãdo citharam pulſabat Dauid. Ne ergo periclitemur, id vnũ curemus, vt intelligamus nos non habere hîc ciuitatẽ permanẽtem: vtq; inuitati ad cœnam vel conuiuium cœleſte, cu eſurie & ſiti accedamus, & quod homines cum falconibus agunt & canibus, quo illos ad prædam capiendam fame premãt, idem ſibi ipſis præſtent, alioqui anima ſaturata calcabit fauum.

Quibus verbis id nobis Chriſtus teſtatum eſſe voluerit.
Matth. 7.
Pſal. 6.

Matth. 6.
Infrà 25.

1. Reg. 16.
Quid agẽtes, illud hominũ inſtar peccantium, nõ perdemus vitam æternã.
Hebr. vlt.

Prouerb. 27.

Quænam ſit iuſtitia Scribarum & Phariſæorum.
Matth. 23.

Ad tertio loco propoſitum accedamus; Meritò quæritur quę ſit illa iuſtitia Scribarum & Phariſæorum; cùm illi malè audiãt in Scripturis Euangelicis, vt hypocritæ, iniuſti, cæciq́ue, & qui mũdant tantùm quod deforis eſt calicis, intus autem pleni ſunt rapina & immunditia: de quibus Dominus: *Vos eſtis*, inquit, *qui iuſtificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum*: hæc autem nomine iuſtitia, re vera iniuſtitia erat. Reſpõdemus, Caietanum & quoſdam alios exiſtimaſſe, Dominum loqui hoc loco de externa & ſimulata iuſtitia quã Scribæ & Phariſæi profitebantur. Verum hic ſenſus falſitatis cõuincitur. In primis, quia illa non erat iuſtitia, ſed iniuſtitię potiùs nomine digna, vt dixi: ſicut enim aurum falſum, aurũ non eſt, ita ſimulata ſanctitas, non eſt ſanctitas, ſed potiùs duplex iniquitas. Deinde, quia alligabãt onera grauia & importabilia, ipſi nec digito ſuo volebant ea mouere: præterea dicebãt, & non faciebant, vt Dominus aſſeruit: *Super cathedram*, inquit, *Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, &c.* & infrà: *Dicunt enim, & non faciunt.* Præferebant quoque traditiones hominũ Dei mandatis: de quo accuſantur à Domino; *Irritum feciſtis*, ait, *mandatum Dei propter traditionem veſtram*: pro minimis zelantes, grauiora legis cõtemnebant: vnde obiecit illis, *Decimatis mentham & anethum & cyminũ, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudiciũ & miſericordiam, & fidem.* Inſuper putabant ſe ad externa tantum obligari, ſiue in declinando à malo, ſiue in faciendo bonum. Homicidium ſiquidẽ, adulterium, tantùm fugienda cenſebant; non iram, vel concupiſcentiam. Itẽ vacabant ieiuniis atq; præcationib. propter gloriam hominũ venandã tantummodò: hinc Chriſtus ait: *Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito*: &, *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*; &, *Cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Denique omnia opera ſua faciebant, vt viderẽtur ab hominibus. Dominus tamen maiorem iuſtitiam coli à nobis vult; vt primi maiora onera feramus & minora aliis relinquamus, iuxta illud: *Alter alterius onera portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Vult etiam vt non minus facto, quã verbo doceamus: vt primo loco Dei præcepta, deinde Eccleſiæ decreta ſeruemus; vtque

Luc. 16.

Primus Caietani falſam, & ſimulatam intelligentia iuſtitiam ſentius refellitur multis argumentis.
Matth. 23.

Ibidem.

Supra 15.
Scribarum & Phariſæorũ partes iuſtitiæ.
Matth. 23.

Pſal. 33.

Matth. 6.

Ibidem.

Qualis Chriſti iuſtitia.
Infrà 23.

Galat. 6.

vtque maiora præcepta plus zelemus, iuſtitiamq́; internam quæ in corde ſita eſt, præcipuè colamus: atq; ita his omnibus rationibus euicimus, iuſtitiam illorum falſam eſſe.

Secundū argumentum. Deinde, iuſtitia illa Phariſæorū & Scribarum, haud erat vniformis, nec vnius rationis, ſed varia: quædam enim bona erat, vt bonorum illa Phariſæorum, quales erāt Nicodemus, Ioſeph & Gamaliel; quædam verò erat mala atque reproba, qualē profitebantur mali Phariſæi, quos taxat Dominus: atque illa quidem multiformis erat, vt ſpecies peccandi, quas illi ſectabantur, variæ erāt.

Tertium & quartum argumentum. Tertiò iuſtitia quæ erat in Scribis & Phariſæis, non ita nota erat Apoſtolis, vt eam poſſent excedere, quia pendet præcipuè ex corde, quod ſolus Deus ſcrutatur & intuetur.

Comparatio quæ bona & perfecta. Quartò, comparatio ſi rectè fit, inter ea, quæ eiuſdem ſunt generis, fieri debet: vt Philoſophi tradunt: comparantur enim inter ſeſe duo currētes, duo docti, duo item boni; minimè autem fit collatio inter currentem & claudum, ab ingreſſu impeditum, inter doctum & indoctū, inter bonum & malum.

Quintum & ſextum arg. Quintò, Chriſtus legem Moyſi cum Euangelio videtur conferre: ait enim: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis. Ego autē dico vobis*: ex quo conſtare poteſt, quòd nō homines hominibus, ſed legem legi cōferat: vnde vſus eſt illo verbo, *abundauerit*, ſignificans debere præſtare, quæ illi præſtabant, & adhuc aliquid ſuperaddere: ideò Dominus non dixit, niſi meliores ſitis Scribis & Phariſæis, ſed *niſi abūdauerit iuſtitia veſtra*.

Chryſo. hom. 16. Eutym. Sextò, annotârūt hoc loco Chryſoſtomus & Euthymius, per Scribas & Phariſæos hic, rectè operantes, & non tranſgredientes, eſſe accipiendos: atque ita ruit ille ſenſus.

Chriſtus vt abundantiorem à nobis iuſtitiam petit, cùm Paulus illam dānare videatur? Dubium etiam cōſurgit ex his verbis non contemnendum: Quomodo Chriſtus iuſtitiam noſtram vult abundare; quā tamen B. Paulus damnare videtur, cùm ait ad Rom. 10. *Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere; iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti*; & ad Philippenſ. *Vt & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide*: ad hæc Eſaias inquit: *Vniuerſa iuſtitia noſtra quaſi pannus menſtruatæ*: Dauid verò, *Domine, memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius*: qui autem ſolam Dei iuſtitiam exigit, propriam abiicit.

Rom. 10.
Philip 3.
Eſai 64.
Pſalm. 70.

Dicendum eſt; hîc opus eſſe diſtinctione, atq; conſideratione: vt enim idem homo pater & filius dicitur, mortalis & immortalis, paruꝰ & magnus diuerſis rationibus; ita idem homo & ſe peccatorē ex ſe ipſo agnoſcit, & iuſtum ex gratia Dei, & fide.

Quàm falsò & ineptè ab hæreticis nūc [ponitur tota in fide iuſtitia.] Noui namq; hęretici dum totā iuſtitię rationem in fide collocant, perniciosè hallucinantur, atq; conuincuntur hac Chriſti ſententia, per quam operum iuſtitiam exigit: nam poſtquam dixit; *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra*, ſubiungit: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides. Ego autem dico vobis*: & infrà: *Attendite ne iuſtitiam veſtram* (hoc eſt, orationem, eleemoſynam, & ieiunium, vt declarat ipſe Dominus) *faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*. In hunc errorem dixit Ioannes: *Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt*: & Paulus; *Augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*. nempè eleëmoſynæ: itē ſanctus ille Iacob inquit: *Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea*; Dauid quoq;: *Et retribuet mihi Dominus ſecundū iuſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuū mearum retribuet mihi*. Vides igitur quàm ſit falſum, & ab Scripturis alienum dogma, docere, nihil poſſe nos iuſtè agere, quod apud Deum mercedem promereatur?

Matth. 6.
1. Ioan. 3.
2. Cor. 9.
Geneſ. 30.
Pſalm. 17.

Illud Pauli de Iudæis: Ignorātes Dei iuſtitiam, & ſuam quęrentes ſtatuere: iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, quomodo accipiendum.

Ad illud igitur Pauli ad Rom. 10. dicēdum, quòd Iudæi propriis & naturalibus viribus confidebant, & fidē & gratiam Dei abſcindebant; quod poſtmodum fecerunt Pelagiani: & ita ait, quòd volentes ſtatuere iuſtitiam ſuam, abiicientes illam quæ venit à dono Dei per fidem Chriſti, iuſtitiæ Dei non fuerunt ſubiecti: nihil enim valet lex ſine fide, ſicut nec fides ſine operibus, quæ ipſa fides dictat eſſe facienda. Lex ergo non deſtruitur per fidem, ſed confirmatur, ſtatuitur atq; perficitur.

Iacob. 2.
Rom 3.

Quid etiam illud eiuſdē: Non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, &c. tantum ſignificet.

Et idē ſentiendum de altero loco epiſtolæ ad Philippen. vbi iuſtitiam quæ ex lege eſt, tantùm abiicit; illam verò, quæ eſt ex fide Chriſti, amplectitur.

Eſaię dictum explicatur: Tanquā pannus mēſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.

Alius porrò locus Eſaię ita intelligitur; quòd ſunt in nobis vires naturales liberi arbitrij, & ſecundùm has ſolas nihil poſſumus Deo gratū efficere: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Ideò ſi Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt, habet iuſtitiam, ſed non apud Deum, ipſo Apoſtolo teſte: & omnes iuſtitiæ noſtrę, vt à nobis ſolis & peccato infectis, profectę ſūt, tanquam pannus menſtruatę ſunt. Nec mirum hoc eſſe debet; imò potiùs mirandum de oppoſito. Dignum quippè videretur admiratione, ſi arbor mala bonos aliquos fructus ederet. Eſt ergo ibi ſermo de iuſtitia hominis lapſi: vt patet ex mox ſubſequentibus: *Cecidimus*, inquit, *quaſi folium vniuerſi*, nempè areſacta radice Adæ primi parentis, noſq́; velut folia cecidimus: Nos autem ante fidem, ob peccatum; arbores ſumus malæ & ſylueſtres, donec inſerimur in Chriſtum oliuam bonam, ac pinguem. At cùm liberum arbitrium gratia eſt informatum, quam gratis à Domino accipimus; tunc opus bonum inde veniens, haud purè

Hebr. 11.
Rom. 4.
Matth. 7.
Quales nos ſimus natura.
Rom. 11.

eſt liberi arbitrij, quod noſtrum dicitur eſſe, quia naturæ debitum : nec ſolùm eſt à gratia, quam à Deo liberaliter dante accipimus; ſed ab vtroq; ſimul, nimirum libero arbitrio gratia informato. Hinc Apoſtolus, *Gratia Dei ſum id quod ſum: & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem,* (ſcilicet ſolus) *ſed gratia Dei mecum.* Hinc etiam, vt annotauit quidam, in precatione Dominica proferimus in diſtinctis perſonis, *Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua:* non dicimus, Sanctifica nomen tuum, vel, Sanctificabo nomen tuum : nec Fac voluntatem tuam, vel, Faciam voluntatem tuam: vt à gratia Dei, & à nobis illa ſimul fieri intelligamus. Quare opera bona in Scripturis, tota Deo tribuuntur, vt principali agenti ; & tota iuſtis, tanquam organis animatis. Quando itaq; Scripturæ ſacræ damnant opera noſtra; vel illa, quæ ante fidem fiunt, reiiciunt; vel etiam bona, quatenus à nobis, atq; ex libero arbitrio proficiſcuntur, deiiciunt: commẽdant autem & celebrant illa, tanquam ex gratia Dei, & Spiritu eius profecta.

1. Cor. 15.

Aut. ope imperf. in Mat. hom. 14. tom. 2 operum B. Chryſoſt. Matth. 6.

Bona opera quatenus tota Dei ſint, & noſtra.

Pſalm. 70.

Quis ſenſus Reg. Prophetæ dicentis: Quoniã non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini, &c.

Ad illud verò Dauidis dicendum: *Quoniam non cognoui,* inquit, *literaturam* (vel, vt Septuaginta habent) *negotiationem,* hoc eſt, literas, ſcientiaſq; ad lucrum temporarium ſpectantes; vel non cognoui ſenſum literalem legis, & corticem legis tantùm) *ideò introibo in potentias Domini* (id eſt, in Euangelium, quod virtus & potentia Dei eſt, ad ſalutem omni credenti; & in quo enarrãtur magnifica & ſublimia potentiæ Dei opera & miracula) *ideò memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius,* hoc eſt, diuinæ & excellentis iuſtitiæ tuæ, qua iuſtificamur coram te, & quam tu liberter donas, auges, & perficis; & propterea noſtra dicitur, quia nobis à te conceſſa.

Rom. 1.

Quam à nobis nunc Dominus requirit in quo ſita ſit illa iuſtitia.

His præmiſsis, pro vero ſenſu conſiderandum eſt, Iuſtitiam, de qua hic Dominus loquitur, in Fide, Spe, & Charitate, & operibus bonis conſiſtere. Vt enim interpretatur Euthymius, iuſtitiã dixit ſimpliciter omnem virtutem. Et hoc veluti curru, vel quadriga, Chriſtianus cum Helia vehitur in cœlum : hæc autem quatuor in lege erant, quanquam non ex vi legis: quibus auctis, augetur iuſtitia Chriſtiana ſuper illam legis. Fides igitur debet abundare in Nouo Teſtamento, duplici ratione. Prima quidem in extenſione: nam in lege crediderunt Deo, & Moyſi ſeruo eius, modò verò creditur in Deum, & in Filium eius Ieſum Chriſtum. Habebant etiam in genere fidem quandam de Meſsia venturo : ſed nunc oportet abundare, & fidem extendere ad tot articulos explicitos, de Trinitate, de Aduentu Meſsiæ, de vita, miraculis, doctrina, morte, reſurrectione aſcenſione, Sacramentis, & eiuſmodi multis. Nec enim ob aliud perierunt Iudæi, & fidem quam habebant, amiſerunt, niſi quod in Chriſtum, ad perſuaſionem illis prædicatum, ſignisq; ac prodigiis oſtenſum, credere noluerunt : amiſerunt enim propterea veram fidem, & ob id veram atque germanam Scripturæ intelligentiam, quam ſine fide velle aſſequi, planè eſt impoſsibile : quia niſi credideritis, non intelligetis. Perinde enim in hac, atq; in præceptis, qui deficit in vno, factus eſt omnium reus : velut contendens ad vrbem peruenire, perinde remanet foris qui tantùm ab illa vno milliario diſtat, atque qui centum: ita in articulis Fidei, qui vni non credit, nulli credit.

Euthym.

4. Reg. 2.

Fides Chriſtianorũ debet abundare dupliciter.

Hebr. 11.

Quæ cauſſa exitierit ruinæ & interitus Iudæorũ

Eſai. 7. iuxta Septuaginta.

Iacob. 2.

Oportet etiam noſtram fidem abundare, ob varia dogmata in Eccleſia Dei, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, propter hæreticos magis explicita : vt de veritate Purgatorij, de ſuffragiis animarum, de ſanctorũ inuocatione, ac patrocinio, de ſummi autoritate Pontificis : & qui in vno iſtorum diſſentit, Fidem prorſus, & Scripturæ intellectum amittit. Deinde abundare fides debet in intenſione, vt ſcilicet luminoſa ſit, & irradians, magiſque indies menti credentis quietem adferens, teſtimoniaq; Dei credibilia nimis videri faciẽs, vt qui credit, non tantùm propter loquelam Samaritanæ credat, ſed quia vidit ipſe, & guſtauit, quia hic eſt verè Saluator mundi. Qui enim credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Opus eſt etiam, vt fides noſtra in arduis & difficilib^9 eniteſcat. *Etenim ſancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiã, adepti ſunt repromiſsiones, &c.* Debet etiam ſeſe exerere per bonorum operũ exercitium: nam fides vera eſt, quæ per dilectionem operatur. Hinc tanta illa fides Centurionis, & magna fides Chananææ, vtraq; à Domino commendata. Ex hac fide orta eſt Apoſtolorũ magnanimitas, fortitudo martyrum, virginum puritas, Doctorũ ſapientia, confeſſorũ perſeuerãtia, Monachorum, religioſorumve inſignis ſui ipſorũ, & rerum huius mundi contemptus.

Ob quæ etiã dogmata Chriſtianorũ fides debeat abundare.

Cant. 6.

Secunda ratio abundantionis fidei noſtræ.

Pſalm. 18.

Ioan. 4.

1. Ioan. 5.

Ad hanc fidẽ duo etiam requiruntur. Eius fructus, & bona.

Gal. 5.

Matth. 8.

Infrà 15.

Secundò loco, ſpes eadem duplici ratione abundare debet in nobis, extẽſione quidẽ, ſperando remiſsionem peccatorũ, quæ ſolùm inuenitur in Eccleſia per clauẽ miniſterij ; gratiam item Dei nobis conciliandam, qua nobilitamur vna, ex maliſq; ſeruis efficimur boni filij. Eſt etiam ſpe ſuſcipienda æternorum & cœleſtium bonorũ poſſeſsio: debemus quoq; ſpe concipere li-

Spes quoque noſtra quo duplici modo debeat abundare.

beratio-

berationem à malis imminentibus, morbis, aduerſitatibus, paupertate, cruce, atque adeò morte ipſa. In lege autem, & ex vi eius tantùm ſpes erat bonorum temporalium: *Si volueritis, & audieritis me*, inquit Propheta, *bona terræ comedetis*: & Apoſtolus: *Iuſtitiam quæ ex lege eſt qui fecerit homo, viuet in ea*; & illi, qui necdum induti erant ſpiritum Chriſti, dicebant: *Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael*, ſcilicet à temporali Romanorum dominio: cùm in Nouo Teſtamento temporaria adiiciantur tantùm, ſpiritualia verò, & æterna per ſe donentur. Ibi, erat ſpes victoriæ contra hoſtes qui eos bello atterebãt, hic autem ſpes victoriæ contra magnos, & veros hoſtes. Quoniã *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitia, in cœleſtibus*, Apoſtol. inquit. Ideo facienda eſt Spei anchora in Deo viuo & vero, quo victoriam de tantis hoſtibus reportemus: adhęc concipienda ſpes victoriæ aduerſus ipſum iudicem Dominum noſtrum in lucernis Ieruſalem examinaturum, ita vt Dilectus dicat: *Et nunc, filioli, manete in eo, vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius*. peccatis præteritis, quotidianisque lapſibus nequaquàm obſiſtentibus: de corpore etiam noſtro quod corrumpitur, firmiter ſperãdum eſt, quòd reſurget ad immortalitatem, nihil impediente corruptione, & morte, nam Saluatorem expectamus, vt Apoſtolus ait, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, cõfiguratum corpori claritatis ſuæ. Benè itẽ ſperandum de conuerſione Iudæorum, & Gentium, & redemptione peccatorũ, necnon de Eccleſia Dei reformãda, & ad priſtinum decorem reſtituenda: ad quæ omnia ſpes noſtra viua, in qua regenerati ſumus, teſte Petro, debet extẽdi: propriè autem ſpes iuuenum eſt, & peregrinorum, & nauigantium, ex illum quoq; & agricolarum, ac militiæ vacantium, hæredumque: vt Chriſtianus ſine ſpe viuere non debeat. Deinde, intenſior debet eſſe ſpes noſtra, & viuidior, quæ omnia bona temporaria, & quæ ſub aſpectum cadunt, trãſcendat, maioraq; & excelſiora ſpectet: vt dicere valeat cum Dauide: *Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* Sunt etiam illi omnia ardua, & difficilia, non ſolùm patienti, ſed & læto animo ſuſtinẽda propter Chriſtum, vt cum Apoſtolo dicat: *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem.*

Spes autem non confundit. Idcirco in armatura Apoſtolica, de qua Apoſt. 1. ad Theſſal. 5. ſpes, galeę tegenti caput comparatur: quia capitis vulnera ſint magis lethalia: atque ita homo ſine ſpe, eſt tanquàm miles, qui in prœlium ingreditur ſine galea. Innititur autem hæc ſpes in Nouo Teſtamento, conſideratione Dei Patris, qui tanto affectu ducitur erga filios; fide diuinæ bonitatis, qui nõ ſe ſubtrahet, vt proditor, diuinæq; potentiæ, ad ſperandum in ſe penè cogentis, conſideratione etiam diuinæ fidelitatis in promiſſis, de qua Pſaltes: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.* Accedit ad hæc Chriſtus nobis datus, per incarnationem, & mortem, vt ſperemus remiſſionem peccati: & ſuſcitatus, vt ſperemus gratiam, per quam in nouitate vitæ ambulemus: & aſcendens in cœlum, vt accipiat poſſeſſionem regni pro nobis & mittens Spiritum ſanctũ in arrham promiſſi regni, & quòd interim temporaria, quatenùs neceſſaria ſunt, largietur: ad hæc orans in cœlo, interpellansque more aduocati, vt omnia nobis obtineat ille, qui ſemper eſt auditus pro ſua reuerẽtia: veniens quoq; ad iudicium, vt ſuos remuneret. Interim cõfert donum Spiritus ſancti nos docentis, & conſolantis, & adiuuantis in oratione infirmitatem noſtram: dat Angelos miniſtrantes nobis: dat & Eccleſiam triumphantem, quæ iuges preces fundit pro nobis, noſque expectat: dat Eccleſiam militantem, quæ tanquàm pientiſſima mater, porrigit Sacramenta, quæ homines ſanctificant, dedit tot dona à nobis minimè petita, & quæſita; præcepit, vt ſupplicaremus Deo: inſtituit precandi modum, quo exaudiantur: docet per ſpiritum orare: iuuat aliorum exemplo; & denique pro ſua bonitate exaudit. Quis ergo deſpondeat animum, vel conſternetur, tãta habens ſperandi adiumenta firmamentaque? vt meritò Apoſtolus dixerit: *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.* Etenim vt ſtultus putaretur, qui magnam auri ſummam penes menſarium repoſitam haberet, & chirographum depoſiti, ſine cauſſa rumperet: quippe eo ipſo depoſita pecunia eſſet ſpoliatus: ita qui, quauis oblata occaſione, vel leuiſſima, Deum offendit, vel ſcelus admittit, chirographum, quo æternæ gloriæ atque gratiæ depoſitum noſtrum eſſe teſtabatur, perfringit. Et equidem deploranda eſt cæcitas noſtra, & amentia, qui pro præſentis vitæ ſenectute neceſſaria nobis proſpicimus, pro æternitate verò

[Left margin notes: Spei Iudæorum eum ſpe Chriſtianorum contentio. — *Eſai. 1.* — *Rom. 10.* — *Leuit. 18.* & *Galat. 3.* — *Luc. vlt.* — *Matth. 6.* — *Epheſ. 6.* — Quorum maximè rerum noſtra ſpes in Domino collocanda. — *Sophon. 1.* — *1. Ioan. 2.* — *Philip. 3.* — *1. Petr. 1.* — Alter modus ſpei abũdantioris in nobis, quã olim in Iudæis. — *Pſalm. 72.* — *Rom. 5.* & *Iacob. 1.*]

[Right margin notes: Spem Apoſtolus cur vocet galeã ſalutis. — *1. Theſſ. 5.* — Quibus reb⁹ Chriſtianorum ſpes innititur. — *Pſalm. 144* — *Eſai. 9.* — *Rom. 6.* — Quare Chriſtus, & quomodo datus nobis à Deo. — *Hebr. 7.* — *Suprà 5.* — Chriſtianorũ ſpes æternorum bonorum, quibus interim rebus alatur, ac ſuſtentetur. — *Hebr. 10.* — Minima de cauſſa peccãtes, quomodo deſipiant.]

vitæ futurę nihil prouidemus;quod eſt tãtundem, ac ſi quis vellet viuere in Hiſpania, bona tamen fixa, cenſus, domus, villasque in Italia ſibi compararet. Tertiò, iuſtitia Chriſtiana charitatem complectitur, qua vna, teſte Auguſtino, iuſti ſunt, quicunque iuſti ſunt: quia omnibus debita tribuit, tum Deo, tum ſibi, & proximo.

Charitas quod præcipua pars ſit iuſtitię Chriſtianæ.

B. Aug. lib. de natu. & gra. tom. 7.

Et quoniam homo iuſtus alius non eſt, quàm qui iuſtè amat plus, vel minus quæ ad diligendum proponuntur; ideo in hac charitate, quæ in Dei, & proximi amore continetur, implentur lex, & Prophetæ, ac Scripturæ omnes; quarum eſt, erudire hominem in iuſtitia, teſte Paulo. Debet autem abũdare charitas in Nouo Teſtamento, iuxta extenſionem, ad omnes omnium nationum homines, vſque ad inimicos, & ad animos qui in igne purgatorio expiantur, quos non iuuaret prauitas charitatis: debet & ad omnes beatos extendi, eos vt diligamus, inuocemus, imitemurque: fictæ autem charitatis eſt, & planè humanæ, eos vel contemnere, vel nolle inuocare atque imitari, vt hæreticorum plerique faciunt, Dęmnnes tantummodò atque damnati, à charitate excludendi ſunt; cæteri verò omnes amore proſequendi, & ſi opus ſit, iuuandi opera noſtra. Nullus ergo eſt ampliùs Chananæus, nullus Samaritanus, nullus inimicus, vt in lege, quia omnes in Chriſto facti ſumus fratres, & qui actu non ſunt, eſſe poſſunt: nihilque aliud supereſt fugiendum præter peccata, & dæmonem inimicum hominem, & verè miſanthropon. Haud tam latè patebat charitas Hebræorum, aut Paganorum, aut modò Hæreticorum. Hinc Dauid ait: *Statuiſti in loco ſpatioſo* (id eſt, in charitate) *pedes meos*: & iterum: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Debet etiam intendi charitas, & ad Deum, & ad proximum: maiorem quippe charitatem debet filius patri, quàm ſeruus Domino; nobilis principi, quàm ruſticus; & amicus, quàm non amicus; & magis dilectus, quàm minus. Conſtat autem, profeſſores Noui Teſtamenti, nobiles redditos, & locupletatos, & maximè dilectos, & ad amicorum dignitatem vocatos: vt propterea ad maiorem dilectionem ſe meritò obligatos eſſe ſentiant. Porrò charitas intenditur diuini amoris fide, quem erga nos geſſit: nam *In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*: & rurſus, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Rurſus cognitione eius charitatis, qua Chriſtus dilexit nos, & lauit nos in ſanguine ſuo, qui dedit ſemetipſum pro omnibus; nec non Spiritus ſancti, ob hoc ipſum dati, vt nos efficeret ſpirituales amatores: conſideratione etiam legis, quæ in vno verbo charitatis impletur: ideo debemus animas noſtras pro fratribus noſtris ponere, & orare pro inimicis, atque illis benefacere: quia in proximo honoramus Chriſtum: conſideratione quoque eorum fructuum, ac præmiorum, quibus gaudent, & potiuntur amantes. Nec enim eſt quiſquam in ſchola Chriſti diſcipulus, niſi qui proximum diligit.

2. Tim. 3.

Charitas in Euangelio vt abundet in extenſione.

Peccatum, & dæmon, hæc duo Chriſtianis fugienda tãtummodò.

Matth. 13.

Pſalm. 37.

Pſalm. 118.

Eadem charitas Euangelij quomodo intenditur, vt magis abundet.

Ioan. 15.

1. Ioan 4.

Quibus verbis Scripturarum ad Dei, & proximi charitatẽ inflammemur.

Ioan. 3.

Apoc. 1.

Tit 2. & Ephe. 5.

Rom. 13.

1 Ioan. 3.

Matth. 5.

Quartò, agendum de omnibus virtutibus: nam iuſtitia eſt omnis virtus: quæ augetur Fide, Spe, & Charitate auctis, non ſecùs ac quodlibet membrum creſcit, aucto homine. Debent etiam bona opera extendi, vt non tantùm magna mala, ſed etiam parua, vt motus iræ, & libidinis; non tantùm publica, & externa, ſed etiam ſecreta, ac interiora vitemus; nec modò in nobis ipſis, verùm in aliis, quantum poſſumus; nec tantùm verè, & apertè mala, ſed etiam quæ mali ſpeciem habent, vt Apoſtolus monet: *Ab omni*, inquit, *ſpecie mala abſtinete vos.* Debemus etiam extendi in fructibus bonorum: quæ non à ſolo lumine naturæ, & libero procedunt arbitrio, neque à ſimplici lumine fidei, & gratiæ præuenientis, quę diſponunt ad exitum de Aegypto, ſed illa præſertim, quæ à charitatis, & iuſtitiæ proficiſcuntur habitu, & quæ fiunt, poſtquàm ſumus ingreſſi in Terram promiſſam: nam de his maximè in pręſenti eſt ſermo: atq; in his, non tantùm magna præcepta ſeruanda ſunt, ſed parua etiam: nec modò in his quæ Deum, ſed etiam quæ proximum reſpiciunt, nec ſolùm illa quæ ſunt præcepti, verùm etiam quæ ſunt conſilij, & ſupererogationis etiamſi ſint ſpontè tantùm amplectenda, quòd ad ſui obſeruantiam neminem arctent: nec in nobis ipſis tantummodò, ſed & in aliis, verbo, & exemplo ad virtutum ſtudia eos iuuando, & accendendo: nec tantùm in officiis vnius, alteriusve virtutis, ſed omnium, multorumque generum: ita vt ſi quæ ſint parua mala, & leuia delicta, obſcurentur multitudine bonorum operum; quemadmodum in pulchro corpore, vel quiuis næuus offuſcatur à pulchritudine reliqua, humilitasque viſis defectibus quotidianis, magis conſurgit.

Chriſtiana item iuſtitia quantum ad virtutes, & bona opera quomodo pluſquã illa Iudæorum abundabit.

1. Theſſ. 5.

Duplex genus bonorũ operũ nobis pręſtandum, ac declarandum.

Præcepta, & cõſilia Euangelica quàm integrè atq; perfectè ſeruanda.

Habemus item abundare, tum in fuga mali, quoniam poſt Chriſtum, cognitum eſt peccatum quàm ſit horrendum, pro quo nimirum extinguendo ipſe mortuus eſt, & in quantum præcipitium perducat

Chriſtianorum etiam in malo fugiendo, & in bono ſectando cur debeat iuſtitia abundare.

atque

atq; pertrahat; quanta etiam ſit ſanguinem

Rom. 4.
Hebr. 10.

Teſtamenti conculcare contumelia; quantaq; ſit cæcitas atque dedecus humanæ naturæ, tantum poſt lumen in tenebris verſari: tum in ſtudioſis actibus, ob fidem quæ dictat rectè agendum, & Deum omni noſtro cultu in ſeipſo dignum, ob finem nobiliſſimum ſtatim conſequendum, & præ

Rom. 8.

quo non ſunt condignę paſſiones huius tēporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis, & ob Spiritum ſanctum in nobis operantem, ita vt dicere valeamus cum Apoſtolo: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*;

Philip. vlt.

ob exemplum Chriſti, qui proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, vt qui in ſe proficere non poterat, ſaltem in oſtenſione atque experientia progreſſus faceret; ob exemplum quoq; Apoſtolorum, martyrum, & ſanctorum, quorum intuentes exitum cōuerſationis, imitemur, & fidem; ob breuitatem item vitæ præſentis, quia venit citiùs nox, in qua nemo poteſt operari; ob examen etiam in iudicio de iuſtitia, & bonis futurum operibus: *Cum accepero*, inquit, *tempus, ego iuſtitias iudicabo*: quomodo etiam terra culta, & ſeminata, plures fructus edere debet, ita Chriſtianus, in Chriſto vitc tanquàm palmes inſertus, de quo: *Omnem palmitem in me ferētem fructum, purgabit eum, vt fructum plus adferat. Niſi ergo abundauerit iuſtitia veſtra, &c. non intrabitis regnum cælorum.*

Luc. 2.
Hebr. 13.
Ioan. 9.
Pſalm. 74.
Ioan. 15.

Vltimus gradus abundandi in iuſtitia in eo conſiſtit, vt propter eam patiamur: *Beati*, inquit, *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, & Petrus: *Sed & ſi quid patimini propter iuſtitiam: beati* (ſcilicet eſtis) *quoniam patientia opus perfectum habet*, id eſt, charitatis oſtenſionem, & Chriſti exemplum, in vitæ ſuæ cataſtrophe demonſtratum.

In patiendo pro iuſtitia, Chriſtianorū debet quoque abundare iuſtitia.
Matth. 5.
1 Pet. 3.
Iacob. 1.

Omnium virtutum cultor Ariſtides & exemplum, Oſtraciſmo apud Athenienſes in exilium pulſus eſt, non ob aliam cauſam, niſi quia iuſtus erat: & Thraſeas à Nerone interſectus, quòd omnibus polleret virtutibus, quarum vitia cōtraria ipſe amplectebatur.

Qui duo ſapiētes ethnici ob iuſtitiā paſſi fuerint.

Cura ergo proficere, & abundare in iuſtitia, quia alioquin retrocedes, vt qui nauigat aduerſo flumine, ſi tātillum manus remittat, retro labitur. Et, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Matth. 6.

Debet poſtremò excellere noſtra iuſtitia illam Scribarum & Phariſæorum, vt eam non ſolùm in operibus noſtris collocemus vt illi, ſed etiam, & ante omnia in fide Ieſu Chriſti, & meritis eius ampliſſimis, nec in externis tantùm cæremoniis, vt illi, ſitam eſſe putemus, ſed maximè in ſpiritu. Ad hæc, vt non cortici legis inhæreamus, & iuxta illum impleamus, ſed vt præcipue iuxta mentem Spiritus ſancti intellectam, ſeruemus. Nam hæc omnia ad iuſtitiam legis abundantiorem, & pleniorem ſpectant.

Vltima ratio abundantioris iuſtitiæ Chriſtianæ ſupra illam Scribarum, & Phariſæorum.

Sed timendum nobis eſt, ne Chriſti ſententia diebus noſtris locum habeat: *Quoniam abundabit*, inquit, *iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Longè ſiquidem, degenerarunt Chriſtiani à iuſtitia, inque omnia ſcelerum, & flagitiorum genera, magno cum gaudio, & bonorum ſcandalo prolabuntur, ita vt peiores Iudæis apud nos inueniantur in blaſphemia, vſura, & turpitudine quauis perficiēda.

Infra 24.
Chriſtianorum notatur defectus iuſtitiæ.

Faxit Deus vt reſipiſcamus, & ad ſtudium bonorum operū redeamus. Sed ante omnia meminerimus illius pulchrę ſententiæ B. Petri, quæ ſic habet: *Quapropter, fratres, magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.*

2. Petr. 1.

Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti: *Abundanter*: inquit Apoſtolus, id eſt, ſimul cum aliis, quos veſtro exemplo perſuaſos deduceritis vobiſcum in regnum cœleſte: vel abundāter, hoc eſt, glorioſior corona: nam maior duci triumphatori debetur, quam militi merces, ſicut Chriſto Domino noſtro, cui cum Patre, & Spiritu ſancto reddatur ſempiterna laus, gloria, & imperium ab vniuerſa creatura, in ſecula ſeculorū; Amen.

Quid benè operantibus, abundanter miniſtrandū fore introitū in æternum regnū, vt ait Apoſtolus.

TRACTATVS XXXIV.

In illa verba: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio.*

DOMINVS Ieſus, deſcribens Doctorem egregium in Eccleſia Dei, dixit: *Omnis Scriba doctus in regno cælorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera.*

Matth. 13.

In qua ſententia, vt annotauit Auguſtinus, noua, priora ſunt dignitate, & ordine doctrinæ, tempore verò poſteriora.

Aug lib. 20. de Ciuit. Dei. cap 4. tom 5.

Et primo in his verbis damnantur, qui nec Noui, nec Veteris Teſtamenti dogmata docent; ſed vel phyſica, vel hiſtorica, vel fabuloſa tradunt. Deinde illi, qui vetera ita docent, vt nihil ex nouo prorſus admiſceant, vt Phariſæi, qui Veterem Legem, ad iuſtitiam, & ſalutem ſatis eſſe ſtatuebant. Poſtremò damnantur qui acceptabant noua, reiectis, & reprobatis Veteris Legis libris, quales erant Manichæi. Sed ille perfectus eſt

His Domini verbis: Omnis Scriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera, quæ tria doctorū genera damnare videatur:

Doctor,

Vetus atque perfectus doctor quis. Ratio contextus Euthymio qualis ſit.

Doctor, qui ex vtroque Teſtamento depromit quæ docet, vt Chriſtus, & Apoſtoli fecerunt, & ſuo exemplo nos facere docuerunt. Quod ad ordinem igitur ſpectat, rectè Euthymius docet, quod poſtquàm Dominus corda ipſorum beatitudinibus emolliuit, maiora deinceps profert mandata: vt oſtendat, in quo debeat iuſtitia noſtra, illi Scribarum, & Phariſæorum excellere. Simul etiam oſtendit, quòd legem non ſoluit, ſed complet potiùs tanquàm imperfectum, quædam illi adiiciendo. Quærit Euthymius, quare Dominus non cœperit à primo præcepto primæ tabulæ? Et reſpondet: *Quia quum illud de diuinitate loqueretur, oportebat quidem illud etiam complere, & aliquid de ſui ipſius dignitate manifeſtè addere. Nondum autem tempus erat. Etenim ſi etiam poſt doctrinam atque ſigna, dæmonium dicebant eum habere, quum tamen nihil de ipſa manifeſtè diceret, quid, obſecro, non dixiſſent atque feciſſent, ſi ante hæc omnia tale quippiam loqui tentaſſet? &c. Manifeſtè autem, & vt plurimum humilia de ſe ipſo loquitur, propter auditorium imbecillitatem: ſciebat enim, quòd poſtmodum ſua ipſum manifeſtarent opera, qualia nullus alius fecerat. Arrogantiæ enim eſt, nec ſuſpicione caret, magna quadam de ſeipſo dicere.* Hæc ille. Deinde quæres; cur non ſaltem cœpit à primo præcepto ſecundæ tabulæ, de honore parentum, in quo tam grauiter peccabant Phariſæi, quos acriter reprehendit Dominus Matthæi 15. Dici cum ratione poteſt, Dominum non voluiſſe hoc loco Euangelium, ſupra falſam intelligentiam Phariſæorum, & falſam iuſtitiam illorum, ſed ſupra doctrinam legis, & ſupra iuſtitiam, quæ ex illa conſurgit, euehere: ideo ab homicidij prohibitione exorditur. Quoniam ergo dixerat, oportere abundare iuſtitiam noſtram, propterea incipit de communi iuſtitia tractare, vſque ad finem cap. 5. deinde verò de tribus aliis virtutibus, eleëmoſynæ, orationis, & ieiunij agit, ſecundùm Rupertum. Ait ergo: *Audiſtis.* Idiotis loquitur Dominus, qui minimè legerant: vnde dicebant Apoſtoli, Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum filium eſſe Dauid? producentes Scribas, quos audierant prædicantes, & nequaquàm Scripturas, quas non viderant: & maiorem autoritatem habent à miniſtris audita, quàm à ſe lecta, quia fortè illa non intelligerent: at agens cum legiſperito interrogante quid faceret, vt vitam æternam poſſideret Luc. 10. ad legem miſit: *In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?*

Quare Chriſtus non primum primæ tabulæ præceptum attulerit.

Exod. 20.

Matth. 15.

Rup. Tuitien.

Chriſtus cur dixerit, Audiſtis, non legiſtis.

Quia dictum eſt antiquis. Notandum hic eſt, quòd Dominus aliquando ait abſolutè, *dictum eſt*, aliquando verò, vt hic, *dictum eſt antiquis*: & cum hoc ſecundo modo loquitur, intelligit de Patribus qui fuerunt ante legem Moyſis, illi etenim propriè antiqui vocantur: cùm verò ſimpliciter aſſeritur, *Dictum eſt*, loquitur de his, quæ erant propria legis Moyſeos: vt patebit. Hoc autem: *Non occides*, non ſolùm dictum eſt in lege Exod. 20. & à Moyſe in Mõte Moab, Deuteronomij 5. ſed etiam à lege naturæ hominum indita mentibus, & ad primum Adæ filium homicidam Dominus: *Sanguis*, inquit, *fratris tui Abel clamat ad me de terra*: & iterum: *Quicunque*, ait, *occiderit Cain, ſeptuplum punietur*: Sic etiam in fœdere initio cum Noë dictum eſt: *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*, & loquitur de vindicta in iudicio Dei æterno rependenda, non autem de temporali. Atque ita intellige verbum illud: *Reus erit iudicio*, non ſolùm temporariæ mortis, vt dicitur Exod. 21. ſed etiam damnationis, & interitus æterni in diuino iudicio: quomodo Dominus dixit apud Ioannem: *Et procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerint, in reſurrectionem iudicij*, nempè mortis, & pœnæ æternæ, quæ opponitur reſurrectioni vitæ. Illud ergo, *Reus erit iudicio*, etſi in Lege Moyſi non inueniatur ad verbum, habetur tamen in ſenſu Exod. 21. vbi varia ſunt inſtituta iudicia iuxta varios homicidij caſus, quæ omnia vna hæc ſententia comprehenduntur.

Chriſt⁹ quos vocet antiquos.

Vbi dictum antiquis, Nõ occides.

Geneſ. 4.

Infrà 9.

Hic locus, & huic ſimiles: Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius, quomodo accipiendi.

Exod. 21.

Ioan. 5.

Non occides. Occidere, eſt, tollere vitam; quæ eſt actio per ſe mouentis, vel magis propriè, natura ſe agens ad operandum. Ideo primò viuunt plantæ, in infimo vitæ gradu, deinde animalia ſenſu tantùm prædita, poſtremò homines. Non ergo hoc loco prohibetur plantarum occiſio, vt ſtultiſſimi dogmatizarunt Manichæi, & Aegyptij, qui plantis numen tribuebant: quos Iuuenalis egregiè traducit:

Occidere quid ſit.

Porrum & cepe nefas violare, & frangere morſu;

Et iterum:

O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis

Numina.

Iuuenal. ſatyr. 15. 1.

Sed, vt dixi, de his minimè intelligitur, tum quia illæ propriè non dicuntur occidi, tum quia ſanctum erat, & à Deo præceptum, vt lucos ſacrificiis deorum & luxuriæ dicatos ſuccIderent, ſicut Deuteron. 7. Tum denique quia bonum & finis plantatum, Deo ita ſtatuente, alius non eſt, quàm vt edantur, vt Geneſ. 1. & 2. traditur; vt nos viuentibus tantùm nutriamur.

De plantis non eſſe dictũ: Non occides, contra Manichæos.

Deut. 7. & alibi.

Geneſ. 1. & ſeq.

Infrà 2.

Neq; de animabus illud præceptũ intelligi, contra Pythagoreos.

Deinde hæc prohibitio, de animabus nequaquàm eſt intelligẽda; contra Pythagoram, aliter inſipienter philoſophantem: nam etiam bruta ad hominum eſum inſtituũtur Dei præcepto, imò etiam ad beſtias alias carniuoras, vt ad leonem & lupum, ac vulpem: vnde antequàm in cibi vſum concederentur à Deo, ſine peccato occidebantur, vt Abel, quando obtulit de primogenitis ouiũ ſuarum; & Noë, qui ſacrificauit poſt diluuium Deo ex animantibus mundis: Lamech eo etiam tempore venator erat, & venationibus vacabat: ac poſt diluuium, licèt ea in vſum noſtrum occidere vt Geneſ. 9. conceditur. Vnde Paulus ait, *Omne quod in macello venit, mãducate*; & Ariſtoteles in Politicis docet, venationem eſſe iuſtum bellum: glorioſum quoq; eſt, animalia fera, & homini noxia interficere, vt ſerpentem, leonem, lupum, vrſum & canes rabidos, & ſimilia; taliumq; beſtiarum cædes in Herculis laudibus ponuntur. Reliquum eſt igitur vt de homine intelligatur, quẽ nulla ratione licet occidere: quia homo propter ſe eſt, & ad Deum ſolummodò refertur. Multis tamẽ modis contingit hominem occidere citra crimen, ſeu tranſgreſſionem huius præcepti. Primò quidẽ, quando Deus reuelat, & pręcipit occidere: nam ipſe eſt verus Princeps, Dominus vitę, & mortis. Ideo pręcepit Abrahæ filium ſibi immolari; Samſoni, vt occideret Philiſthæos; Sauli, interficere Amalechitas à viro vſq; ad mulierem lactantem, ouem, & bouem: & quia pepercit quibuſdam ex illis, Deus priuauit illum regno.

Geneſ. 4.
Infrà 9.
Infrà 9.
1. Cor. 10.
Philoſoph. lib. 1. Polit. c. 2. in fin. & alibi, tom. 3.

De hominibus tantummodo dictũ, Nõ occides.

Quas hominum cædes, tanquam iuſtas, illud præceptum minimè comprehendat.

Geneſ. 22.
Iud. 15.
1. Reg. 15.
Ibidem.

Quòd ſi quis dicat: Qui fieri poteſt, vt quis iuſtè præcipiat, quod homo iure facere nequit, vti innocentem iugulare? Reſpõdemus: Non omne quod eſt alicui prohibitum, omnibus aliis eſt ſimpliciter prohibitum. Verbi gratia, equum meum, & arborem meam ego licitè interficio & ſuccido, proximis autem id non licet, qui tamẽ autoritate mea id præſtare poſſent. Ita Dominus verum habet ac proprium omnium hominum dominium, & poteſt facere de illis quod vult, & aliis mandare vt faciant. Nam cùm ipſemet legem tulerit de non occidendo, ipſius eſt cùm vult, in illam diſpenſare.

Quo tãdem pacto licita ſit Deo, homini illicita cædes innocentus.

Deinde licitè occidunt Principes, ſiue Iudices, & Magiſtratus per autoritatem à Deo eis conceſſam, ſeruato debito iuris ordine, atque recta intentione, zelo nimirum iuſtitiæ tanquàm Dei miniſtri. Ait enim Dominus; *Maleficos non patieris viuere*: & rurſus, *Educ blaſphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus.* Apoſtolus etiam, *Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.* Petrus quoque: *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi; quaſi præcellenti; ſiue ducibus, tãquàm ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Hinc iudex haud eſt homicida, nec accuſator, nec teſtis, nec aſſeſſor, nec lictor, nec miniſter comprehendens. Natura enim comparatum eſt, vt Reſpublica poteſtatem habeat ſuper quemuis ſub ſe exiſtentem: quia vt imperfectum refertur ad perfectum, ita pars ad totum, in quo tantùm habet perfectionem. Et vt ſæpè videmus expedire, vt præcidatur aliquod membrum putridum pro conſeruatione totius corporis; ita qui pernicioſus exiſtit communitati, licitè poteſt per mortem præcidi, & poteſt iuſta cauſa ſubeſſe, ne ſcilicet corrumpat alios. Modicum enim fermentum totam maſſam corrũpit. Eſtque mors in aliorum exemplum. Etenim iuxta Apoſtolum, *Peccantes publicè arguendi ſunt, vt & cæteri timorem habeant.* Erit etiam ei, qui mortem ſuſtinet, malum pœnæ meliùs quàm culpæ: nam pœnæ, vt à ratione præfigitur, bonum eſt, defectumque puri mali, id eſt, culpæ, corrigendo ſupplet.

Iterũ exemplum hominum non iniuſti, ſed etiã imperati.
Exod. 22.
Leuit. 24.
Rom. 13.
1. Petr. 2.

Quàm iuſta & rationi cõſentanea cædes iniquorũ

1. Cor. 5.
1. Tim. 5.

Magiſtratus maleficis illos occidendo, quid conferat.

Quamobrem quando vniuerſæ hominis actiones à bono ſecundùm rationem eligendo deficiunt, & Rempublicam perturbant, & offendunt, adimi ei poteſt maximè optabile, id eſt, vita. Homo etiam peccans, & pacem ciuitatis communem interturbans, fit Reipublicæ ſeruus, & in eius vtilitatem cedit, ac per hoc iuſtè eum pro meritis occidere poteſt.

Quæ quo magis plures ſeruitutis ſpecies intelligantur, ita ſtatuendum. Homo natura ſua, & per ſe liber eſt, quia ad nil aliud præterquàm ad Deum refertur. Accidit autem ei, & quidem in bonum ſuum, quòd fiat ſeruus eorum, qui ingenio, & ſcientia pollẽt, quibus ipſe, etſi maximè viribus, & corporis robore valeat, carere cõſpicitur. Cùm autem hęc naturalis hominis ſeruitus non ſit ob culpam aliquam; manet adhuc in humanæ ſpeciei dignitate, neque vllo modo eum occidere licet, ſed parcendum eſt ei tanquàm paruulo, neque illi eſt permittendum, vt regat ſeipſum. At malus peccando in ſeipſum, & in proximum, & in Rempub. dignitatem humanam amittit, id eſt, rationis in vſum & exercitium, ac proinde ſeruus & mãcipium politiæ efficitur, poteſtq; eo vti vt iumento ad ſuam vtilitatẽ, & occidere, ſi ita expediat: quemadmo-

Homo cur natura liber: vnde ſeruus efficitur, integra tamen hominis dignitate.

Idem omnimodã, & perfectam quando incurrat ciuilem ſeruitutem.

admodum etiam caneio pecunia redemptum occidere liceret. Nullus autem ſeruus tanto pretio emptus eſt vnquàm ab aliquo, quemadmodum à Chriſto redemptus eſt Chriſtianus: quare in pertinentibus ad hanc ſeruitutem, vnus alterom iudicare non poteſt. Malus Igitur cùm peccādo ſeruus politiæ accipiatur, à quoquam occidi non valet niſi ab habente autoritatem Dei, vel Reipublicæ: quemadmodum nec alienum canem, aut iumentum fas eſt interficere autoritate propria. Non eſt ergo cuiquam licitum ei vitæ æternæ optare iacturam, nec eius mortem ſine cauſa appetere, ita vt peccator eſſe ſimpliciter amittat.

Nocentis & malefici cædes lictori quatenus illicita.

Delinquit porrò miniſter, ſiue lictor, ſi vindictæ cupiditate, vel crudelitate maleficum interficiat: ſecùs autem eſſet, ſi id iuſſus à Magiſtratu faciat. Vt autem Deus maleficum aliquando de medio tollit, aliquando verò ad pœnitentiam expectat; ita & Reſp. etſi non adeò expectare ſoleat vt Deus, quia non eſt tanta caritate ac longanimitate prædita; tum quia peccans poſſet ei nocere, & cæteri impunitatem videntes à delictis non arcerentur, nec in Rempub. peccare formidarent. Neq; expectat vt talis ille fiat, qui à Deo, vel Angelis corrigi non poſſit: nam etiam abſolutè loquendo, mortuus poteſt corrigi. Quanquàm quia Deus ſecundùm rationem agit, ne producat rem in immenſum, quando ad terminum vitæ, id eſt, ad mortē ille peruenerit, non ſoleat ampliùs ad pœnitentiam expectare, vel inducere: ideo ante mortem poteſt quis tantùm corrigi à Deo. Rex autem cum ratione inemēdabilem humano more iudicat eum, qui principlo emendandi ſui deſtituitur: principium autem intrinſecum eſt ratio, quam habet, vtique poteſt incontinens ceſſante perturbatione, non autem vtitur ea minimè tēperatus: extrinſecum autem eſt verecundia, vel timor: quod principium intēperatus habere poteſt. Et quoniā naturale eſt, vt affectus vehementior magis, quàm remiſſus moueat; ideo ſi quis maiori odio proſequatur verecundiam, vel pœnam ipſam, quam incurrere metuit; quàm diligat delectabilia bona propter metum, vel pudorē, hæc relinquere conſueuit. Qui autem hæc principia contemnit, humanitùs corrigi nequit, quæ ex paucis actibus, Imò interdum ex vno actu facinoroſo lex ipſa colligit: quod alienum à ratione non eſt. Namque vnus actus perfectus generat habitum, ſicut vna demonſtratio euidentiam æque ac mille demonſtrationes, licèt nō memoriam. Conſuetudo etiam fortiſſimam efficit impreſſionem, & ad vnum, vt natura, eſt determinata: quæ non facilè tollitur, licèt interdum ab opere impediatur. Hinc eſt, quòd pro vno actu homicidij quandoque occidit lex. Poteſt tertiò quis occidere citra peccatum, quando ſcilicet ineuitabili neceſſitate coactus, & ab aliquo ſe volente interficere, inuaſus, ſe ipſum defendēdo, ſeruato moderamine, occidit inuaſorem. Natura quippe eſt inſitum vnicuique homini, vti ſe ipſum, & naturam ſuam tueatur: cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, vt inquiunt Iuriſconſulti. Eſt autem moderata tutela, primò, cùm quis non eſt inuaſor, ſeu aggreſſor. Deinde cùm actu ſe defendendo occidit, non autem antè, vel pòſt: Item cùm non excedit modum defenſionis, ſed ſolùm adhibet neceſſaria ad repellendam mortem, & vim illatam. Vnde ſi ſaluo honore valet fuga euadere, debet fugere. Minimè autem licet aggrediētem baculo, enſe euaginato ad mortem petere, vel inuaſorem debilem, nec valentem lædere, interficere: alioqui tales homicidij crimen non euaderent. Poſtremò non debet velle occiſionem, ſed ſui defenſionem ipſius, ita vt caſu ſequatur occiſio ad mentem eius: quæ quia ſana eſt & integra; atq; omnia præcedentia cum æquitate, rationeque coniuncta, non videtur talis actus vitioſus ex eo quòd poſſit mors accidere. Sic enim omnes boni perirent, & mali indies licentioſiores efficerentur. Quamobrem occidere ſic, pœnam non habet vllam ciuilem, nec Eccleſiaſticam, id eſt, quam vocant irregularitatem (quæ macula eſt, ne quis promoueatur ad ſacros ordines; vel ad illos promotus, ne In illis miniſtret: vt habes in Clementina *Si furioſus* de homi.) Nec etiam habet pœnam diuinam: quia ille ſic faciens egit ſecundùm rectam rationem. Cùm ergo Apoſtolus dicit cap. 12. ad Romanos, *Non vos defendentes, chariſſimi*: intelligit defenſionem, quæ zelo vindictæ fit: nam & id vox Græca *ἐκδικοῦντες*, id eſt, vlciſcentes ſignificat. Permittitur porrò, non præcipitur, defenſio ſui: & priuilegium Legis eſt poſſe occidere nocturnum furem, vt Exod. 22. continetur, & tit. de homicidio, cap. *Si perfodiens*. Etſi autem certò ſcire contingeret, inuadentem, animam perditurum ſuam, ſi occidatur, inuaſum autem, corpus tantùm; deberet inuaſus tunc potiùs credere, ſeq́ue occidi permittere, quàm occidere. Si tamen homo, qui eſt paſſus inſidias, ambigit de conſciētia propria, nec cōſtat quòd inuaſor damnabitur, cùm valeat In inſtanti conteri, vt

inter-

Aliter Deus peccatores, aliter Magiſtratus expectat & ſuſtinet.

Inemendabilis quis iudicio magiſtratus: tantæq; obſtinatæ nequitiæ duplex cauſa quænam illa.

Eiuſmodi iudicium de improbis, & facinoroſis quàm conſtans & probabile.

Tertium exemplum homicidij minimè prohibiti.

Quatenùs liceat ſeipſum defendere: & quænam moderata tutela.

Quæ illicita ſit ſui ipſius defenſio.

Tales homicidæ cur nullam nec ciuilem, nec Eccleſiaſticam, nec Diuinam pœnam incurrant.

Quid ſit irregularitas.

Rom. 12.

Illud Apoſtoli: Non vos metipſos defendētes, chariſſimi, &c. quē ſenſum habeat.

Exod. 22

Inuaſus quā inuaſor quādo potiùs occidendus; quādo non, ſed inuadens licitè poſſit occidi.

Qui per temporalem mortem, æternã euaſerunt, exempla quorundam.

Hier. in ca. 1. Nahu, to. 6. Gen. 7. & ſeq. Exod. 14.

interdum euenit; poteſt ſe tuendo eum necare. Si quippe Hieronymus ſuper Nahum tradit de his qui perierunt in diluuio, & de Aegyptiis, & Sodomitis, & de Iſraelitis in deſerto interfectis, quòd perierunt ad tempus, vt non perirent in æternum: & receperunt in ſolitudine mala in vita ſua: vt ille loquitur. Non ignoro, hanc B. Hieronymi ſententiam ſuper Nahum à multis reprobari, ac reprehendi tanquàm falſam, ego tamen ita illam recipio, vt credam nonnullos ex illis, qui in diluuio, vel in mari Rubro, vel qui igni de cœlo miſſo in Pentapolim, periere, vel ex iis, quorum corpora in deſerto iacuerunt, tanto flagello admonitos de peccato ſuo reſipuiſſe. At mortis quidem temporale ſupplicium nó euaſerunt, gehennę verò ſempiternum effugerunt pro Dei bonitate peccatores ad ſe vocantis ac trahentis. Et de ſuffocato quodam à dæmone in lecto monialis iacenti, illamque vti ad lectum veniret, expectante, refertur à Bernardo libr. 2. Speculi Virginum, eo quòd de peccato ſuo diluerit, euaſiſſe damnationem æternam.

Geneſ. 19.

B. Bernard

Cædes quæ latronis illicita & iniuſta: & quænã occidentis pœna.

Si quis verò latrocinatum veniret, & inuaderet bona noſtra, ſine quibus vitam traducere poſſumus; ſi tamen id nobis conſtaret quòd non ex malitia, ſed ex vrgenti neceſſitate faceret, vitium eſſet & peccatum latronem occidere: quia magis lege tenetur ad corpus proximi diligendum, quàm ad tuendas res proprias. Non tamen punitur lege humana, vt eſt in prædicto cap. *Si perfodiens*, extra de homicidio: licèt efficiatur irregularis, vt habetur in cap. *Significaſti*, & diſtinct. 50. cap. *De his Clericis*.

Adultericidium cur impunè legibus humanis.

Quemadmodum lex ipſa humana, ne Reſpub. adulterio impunito, ac odiis remanentibus perturbetur, indulgens iuſto dolori, permittit occidi filiam, vel vxorem in adulterio deprehenſam: attamen ille homicidij crimen coram Deo non euadit.

Cur in filiã adulterã parens, quam vir in vxorem, ferè ſit clementior.

Pater autem filiam vt quid ſui diligit, maritus autem vxorem propter ſe: ideo naturalis pietas minùs ſinit ſæuire parentem in filiam, quàm virum in vxorem, quia hic tantùm conſiderat iniuriam ſibi illatam, non quantum amorem habeat erga eam. Vt autem hæc rectiùs percipiantur, aduerte, finem politiæ vel ciuitatis proximum, vel præcipuum, non eſſe Dei cultum, quia hic ſine conuentu hominum in vnum poſſet conſiſtere; ſed eſt copia in rebus ad vitam neceſſariis, quæ non eſt, cùm pauci ſunt artifices, & ciues: atque ad hanc quidem contendunt leges peruenire. Quare contra conſcientiam eſſet, ſi nil permitterent: velut interficere inuadentem, & adulteranıem cum vxore; ſi item non concederent vſuras & meretrices: daretur quippe anſa grauiùs peccandi malis, perirent quoque politiæ, quique illas conſequitur cultus Dei, & leges minimè ſeruarentur: ad hæc ſuperaret lex finem ſuum, qui eſt bonum ſenſibile, quod hic poteſt haberi, & quod ciuilis lex reſpicit. Finis verò CHRISTI politiæ, vita eſt æterna, ipſeque ſolus poteſt gratiam largiri ad peccatum omne vitandum: nec enim cogi poſſunt omnes ad perfectam vitam amplectendam, vt infirmi, & imperfecti. Atque ita Euangelium minimè approbat leges politicas, vt idoneas ac per ſe ſufficientes ad prǽſtandam vitam æternam: nec rurſus iubet eas de medio tolli; ſed reliquit vti diuerſas, & proportionem ad finem ſuum habentes; tantùm cuiuis iniungit abſtinere ab omni malo, quatenùs tendit ad finem Reipublicæ Chriſtianæ.

Humanę politiæ finis potiſſimus quinam ſit.

Quid ſi malorum nihil omninò permitteret.

Chriſtianæ finis politiæ quis.

Hę leges humanas & ciuiles quatenus toleret, quatenus etiam damnet, ac reprobet.

Quartò, extra culpam homicidij eſt, qui alterum caſu, hoc eſt, præter mentem, & voluntatem ſuam occidit: quod dupliciter contingere poteſt, vel quia dabat operam rei illicitæ, & ſic ab homicidio non liberatur; aut vacabat rei licitæ, & tunc aut non adhibuit debitam diligentiam ad tollendum homicidium, quod ſequi poterat, & non habet excuſationem: vt cùm quis ſaxo ludens, vel gladio, verberat pręgnantem, vel cùm purgans tectum, proiicit tegulas, non appoſito ſigno, ſeu cùm mater nutrixve infantulum in lecto iuxta ſe poſitum, dormiendo ſuffocat; vel cùm prægnans immodicè ſaltitat; vel cùm medicus ex inſigni inſcitia, negligentia infirmum malè curat: ſi ſequitur mors, imputabatur ei homicidium; ſecùs ſi adhibuit debitam diligentiam, vt ſi cædens ligna, ferrum ſecuris manum eius effugiat, & alterum occidat. Namque his & ſimilibus præparauerat Dominus ciuitates refugij, in quibus ſalui & tuti manerent; vt habes Exod. 21. Num. 35. Deuteron. 19.

Quartũ exemplũ inculpabilis homicidij.

Homicidia quę fortuita, ſed tamen culpabilia.

Exod. 21. Num. 35. & ſeq. Deut. 19. & ſeq. Ioſu. 20. & ſeq.

Quintò, dignus venia cenſetur, qui in bello iuſto alterum occidit. Dicitur autem iuſtum bellum, quod pro iuſta cauſa, autoritate Principis ſuſcipitur, vt pro defenſione patriæ, vel parentis, aut propulſanda iniuria illi illata; qui etiam occiderit in bello, cuius cauſa dubia exiſtit inferiori, ſitne iuſta, necne, minimè peccat, ſiquidem ei non conſtat de iniuſtitia Principis; quæ ſi conſtaret, reus efficeretur occidendo; quoniam in ea re illi iniuſtum præcipienti, ſubditus non cogitur obedire. Quòd ſi Principem ipſum iniquitas cauſæ non lateat; peccabit ipſe occidens per militem;

Quintũ exemplũ homicidij minimè damnabilis.

ſicut iudex iniuſtè iudicans, & plectens per miniſtrum, cui nota eſt iniuſtitia: ipſe, & non qui ignorat miniſter peccat: velut iudex interdum & Princeps, præcipiendo cædem iuſtam miniſtro, vel militi, malum non committit, miniſter tamen, vel miles odio hoc faciens, ſolus grauiter delinquit.

Quis propriè ſit homicida.

His igitur quinque prædictis modis qui alterum occidunt, homicidij crimen non incurrunt: quare ſupereſt vt hic textus non occidendi, de interficiente hominem propria & priuata authoritate, & ſine cauſa legitima, ſiue ſe, ſiue alterum intelligatur. Nulla quippe ratione licet cuiquam ſe ipſum interficere: tum quia ageret contra naturalem propenſionem, & ordinem naturæ, ac rationem, ſui conſeruationem dictantem: ageret etiam contra charitatem, qua ſe ipſum pluſquàm alios, imò pluſquam patrem & matrem diligere tenetur: & ideo interficiens ſe ipſum, grauiùs delinquit, quàm ſi illos occideret. Tum tertiò, quia agit in Deum, cuius donum homini tributum, eiusque poteſtati ſubiectum, ipſa exiſtit vita. Deus enim eſt, qui poteſt occidere, & viuificare: homo autem tantùm valet occidere. Ideo qui ſeipſum necat, iniuriam facit Deo, illum ſua vita priuando: quemadmodum qui alienum interficit ſeruum, in alienum dominum delinquit. Omnis enim homo ſeruus Dei eſt, atque eius poſſeſſio. Agit quoq; Chriſtianus contra Redemptorem, qui nos ſanguine emit ſuo, ita vt non ſimus noſtri, ſed illius qui nos redimit. Ad hæc, defectu iuriſdictionis, quam nemo habet ſupra ſe ipſum, nullus poteſt ſe ad mortem damnare: licèt enim ſit aliorum iudex, non tamen ſui ipſius.

Cur liceat nemini ſe ipſum occidere.

Deut. 32. & alibi.

1. Pet. 2. & alibi. 1. Cor 6.

Nemini etiã cur licitum, ad mortem damnare ſe ipſum.

Ariſt. lib. 3 Moral cap. 3. & 5. tom. 5.

Quod verò dicitur à Philoſopho, hominem eſſe dominum ſuorum actuum, intellige per operationem liberi arbitrij faciendi hoc, vel illud, vel oppoſitum; haud tamen eſt dominus ſuper principia talis operationis, nempè ſupra corpus, & animã, & facultates eius, ideo non poteſt ex libertate, ſed ex neceſſitate, amputare ſibi mẽbrum aliquod. Quare etſi zelus caſtitatis Origenis commendetur, factum tamẽ amputandi ſibi virilia, damnatur. Vanum autem extitit, quòd Democritus eruit ſibi oculos, quò commodiùs philoſophari poſſet. Gentiles verò quemadmodum in fine hominis conſtituendo errabant; namque illum vel in gloria hominum & honore, vel in libertate corporis collocabant; ita in virtutibus quibuſdam quas putabant, vehementer hallucinati ſunt; inter quas reponebant ſe ipſum occidere pro libertate

Notãtur plerique, qui ſe vel membris vel vita propria autoritate priuarunt.

tuenda: vt Cato fecit, ne videret Cæſarem Reipubl. dominum; & Pomponius Atticus, qui, ne grauioribus conficeretur doloribus, aliquot dierum inedia mortem præuenit: talis fuit Lucretia, quæ mortem ſibi conſciuit, opinione læſæ caſtitatis; quæ tamen pudicitiam ſine conſenſu nequaquàm perdidiſſet: talis & Cleombrotus Philoſophus, qui perdi lecto Platonis libro de animi immortalitate, vt faceret immortalitatis periculum, & immortalitatem conſequeretur citiùs, ſibi ipſi vitam abrupit: vt refert Auguſtin. lib. 1. de ciuit. Dei. Multi etiam extiterunt, qui propter vitãdas moleſtias huius vitæ & calamitates, in ſe ipſos manus iniecerũt, vt Architophel, qui præ dolore infatuati conſilij ſui, laqueo ſe ſuſpendit, & Saul in gladium ſuum irruit, ne illuderetur à Philiſthæis; vt traditur primo libro Regum cap. vlti. Et Razias, qui elegit mori, ne ſubditus fieret peccatoribus, de quo 2. Machab. 14. gladio ſe petiit, eligens nobiliter potiùs mori, quàm ſubditus fieri peccatoribus: qui non excuſatur à B. Thoma: ſicut nec Saul; & Auguſtinus epiſt. 61. ad Dulcitium, ponderat dictum, nobiliter eligens, non, ſapienter eligens; vnde eius factum narratur non tam imitandum, quàm iudicandum: vt idem tradit Auguſtinus lib. 2. contra ſecundam epiſtolam Gaudentij cap. 31. Neque propter aliquod ſcelus admiſſum, quantumuis magnum, ſas eſt cuiquam ſe occidere, vt fecit Iudas ob venditum Dominum: neque ob vitium vitandum deflorationis per vim illatæ, licita eſt ſui ipſius occiſio: velut de quadam Hippogræca ſcribitur, quæ à piratis timens violari, ſe præcipitauit in mare: Sophronia etiam Romana, vxorq; vrbis Præfecti, interpellata de ſtupro à Maxentio tyranno, cùm euadere non poſſet, impetrauit, vt ſibi ſaltem in ædes ad habitum cultioremque veſtitum ſumendum, redire liceret: atque ibi cùm ſola eſſet, cultro ſe ipſam confodit: vt tradit Nicephor. lib. 7. hiſtor. Eccleſ. ca. 21. Sed hanc piè audemus à peccato excuſare, quemadmodũ alias virgines Romanas, quæ timentes amittere pudicitiã, afflatu diuino ſe in Tyberim demerſerunt: vt refert B. Auguſtinus lib. 1. de ciuitat. Dei, & Ambroſius lib. 3. de virginibus, Deus etiam interdum miraculo proſpexit, ne Virgines aliorum libidini expoſitæ paterent, quemadmodum cum ſanctis fœminis, Lucia atque Agatha fecit: beata item Agnes & virgo quædam Antiochena, de qua Ambroſius De Virginibus libr. 3. in lupanar productæ fuerunt; quæ tamen ſingulari Dei fauore ſeruatæ

Pudicitia quando amittitur.

B. Aug. cap. 22. tom. 5.

2. Reg. 17.

2. Mach. 14.

B. Thom. 2. 2. q. 64. art 5. to. 11. part 2. idem tom 2.

Idem tom 7.

Quas etiam ob cauſas homini ſit nefas necare ſe ipſum.

Matth. 27.

Mulieres quænam, vt piè creditur, Diuino impulſu, ob amorem caſtitatis, ſe vita priuarunt.

Niceph. Cal.

B. Aug. c. 19. & 26.

D. Amb. to. 2.

Quarum Virginũ & Martyrum pudicitia olim diuinitùs cuſtodita.

ſunt:

ſunt: & aliud eſt, pati in defloratione violenta, aliud ei conſentire. Etenim violatio pudicitiæ, pœna eſt tantùm, non culpa, vbi animus abeſt: quemadmodum ex quodam autore Auguſtinus dixit: *Duo fuerunt, & adulterium vnus admiſit.* Non tamen licet, vt fugiatur defloratio, ſe occidere: & B. Agatha; *Non amittitur*, inquit, *corona, ſed duplicatur.* Quòd ſi quiſquam poſſet à nobis gratiam vel vitam æternam adimere; licitum eſſet ad id euitandum, nobis mortem inferre. Quòd ſi Deus cuiquam iuberet ſui occiſionem, mandatum eſſe deberet adeò apertum & manifeſtum, vt de eo homo dubitare non poſſet: vt de Samſone Scriptura commemorat, qui ſeipſum vnà cum Philiſthæis, Deo inuiſis, inſtinctu Spiritus ſancti interfecit: vbi verò hæc claritas non adeſt, habenda eſt vt tentatio Satanæ.

Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, ca. 19. 20.

Quæ cauſa iuſta ac legitima nō poſſet ad noſtrā ipſam propriam cædē impellere.

Iud. 16.

Deinde non tantùm intelligitur hoc præceptum de occidente ſeipſum, verùm etiam de occidente, vel percutiente alterum autoritate priuata, ex appetitu vindictæ, propria, vel aliena manu, vel veneno, per ſe, vel per alium dato. Grauius eſt autem homicidium occidentis virum ſanctū & iuſtum, quàm peccatorem: tū quia magis agit contra charitatem, nocens ei, quem magis diligere debet: tum quod inferendo iniuriam ei, qui minus dignus eſt, iniuſtiùs agit: tum quia communitatem maiori bono priuat: tum quia Deum magis contemnit, ſicut ipſe dixit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Delinquit igitur talis in magis diligēdum, minus iniuria dignum, communitati vtiliorem, Deoq; magis propinquum & charum: licèt occiſo peccatore ſequatur maius damnum. Sed hoc damnū per accidens eſt, & iacturam animæ per ſe non prçſtat; cùm poſſit corde pœnitere. Hinc grauiùs punitur occidēs Chriſtianum, quàm Paganum. Iudices ergo cautè procedant in ferenda mortis ſententia, ne falſis teſtibus innocentem, vt Naboth, condemnent: ſed potiùs imitentur Danielem, qui Suſannam innocentem ad ſupplicium raptam à crimine illi impoſito liberauit. Demùm intelligitur præceptum non occidendi, de quouis modo manifeſto periculo mortis ſe obiicien te, à quo vix liceat euadere; & de procurāte ſterilitatem, vel abortum fœtus animati, & qui in matrimonio id efficit, ne proles ex eo naſci queat, pluſquàm belluinum crimen committit. Etenim beſtiæ naturæ inſtinctu prolem intendunt. Hinc Onan Geneſ. 38. grauiſſimè à Deo punitus eſt. Quòd ſi fœtus nondum ſit anima rationali formatus: nec homicidium, nec irregularitas incurritur. Eſt porrò homicidium triplex, Cordis, Oris, & Operis: Cordis quidem eſt odium: nam qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: Oris verò, præceptum eſt, aut conſilium occidendi, aut detractio: Opere verò perficit homicidium, qui manus violentas iniicit, vel qui victum ſubtrahit vitæ neceſſarium, vel vbi domini conniuent, & non puniunt delicta: nam inde augentur indies hominum cædes, quç Principibus imputantur, propter eorum conniuentiam. Nos igitur omnem homicidij ſpeciem quàm diligentiſſimè fugiamus, & Chriſtum vitæ autorem, qui venit vt vitam habeamus, & abundantiùs habeamus, in omnibus ſequamur, eius præcepta amplectendo, pauperum vitam propter eum ſuſtinendo, fouendoque; peccatoribus verò vitam Spiritus noſtris precibus & monitis impetrando, vt digni habeamur vita æterna, munere & conceſſu Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſimul viuit & regnat in ſempiterna ſecula, Amen.

Præceptum non occidēdi quos etiam comprehendat.

Iuſtū, quàm iniuſtum occidentes, cur grauiùs peccent.

Luc. 10.

Quid cauendum iudicibus.

3 Reg. 21.
Dan. 13.

Homicidæ qui etiā cenſeantur lege Diuina.

Geneſ. 38.

Triplex illud homicidiū, Cordis, Oris, & Operis explicatur.

1. Ioan. 3.

Chriſtū quomodo ſequemur.

Ioan. 10.

TRACTATVS XXXV.

In illa verba: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.*

ETSI ſuperiùs, cùm de mititate eſſet ſermo, nonnihil de ira dictum ſit, hoc tamen loco fuſiùs & vberiùs de ea, vt affectus quidam naturalis exiſtit, & vt virtus quædam, & quatenùs vitium capitale eſt, nobis eſt philoſophandum: deinceps verò verba textus expēdenda. Græcè ira dicitur ὀργὴ, ἀπὸ τοῦ ὀρέγεσθαι, id eſt, ab appetēdo, quòd ira nihil ſit aliud quàm appetitus vindictç: ira verò quç virtus eſt, Græcè dicitur νέμεσις, & Latinè exprimitur ira per zelum. Eſt & habitus vitioſus, qui iracundia vocatur Latinè, & Græcè ab Ariſtotele nominatur ὀργιλότης; apud Latinos verò ira dicta eſt ab eo quod eſt ire: vnde homo qui deponit iram, ad ſe redire dicitur, iuxta illud Comici in Adelphis: *Tu parumper comprime iracundiam, & apud te ipſum redi.* Eſt autem ira, non facultas aliqua, quæ ſemper homini ineſt, nec aliquis habitus vitioſus, qui generatur ex actibus: quando quidam talis ira non ſemper homini adeſt, vt ſemper adſunt potentia, & habitus, ſed eſt modus quidam, ſiue paſſio naturalis: vt Philoſo-

De ira diſſeritur.

Ira Græcis vnde dicta, quid & quotuplex.

Philoſop. li. 4. Ethi. c. 5. to. 3.

Terent. in Adelph.

Ira cur ſit paſſio, non facultas, aut habitus.

Paſſio quid.

phi atq; Theologi loquuntur. Porrò paſſio, facultas eſt quædam à natura indita in animo, dilatandi ſui ad bonum; & contrahendi ſui à malo: & inter vndecim affectus ſeu paſſiones, quibus moderandis virtutes mortales conſtituuntur, poſtrema cenſetur ira; cunctis animantibus ad ſui defenſionem, & remotionem impedientium bonum, à Deo donata & tributa. Hæc autem re ipſa definitur eſſe concitatio, ſiue appetitus vindictæ, ob iniuriam, vel contemptum. Vnde Ariſtoteles libr. 2. Rhetoricorum ait: Ὀργὴ, ἔστω ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν τινα μὴ προσηκόντων: id eſt; *Ira, eſt apparentis vltionis appetitus cum triſtitia, propter apparentem immeritò in ſe, vel in ſuos contemptum.*

Iræ Logica definitio. *Ariſt. cap. 2. enst. tom 3.*

Iræ definitio Phyſica, ſiue naturalis. *Idem cap. 2. text. 10. to. 2.*

Sic definire ſolet Logicus per rationes, nimirum genus, vel differentiam, vel proprium; Phyſicus verò, quia eſt artifex ſolidus, per res ipſas definit: ex quo idem Ariſtoteles libr. 1. de anima; *Ira eſt*, inquit, *accenſus ſanguis circa cor, ex euaporatione fellis: in qua eſt flaua bilis.* Prior definitio per formã datur, hæc per materiam. Ac vt ebrius non eſt quicunq; multum vinum potauit, ſed is tantùm, cuius aſcendunt ſpiritus ad cerebrum, illudq; occupant: ita nec ira eſt, quòd accendatur ſanguis cordis, & palpitet pectus, donec ardentes illi ſpiritus cerebrum inuadant, vnde motus animalis vindictæ proficiſcitur: cui reſpondet motus ſanguinis accenſionis in corde, quod ſedes eſt paſſionum. Cùm autem peruenit ad terminum iræ, id eſt, vindictam, ceſſat ſtatim motus animalis ſiue appetitus: naturalis verò paulatim deficit in corde.

Et quoniam ira non eſt ſine contemptu & paruipẽſione, vel noſtri, vel noſtrorum, & maximè eorum in quibus excellimus: propria ira inuenitur in eo, qui vtitur ratione, & erga illum, ad quem eſt iuſtitia, qui ſcilicet eſt ſub eadem lege, atque iniuriam intulit. Et vt ira ſequitur apprehenſionem damni, exiſtit in brutis, & in homine; & erga brutum, & erga homines. Quo fit, vt ira propriè non ſit erga inanimata, vel erga infantes & muta, quę non ad arbitrium parent noſtrum: minùs propriè erga nos ipſos, cùm facti alicuius nos pœnitet, aut cùm quippiam conamur agere, nec ſuccedit pro voluntate: quocircà metaphoricè tantùm dicimur iraſci nobis ipſis: ſicut & ad nos per metaphoram eſt iuſtitia, ob partem ſuperiorem & inferiorem. Propriè item rebus ſenſu atque anima carentibus non iraſcimur, ſed offendimur, offenſio quippe poteſt eſſe ſine contemptu: ideo etſi omnis ira ſit offenſio,

In inanima, animantia bruta, infantes, & in nos ipſos ira qualis ſit.

Ira, & offenſio differunt.

haud tamen omnis offenſio eſt ira. Vnde calamo dicimur iraſci, quia eum deſtruimus & abiicimus; non autem punire calamum, quia ſcimus quòd non ſentit.

Iam explicandæ ſunt proprietates Iræ: inter quas prima eſt, quòd hæc paſſio ex tribus eſt compoſita, tãquàm ex cauſis, nempè triſtitia, deſiderio, & ſpe: oportet enim quòd eam præcedat triſtitia ob acceptam iniuriam; deinde deſiderium illam expellendi, per delectationem ſequentis vindictæ: tertiò ſequitur ſpes, eo quòd non deſideramus eam quæ fieri nequit vindictam: cæteræ verò paſſiones, vt amor, deſiderium, ſpes, &c. ſimplices exiſtunt, Ira verò nõ mirum ſi ſit vltima, cùm ſit compoſita ex tribus. Altera proprietas eſt, quòd ira non habet obiectum vnicum, quemadmodum delectatio & triſtitia, ſed duo; nec illa quidẽ duo bona, vt amor, & amicitia, qua volumus bonum bono, nempè amico; nec duo mala, vt odium, quo nolumus malum malo, id eſt, inimico: verùm duo habet obiecta, quorum alterum eſt malum, & ei cui iraſcimur; alterum bonum quod volumus, ſcilicet iuſtam & condignam pęnam. Tertia eſt, quòd ira aliquatenus audit rationem, in quantum ratio proponit iniuriam factam, & ira inſurgens minimè expectat mandatum, ſed quaſi ſyllogizans, perficit ſyllogiſmum à ratione cœptum. Vt, verbi gratia, omnis iniuria eſt vlciſcenda: hæc eſt iniuria: igitur vindicanda: atque ita abſoluit ſyllogiſmum: ſicut canis latrans domino antequàm eũ agnoſcat, & ſeruus prius quàm audiat integrum Domini præceptũ, illud obſeruare nitens, & idcirco errans: vt Petrus percutiens gladio antequàm audiret reſponſum: *Domine, ſi percutimus in gladio*, ob quam accelerationem reprehenſus fuit à Domino. Concupiſcentia autem, & cæteræ paſſiones non audiunt, nec ſequuntur rationem; ſola ira ex parte audit: quare in ebrio, in quo eſt ratio ligata, non eſt ira, neque poteſt eſſe, niſi quatenus in bruto. Et ſi ira perfectè audiret rationem, ratione pollens magis iraſceretur: ſed quia nõ integrè rationi obedit, quin potiùs impedit, quo magis viget, eo maior exiſtit ira: quemadmodum vbi multum eſt fortunæ, ibi parum ſæpè eſt intellectus, & vbi multum intellectus, ibi & fortunæ parum, quoniam ſapienti pauca accidunt non pręmeditatã. Quartò, proprium eſt iræ, quod cæteris aliis affectibus magis eſt naturalis. Nam etſi ex parte rei appetitæ, & appetentis, quatenus animal eſt, concupiſcentia ſit magis propria naturæ, quia magis eſt neceſſaria conſeruatio per cibum & gene-

Ira ex quibus conſtet.

Ira quæ duo habeat obiecta.

Ira, & non cõcupiſcentia cur audiat rationẽ.

Luc. 22.

Ira cur ex parte tãtum rationem audiat, & ſequatur.

Matth. 26.

Ira, quàm cæteri affectus, cur homini magis naturalis.

generationem; quàm vindicta: ex parte tamen eius qui appetit, quatenus hnmo eſt, ira rationem audiens, naturalior exiſtit: & quatenus talis temperaturæ: nam æquè diſpoſitus ad iram & concupiſcentiam, citiùs mouetur ad iram, ſiquidem cholera eſt velox vt ignis: deriuatur etiam magis per generationem à parentibus, qui tradunt

Cauſa iræ alia ab illis cęterorum affectuum.

magis naturalia, vt magis pedes quàm bilem, & plus bilem, quàm cõcupiſcentiam. Quibus accedit ratio: quoniam ira habet cauſam magis vniformem, nempè choleram; variæ autem concupiſcentię varias habent cauſas, & ſequuntur potiùs apprehenſionem, quàm productionem. Hinc, Ariſtotele teſte li. 7. Ethic. quidam patrem ſuum percutiens, aiebat, cauſam eſſe naturalem, quia pater auum, & auus atauum percuſſerat, & oſtenſo filio puero, dicebat: Hic me percutiet, cùm fuerit vir: & pater malè tractatus ira filij, & tractus vſque ad oſtium; Ceſſa, inquit, quia ego hucuſque trahebam patrem meum.

Philoſoph. ca. 6. tom. 3.

Naturale autem eſt, quod proficiſcitur à principio naturæ: principia autem paſſionis ſunt, Obiectum, & Habitus qui eſt Virtus, & quia homo verſatur in medio temperamento totius ſenſibilis naturæ, vt patet in tactu excellentiſſimo, qui eſt in ipſo: ideo non declinat vt bruta ad extremum, vt leo ad audaciam, canis ad iram, lepus ad metum: atque ita ex corporis temperatura nõ declinat ad extremum iræ, ſed manſuetus eſt, nimirum habens iram mediocrem, ſicut & ex ratione, quæ iram & gignit, & frænat, ideo naturale vtrumque eſt, & iraſci, & manſuetum eſſe; ſed primum naturalius, quia inſitum eſt cuique inſurgere in ſua contraria.

Homo, quã bruta, cur minus declinet ad extrema.

Quintò, ira eſt minus turpis, quàm concupiſcentia, tum quia non ſolùm tendit in obiectum propter ſe, vt eo fruatur, etſi excedat rationem in eo fruẽdo, vt facit concupiſcentia; ſed etiam tendit in obiectum haud fruendum, ſed quatenus iuſtum perficiẽs Syllogiſmum: tum quia non eſt inſidiatrix, tendens in id, quod turpe eſt; ideo minus ſe occultãs, & idcirco minus ei ſuccurri poteſt. Minoris item turpitudinis exiſtit quã odium; quod appetit malum ſub ratione mali & noxij, ira autem ſub ratione æqui atq; boni. Ad hæc minori eſt prædita turpitudine quàm inuidia, quæ in malum tendit ob propriũ bonum: minus quàm auaritia, quę prn fine habet vtile: minus quoq; turpis quàm gula & luxuria, quæ feruntur in delectans malum, ira verò in malum alterius, ſed quatenus iuſtum & honeſtum eſt. Ex modo autem procedendi, ſed per accidens, poteſt ira eſſe turpior reliquis.

Ira cur min⁹ turpis concupiſcentia, ac cæteris paſſionibus.

Ira cur fortior, ac vehementior quã concupiſcentia.

Sexta conditio: Vehementior eſt, & impetuoſior ira quàm cõcupiſcentia, & reliquæ animi perturbationes, quia ſequitur motum choleræ, quę naturaliter eſt ignea: ſicut odium ſequitur motum melancholiæ: ideo quod ſpectat ad motum, remotior eſt à miſericordia: hinc Prouer. 27. *Ira*, inquit Salomon, *non habet miſericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* Verùm quia deſiderat malum non propter ſe, ſed propter iuſtitiam; ob id miſeretur, & ceſſat, cùm peruenit ad terminum. Secus eſt de odio: de quo Eccleſiaſt. 12. *In oculis ſuis lachrymatur inimicus: & ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine:* ſicut nec auarus pecunia, quia appetit eam propter ſe, & non ad vſum, quæ etenim propter ſe volumus, volumus ſine mẽſura.

Prouerb. 27.

Eccleſ. 12.

Auarus quare nunquam ſatietur pecunia.

Quo autem melius agnoſcatur differentia iræ, atque odij, notandum, illam nunquàm poſſe creſcere in odium, quia differunt ſpecie: ſicut nec homo creſcit in elephantem: ſed exiſtente in ira generatur odium. Ideo dictum Ciceronis, quod odiũ eſt ira inueterata, ſic intelligendum eſt, nempè quid generatum ab ira diuturna. Primò igitur ira vult malum ſub ratione æqui, odium verò ſub ratione mali & noxij. Secundò, ira minuitur tempore & decreſcit, odium verò permanentius eſt, & cum tempore creſcit, quia ab vnica cauſa pendet, ex diſſimilitudine odio habiti: ira verò à diuerſis, vt triſtitia, ſpe, deſiderio, ac delectatione; atque ex mutabilitate animi deponitur. Tertiò, Ira vult ſentiri ſuam vltionem veram vel apparentem ab eo, in quem iraſcitur; odium verò nõ curat percipi, dummodò odio habitus malè habeat. Quartò, iratus triſtatur & dolet; qui verò odit, minimè dolet. Quintò, iraſcimur vni tantùm, non vni nationi: proſequimur autem odio nationem integram, teſte Ariſtotele, vt Dido ob Aenæam & Troianos omnes, vt quidam fabulantur: cuius ratio eſt, quia ineſt nationi aliqua qualitas inconueniens: etſi Seneca iram eſſe dicat in totam nationem. Sextò, ira, eſt ob factum, vel dictum contra nos, vel noſtra, quoniam vindicta non eſt niſi pro aliquo contra nos facto, dictove: ſecùs odium, quod eſt eorum qui minimè læſerunt nos, vt latronum qui nihil abſtulerunt nobis, & piratarum. Septimò, ſuccenſemus tantùm viuenti, non mortuo, de quo nulla eſt ſpes vindictæ: quia ampliùs non ſentit, & ſatis videtur paſſus, qui mortuus eſt: at odium etiam ad mortuos extenditur.

Ira, & Odiũ quot modis diſtinguãtur.

M. Tull.

Secundum diſcrimen.

Tertium diſcrimen Iræ, & Odij.

Quartum, & quintum.

Ariſt. lib. 2. Rhetor. ad Theodectẽ. c. 4. in fin & alibi, tom. 3.

Seneca.

Sextum diſcrimen.

Septimum.

De malitia verò, vel bonitate iræ diſputatur, an ſit malum, vel vitioſum, vel

Ira an ſit vitium, nec ne

an bonum ſit ira carere. Ariſtoteles & Peripatetici, illam ratione moderatam nobis commendarunt; Stoici contrà, & Cicero, atque Seneca, qui illos ſecuti ſunt: vnde & Ariſtotelem taxauerunt, quòd laudando iram voluerit blādiri Alexandro Magno, illiq; gratificari, qui eo vitio plurimum laborabat.

Vnde cōſtet eſſe bonam.

Sed breuiter dicendum; nullam paſſionem naturalem eſſe, cuius actus non poſſit eſſe licitus: quippe aliàs aliquid Deus otioſum creaſſet & malum: & ſicut fruſtrà eſſent oculi, niſi liceret cernere, ita fruſtrà data ira, ſi nunquàm benè ea poſſemus vti. Secùs eſt de paſſionibus voluntariis, vt odio, inuidia, & ſuperbia. Deinde natura docet ſui conſeruationem, ob quam dedit iram ad repellendum aduerſantes, vel impedientes. Ad hæc, ira communis eſt homini cum animalibus, quæ culpæ ſunt expertia. Legimus etiam Chriſtum, & Sāctos iratos fuiſſe.

Marc. 3. & alibi.

Ira quatenus mala.

Ira igitur, vt eſt motus naturalis inſurgens, ſecundùm ſuam ſpeciem appetens iuſtam vindictam, nunquàm peccatū eſt. Vt verò manat ex conſenſu rationis, iudicātis faciendum id non mouet ira; poteſt vitioſa exiſtere, quando deficit nimirum à medio, vel excedit, ſicut reliquæ, perturbationes omnes: & ira præcedens rationem, illamq́ue ſecum trahens, mala eſt; quia ſemper excedit medium: quæ autem ſequitur, vt iuuans ad efficaciter puniendum, bona cenſetur: licèt ratio cum ea non ita liberè iudicet, quia non oportet vt ſemper deliberet, ſicut nec in arte; aliàs nihil efficeret, velut etiam miniſter iudicis haud peccat exequens eius mandatum:

Malefici quare cum ira puniendi.

ſic ſe habet appetitus, cupiens vindictam iudicatam à ratione, non vt noceat ei, ſed vt iuſta eſt. Vnde Paulus Rom. 13. ait; *Dei enim miniſter eſt: vindex* (ſcilicet Dei) *in iram* (vt inſtrumentum) *ei qui malè agit*: licèt valeat in quibuſdā ſola ratione agere. Actiones nihilominùs non eſſent ira perfectę, ſicut cum ira; quia homo non apponeret vigorem, remiſſeq; ageret. Aliter eſt in Deo, in quo, ſicut eſſe purum ſpiritum, denotat perfectionem, non tamen in homine. Vnde Chriſtus homo, qui poterat ſine ira agere, quædam cū ira fecit. Ait enim Marcus; *Circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum*, &c.

Rom. 13.

Marc. 3.

De ira, & aliis affectibus aliter Stoici, aliter Peripatetici ſenſere.

Stoici autem & Peripatetici, magis in verbis, quàm in re differre videbantur. Stoici enim nolunt, hos motus, quatenùs à ratione reguntur, affectus ſeu paſſiones vocari, & iram, ſed quando excedunt, vel deficiunt; & ſic ſemper mali ſunt. Doctiùs tamen tradunt Peripatetici, eiuſmodi motus per rationem temperatos, motus bonos exiſtere: & magis, vel minus à ratione temperari, vel non temperari, eſt eis extrinſecum; igitur etiam in medio paſſiones erunt: vnde Chriſtus aliquem timorem laudauit, & aliquā iram; dixit enim: *Eum timete qui poteſt occidere*: & Pſaltes, *Iraſcimini & nolite peccare*. Et hactenùs de ira vt paſſio eſt.

Matth. 10. Pſal. 4.

Ira per zelū, ſeu nemeſis quid.

Conſequitur vt de ira per zelum diſſeramus: quæ νέμεσις dicitur, eſtq́ue indignatio ſeu ira Deorum ab externis appellata, ſeu dolor ex improborum feliciori ſucceſſu. In hac ira appetitur vindicta ſecundùm ordinem rationis, vel nobis ipſis peccantibus, vel aliis aduerſus Deum & rationem agentibus. Hanc iram Deo, Chriſto, Sanctiſq́ue tribuimus: ac de Deo dicitur, quòd tactus dolore cordis intrinſecus, dixit; *Pœnitet me feciſſe hominem*, & Dominus bis eiecit ementes & vendentes de templo. Hac ſancta ira imbuti ſunt ſerui Dei, vt Moſes manſuetiſſimus, qui Exod. 32. *Si quis eſt Domini*, inquit, *iungatur mihi*: eodem zelo ſuccenſus Phinees, Iſraelitam coëuntem cum Madianitide interſecit: hoc eodem zelo freti Helias Propheta, atque Mathathias, pater Machabæorum, inſurrexerunt aduerſus peccatores: Paulus etiam Act. 13. ſimili ſpiritu actus, in hæc ſanctæ indignationis pleniſſima verba prorupit: *O plene* inquit, *omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ*, &c.

Geneſ. 6. Ioan. 2. Matth. 21.

Exod. 32. Num. 25.

3. Reg. 18. 1. Mach. 2. Actor. 13.

De hac ira Author operis imperfecti in Matthæū ait: *Qui cum cauſa iraſcitur, non erit reus. Nam ſi ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur*. Iuſta ergo ira, mater eſt diſciplinæ. De his duobus generibus irę, in præſenti loco nō loquitur Dominus.

Autor oper imperfect. in Matth. to. 2. operum D. Chryſoſt.

Iracūdia tertium genus irę, quid ſit: quot modis mortifera.

Tertia ira per vitium exiſtit, quę iracundia Latinè nominatur, ſecundùm Donatum; qui ait, Ira, eſt de cauſa; Iracūdia, de vitio multum iraſcentis. Hæc ergo appetit vindictā contra rationem: quo fit, primò appetendo puniri eum, qui non meruit; vel vltra quam meruit. Deinde, cùm appetit punire non ſecundùm legitimū ordinem & æquitatem, vt à ſuo iudice, ſed à ſe, vel ab alio miniſtro ſuo. Tertiò, cùm optat puniri, at non ob debitum finem, qui quidem eſt conſeruatio ſpeciei, vel correctio populi. Quartò, quando ex illa vehementia excidit quis à charitate Dei vel proximi: & hiſce omnibus modis lethale delictū admittitur; veniale verò, cùm in parua re appetitur vindicta, vel quando motus iræ pręuenit iudicium rationis, atque conſenſus non ſubſequitur, vel cùm nimis ardenter interiùs commouetur, vel cùm exteriùs iræ ſigna nimis oſtendit. Prætereà, iracundia vitium eſt capitale, quod multorū exiſtit cri-

Quando venialis.

Omnium criminum cauſa eſt amor inordinatus.

nium origo, ob commune & amabile obiectum; non tamen omnium, ceu amor inordinatus; alioqui non eſſent plura capitalia delicta. Hinc iracundia capitalis exiſtit, cuius obiectum eſt ęquum diſtributiuum, per accidens autem nequaquam eſt obiectum, ſed in remouendo prohibens, nempè rationem, eſt cauſa omnium peccatorũ.

Iræ effectus ac proprietates.

Species porrò iræ, habentes alias ſub ſe, ſunt, in mente quidem indignatio, qua eũ, cui iraſcimur, vel videre, vel audire non poſſumus, à quoque immeritò ſumus contempti: deinde eſt tumor mentis, quo quis eſt plenus cogitationibus vindictæ, donec per executionem reſpiret: in ore eſt clamor indiſtinctus, quo quis demonſtrat iram, blaſphemia, maledicentia ve, qua in verba iniuriæ aduerſus Deum vel Sanctos prorumpitur; contumelia, qua quiſquam verba maledica & contumelioſa effundit in proximũ præſentem: in factis cernitur rixa, per quam omnia damna re proximo illata, veniunt intelligenda.

Iracundiæ tres partes, acuta, videlicet, amara grauis et ac furioſa, apud Philoſophum quid ſint.
Ariſto. lib. 4. Ethi. c. 5.
Cic. li. de fin.

Eſt item iracũdia, ſiue iraſcendi procliuitas (iraſcibilitatẽ Philoſophi vocant) vitium generale. Eius quippe ſunt partes tres Ariſtotelis ſententia, nempè acuta, vel fellea, quæ nimis citò, vel leui de cauſa inſurgit, & citò deficit; quã Cicero excandeſcentiam vocat. Altera eſt amara, ſiue præceps, ac furioſa, quæ, iniuria accepta diu in memoria permanente, diuturnum mœrorem ciet. Tertia ſpecies eſt, grauis, vel difficilis furor, qui iram non deponit, quouſque puniat. Hæc de primo.

Hoc verbo: Ego autẽ dico vobis: qualem ſe Chriſtus inſinuet.

Iam textus verba expendenda ſunt: *Ego autem dico vobis.* Quo verbo primùm autoritas loquentis indicatur, & tacitè Chriſtus ſe Deum eſſe demonſtrat: qui nempe aliquid adiungit diuinæ legi, quomodò Deus non erit? Per Moyſen enim ille mandauit: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Atque ſe ipſum Deum oſtendit eiuſdem, aut paris eſſe poteſtatis cum Deo. Ego etiam, vera ſciens, & intelligens quæ verè ſunt mala corã Deo; &c. ego Meſſias, cuius eſt legem exponere, quippè poteſtatem habeo vitæ, & mortis.

Deut. 4.
Apoca. 1.

An legendũ: Quicunque iraſcitur fratri ſuo, cum hoc addito: ſine cauſa, vt quidã volũt, in fine illo.
Chry. hom. 16 in Mat. to. 2. Au. lib. 1. ſer. Dom. in mõte cap. 19. to. 4. circa fin.

Quicunque iraſcitur fratri ſuo. Ad literam Græcè additur εἰκῆ, hoc eſt, temerè, ſine cauſa, & ratione: & hanc lectionem tuetur Chryſoſtomus cum ſuis ſectatoribus, volens illam ſuppleri in reliquis duabus particulis ſequentibus: atque Auguſtinus lib. de ſermone Domini in Monte: qui ſimul annotat in tertia particula, *Qui autem dixerit, Fatue,* ſubintelligendum eſſe fratri ſuo, & ſine cauſa, vt in ſecunda ſupplẽdum tantum eſt, ſine cauſa. Et quod plus eſt, habet etiam codex Euangelij Syriacus verbum temerè: imò vſurpat vocem Græcam: ac Hebræa eſſet איקא, id eſt, Ica, quod Græcè dicitur εἰκῆ.

Altera opinio probabilior.
B. Hieron. in Matt. tom. 9. Aug. li. 1. Retract. cap. 19. tom. 1. initio. Euthym. in Matth. c. 5.

His tamen non obſtantibus, B. Hieron. teſtatur in emendatis Græcis codicibus non haberi particulam, Sine cauſa, licèt ſcribens contra Pelagianos, ea vtatur. Et B. Auguſtinus libro Retractationum, in Græcorum libris aſſerit non inueniri; in quibus tamen hodie ſolis inuenitur. Et Euthymius cum Theophyl. ſecutus Chryſoſtomum, ait, *Addens temerè, non omnimodam abſtulit iram, ſed importunam tantũ abiecit: quæ enim opportuna eſt, vitiũ eſt.* Et ante eum Hilarius can. 3. vbi ait: *Et ex præcepto Fidei non minus rea ira eſt ſine ratione ſuſcepta, quàm in operibus Legis homicidium:* & ante hos omnes Irenæus lib. 2. cap. 57. dicens: *Non ſolum qui occidit, reus erit occiſionis ad damnationem, ſed & qui iraſcitur ſine cauſa fratri ſuo.* Et ante hos omnes Clemens Romanus lib. 2. Apoſtolicarum conſtit. cap. 26.

Hilarius.
Irenæus.
Clemens Rõ.

Ira quænam ſit opportuna.

Dicitur autem ira opportuna, quæ ſumitur aduerſus eos, qui contra Dei præcepta viuunt: quando nõ ad vindicandum nos, ſed ad vtilitatem eorum, qui malè viuunt, ex dilectione, & amore fraterno iraſcimur, cum congrua honeſtate. *Iraſcimini enim, inquit, & nolite peccare:* hoc eſt, ne in iraſcendo erretis, ira malè vtentes. Hinc legimus, Chriſtũ Mar. 3. Iudæis iratum, & grauibus conuitiatum verbis Phariſæis, & Petrum duriùs increpaſſe, cùm dixit: *Abi poſt me Satana,* quod durius eſt quàm dicere, Abi poſt, me fatue. Sed hæc Dominus zelo paternæ gloriæ, & ſtudio corrigendi malos, & odio vitiorum nullo erga eos malo vindictæ affectu permotus dicebat.

Pſal. 4.
Quid illud: Iraſcimini, & nolite peccare.
Marc. 3.
Matth. 16.

Vnde etiam poſterior ſententia confirmetur.

Sed re vera nõ videtur illa particula neceſſaria, quoniam ſimpliciter verum eſt, quòd qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: namque intelligitur de ira perfecta, quæ eſt appetitus vindictæ, & necis in fratrem ſine ratione. Nam ſi inimicus diligendus eſt, quomodò iraſcendũ eſt fratri? Nihil tamen refert, ſi legamus, temerè, vel ſine cauſa: quia tametſi deſideraretur hoc verbum, ſupplendum erat in tribus clauſulis.

Tertium argumentum pro eodem.

Ex eo etiam conſtat, adiectũ fuiſſe ab aliquo explicationis gratia, quod etiam iuſtam iram, id eſt, eam, quæ iuſta habere cauſam videtur, Dominus prohibere videatur. Peccat enim, qui etiam ab alio læſus iraſcitur. Vt enim inquit Hieronymus, ſi iubemur verberanti alteram maxillam præbere, & inimicos noſtros amare, omnis iræ occaſio tollitur.

Hieron. loco prædicto.
Ad aliud in contrarium: Non ſemper fratri iraſci, eſt peccatum.
Matth. 5.

Nec obſtat, quenquam quandoque ſine peccato alteri iraſci: tùm quia primi iracundiæ motus in noſtra poteſtate poſiti nõ ſunt; ſed ira deliberata, &

perfecta. Deinde aliud eſt iraſci vitio hominis, aliud fratri, id eſt, nō vitio hominis, ſed fratri homini, quem diligere vt talem lege charitatis tenemur. Hic autē dicitur: Quicunque iraſcitur fratri ſuo. Ita verba

Luc 24.

Chriſti ad diſcipulos: *O ſtulti, & tardi corde*: & ad Petrum & Phariſæos à conuitio ſeruamus: quia odio vitiorum, & corrigendi ſtudio dicta ſunt.

Chriſti hoc præceptū, de non iraſcendo, quomodo nouum, ſi etiā lex illud Moyſi continebat.

Circa ſenſum verò multiplex hîc occurrit difficultas. Prima, quia nihil videtur hîc Chriſtus addere, quod in lege non eſſet cōtentum: nam & ibi munditia cordis ab ira, & odio, & omni maleuolentiæ ſpecie præcipitur. Ait n. Dominus per Eſaiam: *Lauamini, mundi eſtote, & auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* & Propheta

Eſai. 1.

Ierem 4.
Pſalm 36.
Eccleſ 15.
Eccleſ. 5.

alius; *Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ.* Item Pſaltes; *Deſine ab ira, & relinque furorem.* Salomon quoq; *Aufer*, inquit, *iram à corde tuo.* rurſus ait, *Non appelleris ſuſurro in vita tua.* Hoc idē confirmatur ſententia Au-

Aug. vbi ſupra, tom. 8.

guſtini, qui aſſerit nihil hic eſſe à Domino dictum, quod in libris antiquis non reperiatur. Et in expoſitione tituli Pſ. 73. ita habet: *Diſcuſſa ergo præcepta, aut omnia eadem inueniuntur, aut vix aliqua in Euangelio quæ non dicta ſunt à Prophetis, præcepta eadē, Sacramenta non eadē, promiſſa nō eadem. Videamus quare præcepta eadem, quia ſecundùm hæc Deo ſeruire debemus. Sacramenta non eadē, quia alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Saluatorem.* Hæc Aug. Reſpondendum eſt,

Quæ duæ leges olim datæ Iudæis.

olim populo Dei duplicē datā fuiſſe legē, primam ſecularē, & merè politicam, alterā verò ſpiritualem: & iuxta vtramq; legem prohibetur homicidiū manu exterius perpetratum. Sed iuxta priorē legem hoc tantùm puniebatur; cogitationes verò homicidij nequaquam plectebantur, quoniā ſatis erat ad Reipublicę pacē tuendam, ſi homines ſe ab externo facinore abſtinerent. At lex ſpiritualis erat (cuius forum non eſt hîc, ſed expectatur) quæ cordis homicidiū & cogitatiōes noxias ſemper prohibebat, perpetuamq; animi imperabat mūditiam.

Chriſtus hoc verbo: Ego autem dico vobis, quæ duo declarauerit.

Quòd verò hîc ait: *Ego autē dico vobis*, haud ſignificat ſe id denuò imperare, ſed declarat duo. Tum quia ipſe erat qui olim loquebatur patribus, ſicut ſcriptum eſt: *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum. Quā pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, &c.*

Eſai. 52. & Rom 10.

Alterum eſt, quòd etſi

Lex Moyſi quatenus nihil de munditia cordis præciperet.

Lex Moyſi, vt talis, nihil de cordis munditia imperaret, quòd in ſuum iudicium veniret: benè tamē ſpiritualis, quæ vi Chriſti data fuit ab initio: ſicut præceptum fidei & dilectionis erat ex Euangelio. Etſi ergo Lex Moyſi manum tantum cohibeat, & nō animum: declarat tamē Chriſtus, omnem malum animum, noxiaſque cogitationes, ſiue concupiſcentiæ, & iracundiæ affectus, motusve, à ſe eſſe puniendos. Altera difficultas eſt de tribus his iniuriis, quomodò

Iraſci fratri quid ſit.

diſtinguantur, iraſci nimirùm fratri, Raca dicere, & Fatue. Primùm ergo iraſci fratri, & non vitio, ſed fratri inquam, pro quo Chriſtus ſanguinem ſuum profudit, & vitam, eſt mente duntaxat ſine verbo, vel facto deliberatè appetere vindictam iniuſtā contra fratrem immeritū, vel vltra quàm meruit, vel iniuſtè, legitimo rationis ordine prætermiſſo, atque neglecto, tanquam à ſuo ſuperiori competēti, ſed à ſeipſo; vel cùm optat puniri non ob debitum finem, vel denique cùm ex irę vehementia à Dei, vel proximi charitate excidit. Secunda ve-

Quid ſit dicere fratri ſuo, Raca.

rò iniuria eſt, dicere Raca: quæ vox minimè eſt Græca, vt quidam putant, à nomine ῥάκος, quod ſignificat veſtem vilem, & laceram, quaſi dicerent, hominem nihili, & pannoſum, vulgo ſtracciato. Quia, vt

Vocis, Raca, quatuor ſignificata.

ait Auguſtinus, Dominus non Græcè loquebatur, ſed Hebraicè. Non debebat e-

Auguſt. loco iam dicto.

tiam interpres Latinus dicere Raca, ſed pannoſum & non debuit vbi verbo Raca, quod & in Latina lingua nullum ſit, & in Græca inuſitatum. Quare dicendum eſt,

Secundus ſignificatus.

vocem Syriacam eſſe nihil ſignificantem, ſed animi tantùm indignati motum exprimentem, vt à quodam Hebræo ſe audiuiſſe teſtatur beatus Auguſtinus: quemadmo-

Idem ibidem.

dum Latinis Hem, interiectio eſt indignātis, ſicut Heu, dolētis. Ideò ait Auguſtinus hanc vocem non vertiſſe interpretem, eò quòd ignorabat ſignificatum. Interiectio-

Tertius.

nes namq; ſic ſunt propriæ certis linguis, vt in alias commodè verti nō poſsint. Auctor verò Operis imperfecti in Matthæū,

Auct. ope. imperf. in Matt. tom. 2. operū D. Chryſoſt. Euthym. in Matth. c 5.

quem ſequitur Euthymius, Syriaco idiomate aſſerit ſignificare *Tu*, cum deſpicientia quadam prolatū. Vt cùm dicimus, Quis es tu? Vade tu. Sed hæ duæ ſignificationes, etſi conuenire poſſint huic loco ob triplicem gradum; ex eo tamen parum ſunt probabiles, quod nuſquam apud Hebræos Raca, pro interiectione accipitur, nec in Syriaca lingua qua ſcriptę ſunt Bibliorum Paraphraſes, quas Targum vocant, Raca vllo modo poteſt ſignificare Tu. Poſtre-

Quartus.

mo, ſecūdùm Hieronymū probabilius loquentem, Chaldæa, vel Hebræa vox eſt

Hieronym. in Matth. lib 1. tom. 9.

ריק, & ſignificat nihili, vel nauci, vel vacuus, pauper, & vanus, & otioſus, à verbo רקק quod eſt ſpuere, attenuare, vel euacuare, & pauperem eſſe. Vnde ריק quod vacuum ſignificat, vel inanem temporalibus,

non

non autem vacuum, vel carentem intellectu, vt aſſerit Hieronymus, quia eſſet idem quod fatuus, & nó faceret nouum gradum. Vnde Pſalm. 2. dicitur: *Meditati ſunt inania* Hebraicè רֵיק: cui voci Rech, ſi more Chaldæorum addas alpha, fiet racha. Quo ſignificatur homo inops, & pauper, vacuus omnibus bonis. Ita accipitur Iudicum 11. vbi dicitur: *Congregatiq́; ſunt ad eum viri vaniſſimi:* vbi pro inops, & vaniſsimus, habetur in Hebræo Requim. Et 2. Regum 6. eandem dictionem vertit Hieronymus, ſcurram: *Nudatus eſt Rex quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* Ergo erat idem conuitium in nomine Hebraico Raca, quod Græcis nomine ῥάκος, & ſi vnum ab altero non deſcendat.

Hieron. ibid.
Pſalm. 2.
Iud. 1.
2. Reg. 6.

Quid dicere fratri Fatue.

Tertia verò iniuria eſt, dicere fratri, Fatue, vel ſtulte, Græcè μωρός: & ita, ſi Raca eſt interiectio indignãtis, dicere Faute, eſt aperta expreſſaq; contumelia. Si verò Raca ſignificat vacuum, vel pauperem, vel paruicerebri, eſt obiicere vitium, vel defectum naturæ. Dicere autẽ Fatue, expreſſa exiſtit contumelia, & vitium morum, & voluntatis ſignificat: per quam vocem negamus non tantùm prudentiam, ſed adiicimus & ſtultitiam. Ex quo B. Auguſtinus ait, tres hic exprimi gradus iræ, nempè, vel ſolius internæ, vel vocis iram in genere deſignantis, vel vocis iram exprimentis, & certam contumeliam ſignificantis. Quòd ſi obiicias; Quidni addidit quartũ gradum iracundiæ ad opus exterius, vt mutilationis, vel percuſsionis, vel mortis erumpentis? Dicendum eſt, illam iram non fuiſſe ignotam Iudæis, quibus dictum erat, Oculũ pro oculo, & dentem pro dente, aduſtionẽ pro aduſtione, plagam pro plaga. Tertia quæſtio eſt de triplici reatu aſsignato, nempè in prima: *Reus erit iudicio:* in ſecunda: *Reus erit concilio:* in tertia: *Reus erit gehennæ ignis.* Per quos quod Dominus intelligat, difficile eſt diuinare: & ita ſunt intelligẽdi, vt ſecundus vincat priorem; tertius verò ſecundum. Primus ergo, reus fit iudicio, id eſt, comparere in iudicio cogitur ad ſe purgandum. Erant enim quædam homicidia innocua in Lege. Reus verò concilio maius quid ſignificat, & Concilium Græcè dicitur συνέδριον, quod conſeſsũ, ſiue conſiſtorium, ſiue concilium deſignat, ad quos grauiores tantùm cauſas deferri mos erat: quẽadmodum Athenis in Areopago. Ideò legendum eſt Concilium per literam C. non autem S. Etſi autem in Concilio ſoleat eſſe iudicium, tamen videtur prolatio ſententiæ pertinere ad Concilium: quando non iam inter ſe conferunt iudices, an damnandus ſit, ſed quo ſupplicio dãnari oporteat, quem conſtat eſſe damnandum. Gehenna verò nec damnationem habet dubiam, ſicut iudicium, nec incertam damnati pœnam, ſicut concilium: in gehenna quippè ignis certa eſt & damnatio, & pœna damnati, teſte Auguſtino. Per tres ergo ſtatus eiuſdem cauſſæ criminalis, humanæ, & temporalis, tres inferni manſiones, quæ alióqui finitæ ſunt, ſicut modi peccandi, ſignificantur. Occidens enim iure debet aſtare iudicio: at non ſemper ſequitur damnationis ſententia, nec gehenna, id eſt, executio, ſed tantùm cùm iniuſtè occiditur quis. Concilium autem, conſeſſus eſt iudicum ad damnandum; gehenna verò homicidij re ipſa perpetrati, eſt pœnæ certę executio. Et maior eſt gehenna inflicta in pœnam dicentis Fatue, quàm ſimpliciter intus iraſcentis, aut motu aliquo, vel voce iram internam explicantis. Et nó opus eſt æquiuocè ſumere nomen iudicij, vt aliter accipiatur, cùm dicitur: *Qui occiderit, reus erit iudicio:* & aliter, cùm ait Dominus: *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio:* ſed vno, & eódem modo ſemper propriè accipere oportet, id eſt, habet comparere in iudicio: vt enim diximus, nonnullæ hominum cædes erant innocuæ. Verùm cum de eo, qui iraſcitur fratri ſuo, dicitur, Reus erit iudicio, metaphoricè accipitur pro pœna æterna, proportione quadam debita iræ mentis. Nam ſi nó diſtingantur, haud declararent varietatem iræ, vt Chriſtus vult. Sunt itaq; tres gradus iræ, nequaquã à modo ipſius iracundiæ, vt alia ſit acuta, alia amara, quædam verò difficilis, vt ait Philoſophus, ſumpti, ſed ab effectu: ideò diſsimiles exiſtunt tres hi gradus à Domino deſignati, ſpeciebus iræ à Philoſophis aſsignatis. Et ille modus Philoſophi conuenientior eſt ad perciendam iræ naturam: at hic modus Chriſti legem ferẽtis, aptior ad cognoſcendum, & iudicandum, quãdo iræ vitium ſit maius, vel minus peccatum. Et in illis quidem crimẽ continebatur, quod per modos iſtos neſciebatur. Nã ſtat quòd acutam habentes iram, aliquando plus, aliquando minus, interdum nihil peccent. Secùs in his à Chriſto gradibus aſsignatis. Hæc eſt loci huius communior expoſitio. In quam aliquid meritò obiici poſſet. Primum, quia ſi grauior eſt, reum eſſe concilio, quàm reum eſſe iudicio, vt dicunt, & idcircò grauiùs plecti debere dicentem Raca, quàm qui iraſcitur fratri ſuo; ſi de ira lethifera intelligas, vt poſitum eſt, non videtur quid grauius addi poſsit ad reatum iudicij, quo tenetur qui occiderit non animo ſolùm, ſed facto. Secundum:

Auguſt. loco prædicto.

Cur Chriſt' quartum gradum iracundiæ in opus prodeũtis minimè retulerit.

Exod. 21.

Reum eſſe iudicio, quid.

Συνέδριον Græcè quid ſit.

Concilij, nó iudicij eſt ſit proferre ſententiam.

Triplicis illius iracũdiæ pœnæ inter ſe comparãtur.

Concilium quid propriè.

Tres iræ ſpecies à Chriſto aſſignatæ, ab illis Philoſophi, acutæ, videlicet, amaræ, ac difficilis, quomodo diſtinguãtur.

Ariſt. lib. 4. Ethic.

Huius loci hic prior intellectus in tribus arguitur.

Secundũ argumentum.

Si qui dixit Fatue, quod grauius eſt quàm dicere Raca, reus eſt gehennæ ignis, quam pœnam non euadit, qui iraſcitur tantùm; non apparet quo modo ſit grauius ſupplicium eſſe reum gehennæ, quàm eſſe reum iudicij, quod debetur illi qui iraſcitur fratri.

Tertium argumentum.

Tertium, non videtur quo pacto iniuria verbi Raca punienda concilio, maioris ſit ponderis ipſa occiſione, vel Ira Interna; quæ certũ habet iudicium. Quòd ſi dicas, per iraſcentem intelligi iram perfectam ſine contumelia, dicentem verò Raca, iram perfectam cum leuiſsima contumelia, vix apparet quomodò ampliùs ſit, Reus erit Concilio, quàm, Reus erat iudicio. In rebus quippe grauioribus non committitur modus ſententiæ concilio ſine ſpe, vt apud Prophetam, qui ait: *Ideò non reſurgunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum*, vbi impiis, qui peccatores excedunt in malitia, datur iudicium; peccatoribus verò, concilium.

Pſalm. 1.

Commodior ſenſus alter profertur propter duo.

Quamobrem & verbis, & rationi magis quadrare quibuſdam viſum eſt, voluiſſe Dominum hac ſententia ea, quæ minus ponderantur ab hominibus iram videlicet cordis, & verba duplicis gradus, ab ipſo Domino maximè expédi: & primùm quòd latet in mente liuoris, & odij, ac maleuolentiæ, ſiquidem apud homines quod foris exprimitur, conſideratur: ideò æquiparatur homicidio re ipſa perpetrato. Deinde, quæ ab hominibus negliguntur, ſunt verba contumelioſa, quę iacimus in homines, qui ſæpè videntur cõtemptibiles, cùm tamen ſint fratres noſtri. Et hæc duplicis generis ſunt. Primum eſt, dicere Raca: quo derogamus prudentiæ, aut generi, aut naturæ illius. Secundum, vocare Fatue: quo non ſolùm negatur prudẽtia, ſed adiicitur & ſtultitia, & fatuitas, nec non in mores illius, & voluntatem, vitium, ſcelusve conferimus.

Qualem fratri, cum Raca, qualem verò cum Fatue appellantes, contumeliam irrogemus.

Sępè ergo animaduertimus, quòd qui Iniuria afficit filium, ſimiliter afficit & patrem; & qui dehoneſtat membrum, aut commembrum, dehoneſtat & caput. Quare qui dixit, Raca, tametſi haud perfecta, ac mortifera ira moueatur, non euadet pœnas, etſi non ſit certa pœna conſtituta, ſed arguetur in concilio, vbi pœnæ iudicũ arbitrio relinquũtur. Qui vero appellauerit Fatue, quæ grauior exiſtit contumelia, nõ iam in certis pœnis arbitrio concilij Infligendis, verùm determinatis, & certis ſuccumbet; ideò reus erit gehennæ ignis. Atque hic videtur clarior, & apertior ſenſus. Quod verò Auctor Operis Imperfecti in Matthæum ſcribit, reum eſſe concilio, tantundem eſſe ac dicere, reum eſſe; ac vinum ex concilio eorum, qui fuerunt aduerſus Chriſtum, ſicut Apoſtoli in Canonicis ſuis Interpretantur: durum videtur, vt ſcilicet Chriſtus ad concilium, quod contra ſe futurum erat, alluderet.

Auct. ope. imperf. in Matt. hom. 11 to. 2. operum B. Chryſoſto.
Pſalm. 2.

Huius dicti: Qui autẽ dixerit fratri ſuo Fatue, reum, conciho incptus cuiuſdam intellectus reiicitur.

Quod profectò minimè tunc intelligeretur, cùm Concilium Seniorum quotidie congregaretur ad cauſas quæ occurrebant grauiores decidendas; ad quod potiùs videtur alluſiſſe Dominus, quàm ad concilium illud, In quo ipſemet condemnatus fuit. Non tamen negamus, Chriſtum in concilio Seniorum ad mortem damnatum, vt habetur Matth. 27. quemadmodum Apoſtoli per concilium cæſi ſunt Acto. 5. & Stephanus per concillum damnatus eſt ad mortem lapidationis Actor. 7. & Act. 9. concilium fecerunt Iudæi, vt Paulum interficerent.

Matth. 27.
Actor. 7.
Infrà 9.

Præterea, & illud durum, Apoſtolos in ſuis ſcriptis illud ſic expoſuiſſe: ſed non conſtat in quo loco id explicetur. Quod verò ſubdit ibidem, non eſt contemnendum, ait enim: *Raca quidem dicitur Hebraicè vacuum, quãuis quãtum ad ſenſum verbi vnum eſt dicere, Fatue, & Raca. Nam qui vacuum eſt, ille fatuus eſt, & qui fatuus eſt, ille ſine dubio vacuus eſt, & vtriuſq; verbi vna videtur eſſe iniuria. Nam ſicut indigna res eſt dicere Fatue, qui habet in ſe ſapiẽtiam ſpiritualem in agnitione Dei Patris, & Chriſti: ſic indigna res eſt dicere hominem vacuũ, qui habet in ſe Spiritum ſanctum. Nã nemo dicitur vacuus, qui habet in ſe Spiritum ſanctũ, & nemo fatuus, qui Chriſtũ cognoſcit. Et quare illud quidem verbũ, id eſt, Raca, habet pœnã Concilij, hoc autem verbum, Fatue gehennæ? Nam ſi vnũ peccatum eſt, vna debet eſſe pœna amborũ. Sed quantũ ad dicentis propoſitũ, differentiam iã habent hæc verba, etſi quantum ad ſenſum, ſimilia ſunt. Raca n. vulgare verbum erat apud Iudæos, quod non ex ira, neq; ex odio, ſed ex aliquo motu vano dicebant magis fiducia cauſſa, quã iracundia.* Et infra: *Si Raca iracundia cauſſa non dicitur, quare peccatum eſt? Quia contemptionis cauſſa dicitur, non ædificationis.* Hęc ille: quę poſteriori ſenſui fauere videntur.

Eiuſdem hic ſenſus quem ſubiũgit: Raca, & Fatue, quantum ad ſenſum, Hebræis eadem eſt iniuria, perpenditur. Qui minimè vacuus dici poſſit.

Si Raca iracundiæ cauſſà nõ dicitur, quare peccatum eſt?

Quarta quæſtio illa ſit, Quia aliquis obiicere poſſet cõtra Chriſti verba, Dominum Scribas, & Phariſæos vocaſſe cœcos, & hypocritas: & euntes in Emmaus; ſtultos & tardos corde, & Paulũ in Elymam Magũ dixiſſe: *O plenè omni dolo, & omni fallacia*: ac in Pontificẽ Ananiã: *Percutiet te Deus paries dealbate.* Item ad Galatas: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit*, & quę ſequuntur, dicendũ eſt, quòd aliud eſt dicere cõtumeliam ad correctionem, ſiue zelo fidei & religionis, aliud ad confuſionem & infamiam. Nam primum quidem maximè licet. Etenim ſi cædere cum cauſſa peccatũ non eſt, quanto magis cum cauſſa dicere Fatue, nõ eſt peccatum? nam & verbum

Chriſtus, Apoſtoli, & ſancti conſuẽ, vel ſimilibus contumelijs proximum afficientes, hoc præceptum quomodo ſeruauerint.

Matth. 23. & ſeq.
Luc. vlt.
Actor. 23.
Infra 23.
Galat. 3.

malum

Verbum malum quā durum ſapienti. *Eccleſ. 28.*

malum ſpecies eſt aliqua caſtigationis, & apud ſapientem durius eſt quàm flagellum. Vnde Patres omnes Catholici, aliàs modeſtiſsimi, in hæreticos dētes acuunt ad mordendum, & eorum peccata detegunt, publiceq; inſectantur: vt Polycarpus Marcioni dicenti; Agnoſcis ne me? *Agnoſco*, inquit, *primogenitum Satanæ.* Cyprianus etiam Nouato hæretico obiicit, quòd calce mulieri prægnanti partum abegerit. Au. item multa de moribus Manichæorum detexit quēadmodum Epiphan. & Hiero. abominanda, & obſcœniſsima quorūdam hæreticorum flagitia inſectātur, vt bona fama amiſſa, aliis non noceant. Ergo, vt à principio monuimus, In his tribus particulis ſupplēdum eſt verbum Temere, vel ſine cauſſa: quæ cauſſa vbi adſit, maximè correctionis, & zeli fidei, contumelia propriè non eſt. Nam quemadmodum dicere, vade ſancte, vade presbyter, vade monache, animo cōtumeliæ inferendæ, tametſi bona ſint quæ obiiciuntur, verè tamen exiſtunt iniuriæ. contumeliæq;, quia animo maledicendi dicuntur: nam ſic de Phariſæis dicitur, obiecisse cœco nato ſimilem contumeliam, de qua Ioa. 9. *Maledixerunt ergo, & dixerunt, tu diſcipulus illius ſis:* vbi vides, conuitium ſiue maledictum vocari, eſſe Chriſti diſcipulū: ita verba, quæ præ ſe gerunt iniuriam, ſi bono animo, & corripiendi cauſſa proferantur, iniuriæ, vel cōuitia minimè cenſentur. *Meliora quippe ſunt vulnera diligentis, quā fraudulenta oſcula odientis.* Atq; hæc ratione, vt docet B. Thomas, licitum eſt parentibus in filios, dominis in ſeruos, magiſtris in diſcipulos, patriſamiliâs in domeſticos verba quædam interdum duriora, atque contumeliæ proxima ad eos in officio continendos, vel de patratis criminibus corrigendos, ex amore, licet cum nonnulla iræ commotione, iaculari.

Qui Marcionem Polycarpus, Nouato Cyprianus obiecerunt.

Aug. in libris contra Manichæos. tom. 6. Epiphan. in hæreſi num. 60. Hiero aduerſus Vigilant. Iouinianum, & Luciferianos, tom. 2.

Quæ verba in ſe minimè contumelioſa, veram tamen, & propriā habeant contumeliæ rationem.

Ioan. 9.

Prouerb. 27.

Quibus interdum liceat contumelioſis & mordacibus vti verbis, & quatenus.

B. Thom. 2. 2. q. 72. art. 2. to. 11. par. 2.

Explicandum poſtremò quid ſit gehēna. Vnde Chryſoſt. in Matth. ſcribit: *Hac etiam idcircò non ſunt memorata ſupplicia, vt eum qui fratri Fatue dixiſſet, gehennæ ignibus deputaret, modò certè primum nomen gehennæ commemorans. Cùm enim prius de regno multa dixiſſet, nunc iſtius intulit mentionem, oſtendens quoniam illud quidem illius volūtatis ſit atq; pietatis, hæc verò noſtra profectò deſidiæ. Vide autē, quemadmodum gradatim faciat augmenta pœnarum, quodammodò excuſans ſe tibi, atq; demonſtrans, quoniam ipſe quidem nihil velit tale minari, nos verò illum ad huiuſmodi pertrahamus.* Hæc ille. Hiero. in c. 10. Matth. annotauit, nomen gehennæ non inueniri in veteribus libris, ſed à Saluatore primum poni. Intelligendum eſt tale nomen eo ſignificatu: nam eſt ipſa vox tunc ignota nō eſſet, quia vbicunq; legimus vallis Ennom, Hebræis eſt ghe Hinnon, Ioſu. 15. & 18. nō tamen vſurpabatur pro loco cruciatus Inferni, vt in Euangelio accipit Chriſtus. Eſt autem gehenna ignis, phraſi Hebræa, gehēna ardēs, ſiue ignita. Eſt præterea gehenna nomen Hebrçum גיהנום ghehinnon cōtractū, & conciſum pro גיאבןהנום, id eſt, vallis filij Hinnom. Erat enim vallis quædam iuxta Ieruſalē, ad radices montis Moria, aquis fontis Siloe irrigua, in qua igni cremabantur filij in honorē dæmonis Moloch, qui Deus erat Ammonitarum; quemadmodum inter ethnicos nonnulli Saturno mactabantur: vt quidam non abſq; ratione exiſtiment Moloch idem eſſe cū Saturno. Iudæi enim loci illius amœnitate deliniti, erexerant ibi excelſa idôlo Moloch, vt exuſtos filios illi offerrēt: atq; hic locus vocabatur Tophet, quod nomen illi à tympanis erat impoſitum תוף toph enim, tympanū ſignificat: quoniā ſacerdotes Moloch tympanum pulſabant, ne pueri tranſeūtes per ignem ad brachia Moloch, à parentib. audirentur, atq; eorū viſcera commouerētur. Ipſum autem idôlum Moloch concauum erat, capite vitulino, manus habēs hominis extentas, ad quod impellabātur pueri inter eius brachia comburendi, quo gratum fieret illi ſacrificium. Aram eius habuiſſe ferunt ſeptē conclauia, quorum primū aperiebant offerendæ ſimilæ, ſecundū turturibus, tertiū oui, quartum arieti, quintū vitulo, ſextum boui; qui verò vellet offerre filium, huic aperiebatur ſeptimū cubiculum, in quo puer manibus receptus ab idolo ſuccendebatur, & igne peribat. Hunc quidā, vt dixi, Saturnum putauēre, ac Sidōniorū Deum, cui pueros immolabant. Sūptam ferunt hanc falſam religionē à praua imitatione Abrahæ, cuius fides comprobata eſt in filij oblatione: eo nomine ſe Deo placituros ſperantes. De hoc loco ſcribitur 4. Reg. 23. *Atq; illū Ioſias contaminauit, cadauera, & omnes alias immunditias illuc proijciendo, vt nemo conſecraret filium ſuum, vel filiam ſuam Moloch.* Meminit quoq; Ieremias c. 7. 15. 32. & ibidem Hieronymus. Vnde locus apud Iudæos execrabilis habebatur. Solebant in eum cadauera, & quicquid ſordidū Ieroſolymis erat, efferri: & apud Euangeliſtas metaphoricè vſurpatur pro loco, in quo cruciātur impij, quod fit apud inferos, in quē proiiciuntur omnes immūditiæ cœli, nimirùm dæmones; & terræ, id eſt, reprobi; ac elementorum, nempè fæces, & ibi ardent, qui ſua voluntate ſe dæmoni tradiderunt, dedicaueruntque. Interpre-

Quid ſit gehenna.

Chryſ. ho. 16. in Matthæū. tom. 2.

Hie. tom. 9.

Nomen gehennæ à Chriſto primum fuiſſe prolatum, vt Hieronymus dixerit.

Gehenna ignis quid.

Moloch Deus Ammonitarū, qui & Saturnus à quibuſdam vocatur.

Toph Hebræis quid.

Quale fuerit idolum Moloch.

Aræ Moloch ſeptem fuiſſe conclauia, & quænā.

Vnde hęc ſuperſtitio ortum habuerit.

Geneſ. 22.

Hier. tom. 5.

tatur

Quid ſit gehenna: Damnatorum vita quàm miſera.

ratur autem gehenna vallis triſtitiæ vt intelligas, quam vitam, ab omni delectatione alienam agant, qui in eum locum relegantur. Dicitur porrò reus gehennę ignis, ſiue vt alio loco exprimitur, filius gehennæ, ſi modò abſque pœnitentia in eo furore perierit; quod eo modo ſubintelligendū eſſe monet Rupertus. Nos igitur ſi tam teterrimum atque horrendum carcerem euadere volumus, non tantùm ab omni ſpecie homicidij nos contineamus, ſed & ab omni iracundiæ motu, quę indomita quædam, & immanis bellua eſt, ab omni item conuitio & contumelia coerceamus linguam, atque contumelias acceptas non regeramus, nec retorqueamus: ſed maledicta benedictis compenſemus; illum imitantes, qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè, cui cū Patre & Spiritu ſancto reddatur omnis gloria, honor, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Deut. 23.

Ruper. Tuit.

Gehennam quomodò nos effugiemus, ſi volumus.

1. Pet. 2.

TRACTATVS XXXVI.

In illa verba: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniēs offeres munus tuum.*

TRIA in hac clauſula explicanda præſtabimus. Primum declaranda erit cohærentia textus ſignificata per illam illationem, Ergo: Secundum, quid ſit recōciliatio, & nomine, & re, & quotuplex. Tertium, expendenda ſunt verba textus.

His ſuperiora quam aptè reſpondeant.

Ad primum, quoniam contumelia, vel verbo aliquo indignationis expreſſo irritatur proximus, læditurque; ideò opus eſt præſcribere modum ſe habendi cum proximo à nobis læſo, & quomodò ſit illi ſatisfaciendum, maximè ſi præter verba adiungerentur facta contumelioſa. Hinc ſatisfactio opus eſt iuſtitiæ, & debitum iure naturæ, & Euangelico. Eſt autem hoc præceptum ſummè neceſſarium, quia etſi ſuperioribus verbis cauerit, vt non ſolùm ab homicidio, ſed ab omni vel minima ira, quæ etiam verbali conuitio conſtat, abſtineamus; tamen ſæpè incidimus in iram, & in fructus eius, quæ ſunt verba contumelioſa quibus offendimus fratrem.

Quid ſit Reconciliatio.

Ad ſecundum, Reconciliatio, eſt iterata conciliatio, ſeu in priſtinam gratiam, & amicitiam reſtitutio: dicimur enim gratiā, vel fauorem, vel amicitiam conciliare; pro eo quod eſt promereri alterius fauorem, ſiue dignum fieri eius beneuolentia, & amicitia. Verbum autem conciliandi, à nomine concilij ducitur; concilium autem à ciliis, quæ ſimul coniunguntur, vel ſecundùm alios, à concalando, quòd vocatione homines cogerentur in vnum: vnde ait Poeta:

Cōciliare, & Conciliū vnde dicantur.

Virg. li. 1. Æneid. textu.

> *Conciliumq́; vocat diuûm pater, atque hominum Rex.*

Nam vt illi ſunt ſimul in vno loco, ita conciliati in vno amore, & voluntate. Græcè autē reconciliatio dicitur διαλλαγὴ, vnde διαλλάκτης, pacificator, & conciliator: & vt annotauit Budæus in Cōmentariis linguæ Græcæ, differunt inter ſe illa duo verba, διαλλάττειν, & καταλλάττειν: nam primū per mediatorem aliquem in amicitiam beneuolentiamq́; venire ſignificat, poſterius verò ſine medio aliquo. Hoc autem loco Euangeliſta primo verbo vtitur, quod mirificè nobis ſeruit, eo quòd non ſolum pro reſtituenda charitate fratris interponendi ſint aliqui interceſſores, ſed quia in omni reconciliatione potiſsimùm Chriſtus debet eſſe nobis διαλλάκτης, id eſt, cōciliator, ſiue interceſſor, non ſolùm inter nos peccātes, & Deū offenſum, vnde dicitur ab Apoſtolo: *Quoniam Deus erat in Chriſto, mundū concilians ſibi,* ſed etiam inter nos diſsidentes, nam propter eum, & per eum, gratiam & amicitiam læſam reſarcire debemus. Eſt autem notandum, quod in omni peccato, quo proximos lædimus, pariter Deum ipſum, id eſt, familiam Dei, & Angelos lædimus: hinc ſecundùm Bernard. lib. ſententiarum: *Tres ſunt, quibus reconciliari debemus, Hominibus, Angelis, Deo. Hominibus per aperta opera, Angelis per occulta ſigna, Deo per puritatem cordis. Nam de operibus quæ coram hominibus facienda ſunt, ſcriptum eſt, Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra opera bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. De Angelis dicit Dauid: In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Occulta autē ſigna ſunt gemitus, ſuſpiria, [illegible] & cætera pœnitentiæ inſignia quæ Angelis placent. Vnde eſt illud: Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Vt autem Deo recōciliemur, nec operibus, nec ſignis, ſed puritate, & ſimplicitate cordis indigemus. Scriptum eſt enim: Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt (ſibi ſcilicet recōciliati) Et illud; Si oculus tuus fuerit ſimplex, &c.* Hactenus ille. Nunc igitur Dominus de duobus poſterioribus recōciliandi modis non agit, ſed tantùm de priori, quo fratrem ira noſtra læſum pacificare intendimus. His præmiſsis, ad tertium accedimus.

Recōciliare, & Conciliare etiam Græcè quid differāt, teſte Budæo.

2. Cor. 5.

Hominibus, Angelis, & Deo à nobis per peccatū offenſis quēadmodum reconciliemur.

Bernard.

Pſalm. 137.

Luc. 15.

Vt Deo recōciliemur, quid opus ſit.

Matth. 5.

Luc. 11.

Quia de reconciliatione nunc Dominus loquatur.

Si ergo,

Munus offerre quid: eius typus: Deo quatenus acceptum, ad quos pertineret.
Num 5.

Si ergo, inquit, *offers munus tuum ad altare.* Munus voluntarium erat ſacrificium, ad carnis mũditiam ſpectans, & noſtrum altaris munus deſignabit; & ſi in fide Meſſiæ venturi oblatum eſſet, acceptabatur. Hoc autem ad ius Sacerdotis pertinebat: nam dicitur Num. 5. *Quicquid in ſanctuariũ offertur à ſingulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipſius erit.* Quia ergo conſilij, ac voluntatis erat, & non præcepti; propterea inquit, *Si*. Deinde, *tuum*; dixit: quia de noſtra ſubſtantia facienda eſt eleemoſyna, non de furto, vel rapina, aut malefacto. Et ſignificanter dixit, ad altare, nempe holocauſtorum, quod erat in atrio ante Sancta: & hoc ad differentiam bonorum; quæ pro fabrica mittebantur in Gazophylacium: de quibus 4. Reg. 12. & Luc. 21. Non loquebatur autem Dominus tunc de noſtro Euchariſtiæ ſacrificio, neq; de noſtro altari, quia nondum erat inſtitutum, nec intelligi ab auditoribus poſſet: quemadmodum ſi de altari corporis, & de ſacrificio ſpiritus loqueretur: ſed ad literam loquitur de Iudaico ſacrificio, & altari: quãquam in illo altari ſignificatum ſit noſtrũ altare, & in illo ſacrificio noſtrum ſacrificium. Vnde Hebraicè dixiſſe Dominus videtur mincha (etſi Euangelium Syriacum generali vocabulo dicat curbanecha, id eſt, munus tuum, qua voce vtitur Paraphraſtes Chaldæus pro voce Hebræa mincha Malach. 1. vt idem ſit prorſus mincha, & corban) quod eſt ſacrificium ex ſimila, oleo, thureque conſperſa, quæ quotidie offerebatur in altari Domini & cremabatur. Quod genus ſacrificij pulchrè equidẽ noſtrum Euchariſtiæ ſacrificium repræſentat, quod ſimiliter ex farina puriſsima fit, & continet thus diuinitatis, ac oleum Spiritus ſancti, quo delibuta eſt anima Chriſti ibi contenta: offerturq; quotidie Domino per manus Sacerdotis. Et apud Malachiam c. 1. verbum mincha ab interprete per vocem munus, vertitur. Eſtque hnc ſummum munus nobis à Deo datum, vt illud ei offerre valeamus. Vnde Dauid: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam*, hoc eſt, munus, quo redemptio, & ſalus Domini applicatur, de manu Domini accipiam, vt offeram. Hinc Irenæus hoc de noſtro altari, & ſacrificio Euchariſtiæ interpretatur. Nam in lege Chriſti non eſt vllũ præceptum veteri legi tantum ſeruiens, ſed ad horam, & minus principaliter, vt idem docet Irenæus. Cyrillus verò Ieroſolymitanus catecheſi 5. myſtagogica ait, fideles ante communionem præmittere ſolitos oſculum reconciliationis animorum, vniuerſaq; iniuriarum memoriæ deletæ ſymbolum, *Propterea*, inquit, *& Chriſtus Dei Filius dicebat. Cùm offers munus tuum ad altare, &c. Vade, & prius reconciliare fratri tuo: & tunc accedens offer munus tuum.* Sic ille. Eſt etiam noſtrum munus, quia noſtræ naturæ; & quia charum, & pretioſum pro abluendis noſtris delictis oblatum: & quia ſenſibilis eſt hoſtia, ita & ſenſibile habet altare; quatenus autem eſt Sacramentum, communicamus. Ante oblationem ergo, & communionem curanda eſt fratris reconciliatio, vt placari nobis poſsit Deus, atq; illi noſtrum munus placere. Nam ſi vigente lege Moyſi ante oblationem legalium ſacrificiorum quærenda erat reconciliatio fratris; multo magis ante oblationem Noui Teſtamenti, & ſacrificium Euchariſtiæ, atque eo magis, quo hoc eſt charitatis, & mutuæ concordiæ ſymbolum: vnde & Communio, & Synaxis dicitur. Eſt prætereà munus, aliud ſacrificium, & oblatio ſpiritalis, de qua Pſaltes; *Dirigatur, Domine, oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo*: quæ in altari cordis Deo eſt offerenda. Sed vt illi placeat, reconciliandus eſt frater priùs. Quocirca Dominus noſter inſtituit, vt in precatione Dominica diceremus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et Marc. 11. docuit: *Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & Pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.* Ad hæc eleëmoſyna munus eſt, de quo Apoſtolus ait; *Beneficentia, & communionis nolite obliuiſci*; talibus enim hoſtiis promeretur Deus: at Deus nobis non placatur, quandiu non reconciliamur proximo. Rurſus Apoſtolus; *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione*: & Petrus viris præcipit muliebri ſexui tanquam infirmiori vaſculo honorem impetiri, vt non impediantur orationes, per contentiones ſcilicet, & diſceptationes: Hinc non reſpexit ad Cain, nec ad munera eius, quia odium geſtabat in pectore contra fratrẽ: nec ad Phariſæum inſultantem Publicano, nec ad munera eius, id eſt, ad bina ieiunia in Sabbato, nec ad decimas omnium quæ poſsidebat. Et Propheta inquit; *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, nõ exaudiam: manus enim veſtra ſanguine plena ſunt.* Præthereà ieiunium munus quoddam eſt, quo corpus in hoſtiam Deo offertur, iuxta illud Apoſtoli; *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis*

Margin notes:

Munus conoſtrũ offerendũ ſit, & cur ad altare.
Exod. 35. & alibi paſſim.
4. Reg. 12. & ſeq.
Luc. 21.
Chriſtum, de munere legali, vnde conſtet, non autẽ de Euchariſtia hic habere ſermonem.
Mincha, Hebræorũ quale ſacrificium.
Malach. 1.
Illud quàm noſtrum Euchariſtiæ ſacrificium adumbrauerit.
Pſal 44. & Hebr. 1.
Eſai. 61. & Luc 4.
Quale ſit, quantumq; Dei munus Euchariſtia.
Pſalm. 115.
B Iren. lib. 4. c. 34.
idem ibidem.
Cyril. Ieroſolym.
Euchariſtia munus eſt noſtrum duplici ratione.
Ad munus hoc ſacrum Deo offerendum, quam neceſſaria ſit prius reconciliatio fraterna.
Munus ſeu ſacrificium orationis ſine fratris reconciliatione, non placere Deo.
Pſalm. 140.
Matth. 6.
Marc. 11.
Munus etiã eleemoſynæ eadem ratione non ſuſcipi à Deo.
Hebr. 13.
1. Tim. 2.
1. Pet. 3.
Geneſ. 4.
1 Ioan. 3.
Ad Caini & Phariſæi munera cur Dominus non reſpexerit.
Luc. 18.
Eſai. 1.
Ieiunij munus quando Dominus acceptet, & approbet.
Rom. 12.

Eſai 58.

Voce etiam muneris, q̃d Dominus intelligi voluerit.

Euthym. in Matth c. 5.

Auguſt lib. 1. de ſerm. Domini in Mõte. c. 20. circa med. tom. 4. circa finem.

Hæc Domini de nõ offerendo munere, irreconciliato fratre ſentẽtia quos petere videatur.

corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Sed nec hoc munus Deo placere poteſt, donec tollatur ira in fratrem. Vnde per Eſaiam ait: *Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis; & percutitis pugno impiè.* Denique nullum genus ſacrificij, aut boni operis poteſt Deo eſſe gratum, ait Euthymius offenſo fratre. Ideò pro munus intelligimus συνεκδοχικῶς, quicquid Deo gratum facere ſtudemus, ſiue prophetiam, inquit Auguſtinus, ſiue doctrinam, ſiue orationem, ſiue hymnum, ſiue pſalmum, & ſi quid aliud ſpiritualium donorum animo occurrerit. Quare ille primò venit reconciliandus. Ingratum eſt enim Spiritui ſancto quicquid ei obtuleris, neglecto eo, ad quod teneris. Hic ergo Dominus errorem quorundam tollere videtur, qui poſtquam proximum grauiter offenderunt, quiete agunt, nil cogitantes de ſatisfactione impendenda; qui tamen putant bonis operibus poſſe ſibi Deum placare. Efficax eſt ergo hæc ſententia ad ſuadendum mutuum reconciliationis ſtudium vt non tantùm lædens petat à læſo fratre pacem, ſed vt etiam frater læſus facilè fratri quærenti reconciliationem condonet, ne Dei honorem & ſacrificia moretur, & impediat. Vultque Dominus, qui liber eſt, ſuiq; iuris, nec vlli adſtrictus, gratiam ſuam pendere à fratris gratia: ita vt nolit ſuam impertiri gratiam, niſi fratris gratia impetrata. Et hoc eſt quod per Oſeam Prophetam dixit: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Et in huius præcepti typum patriarcha Iacob non legitur altare erexiſſe, in quo ſacrificium Deo obtulit, niſi priùs reconciliato fratre ſuo Eſau, Geneſ. 33.

Oſe. 6. & Matth. 9.

Fraternæ gratiæ neceſſitas recuperandæ eius typus Iacob.

Gen. 33.

Et ibi recordatus fueris. Quaſi dicat, Antea recordari debueras, & fratri reconciliari: ſed ſi obliuio impediuit, ſaltem tunc fiat. Quòd ſi vel tunc obliuio accideret ſine culpa, proculdubio ſacrificium offerendo mereretur. ¶ *Quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te.* Frater Iudæo eſt Iudæus, & Chriſtiano omnis homo, etiam infidelis: quia in lege naturali, vel politica conuenimus cum eo, & contra fas illũ lædere poſſumus: & ipſo nomine fratris, ad vnitatem, & æqualitatem hortatur. Quòd ſi frater offenſus filius ſit ſpiritualis, & aliquo modo ſubiectus offendenti; tunc paſtor qui offendit, minimè obligatur ab eo petere veniam, ſed à Deo tantùm, vt tradit B. Auguſtinus in regula; ne lex diſciplinæ ſoluatur: niſi fortè modus aliquis ædificans proximum læſum occurreret, quo ſimul cum charitate Præfectus

Quis ille frater offenſus, nobis reconciliandus.

Præpoſiti quo modo fratri ſatisfacient offenſo, ſecundum Auguſtinum.

B. Auguſt. 10. 1. prope fin.

ſeruaret autoritatem. Habet autem frater aduerſus te aliquid; id eſt, tu debes illi ſatisfacere propter offenſam. Ita interpretatur Auguſtin. cuius hæc ſunt verba; *Si in mentem venerit quòd aliquid habeat aduerſum nos frater, id eſt, ſi nos eum in aliquo læſimus, tunc enim ipſe habet aduerſum nos. Nam nos aduerſus illum habemus, ſi ille nos læſerit, vbi non opus eſt pergere ad reconciliationem: non enim veniam poſtulabis ab eo qui tibi fecit iniuriam, ſed tantùm dimittis, ſicut tibi dimitti à Domino cupis quod ipſe commiſeris.* Sic Auguſtinus. Atque hic videtur verus eſſe ſenſus illius locutionis habendi aliquid aduerſus alterum. Dicitur enim Apocalypſis 2. *Sed habeo aduerſum te pauca*, pro eo quod eſt, ſunt quædam, de quibus tecum expoſtulem. Chryſoſtomus verò contendit (quam ſequitur Theophylactus) de reconciliatione ea accipiendum eſſe, qua in gratiam redimus cum eo, qui nos læſit, & inimicitias cum illo gerimus, ſiue iuſtas, ſiue iniuſtas: ideoque non eſſe dictum, Reconcilia tibi fratrem tuum, ſed, *Reconciliare fratri tuo*: quod perinde conuenit offenſo, atque offendenti. Quo intelligentia videtur magis conuenire perfectioni Euangelicæ. Et Chryſoſtomus dum quærit à læſo reconciliationem, tantùm petit remiſsionem delicti in ſe commiſsi; ita vt eadem videatur eſſe ſententia Auguſtini, & Chryſoſtomi. Audi iam Euthymium Chryſoſtomi diſcipulum: *Fertur indifferenter ſermo, & ad eum, qui affectus eſt iniuria, & ad eum, qui iniuriam irrogauit. Et ſiquidem malè paſſus es, iniuriam illi remitte, & patiens eſto: quòd ſi iniuriam irrogaſti, medere iniuriæ, nihilque relinquas eorum, quæ ad reconciliationem faciunt.* Hactenus ille. In eadem ſententia videtur eſſe Hieronymus ſcribens in hunc locum: *Non dixit, ſi tu habes aliquid aduerſus fratrem tuum; ſed ſi frater tuus habet aliquid aduerſum te; vt durior reconciliationis tibi imponatur neceſſitas. Quandiu illum placare non poſſumus, neſcio an conſequenter munera noſtra offeramus Deo.* Hæc ille. Sed profecto expoſitioni Auguſtini magis litera fauere videtur, & ipſa ratio. Etenim offenſum adire ad offendentem, illumque placare, non eſt præcepti, ſed conſilij. Cùm verò duo ſe mutuo offendunt, & iniuria ſe afficiunt, atque iniuriæ ſunt inter ſe pares, & æquales: qui prior fuit in iniuria inferenda, prior erit in reconciliatione poſtulanda. At ſi iniuriæ ſint inæquales: is qui maiorem intulit, cogetur illum adire, qui minus iniurius fuit. Tripliciter autem lædere quis proximum poteſt:

Quid habere fratrem aduerſum me aliquid.

Idem li. 1. De ſerm. Domini in Monte ca. 20. tom. 4. prope fin.

Quiſnam ad-uerſus fratrẽ habens aliquid, offenſus, an offenſor.

Apoc. 2.

Chryſo. hom. 16 in Matth. tom. 2.

Theophy. Ibidem.

Reconciliare fratri tuo, cui Domin' dixerit, non autẽ, Reconcilia tibi fratrem tuum.

Euthym. Ibidem.

Hieron. vbi ſupra productus fuit.

Cui præcipitur, non autẽ ſuadetur, offenſo, ac offendenti, fratris reconciliatio, ſecundum Auguſtinum.

Quem corde aut verbo, aut factoquiſpiam offendit, vt fratri ſatisfaciet.

aut corde, aut verbo, aut opere. Quod ſi animo tantùm offendiſti, à Deo petenda venia eſt, non ab eo, quem læſiſti: nam te diffamares, alium verò ad iram, vel minus bene de te iudicandum excitares. Si autem verbo oſtendiſti, tunc aut contumelia præſentem læſiſti, & apertè venia petenda eſt: aut detractione abſentem infamaſti, & tunc opus eſſet eo abſente coram teſtibus præſentibus detractioni, te excuſare. Si autem facto offendiſti, vt ſi debitor es, & debitum detines, vel in perſona, & rebus nocuiſti; tunc opere, & ſolutione integra, ſi fieri poteſt, reconciliatio eſt paranda. Quòd ſi ſigno aliquo offendiſti, debes veniam ab ipſo flagitare: quia tanta eſt iniuria, quanta ſentitur, vel eſſe putatur. Atque idem eũ iudicium de eo, qui ſe præparauit ad iniuriam inferendam manifeſtè: ſecus accidit, ſi occultè contumeliam deſignabas. ¶ *Relinque ibi munus tuum ante altare.* Tuum, ait: antequã enim traderetur in manibus Sacerdotis, tuum erat, Num. 5. ſecus modò in delatis ad offerendum in Eccleſia, vnde reportari non ſolent. Tuum etiam, quia neſciebat Sacerdos, quo ſacrificij genere inter tot quæ Iudæi habebant, eſſet offerendum.

Pronomen illud expenditur: Relinque ibi munus tuum. *Num. 5.*

Vade prius reconciliare fratri tuo. Durum prima facie videtur hoc præceptum, quòd ſcilicet dùm ſum ante altare, memorque iniuriæ, quam fratri meo intuli, oporteat me re ſacra imperfecta quærere fratrem, nec tantùm quærere, ſed illi etiam reconciliari. Quid enim, ſi neſciam vbi ſit frater meus? Quid ſi longè, aut vltra mare in Africa? Quid ſi inueniam, & nolit reconciliari? Quid ſi relinquendo munus ante altare, ſcandalo afficiam aſsiſtentes, meque ipſum vituperem? quæ omnia abſurda videntur, nec eſt probabile, à Chriſto, ſumma ſapientia, talia prodire præcepta. Ideò ſtatuenda ſunt duo, alterũ de offendente, alterum de offenſo fratre. Circa primum aduerte, reconciliationem iuxta modum offenſæ, neceſſariam eſſe ad ſalutem, modò non ſit impoſsibilis, vel nimis difficilis, vel ex tempore importuna, quia ſcilicet irritaretur læſus: at quoties ita non fieret, ſed charitas amiſſa renouaretur, reſarciretur ve, neceſſaria eſt, ad opportunam & cõuenientem ſuo tempore executionẽ: reconciliatio autem antequam munus offeratur ad altare, modò ſit verum propoſitũ reconciliandi ſe fratri, communiter eſt conſilij, vt tutior ad merendum, & indicãs amorem Dei, præferentis noſtram pacem ſuis muneribus, iuxta illud: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*; & priuantis nos miſericordia ſua, ſi non miſeremur proximi. Cùm autem alij ex oblatione noſtra offenderentur, debet homo reconciliari priùs actu, ſi poteſt, vel dicere aſtantibus, ſe paratum ad reconciliationem, vt ceſſet eorum ſcandalum. Modò autem adſit propoſitum, & voluntas ſatisfaciendi, & quærendi pacem & concordiam, non eſt peccatum offerre munus: vel enim hoc peccatum eſſet, quia non reconciliatur, & ſic in quouis inſtanti denuò peccaretur; cùm tamen vnum peccatum ſit tantùm vſq; ad pœnitentiam, vel ad mortem: vel eſſet, quia tunc obligatur illum adire, & hoc minimè, quoniam ſi non offerret, nequaquam obſtringeretur: & bonum opus peccatum non efficit, vt docet Epiſcopus Abulenſis: & bonum opus non eſſet, ſi contra præceptum offerret, & per accidens vitioſum efficeret, vt qui verbi gratia in peccato communicat. Licèt ergo ad meritum requiratur in aliis operibus bonis præcedens reconciliatio, tamen de ſacrificio, quia ſoli Deo fit ille honor, & à Iudæis magni pendebatur, exemplum ponit, quia opus altum, à quo arcentur indigni. Quando ergo ceſſarent vniuerſa inconuenientia & abſurda dicta, eſſetque facilitas adeundi offenſum fratrem, conſilium foret, illum adire, non præceptum; quoniam ſatis eſſet corde atque animo proponere reconciliationem. Volens ergo munus offerre, debet animo ſuo conſiderare, & ſic apud ſe loqui: Deus hoc munus non acceptat, niſi ego à fratre reconciliationem petam, quem iniuria affeci: ideò inſtituo ad eum pergere, & ſupplex veniam petere, illique per omnia de iniuria ſatisfacere, Hoc autem cùm firmo propoſito animi decretum fuerit, pro iam facto accipitur à Domino, videturque coram Deo & Angelis reliquiſſe munus ante altare, & iuiſſe pedibus cordis ad fratrẽ, ac reconciliatum rediiſſe; vt dignè Domino offerat munus. Hoc autem Dominus non expreſsit, vt daret locum meditationibus, interpretationibuſque, vtque nobis conſtaret, verba Domini Ieſu ſpiritum eſſe & vitam. Et hactenus de offendente.

Hoc Domini præceptum quàm durũ alioqui ac difficile videri poſſet.

Fraterna reconciliatio quando præcepti ſit, quãdo conſilij tantummodo.

Oſea 6. & Matth. 9.

Munus offerens cũ ſcandalo ante reconciliationem, quid faciet.

Hoc præceptum in præparatione animi eſſe accipiendum.

Alfon Toſta. in Matth. 6. cap q 162.

Fraternam recõciliationem ad ſacrificiũ potiùs, quàm ad aliud opus bonum cur Dominus requirat.

Munus offerens, quomodo ad fraternam reconciliationem faciendam ſe comparet.

Clariorẽ hac de re nobis Domin⁹ cur nõ doctrinã tradiderit.

Offenſo autem ſatis eſt, ad hoc vt dignè munus offerat fratri offendenti mẽte remittere. Qui enim rogatus mente nollet parcere, cõtra verbum Lucæ 17. faceret, & lethale delictum admitteret, oblationeſque eius non eſſent acceptandæ: ita enim decernit Concilium Cartaginenſe IV. cap. 93. *Oblationes*, ait, *diſſidentium*

Offenſus erga offendentem quomodo ſe habeat. *Luc. 17.*

Concil Carthag. IV.

B. Cyprian. lib. de vnitate Eccleſiæ, circa medium.

Geneſ. 4.

fratrum, neq; in ſacrario, neque in Gazophylacio Epiſcopi recipiant: & Cyprianus tract. De ſimplicitate Prælatorum: *Nec ad Cain munera reſpexit Deus: neq; enim peccatum habere Deum poterat, qui cum fratre pacē, per cœli diſcordiam non habebat. Quam ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum?* Hæc ille. Poſſunt etiam tales acerrimis inediis macerari, donec reconcilientur; vt Fabianus Papa docet diſtinctio. 90. cap. *Si quis*: Poſſunt item à communione expelli, vt tradit Victor Pontifex epiſt. 2. ad Afros: deinde excommunicari ab Eccleſia, vt ſtatuit Concilium Agathenſe cap. 31. his verbis: *Placuit etiam, vt (ſicut plerunq; fit) quicunque odio, aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem reuocari diutina intentione nequiuerint; à Sacerdotibus ciuitatis primùm arguantur. Quòd ſi inimicitias deponere, pernicioſa intentione noluerint: de Eccleſiæ cœtu iuſtiſſima excommunicatione pellantur.* Hæc ille. Multum profectò Eccleſiæ expediret, hos Canones hodie reuocari, ad tollenda tot diſcordiarum zizania, duellaque impia à prudentia carnis canonicata.

Quib pœnis irreconciliabilibus inter ſe odiis diſsidētes meritò ſubiaceant.

Fabia PP.

Concil. Agathen.

Offenſus offendēti vt reconcilietur, conſilium eſt, non præceptum.

B Greg. parū à medio, to. 2.

2. Cor. 5.

Quòd autem offenſus adeat offendentem, conſilij tantùm communiter eſt, non præcepti: quippè ſalutem alterius, & non quæ ſua ſunt quærere, perfectionis eſt opus: imitanduſq; eſſet à nobis Deus, vt notat Gregorius homil. 32. qui tot peccatis noſtris offenſus, cogitās cogitationes pacis, prior nos acceſsit, & legátos miniſtroſque reconciliationis, vt dicitur 2. Corinth. 5. ad nos deſtinauit; imitandus & Chriſtus, qui tot ioiuriis laceſsitus, rogat ea quæ pacis ſunt. Quia ergo viciſsim offendimus, ac offendimur, debemus mutuo & petere, & dare reconciliationem. Eſt enim reconciliatio opus neceſſarium, in quo eſt iuſtitia, quia redditur debitum: eſt in eo obedientia ad Chriſtum, qui præcepit eſt humilitas ex demiſsione & ſubiectione ſui ipſius, ac proprij peccati agnitione: eſt amoris charitas ex vnitate, pace, & concordia, quam Chriſtus impensè prædicauit, nobiſque commendauit, pręcipiens offendentem adire offenſum, & offenſo remittere offendenti; neque tantùm ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties: eſt fides ex impetratione diuinæ miſericordiæ & placationis. Si enim dimiſeritis hominibus, dimittet & vobis Pater veſter qui in cælis eſt peccata veſtra: atque hoc intellige de peccatis vnum, aut alterum proximum offendentibus. In peccatis autē publicis totam Eccleſiam ſcandalizantibus, opus eſt publica ſatisfactione, ad Eccleſiæ diſciplinā, & aliorum timorē, vt in hæreſi, ſchiſmate, magia. Vnde Auguſtin. aſtrologum quendam populo de ſuggeſtu indicauit, & populum rogauit, vti pro eo publicam pœnitentiam agente deprecaretur. In peccato etiam eius fœminæ, quæ delicto priori viro, alterum ſuperduxit, eadem publica exigitur ſatisfactio, vt Hyeronim. de Fabiola in eius epithaphio teſtatur. Idem Hieronymus ad Caſtorinam materteram: *Precor*, inquit, *quod & ante annum prioribus literis rogaueram, vt pacem, quam nobis reliquit Dominus, habeam; & meum deſiderium, & tuam mentem Chriſtus intueatur. Quod ſi tu (quod procul abſit) nolueris; ego liber ero. Epiſtola me hæc mea, cum lecta fuerit, abſoluet.* Hæc ille.

Mutuæ inter nos pacis & concordiæ ineundæ, eiuſq; augendæ & conſeruandæ rationes quantæ ſint.

Matth. 18.

Suprà. 6. & Infra 10.

Qualem publica peccata mereantur ſatisfactionē

Auguſtin. in Pſal. 60. to. 8.

B Hiero. epi 30. in princ. tom. 1.

Idem epiſt 36 tom eodem.

Ioan. 14.

Et tunc veniens offeres munus tuum. Ex quo conſtare poteſt, præter fidem opus eſſe ſacrificiis & oblationibus, atque aliis operibus bonis; quibus tamen Dominus præfert charitatem & concordiam noſtram. Ecce enim, quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in vnum; & Mar. 12. ait Dominus, quòd diligere Deum ex toto corde, &c. & proximum tanquam ſeipſum; maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis. Vſque adeò enim Deus, qui charitas eſt, charitate afficitur, vt malit ſuo defraudari cultu, quàm officia charitatis ad proximos negligi. Ex quo apparet, hæreticos noſtri temporis, nulla prorſus religione præditos eſſe. Nam vt omittam conuitia in vniuerſam eccleſiam, quā cæcam & errantem, & deliram anum vocitant, contumelias horrendas in Sanctos, ac veteres Patres, atque Doctores; quos, vt ignorantes, & fatuos tractant; maledicta teterrima, quæ in pontifices Romanos ingeſſerunt, appellantes eos Antichriſtos, & turciſsimos Turcas; atq; blaſphemias, quibus petunt Concilia generalia, quorum vnus Concilium Conſtantienſe, dixit eſſe ſceleſtiſsimam Sophiſtarum congregationem: ſtudia verò generalia & vniuerſitates, conuitiis non ferendas (quòd eas ſibi aduerſari intelligerent) inauditiſque ſannis & ſcommatis feriunt, atque proſcindunt: vnde Lutherus, præſtantiſsimus maledicendi artifex, In quodam loco dixit: *Si Pariſienſis Sodoma, & Louaniēſis Gomorrha, & tota Babylon Papa*: & quæ ſequuntur! Vt, inquam, hic omittam, quibus quæ ſupplicia reſpondeant, ſi dicenti Racha, & fatue, debetur gehenua ignis; animo meo cogitans perhorreſco prorſus, & contremiſco. Illud eſt minimè diſsimulandum, tot modis tunicam Domini inconſutilem, quod ad ſe attinet, illos ſcidiſſe, dimiſiſſeque; nullam tamen concordiæ rationem, poſt tot contumelioſa dicta & facta meditatos

Hæreticorū nudā bonis operibus fidem, & mortuā quo verbo Dominus damnet, ac iugulet.

Matth. 6.
Oſiæ 6.
Pſalm. 132.
Marc. 12.
1. Ioan. 4.

Hæreticorū in Eccleſiam & eius proceres, infinita maledicentia quid arguat.

Quid de nobiliſsimis Chriſtiani orbis totius academiis Pariſienſi, & Louanienſi, & de vrbe Roma auſus ſit euomere maledicentiſſimus omniū mortalium Lutherus.

Suæ cum Eccleſia Chriſti à ſe miſſis modus offenſa, recon-

eſſe

ciliationis pręcepto Lutherani quã ſe præſtēt im̃mansgeros, & contumaces.

eſſe: ſed odium, exterminationem & mortem deſignaſſe, & armis ſumptis ad bellum prouocaſſe Catholicos: quo modò ergo Deus illorum ſacrificia acceptabit, qui tantas diſcordias, & diſſenſiones fouent, & qui ſe leones & vrſos Eccleſiæ, matri ſuæ pientiſsimæ, præſtiterunt, & adhuc eorum poſteri præſtare non ceſſant? Sed interim nos eorum vicem doleamus, & poſtquã ſe intractabiles medico præſtant, pro eis Dominum deprecemur, vt ille, pro ſua incomparabili bonitate, eorũ oculos aliquando aperiat, vt agnoſcant quantis in erroribus ſint verſati, & ad gremium Eccleſiæ reuertantur, illiq; reconcilientur in gratiam ſuam, beneficio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſemper viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS XXXVII.

In illa verba: *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.*

Vitæ diuinæ, & ſpiritualis (vt etiam naturalis, œconomicæ) qua ſit fundamentum ſit.

QVEMADMODVM vita naturalis, in quatuor humorum ſiue qualitatum conuenientia conſiſtit, vita verò œconomica in viri & vxoris, filiorumque concordia, mutuoq; conſenſu; ac vita politica in ciuium, ac Principis mutuo amore, & beneuolentia, conſpiratione que ad commune bonum: ita vita diuina, & ſpiritualis nonniſi in quodam, vel cum Deo, vel cum fratre, vel cum propria conſcientia valet conſiſtere conſenſu. Quare hac ſententia, quæ ad parabolam accedere videtur, Dominus mutuam concordiam, & amorem in nobis ſtudet cõfirmare. Cùm ergo hactenus ad concordiam hortaretur & ſacrificium inutile eſſe iudicaret, quod animo inimicitias cum fratre gerente offeretur; modò gratiùs terret ab inimicitia cõminatione perpetuæ gehennæ: quam Chryſoſtomus & Euthymius aſſerant minari Dominum pœnas præſentis vitæ. Et Paulus ad Rom. ſic ſcribit: *Ideoq; neceſsitate ſubditi eſtote; non ſolum propter iram ſed etiam propter conſcientiam.* Explicans autem quæ ſit ira, paullò ante: *Non enim*, inquit, *ſine cauſſa gladium portat.* Vel fortè etiam apertiùs, & magis ad rem dici poteſt. Cùm prius interdixerit iraſci, deinde offendenti præcepit fratri ſuo reconciliari: nunc offenſo præcipit, vt ſatisfactionẽ ab offendente recipiat, illique reconcilietur, ſi veniam petierit. Atque ita præcepto de non occidendo addidit alia quinque. Primum, non iraſci. Secundum, non dicere, Raca. Tertium, non dicere, Fatue. Quartum, præcipit offendenti, vt reconciliari cum fratre contendat. Quintum, offenſo mandat, vt condonet offendenti.

Quo Dominus tendat propoſitis in verbis.

Chryſ. ho. 16. in Mat. to 2. Euthym. ibidẽ. Rom 13. Aliud argumentum.

Et in hoc oſtendit ſe Chriſtus verum Salomonem, pacificque, & concordiæ amatorem; cùm tamen hodie pleriq; inueniantur, qui ſeminant inter fratres diſcordias, & qui lædenti perſuadeant, ne humilietur læſo, aut veniam poſtulet ab eo: & rurſus offenſo, vti iniuriam retineat, neque ei, qui offendit: quouis modo ignoſcat. Et hæc de ordine huius ſententiæ. Quantum ad ſenſum verò, notandum eſt ex Beato Chryſoſtomo, Theophylacto, atque Euthymio, nullam in his verbis eſſe parabolam, vel parabolicam locutionem, ſed tantùm ex præcedentibus cohortationẽ quandam ad mutuam concordiam inter fratres diſsidentes inter ſe: atque huic ſententiæ ex Latinis ſubſcribunt B. Hieronymus, reliquas expoſitiones etiam palam reiiciens, ac Ambroſius in 12. cap. Lucæ, vbi tradit, Matthæum expreſſe de reconcilianda pace fratrum eſſe locutum: quanquam hoc loco ad anagogicum ſenſum hæc verba referat. Ambroſij verba ſunt hæc: *Iuxta Matthæum quidem aduerſarius eſt, cum quo minimè tibi in hac vita conueniſſe videatur, qui apud iudicem futurum viuorum atque mortuorum, manentis ſimultatis te crimine perſequatur. Iuxta Lucam autem eſt aduerſarius noſter ille præcipuè, qui ſerit illecebras delictorũ, vt habeat in ſupplicio participes, quos habuit in errore conſortes: atque ideò ſocios quærit ad culpam, vt obnoxios prodat ad pœnam.* Hæc ille. Auguſtinus verò negat poſſe intelligi ad literam de vllo homine, cui iubeamur eſſe concordes, & beneuoli. Nam quanquam iubeamur, quantum in nobis eſt, pacem cum homine habere; non videtur tamen facile intellectu, quomodo homo tradat nos iudici noſtro, cùm ipſe etiam ante iudicem Chriſtum exhibendus ſit; aut quo pacto occidens aliquem, conueniat cum eo in via, cum alter non ſit ſuperſtes: nec qua ratione pœnitendo ſanari non queat, tametſi ille non viuat. Adhæc licèt forum ſit neceſſarium, ob iniquitatem actoris, vel rei: Chriſtus tamen non videtur hic voluiſſe, vt vitentur lites humanæ, de quibus poſtea ſermonem facit. Et ponit lædentem, vel debentem certò damn[illegible] quod

Chriſtũ vnde poſſis verum Salomonem agnoſcere.

Hæc ſententia: Eſto conſentiens aduerſario tuo citò dum es in via cum eo, &c. quibuſdã cur minimè parabolica videatur.

B. Chryſ. ſupradicto loco. Theophyl. ibidem. Euthy. ibid. Hieron. ibid. Ambro. lib. 7. in Luca c. 12. [illegible] tom 5. Actor. 10.

Luc. 12.

Oppoſitum alius cui ſentiant.

Augu. lib. 1. De ſer. Domi. in monte. cap. 21. tom. 4. circ. fin.

1. Cor. 5.

II. Ratio.

III. Ratio.

quod non ſemper euenit in iudicio humano. Nec etiam intendit, vt læſus conſentiat alteri lædenti: nam opus eſſet præter iniuriam acceptam, quòd iſte debeat; vel ſi de debitore intelligitur, id in ſenſu non corticis parabolæ, qui nullo modo propter ſe intenditur, ſed in ſenſu literæ minus principali, per quem alia de futuro iudicio, in quo ſemper reus damnatur, accipiendum eſt. Et quia minatur pœnam, præceptum eſſe conſtat, non conſilium.

Auguſti. vbi ſupra produ-ctus fuit.

His rationibus Auguſtinus atque alij exiſtimant, ſenſum literalem loci huius parabolicum eſſe, & iuxta rationem parabolæ eſſe interpretandum: quanquam ipſe inquirens quis ſit aduerſarius, de quo hic agitur, an diabolus, an homo, an caro, an Deus, an eius præceptum, & per ſingula diſcurrens, nihil illorum poſſe intelligi concludat; vt non literæ ſenſum, ſed etiam parabolicum euertere videtur: quanquam reuera ſine aliqua parabolæ ſpecie vix valeant hæc commodè intelligi.

Sub parabolica eiuſmodi locutio Domini dicta, alio conſimili exemplo eiuſdem oſtenditur apud Lucam.

Luc 14.

Vt enim Dominus Luc. 14. per exemplum humanum aliud quid docere voluit, quàm quod litera prima ſpecie ſonare videtur: *Cùm inuitatus*, inquit, *fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco*, & cætera quæ ſequũtur: nam ea ſimilitudine explicare volebat, humiliandum à Deo, qui ſeipſum exaltaret: & contrà, exaltandum qui ſeſe demiſerit: ita hoc loco exemplo humano docet, quando ſtudio quærenda ſit in hac vita reconciliatio cum his qui nobis ſunt offenſi.

Huius ſimilitudo parabolæ proponitur.

Sit, verbi gratia, creditor aliquis, aut aduerſarius, qui habet iuſtam aduerſus te querelam, teque in ius vocet, iamque ires cum eo ad iudicem: conſultiſsimè certè faceres, ſi cùm adhuc eſſes cum illo in via, cum illo conuenires. Nam ſi experiri iudicium velis, quando debitum inficiari non vales, expectandum aliud non eſt, quàm quòd iudex pro officio ſuo tradat te miniſtro, qui te in carcerem detrudat, è quo non liceret tibi egredi, niſi omni debito vſq; ad extremum quadrantem perſoluto: vnde & carceris dedecus, & exactã debiti perſolutionem incurras. Hæc eſt ſimilitudo.

Eius ſenſus qui nam ſit: Eſto, inquã conſentiens aduerſario tuo, &c.

Senſus verò intentus à Domino, eſt hic: Si quem offendiſti, ac te debitorem illius conſtituiſti, da operam, vt donec es adhuc in via, prius quàm iudici Deo, qui vendex eſt ſcelerum, tradaris, cum eo in gratiam redeas. Quod ſi prælteriteris, iam veniam ab ipſo etiam Deo iudice impetraſti. Quod ſi neglexeris; vbi iuſto iudici traditus fueris, non eſt quod ab eo vllam veniam ſperes: nullam enim concedet debiti relaxationem, ſed exigit vt plenè debito ſatisfacias, æterni infligendo pœnam ſupplicij ijs, qui fraternam charitatem violauerint.

Quid ſpectãdum in parabolis maxime ſit.

Hic videtur commodus ſenſus ſimilitudinis, in quo non curioſe inquirendum eſt, quomodo aduerſarius homo tradat debitorem Chriſto iuſto iudici, aut quis ſit nouiſsimus quadrãs perſoluendus, cùm in parabolis non ſint ſingula applicanda rei ſignificatæ, ſed ſcop⁹ & intẽtio ſermonis potiſsimũ ſpectanda eſt. Sed quoniam non repugnat, vnum & eundem ſcripturæ locum varias & diuerſas recipere expoſitiones, quæ tamen ſibi ipſis non contradicant, & quibus gemina ædificatur caritas. Imò, vt Auguſtinus li. Confeſ. ait, *Quædam obſcuriùs in Scripturis ob id dicuntur, vt liceat plures ſenſus venari.* ideò primo loco proſequemur ſenſum B. Hieronymi, atq; Chryſoſtomi, qui ad literam ſine vlla parabola hæc accipiunt. Deinde perſequemur alium ſenſum parabolicum, quem Auguſtinus, atq; alij Patres ſequuntur.

Augu. lib. 11. Confeſſ. c. 19. tom. 1. propè initium.

Quid eſſe hic conſentientem aduerſario ſuo.

Eſto, inquit, *conſentiens*. Græcè dicitur *εὐνοῶν*, id eſt, beneuolus corde; & benignus opere, vt ait Hieronymus, & Ambroſius in Lucam: quia opus eſt concordia vera ex animo, & in opere non ficta. ¶ *Aduerſario tuo.*

Hieron. lib. in Matth. 1. to. 9. Ambroſ. li. 7. in Lucam, c. 21. tom 5.

Aduerſarius, dæmon hoc loco cur nequeat intelligi.

1. Pet. 5.

Non cum dæmone, qui dicitur à Petro aduerſarius noſter: nam & Satanas, aduerſarius interpretatur, qui cum beneuolentiam aut amicitiam habere nullam prorſus debemus, cui ſemel renuntiantes bellum indiximus, & quo victo coronabimur: & quia poſteà dicitur, ne iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris, quod dæmoni magis quadrat.

Qua ratione hoc ad dæmonem trahere nonnulli cõtendant iſte Hieronymo.

Refert hoc loco Hieronymus, quoſdam voluiſſe hæc aptare dæmoni, coactiùs dicentes in baptiſmo ſingulos inijſſe pactum cum dæmone dicendo, *Renuntio tibi, diabole, & pompa tua, & vitijs tuis, & mundo tuo, qui in maligno poſitus eſt.* Si ergo ſeruauerimus pactum beneuoli & conſentientes ſumus aduerſario noſtro, & nequaquam in carcere recludendi. Sin verò quicquam transgreſsi fuerimus eorum quæ diabolo ſpoponderamus, trademur iudici, ac miniſtri, & mittemur in carcerem, & non exibimus eo, donec reddamus nouiſsimum quadrantem.

Impugnatur hic ſenſus aliorum: Eſto conſentiens, id eſt, beneuolus aduerſario tuo diabolo, faciendo eum pœnas pati pro nobis.

Ibidem tradit Hieronym. quoſdam opinatos, vt ſimus beneuoli diabolo, faciendo eum pati pœnas pro nobis. *Cùm enim ipſe* (inquit) *vitiorum incentiua ſuppeditet, & nobis etiam voluntate peccantibus, ſi conſenſerimus ei vitia ſuggerenti, pro nobis quoque eſſe torquendũ, Et dicunt beneuolũ eſſe vnumquemq; ſanctorum aduerſario ſuo, ſi eum non faciat pro ſe ſuſtinere tormenta.* Verùm profectò hæc

dura

dura ac violenta eſt expoſitio, nullusq; habet talem beneuolentiam in aduerſarium in non peccando, ne torqueatur amplius: & dęmon eſt in termino, nec augeri poteſt eius pœna: etſi augeretur ob noua peccata ſatis ei eſſet mala mens & malus animus ad peccandum: nec hic ſenſus cohæret cum his, quæ dicta ſunt de reconciliatione.

Aduerſariũ nec carnem noſtram ſignificare, dupliciter.
Gal. 1.
Infrà 5.
1. Cor. 6.

Deinde per aduerſarium non poteſt intelligi caro noſtra, quæ pugnat & inſurgit in ſpiritum, tùm quia ei non eſt acquieſcendum, vt ait Apoſtol. *Continuò*, inquit, *non acquieui carni, & ſanguini*; & infra, *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, & qui eam in ſeruitutem redigunt, ipſi ei non conſentiunt, ſed eam conſentire ſibi faciũt.* Deinde quomodò mittetur caro in carcerem, ſi anima non conſenſerit, cùm anima & caro pariter concludendi ſint, aut liberandi, nec quicquam poſſit caro efficere quod animus non imperauit?

Minus pro aduerſario noſtro Spiritum ſanctũ accipi poſſe.

Rurſus per aduerſarium nequit intelligi Spiritus ſanctus, qui potius fautor, & paracletus, & pater, & aduocatus noſter eſt, vnde & nomen Paracleti ei conuenit: cui etſi ſit conſentiendum, tamen non tradit Chriſto iudici, quod eſt non valentis per ſe punire: nec eſt ad rem eorũ, quæ ſupradicta ſunt, nec ille propriè nobiſcum eſt viator.

Quis ille aduerſarius noſter, Chryſoſtomo.
Homil. 10. in Matt. tom. 2.

Per aduerſarium igitur intelligit Chryſoſtomus hominem, cui aliquid debeamus, fortè remiſſionem iniuriæ illatæ, & tamen ei parcere nolumus, ipſo veniam poſtulante; aut fortè illum qui iniuriam intulit, nec tamen vult ſatisfacere. Aduerſarius Græcè dicitur ἀντίδικος, quod non abſolutè aduerſarium ſignificat, ſed aduerſarium cauſſæ, ſiue litis.

Illi aduerſario quomodo in via, & cur citò debeamus eſſe cõſentientes.

Præcepit ergo Dominus, vt ſimus in huiuſmodi aduerſarios beneuoli, ſiue parcendo & condonando iniuriam, ſiue ſatisfaciendo illi quem offendimus; idque in via, id eſt, dum ſumus vtrique viatores. Et citò, quia periculum eſt, ne citò diſiunguntur, altero deſinente eſſe viatore. Dicit etiam citò, quia non debet Sol occidere ſuper iracundiam noſtram: & quia hic eſt tempus pœnitendi, & remittendi, & mutuo ſe placandi: nam poſtea etſi maximè velint, non poterunt, quia venit nox, in qua nemo poteſt operari.

Ioan. 9.
Quonã ſenſu dicitur: Ne fortè aduerſarius tradat te iudici.
Matth. 21.

Ne fortè aduerſarius tradat te iudici. Illud. Fortè haud eſt dubitantis, ſi ſenſum ſpectemus; ſicut nec illud: *Ne fortè moriamur*; & alibi: *Verebuntur fortè filium meum.* Dicit ergo, *Ne fortè*, ad naturam liberi arbitrij, quo remittere poteſt, vel læſo ſatisfacere, declarandam: ne fortè ergo finito itinere, aduerſarius tradat te iudici, cui iam reliquit vindictam. Scriptum eſt enim: *Mihi vindictam: & ego retribuam, dicit Dominus.*

Rom. 12.
Deut. 32.
Quę tradant nos iudici.

Hic autem notandum, quod vnus non habet in alium poteſtatem, ſed omnes ſunt ſub Deo immediatè: ideò peccata in eum admiſſa, ipſa ſunt quæ tradunt iudici, iuxta illud: *Nolite putare quia ego accuſaturus ſum vos apud Patrem.* Eſt qui accuſat vos, Moyſes, in quo ſperatis: id eſt, peccata in legem perpetrata, illa ſunt quæ vos tradunt iudici.

Ioan. 5.
Geneſ. 4.
Iacob. 5.

Hinc ſanguis Abel dicitur clamare coram Deo: & in alio loco, *Ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Quo fit, vt metuere habeant Reges & Principes, qui deuorant plebem Dei ſicut eſcam panis.

Pſalm. 13
Iudex ille quiſnam ſit.
Ioan. 5.

Quamobrem iudex hoc loco Chriſtus eſt, cui Pater omne iudicium dedit: & ita per aduerſarium debemus intelligere læſum, & non lædentem, de quo ſuperiùs dixit, Habet aliquid aduerſum te. Deinde ex modo loquendi, aduerſarius innocens eſt, ſaltem in hac cauſſa, atque ita vt Hieronymus ait, confirmatio eſt præcedentis ſententiæ ſuperiori tractatu poſitæ.

Hieronym.

Tertiò, ſi nil deberet lædens, non diceret, Donec reddas nouiſſimum quadrantem, & ſi non deberet aduerſario, aduerſarius non traderet iudici.

Cœlites cur, & quatenus, à Deo peccatorũ vindictam expoſcant.

Beati autem quemadmodum proſunt nobis orando, ita petunt vindictam, quatenus iuſta eſt, ad Dei gloriam & iuſtitiam propalandam. Hinc Apocalypſis 6. dicuntur clamare & dicere, *Vſquequo Domine (ſanctus & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?* Sed non eſt veriſimile illos clamare pro delictis leuioribus; ideò lædens non mittetur in purgatorium; ſed innuit pœnas æternas in alio ſeculo.

Quę ad morem litigantiũ, hic Chriſtus alludere videatur.

Et iudex tradat te miniſtro. Hæc ad literam de litigantibus accipit Chryſoſtom. ex quibus is qui debet per mandatum iudicis terreni, ſiue temporalis, & miniſtri opera mittitur in carcerem, & cogitur integrum debitum ſoluere, & inimico non reconciliatur.

Aduerſario ſuo hic conſentiẽtes quę tria commoda referant, diſſentientes incommoda reportent.

Monet igitur, vt antequam ad litem intendendam accedamus, inuicem reconciliemur, ſoluendo quod debemus, ſine lite enim ſatisfaciens, tria maxima commoda referes, nempè in carcerem non proiicieris, nec ad vltimum mulctæ exactio à te fiet, & inimico reconciliabere: contrà iudicio contendens, & in carcerem detruderis, & nouiſſimum reddere cogeris quadrantem, & ſemper manebis irreconciliatus. Hic ſenſus parum faueret aduocatis, iudicibus, procuratorib.

notariis : ſed certè tales eſſe deberemus. qui his minimè indigeremus. Et ablato peccato, vel ſatisfactione quamprimum exhibita, tollitur de mundo omne tribunal & forum contentioſum : quòd certè cederet ad Dei patris honorem, & Chriſti magiſtri noſtri gloriam, ad vtilitatem conſcientiæ noſtræ, quo vitentur odia & acerbitates animorum, denique ad compendium facultatis, quippè in cauſſa valoris decem, ſæpè etiam ſupra centum expenduntur.

Forũ litigioſum ortum ex peccato: hoc ſublato quanta eueniant bona.

Si verò per iudicem, Chriſtum intelligamus, vt expoſuimus; miniſter eius erit Angelus, vel potiùs dæmon, qui in puniendis criminibus exactor & miniſter Dei eſt, de quo Matth. 22. *Tunc dixit Rex miniſtris : Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Mittit ergo in carcerem, id eſt, locum cuſtodiæ deputatum, in quo ponuntur debitores ſiue peccatores, qui iam ſoluere nequeunt. Et ita denotat locum ſuppliciorum, in quo mira ligatio, & obſcuritas, & reddendi debitum impotentia eſt. ¶ *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Quadrans, moneta Romana, quarta pars aſſis, eſt numulus paruus, quem à quarta parte Plinius vocat triuncium, Cicero teruncium, vt monet Budæus. Continet autem duo æra minuta, vt docet Marcus cap. 12. eſtque exaggeratio quædam, quo indicetur, etiam minimorum debitorum rationem repoſcendam eſſe. Auguſtinus libro 1. De ſermon. Domini in monte, exiſtimat per quadrantem ſignificari peccata terrena, quia quarta pars diſtinctorum membrorum mundi poſt cœlum, aërem & aquam eſt terra, & homini dicitur : *Terra es, & in terram ibis.* Sed hoc myſticum videtur. Ideò melius cum Hieronymo dicemus, per quadrantem ſignificari minima peccata, quæ debita vocantur apud Matthæum cap. 6. & Marc. 9. dicimus enim: *Dimitte nobis debita noſtra.* Similiter accipitur Matthæ. 18. & Lucæ 11. Illud verò, *Donec*, idem eſt ac nunquam. Hinc Auguſtinus: *Vnde enim ſoluitur illud debitum, vbi iam non datur pœnitendi, & correctionis locus?* Sic ille. Quia ergo non eſt charitas ſatisfaciens, nunquam ſoluet: ſicut dicitur, *Donec auferatur luna, Donec ponam inimicos tuos* : &, *Non cognouit, donec peperit.* Non ergo vnquam exiet, quia ſemper ſoluet nouiſſimum quadrantem; quia etiam veniale peccatum in damnato, propter alia mortiſera delicta, ſecundum doctrinam B. Thomæ, in æternum punietur: quia ſine Dei amicitia, non poteſt quis Deo ſatisfacere.

Miniſter quis, & carcer in quem mittitur irreconciliatus. *Matth. 22.*

Quadrans quid hoc verbo: Nõ exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrãtem, quid Dominus ſignificet. *Plin.* *Cic.* *Buda. in Cõment lingua Græca.* *B. Aug. c. 11. in princ.*

Quid quadrans Auguſtino, quid Hieronymo probabilius. *Geneſ 3.* *Matth. 6.* *Marc. 9.* *Matth. 18.* *Luc. 11.*

Illud: Donec reddas nouiſſimum quadrantem, quomodo accipiatur. *Pſalm. 71.* *Pſalm. 109.* *Matth. 1.*

D. Thom. p. 2. q. 87 art. 5. ad 3 & alibi. tom. 11. par. 1.

Sed quoniam veteres Patres hunc locum de purgatorio carcere intellexerunt, vt Tertullianus libro De anima: & Origenes in epiſtol. ad Romanos, ac hom. 35. in Lucam, vbi ait: *Si parum eſt quod peccas, ferieris damno minuti, vt Lucas ſcripſit, vt verò Matthæus, quadrantis. Veruntamen etiam neceſſe eſt hoc ipſum quod extitiſti debitor, ſoluere. Non enim inde exies, niſi & minima quæque perſolueris.* Cyprianus lib. 4. epiſtolarum, epiſtol. 2. ad Antonianum: *Aliud eſt,* inquit, *ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire, aliud miſſum in carcerem, non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem, aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud, pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne, aliud, peccata omnia paſſione purgaſſe: aliud denique pendere diem in iudicii ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari.* Eodem modo exponit Hilarius ſuper Matthæum canon. 4. at Ambroſius ſuper Lucam capite duodecimo pulchrè ait : *Quadrantem autem in balneo dari ſolere reminiſcimur, cuius oblatione vt illic vnuſquiſque lauandi accipit facultatem, ita hic accipit eluendi : quia vniuſcuiuſque peccatum ſupra ſcripta genere conditionis eluitur, cùm tandem exercetur noxius pœnis, vt commiſſi ſupplicia erroris expendat.* Hæc ille, apertè de purgatorio carcere loquens. Ad hæc, hic per quadrantem minima peccata expiabilia, vt docet B. Hieronymus, ac Gloſſa ordinaria, intelligi queunt: quemadmodum ſuperiùs dicebamus de eo, qui dicit Racha, reum fore concilio; & in alio loco de verbo otioſo etiam reddendam rationem in die iudicij : & quia in condonenda iniuria, non ſolùm peccata damnabilia, ſed etiam leuia & venialia accidere poſſunt, quod inſinuat ipſe textus, *Donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Quoniam (inquam) Patres de purgatorio intelligunt locum hunc, & contextus ipſe docet, de peccatis minutis ac leuibus eſſe ſermonem; propterea non eſt arctandus hic locus ad eos, qui ſupplicio æterno, ob mortiferа delicta, in inferno punientur, ſed de carcere in genere, vt varias manſiones, & varios ſinus, pro diuerſitate delictorum & debitorum, habet, eſt accipiendus: ſicuti etiam apud nos non vnica manſione carceres conſtant, ſed variis, pro varietate peccantium, nam aliqui ſtrictius duriusve tractantur, vt quorum cauſſa criminalis eſt, & de ſanguine agitur; alij verò mitiùs, remiſſiusque tractantur, quorum cauſſa leuior exiſtit. Atque ita ſenſus erit, vt tempeſtiuè dum viatores ſumus, ineamus pacem cum his qui nos offenderunt, ne fortè contingat per

Tertul. cap. aduerſus Carpocratis opinionem. *Orig. li. 5. c. 5. epi. ad Rom. procul à med. tom. 2.* *B. Cypr. poſt med.*

Hilarius. *Ambr. lib. 7. in Luc. in hac verba, in fine tom. 5.*

B. Hieron. Gloſſa ordi. Matth. 12.

Carceris nomine non ſolùm infernũ, ſed etiã purgatorium, & alium quempiam expiatorium locũ hic Chriſtũ ſignificaſſe voluiſſe, multis oſtẽditur.

mortem

mortem nos præſentari iudici, qui pro varietate delicti, mittet nos in carcerem vel gehennæ, vnde nunquam datur exitus, cùm non ſimus ſoluendo, charitateque destituamur; vel Purgatorij, vnde non datur egredi, niſi minima peccata quæque purgauerimus prius. Et hunc pulchrum ſenſum tradunt Albertus Magnus, & Caietanus: quem non ſolùm comprobat amplitudo eius & capacitas, quia complectitur omnes modos, quibus cum proximo noſtro conſentimus, & carcerem inferni cum variis manſionibus: item comprehendit vniuerſos miniſtros, namque purgati committuntur Angelis, damnati verò dæmonibus; ſed etiam tollit quæſtionem, quæ ex aduerbio, Donec, agitari ſolet. Nam ſoluentes egredientur tandem; non valentes verò ſoluere, de carcere gehennæ exibunt nunquam. Hæc etiam interpretatio varias Doctorum expoſitiones continet, quæ cùm inuicem non repugnent, ſed mirificè ſibi conſentiant, vna non debet ita admitti, vt altera reiiciatur. Et hæc de priori ſenſu.

Albert. Mag. Caiet.

Alter huius loci aliorum intellectus producitur.

Aug lib. 1. ſerm. Dom. in mont. cap 11. Bernar. infra citandus.

Poteſt & alius eſſe profundior, vt quidam tradunt, & qui priorem ſenſum continet tanquam corticem parabolæ, quemque Auguſtinus, Bernardusque ſequuntur. Quia enim lex Chriſti ſecundùm carnem dura videri poſſit, nihil quippè durius offendenti, quàm pro iniuria offenſo ſatisfacere, illique humiliari; atque ei qui paſſus eſt iniuriam, nil durius, difficiliusque quàm parcere: hinc eſt, quòd Dominus Ieſus videtur conſtitui aduerſarius, non ſolùm talem legem ferendo, ſed etiam ſe in partem eius transferendo, qui huiuſmodi poſtulat à nobis. Ipſe enim eſt, qui dicit offenſo mihi, atque affecto tali iniuria, Condona mihi hanc iniuriam: & ipſe eſt qui dicit offendenti, Satisfacito mihi, tanquam ipſe affectus iniuria ſit, ſicut reuera ipſe eſt in quolibet membro ſuo. Quod illa etiam voce ſignificauit, cùm dixit; *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Vbi ſe iniuria affectum iudicat in ſuis. Nam & ex eo illata in proximum iniuria, peccatum morte æterna dignum efficitur, quia æternus & infinitus Chriſtus in eo contemnitur. Cùm ergo Chriſtus vnus ſit quilibet noſtrum, ſanè euadit in partem, & aduerſarius cuiuſlibet efficitur, repoſcens quod ipſe præſtitit: Eſt autem aduerſarius ſimul & comes in via: quia dum nos ſumus viatores, tanquam comes rogat comiter debitum, nondum durè exigens, ſed dicens: *Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris*; & iterum ad Ieruſalem. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti?* Simus ergo illi conſentientes, & benigni, dum rogat blandè ea quæ pacis ſunt; ne tradat nos iudici, id eſt, ſibi ipſi, cùm viam abſoluerimus, quia tunc iudex erit, & deſinet eſſe comes: erit etiam ſimul iudex, & pars læſa, quemadmodum in ſententia explicabit: *Diſcedite*, inquit, *à me maledicti in ignem æternum, &cæt. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*: quibus in verbis ſe partem offenſam, iudicemque ſimul oſtendit. Hunc autem ſenſum perſequitur Ambroſius in Lucæ 12. cap. & Auguſtinus hoc loco, & alibi ſæpe: vbi docet, Aduerſarium noſtrum eſſe Dei verbum, ſiue ſcripturam quæ aduerſatur omnibus delinquentibus & peccatoribus, & quæ data nobis eſt pro hac via, vt ei tanquam regulæ adaptemur, & conſentiamus vt ſano conſiliario, atque beneuoli illi ſimus vt amico. Si quid autem abſurdum, aut obſcurum ſonare videtur, non inde quis concitet contradictionem certamina, ſed oret vt intelligat; reuerentiam tamen & obedientiam tantæ autoritati exhibendam eſſe meminerit. B. Bernardus ſermon. 85. in Cantica hunc ſenſum ſic explicat: *Legimus*, ait, *verbum in Euangeliis loquens: Eſto conſentiens aduerſario tuo, dum es cum illo in via, ne fortè tradat te iudici, & iudex tortori. Quid conſultius? Verbi conſilium eſt (ni fallor) ſe aduerſarium proteſtantis quod aduerſetur carnalibus deſideriis noſtris, dum dicit, Semper hi errant corde. Tu verò qui hæc audis, ſi pauens cœperis velle fugere à ventura ira; credo ſolicitus eris, quomodo huic conſentias aduerſario, qui tibi illam tam terribiliter intentare videtur. At iſtud impoßibile, niſi diſſentias tecum, niſi tibimet aduerſeris, niſi graui & vigili lucta tu ipſe contra te ipſum infatigabiliter prælieris: poſtremò niſi valefacias inueteratæ conſuetudini, innatæque affectioni. Id quidem durum. Si tuis attemperaueris viribus, tale erit, ac ſi in vno digitorum tuorum torrentis impetum ſiſtere, aut ipſum denuò coneris Iordanem conuertere retrorſum. Quid facies? Quære verbum cui conſentias. Fuge ad illum qui aduerſatur, per quem talis fias, cui iam non aduerſetur, vt blandiatur qui minabatur, & ſit ad immutandum efficacior infuſa gratia, quàm intenſa ira.* Hæc ſanctus ille Pater. Conſentiamus ergo Dei verbo, & liberi erimus ab accuſationibus eius, & à iudicis aſpero verbo, & à perpetuo carcere, quo detinentur rebelles Scripturæ ſacræ. Quòd ſi quid debemus, contendamus hic reddere, & ab horrendo tribunali futuri

Chriſtus qualis ſit aduerſarius noſter & quemadmodum ei conſentire debeamus.

Actor. 9.

Idem quomodo etiam ſit comes noſter in via.

Eſai. 48.

Matth 23.

Luc. 14.

Vt etiam iudex erit poſter, niſi ei cõſentimus.

Matth. 25.

B. Ambr loco ſupradicto. Auguſt. ſer. 1. De verb. Dom. 10 10. init.

B. Bern. ſermon. init.

Pſalm. 94.

Quale ſit, ſuis tantùm viribus vt ait Bernard. proprius velle affectibus aduerſari.

Pſalm. 90.

Conſentientes Dei verbo nobis aduerſãti quid aſſequemur

Hebr 4.

ſeculi confugiamus ad tribunal gratię eius; & ad mite forum pęnitentiæ, in quo Sacerdos mulctam mitem & facilem imponit tanquam iudex loco Chriſti Domini, & ſeueri iudicis, cui cum Patre & Spiritu ſancto ab omni creatura reddatur omnis honos, gloria & imperium in ſempiterna ſecula, Amen.

TRACTATVS XXXVIII.

In illa verba: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te, &c.*

Ratio contextus.

IN huius ſententiæ interpretatione aliquid in primis de ordine dicendum eſt: deinde explicandum quid ſit mœchia: poſtremò quid illud, quod Chriſtus addit de non ſpectanda muliere ad concupiſcentiam. In primis itaque Dominus ſequitur ordinem præceptorum Decalogi, in quo, poſt homicidium, prohibetur adulterium, quod grauiſſima eſt iniuria, & in perſona maximè coniuncta accipitur, & quam homines honoris appetẽtes valde apprehendunt. Deinde, poſtquam Dominus vim animæ iraſcentis compeſcere & moderari docuit, ita nunc ad vim concupiſcentem componendam progreditur, quę poſt peccatum Adæ in homine ſummè fragilis eſt: nam ſi noxia, & pernicioſa infirmi inſta non appetit. Eſtq; valdè difficile eam domare, & compeſcere, ob innatum fomitem: proni enim ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua, & ob tot obiecta, quæ ſenſum alliciunt, & ad ſe trahunt. Poſtquam igitur Dominus virtutem iuſtitiæ in ſuperiori ſententia docuit, nunc tradit virtutem temperantiæ, cuius eſt delectatiores guſtus, & tactus moderari. Hæc de primo.

Geneſ. 8.

Supra 6.

Quid mœchia Græcis.

Circa ſecũdum, męchia, verbũ eſt Græcum, vt quidã volunt, dicta ἀπὸ τοῦ μὴ εἰκὸς ὤν, id eſt, ab eo quod non deceat, ſiue quod indecens ſit; ſignificatque adulterium, ſiue coitionem cum aliena vxore: & per hanc ſpeciem adulterij, in qua Iudæi ferè omnes vxorati poterant peccare omnes actus cõmixtionis corpnrũ extra legitimũ matrimonium, prohiberi teſtatur D. Aug. q. 71. in Exodum, vbi ait, per mœchiam omnem fornicationem interdici, à parte totũ per ſynecdochen; ſicut per furtum intelliguntur prohibita, rapina, ſacrilegium, & vſura; & per deos aureos, & argẽteos, omnia idola, ſiue ęrea, ſiue lignea, ſiue lapidea; eodem modo ſub homicidio prohibito intelligũtur, quæ minora ſunt interdicta, vt percuſſio, membri mutilatio, ac vulnus. Subdit quoq; ibid. Aug. quòd io ſexu perfectiori, id eſt, viro, concupiſcentia fœminæ prohibita, intelligitur prohiberi, fęminam viros concupiſcere. Commixtio autẽ corporũ in matrimonio, quia referri poteſt ad bonũ finem ſuum, qui eſt conſeruatio ſpeciei, & recto ordine, & modo præſtari, minimè peccatum eſt: quia etiam omnia ad generationẽ apta & neceſſaria Deus contulit: non ſunt ergo mala, nec otioſa, nec facta fruſtra. Fœmina enim per ſe ſumpta, tantum eſt ad generatinnem, vnde dicta eſt adiutorium ſimile ſibi, ſcilicet ad gignendum & propagandum; alia autem omnia officia poſſunt à viro præſtari: non ergo facta eſt vt ſeruiat, natura enim vnum facit ad vnũ, & non ad plura, quemadmodum ars, quæ gladium Delphicum ex vna parte acutum ad ſcindendum, ex alia dentes inſtar ſerræ habentem ad ſecandum. Prætereà, Deus matrimonium inſtituit per ſe ipſum, ac in communi pręcepit, ſed non priuatim huic vel illi: ſecus eſt de peculiaribus præceptis, vt de cibo ſumendo, nam ad id illud quiuis obſtringitur. Poſt diluuium etiam nõ ceſſauit præceptum illud: *Creſcite & multiplicamini*, quod initio mundi magis erat neceſſarium. Præter actum ergo matrimonij honeſtum, & reſpicientem finem ſuum qui in conſeruatione ſpeciei, fugaque fornicationis, & concupiſcentiæ ardore minuendo poſitus eſt (cuius meminit Paul. 1. Corinth. 7. non autem meminit finis primi, conſeruandę ſcilicet ſpeciei, qui eo tempore minus intererat) omnes alij actus prohibentur: qui quidem ſunt, ſimplex fornicatio, concubinatus, adulterium, ſtuprum inceſtus, ſacrilegium, raptus, peccatum contra naturam, & mollities.

B. Aug to. 4. Per mœchiã omnes quoque eius ſpecies Dominũ vetuiſſe, Auguſtino teſte.

Hoc verbo, coniugalem copulam minimè prohiberi.

Geneſ. 2.

II. Ratio.

Geneſ. 1. Lex illa diuina: Creſcite & multiplicamini, quã diu ligauerit.

1. Cor. 7.

Eſt autem aduertendum, perperam Bucerum poſt Eraſmum interpretatum fuiſſe, illud: Quicunq; aſpexerit vxorẽ alterius & non ſimpliciter mulierem, vt Græca litera habet, quo fornicationi ſimplici laxarent habenas, adulterium tantùm externum, & internum prohiberi aſſerentes, nõ enim noua hæreſis eſt aſſerentium, ſimplicem fornicationem licitã: & Gręcè γυναῖκα habetur, quę vox ſiue viro nuptiis coniunctã, ſiue viro ſolutã ſignificat: vt calũnioſa fuerit illorum verſio, qui dixerint, Vxorem alterius, cũ ſimpliciter eſſet dicẽdum.

Buceri, Eraſmiq; hæc interpretatio refellitur. Quicunque viderit, vxorem (nõ mulierem) alterius, &c.

Mulie-

mplex for catio quæ à ſit: quod illicita, obatur.

Mulierem, vt textus noſter habet. Eſt autem ſimplex fornicatio, concubitus cum non virgine voluntariè coeunte & ſoluta à matrimonio, ac religione, inter quam, & virum inuicem non eſt quid impediens matrimonium, ſi illud velint inter ſe conciliare, talisque fornicatio eſt cum vidua, vel cum meretrice cognita à pluribus, ac valente contrahere cum tali viro; vel cum concubina, id eſt, cognita ab vno, habente tamen facultatem cum ea cõtrahendi: quæ quidem fornicatio proculdubio lethale eſt delictum, de qua Tobias cap. 4. *Attende tibi, fili mi,* inquit, *ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire:* & Apoſtolus. 1. Cor. 6. neque fornicarios, neque idolis ſeruientes, neque adulteros, neque molles, neq; maſculorum concubitores, regnum Dei poſſeſſuros ſcribit: & ad Galat. 5. inter opera carnis, quæ regno Dei interdicunt hominem, anteſignana conſtituitur fornicatio: & ad Hebr. 13. dicitur: *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus.* Eſt etiam fornicatio, ratione duce, contra charitatem prolis, egentis longo tempore vtroq; parente ad educationem: ad quod opus eſt matrimonio. Et quia non ex quocunq; motu gulæ ſequitur periculum cordis, vel vitæ impedimentũ, quemadmodum ex vno coitu periculum imminet vitæ prolis: ideò ille non ſemper eſt mortiferum delictum, vt iſte. Ad hæc, natura inſtituit corporum commixtionem, vel generationem, propter prolem, & minimè propter delectationem: contra naturæ ergo ordinem facit homo, qui more bruti non apprehendentis prolem, propter delectationem ſolam fœminæ commiſcetur: & haud eſt quod præcipuè intenditur in cõcubinatu. Prætereà natura quærit complementum ſuum in quauis re: quia ergn proles, quam ſpectat, non poteſt per ſe perfici, inclinauit parentes ad agnoſcendam certam prnlem, vt eam educent, & doceant, ac inſtruant, ad quod diuturnitate opus eſt quamobrem & matrimonio.

Tob. 4.
1. Cor. 6.
Galat. 5.
Hebr. vlt.
II. Argum.
III. Argum.
IV. Argum.

Quòd ſi in prædicta obieceris, Act. 15. per Apoſtolos prnhibitam fuiſſe fornicationem, quaſi antè eſſet licita: item quod multi Dei famuli in Veteri Teſtamento, dicuntur habuiſſe cõcubinas; Ad primum reſpondendum eſt, Gentes propter offuſcatum rationis lumen, haud cognouiſſe fornicationem peccatum eſſe, quia cùm eſſet coniunctio viri ſoluti cum muliere libera volente concumbere, & nullam ibi iniuſtitiæ ſpeciem viderent, vix intelligebant vnde poſſet eſſe peccatum: vnde admirabantur Gentiles de caſtitate Chriſtianorum, de qua 1. Petr. 4. dicitur: *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis &c. In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem, blaſphemãtes:* nam ob ſuperbiam permiſſi ſunt obcœcari, vt ait Paulus ad Roman. 1. & ob conſuetudinem ratio erat offuſcata, vt iudicarent ea, quæ conſuetudine vſurpata ſunt, bona eſſe, ac proinde naturæ conſona, & conformia. Principes porrò Chriſtiani non puniunt ſimplicem fornicationem, ob id vt grauioribus delictis vias intercludant, & ne feneſtram aperiant adulteriis, & inceſtibus.

Act. 15.
Simplex fornicatio ſi ſemper fuit illicita, cur illa, ab Apoſtolis fuit interdicta.
1. Pet. 4.
Rom. 1.
Simplex fornicatio cur impunis legibus humanis.

Ad ſecundum de concubinis, dicendum eſt, illas in Scripturis veras fuiſſe vxores, licèt non legitimè ductas nimirum cũ dote, inſtrumentis, & ſolennitate: hinc earum filij in hæreditate paterna minimè ſuccedebant, ſed muneribus tantum afficiebantur, vt habes Gen. 25. atq; initio ne putarẽtur huiuſmodi concubitus, fornicationes, vxores ductæ ſunt. Vnde Gen. 16. Sara dedit Agar viro ſuo vxorem, & Geneſ. 25. Abraham accepit vxorem Cethuram, ac Gen. 30. Rachel Balam dedit in cõiugium Iacob, de qua tamen Gen. 35. dicitur quod Ruben dormiuit cum Bala concubina patris, vt minus appareret crimen. Hinc Iudic. 19. eadem dicitur concubina & vxor cuiuſdam viri Leuitæ; quod ponderans Ambr. lib. 3. offic. cap. 14. *Vir,* inquit, *Leuita acceperat ſibi iugalem (quam à concubitu concubinam appellatam arbitror.)* Ita ille. Filij autem ſecundarum vxorum Iacob, ſucceſſerunt in partibus Terræ promiſſæ, quia Dei non patris erat, atque ita placuit Deo: ſicut etiam voluit, vt Leui filius vxoris principalis, nõ haberet ſortem in Terra promiſſionis, & quòd alij filij concubinarum haberent. Ob id etiam ſolus Iſaac ſucceſſit in hæreditate patris ſui Abraham, quia vltra ea quæ dicta ſunt, Dei voluntas hæc fuit. Dauid quoq; decem concubinas fecit manere in viduitate, vt traditur. 3. Reg. 20. Erant ergo vxores non ſolenniter ductæ: & cum hoc matrimonio ſtabat ſeruitus, vt conſtat de Agar. Gen. cap. 16. nunc autem ducta in vxorem, efficitur libera, vt habetur 32. q. 4. c. *Dicat aliquis.* Eiecit autem Agar propter Dei mandatum, quia aliàs non poterat, vt eſt in 34. diſtinct. c. *Chriſtiani.* & c. *Si quis,* vbi dicitur, licere habere concubinam, id eſt, non canonicè ductam. Idem diſt. 32. quæſt. 4. c. *Nemo ſibi.* Per ſe autem turpius eſt meretricium, quàm concubinatus, quia minus proles intenditur, minus etiam haberi, educariq;

Prioris Teſtamenti Patres Veteris illi, concubinas cur habuere, ſi non poterant fornicari.
Geneſ. 25.
Suprà 16.
Infra 30.
Infrà 35.
Iudic 19.
B. Amb. to. 1.
Iacob filij concubinarum, non autem Leui, cur ſucceſſerunt in hæreditatem.
Geneſ 21. & Infra. 25.
3 Reg 20.
Geneſ 16. & ſeq
Abraham cur eiecerit Agar concubinam ſuam.
Concubinatus quã meretriciũ, cur minus illicitus.

poteſt:

poteſt: concubinatus verò ſimilior exiſtit matrimonio quòd ibi eſt quædam fides cum vna, & procedit magis ex dilectione quàm lucro: meretrix ſiquidem magis eſt auara, quàm intemperans: permanet etiam diuturniori tempore, quanquam per accidens, quia diu durat, & non ex impetu, ſed ex habitu fit, peior eſt concubinatus, vnde leges humanæ talium puniunt proles, ſpoliando eas omni hæreditate, & iure adeundi honores, dignitatesque, quo videlicet homines à deteſtabili arceantur concubitu. Etſi autem vir vellet cum concubina diuturno tempore permanere, id tamen accidens eſt: nam quia non eſt ligatus, poteſt manſio impediri, & prolis educatio: & cum ea cohabitatio, & manſio actum rectum non efficit. Hinc Sap. 4. dicitur: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate*, id eſt, legitima proles: Iniquorum verò illegitimæ ſunt, de quibus ſubdit: Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & adulteriæ plantationes non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt.

Concubinatus meretricio quatenus deterior ſit.

Sap. 4.

Quid caſta generatio cum claritate apud Sapientem.

Sequitur altera ſpecies aperte prohibita, nempe adulterium; quod eſt alieni tori violatio, & dicitur adulterium, quaſi ad alienum torum acceſſio, ſiue ad alteram adulatio, quoniam tales ſe laudant, & mutuo ſibi inuicem adulantur. Et hoc tripliciter contingit: ſiue coniugatus agnoſcat coniungatam; ſiue coniugatus inconiugatam, ſiue inconiugatus coniugatam. Primo igitur modo duplex eſt adulterium, quia ex vtraq; parte delinquitur, & ideo quiſq; grauiùs peccat, nam coniugatus plus peccat cognoſcendo coniugem alterius, quam ſolutam, & liberam. Nam ſi cognoſcat ſolutam, ſoli coniugi ſuæ iniuriam infert: ſi verò coniugatam, non tantum vxori ſuæ præiudicat, ſed & viro vxoris illius quam cognoſcit; quale fuit adulterium Dauidis cū Bethſabee: & capite punitur huiuſmodi delictum in quibuſdam prouinciis ſecundùm leges humanas. Si verò coniugatus inconiugatam agnoſcat, etſi minus peccet, adulterium tamen committit; neq; ſolum ipſe, ſed & mulier, quam cognoſcit, adulterat, quia miſcetur corpus cum coniugato. Tertium genus eſt, quãdo ſolutus commiſcetur coniugatæ, qua in cauſa minus peccat vir, quam mulier: ſicut in priori modo grauiùs vir delinquit, quia vinculo matrimonij eſt conſtrictus, quo mulier eſt libera. Vel ſimpliciter diſtingui poteſt duplex ſpecies adulterij; altera ſimplex, altera compoſita. Prior quidem, cùm vnus eorum qui commiſcentur, ligatus eſt

Quid ſit adulteriū vnde denominetur: quotuplex ſit.

2. Reg. 11.

Adulterium quodnā ſimplex ſit, quod compoſitū

coniugio, poſterior vero, cum vterq; matrimonij lege tenetur. Eſt autem adulterium grauiſſimum peccatum, his de cauſis. Primùm, quia violatur in eo Sacramentum matrimonij, ſaltem ex vnius parte: matrimonium enim, vnionem Chriſti cū Eccleſia inſeparabilem ſignificat in nouo Teſtamento, vt dicitur ad Epheſ. 5. at in veteri Lege licèt non eſſet hac ratione Sacramentum, vt communiter tradunt Doctores, erat tamen contra inſtitutionem Dei, qui in ſtatu innocentię, vnam vni perpetuò coniungi debere inſtituerat. Deinde plus infeſtatur Reſpublica hoc delicto quàm alijs grauioribus: quippe ob amorem coniugum maximè irritantur ciues, vt teſtatur adulterium Helenæ cum Paride, propter quod Troia euerſa fuit: ob quam cauſſam permittit lex humana parentibus, aut maritis perimere inuentos in flagranti crimine. Cùm etiam ex adulterio fiant proles degeneres & ſpuriæ, quibus honores non competunt: hinc fit, vt Reſpublica in honoribus, & dignitatibus diſtribuendis valde imminuatur. Hinc mœcha, etiam in lege naturæ, & apud Gentes pro grandi ſcelere habita eſt, vt conſtat de Sara vxore Abrahæ, in Aegypto ſublata à Pharaone Geneſ. 12. & iterum in Geraris à Rege Abimelech. cap. 20. & Ioſeph ſolicitatus ad crimen adulterij ab vxore domini ſui, noluit acquieſcere operi nefario, ſed dixit ad eā: *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, &c. quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Gen. 39. Ad hæc, maximè peccatur in virum, cuius vxor, quę vna caro cum eo eſt, violatur, atq; ideò in ius naturæ (quod dictat: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*) crimen committitur: hinc Paulus ait: *Qui fornicatur in corpus ſuum peccat*, hoc eſt, in vxorem, cuius caput eſt vir, & qui dominium & poteſtatem habet in corpus vxoris, quemadmodum vxor in corpus viri. Et ita qui ſui corporis poteſtatem alteri tradit, iniurius eſt vxori cui primò tradiderat corpus ſuum: & hoc eſt peccare in proprium corpus, vt exponit Hieronym. ad Amandum. Clemens quoque epiſtol. 1. introducit Petrum dicentem: *Quid in omnibus peccatis adulterio grauius?* Secundum namque in pœnis obtinet locum, hoc eſt in prohibitionibus ſecundæ tabulæ: nam poſt, Non occides, ſequitur, Non mœchaberis. Eſt etiam in virum, quia impeditur bonum prolis ſuę per alienā generationem ex adulterio; quemadmodum etiam per fornicationem proles impeditur. Eſt prætereà contra bonum

Adulteri crimen quàm graue.

Epheſ. 5.

II. Ratio.

III. Ratio.

Geneſ. 12.
Infrà 29.
Infrà 39.

IV. Ratio.

Geneſ. 2.
Tob. 4.
1. Cor. 6.
Infrà 11.

Quid peccare in corpus ſuum, vt ait Apoſtolus.

Hieron. epiſt. 147. tom. 3.
Clem. Rom. non procul à princ.
Exod. 20.

prolis,

prolis, quę ſemper eſt ſpuria & adulterina, periculoque mortis expoſita, vt vel ſuffocetur in vtero, vel poſt partum necetur, vt ſcelus tegatur. Eſt & contra iuſtam educationem eius, quoniam non poſſunt tales legitimè educari à parentibus, cùm adulter diu, vel ſemper nequeat ſimul manere cum adultera.

Quinta ratio ab eius ſcandalis.

Quòd ſi proles ſpuria ſuccedat in bonis; priuat veros hæredes contra omne ius, & iuris æquitatem. Item graue eſt flagitium ratione ſcandalorum. Nam & inde ſequitur cædes, ac extinctio prolis in vtero, vel extra, quo crimen tegatur: ſæpè adulterium committentes, in flagranti crimine interficiuntur; quod etſi lex humana diſſimulet, quę conniuet propter iuſtum zelum, non tamen propterea licitè fit coram Deo: ſępè adulter occidit virum vxoris, vt liberiùs illa frui poſſit, vt Dauid Vriam interfici mandauit; & Herodes Iohannem Baptiſtam adulterium eius increpantem, decollauit.

2. Reg. 11.
Matth. 14.

Vnde Octau. Auguſtus, & M. Antonius inimici.

Amicitia inter Auguſtum Cæſarem, & M. Antonium ſublata eſt, ob commiſſum à M. Antonio adulterium cum Cleopatra, nam Antonio nupſerat Octauia Auguſti ſoror. Sequuntur quoq; ex adulterio odia partis, quæ nouit adulterium, detractiones, blaſphemię, furta, deprædationes, quas facit adultera in gratiam adulteri, & contrà adulter in gratiam adulteræ. Quid enim negabit adultero, cui ſe, & maxima bona ſubiecit?

Sexta ratio, à pœnis adulterij in lege Moyſi conſtitutis.

Leuit. 20.

Quinetiam grauitas iſtius delicti ex pœnis, quibus Deus adulteros, vel adulterorum liberos punire voluit, pẽſanda venit. Prima eſt mors. *Si mœchatus quis fuerit*, inquit Dominus, *cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi ſui, morte moriantur, & mœchus, & adultera.* Hinc legimus Suſannam ductam fuiſſe ad ſupplicium propter imputatum adulterij crimẽ; & Ioan. 8. producta in medium adultera, dixerunt Scribæ & Phariſæi: *Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis.*

Dan. 13.
Ioan. 8.
Leuit. 20.

Cuiuſdam in adulteros dicteria.

Et vt quidam falsè dixit: Si hodie tali pœna plectendæ eſſent adulteræ, ſubuertendi eſſent multi domus parietes, vt lapides plectendis iſtis ſufficerent. Atq; hæc quidem pęna adulterio certo debebatur: nam quæ præſumebantur adulteræ, nec certo poſſet probari adulterium, cogebantur ſumere aquam zelotypiæ, Num. 5. qua epota, quæ verè adulteræ erant, crepabant.

Secunda pœna adulterij.
Deut. 27.
Eccleſ. 41.

Altera pœna, erat maledictio, dicitur enim Deuter. 27. *Maledictus qui dormit cum vxore proximi ſui, & dicet omnis populus, Amen:* & Eccl. 41. *Ne reſpicias mulierem alieni viri, & ne ſcruteris ancillam eius, neque ſteteris ad lectum eius.*

Tertia pęna.
Matth. 5.

Tertia eſt, vxoris repudium, vel expulſio; nam paulò poſt dicitur: *Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari*: vbi fornicatio pro adulterio accipitur.

Quarta pœna.
Sap. 3.

Quarta eſt, dedecus, & ignominia filiorum ſpuriorum: hinc Sapient. 3. eſt ſcriptum: *Filij autem adulterorum in conſummatione erũt, & ab iniquo toro ſemen exterminabitur. Et ſi quidem longa vita erunt, in nihilum computabantur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum*, & cap. 4. *Spuria vitulamina* (pro, adulterinæ plantationes) *nõ dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt*: vt ſuprà produximus; ac infrà: *Ex iniquis enim omnes filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua*, Græcè habetur ἐξ ἀδίκων γὰρ ὕπνων, hoc eſt: ex iniquis enim ſomniis filij, &c.

Infrà 4.
Spuria vitulamina quid apud Salomonem.

Eccleſ. 23.
Ieſu filij Sirach in adulteros grauis inuectiua.

Eccleſ. quoque 23. pulchrè dicitur: *Sic & mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege Altiſsimi incredibilis fuit: & ſecundò virum ſuum dereliquit: tertiò in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi. Hæc in Eccleſiam adducetur, & in filios eius reſpicietur. Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum. Derelinquent in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur*: hoc eſt, peccat in Deum qui prohibuit: peccat & in virum, cuius eſt corpus ſuum: peccat, & in fœdus & promiſſionem in matrimonio factam de fide ſeruanda: peccat & in veros filios atque legitimos, quos ſpoliat hęreditate: poſtremò reddit nomen ſuum, ac genus obſcurum.

Ad adulterij fugam exhortatio.
Geneſ. 39.
Dan. 13.

Fugiant ergo adulterium viri etiam inuitati, exemplo caſtiſſimi Ioſeph Patriarchæ. Fugiant & fœminæ etiam ad illud ſolicitatæ, exemplo Suſannæ, atq; glorioſius ducant (ſi contingat) occumbere, quàm cedere iniquitati: & vtrumque Deus, id eſt, Ioſeph, & Suſannam, liberauit è carcere, & morte.

Geneſ. 40.
Dan. 13.
Matth. 7.
Prouer. 16.

Fugite omnes adulterium, quod eſt via lata perditionis, & via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem.

Adulterij ſimilitudines & proprietates.

Illecebroſa voluptas, blanda Syren, dulce venenum, habet mel in ore, ſel in corde, principio ridet, & aculeum in fine figit. Ignis depaſcens membra, ſerpens latenter mordens, vorago abſorbens, puteus profundus, rete dæmonis, ſouea communis, caligo turbans oculos. In adulterio eſt fornicatio, quia in corpus ſuum peccat: eſt furtum alieni corporis, fractio datæ Fidei, & Sacramenti, violatio templi Dei.

1. Cor. 6.
Prouerb. 6.

Vnde Prouerbiorum 6. dicitur: *Non grandis eſt culpa, quum quis furatus fuerit. Furatur enim vt eſurientem impleat animam, deprehenſus quoque*

Quare qui adulter eſt, iuxta Salomonē, propter cordis inopiam perdet animam ſuam.

reddet ſeptuplum.& omnem ſubſtantiam domus ſua tradet, & liberabit ſe. Qui autem adulter eſt,propter cordis inopiam perdet animam ſuam. Expende verbum illud: *Propter cordis inopiam perdet animam ſuam*, nempè propter defectum ſapientiæ, quæ eſt in corde, vel ob defectum fortitudinis in reſiſtēdo; vel bonitatis, & iuſtitiæ, quæ in corde ſita eſt, iuxta illud: *Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor.* Eſt autē hic voluptatis,& concupiſcentiæ ſenſus tam tenax, & glutinoſus, vt Homerus eum eleganti commento expreſſerit de ſociis Vlyſſis, qui cùm de Lotho guſtaſſent, non niſi flagellis coacti voluerunt redire in nauim, Odyſſ. 9. quo ſapiens Poëta ſignificauit, quàm difficile ſit, eos qui de turpium voluptatum ſapore guſtauerint, ad iuſtitiæ vitam reuocari. Non eſt animus perſequi cæteras ſpecies mœchiæ ſuperius propoſitas; quòd illæ longiorem requirant tractatum.

Oſea 4.

Venereæ voluptatis inſatiabilem appetitum quomodo expreſſerit Homerus.

Quid præcepto legis, nō mœchandi Chriſtus addiderit ſecūdum aliquos ſed ineptè.

Iam tertio dubio propoſito eſt ſatis faciendum, quid ſcilicet ſit illud, quod Chriſtus huic præcepto non mœchandi, de integro addidit: nam in lege etiā prohibetur concupiſcentia vxoris alienæ, vel ancillæ, in nono præcepto. Sed ad hoc reſpondent quidam, Dominum nono præcepto prohibuiſſe non tam mentis deſiderium cōcumbendi cum ea, quàm vxorem auferendi, & quaſi ſua abutendi, ſignaque externa huius concupiſcentiæ. Vnde in Talmudicis ſuis documentis Iudæi habent, cōgreſſum cum vxore alterius, citra ſeminationem tamen, peccatum non eſſe. Tam enim craſſi erant, & hebetes, vt neque contactum, neq; complexum, neque oſcula impudica, peccatum eſſe exiſtimarent, niſi adeſſet operis ipſius carnis perpetratio atque perfectio. Et huic ſenſui aiunt literam Hebræam impensè fauere. Vel, etſi putarent interiorem vetitam eſſe, non tamen putauerunt hominem mœchiæ, vel fornicationis crimen incurrere: maximè cùm diuerſa eſſent Decalogi præcepta: *Non mœchaberis, & non concupiſces, &c.* Verùm enim verò, quicquid ſit de illa interpretatione, ibi tantùm prohibetur cōcupiſcentia vxoris alienæ, aut ancillæ, ac concubinę; hic verò à Domino ſimpliciter prohibetur cuiuſcunq; mulieris, vel ſolutæ, vel ligatæ appetitio. Sed & contra hoc poſſet obiici, quòd Scriptura prohibeat concupiſcentiam cuiuſcunq; mulieris, vel viri: *Auerte*, inquit Sapiens, *faciem tuam à muliere compta*, & alibi: *Nō reſpicias in mulierum ſpeciem, & non concupiſcas mulierem in ſpecie.* & Sara Tobiæ vxor dixit: *Tu ſcis, Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia;*

Exod. 20.

In Lege Veteri pręceptū non concupiſcendi aliquam mulierem, apertiſſimè contineri.

Eccleſ. 9.

Infrà 21.

Tob. 3.

& Dauid: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde.* Dicendum ergo videtur, vt ſupra monuimus ex doctrina Beati Auguſtini, Dominum nihil hic noui addere, ſed duplicem olim legem extitiſſe, nempe illam literalem Moyſis, & ſpiritalem Chriſti: atque illa quidem Moyſi cùm ſit externa, & politica, tantùm iudicia atque cerimonias, quæ in externis officiis ſitæ ſunt, per ſe curat, illorumque abuſus prohibet: at moralia ad legem naturæ ſpectant. Si quæ ergo olim Spiritualia præcipiebantur, ad legem Chriſti pertinebant, vt promiſſiones venturi Meſſiæ; fides in eum, & præceptum dilectionis poſitum in Deuteronomio, & verbum fidei, quod vocat Apoſtolus. Etſi enim hæc legi illi immixta eſſent, non tamen Moyſis erant, ſed Euangelij: & hæc ſunt, quæ hic Chriſtus tanquam ſua explicādo adiungit. Atq; ex hoc loco in primis conuincitur error Iudæorum, & Ioſephi libr. 12. Antiquitat. capite 13. putantium, peccatum in internis non poſſe conſiſtere: quos ſatis conuincere poterat Scriptura, ſi animum aduertiſſent. Nam quid aliud eſt: *Non concupiſces*, & illud: *Auferte malum cogitationum veſtrarum.* &, *Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* niſi ſuis falſis gloſſis, ac interpretationibus obſcuraſſent illa. Ariſtoteles etiam vel ipſo lumine naturæ cognouit, iracundiam, odium & inuidiam, peccata exiſtere. Ad hæc, cùm peccatum non ſit plantarum, vel animalium, ſed tantummodò hominis proprium; ſecundùm ergo intellectum & voluntatem ei conuenit, quæ ſunt tantùm propria homini, quatenus homo eſt, non ſecundùm ſenſum, in quo etiam cum brutis conuenit. Præterea, ſpiritus, ſiue boni, ſiue mali, cùm corpore careant, peccare minimè poſſent. His accedit, quòd externa per ſe ipſa peccata non ſunt, quia ſi eſſent per ſe ipſa, ſemper eſſent: ſed eatenus peccata dici poſſunt, quatenus de internis participant. Vt enim Chriſtus dixit: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c. Hæc ſunt quæ coinquinant hominem:* & externa ipſa arguunt interna eſſe aut magis aut minus intenſa in malo. Oſtenditur deinde excellentia legis Euangelicæ ſuprà politicam legem Moyſi, vel ſupra quamcunque aliam ciuilem: quia cùm lex politica pro fine habeat pacem ciuium, & rerum temporaliū affluentiam: propterea hominem ſecundùm ſe non conſiderat, ſed quatenus alteri communicat, vt illi non noceat, ſed iuuet potiùs: quod non fit ſola voluntate huma-

Pſalm. 23.

Altera ſolutio Auguſtini longe præſtantior.

Aug. c. 12. Li. de ſer. Dom. in Monte.

Deut. 6.

Rom. 10.

Interna etiā, non ſolū externa, peccata prohiberi contra Iudæos.

Ioſep. Iudam.

Exod. 20.

Rom. 7.

Eſai. 1.

Ierem. 4.

Philoſ. lib. 4. Ethic. & alibi tom 3.

1 L. Argum.

Tertium, & quartum argumentum.

Matth. 15.

Quintum argum. à præſtantia legis Euangelicæ ſupra leges alias omnes.

na, ſed opus eſt facto. Hinc externa tãtùm probibet & punit, vt homicidium, adulterium, furtum: odium autem aut concupiſcentiam mœchandi, & furandi, aut hæreſim intus conceptam, cùm minimè officiant fini politico, aut repugnent, non punit.

Ad illud reſpondetur: Leges humanæ actus vitiorum internos non puniũt, quia illos ignorant.

Nec refert, quòd lex politica internos actus ignoret: quia etiamſi noſſet, erraret, ſi puniret illos, quia excederet genus artis ſuæ, id eſt, bonum politicum, quemadmodum erraret oculus volens videre harmonias, & Geometra de magnitudine, vt motui ſubiicitur, tractare inſtituens. Vnde tametſi lex politica in foro conſcientię obliget, & Deus punire debeat, interna tamen nequaquam puniret, quia non ſunt contra ſuam legem. Quamobrem lex Moyſi cùm ſit ciuilis, delictis cordis pœnam non indixit, atque ob dicta eſt prohibere manum, non animum.

Naturalis quis, & Euangelicæ, legũ finis. Prnot illa cur pœnas minimè habeat annexas

Quia tamen finis legis naturalis & Euangelicæ, eſt ſimpliciter bonum hominis: propterea, quicquid repugnat veritati, peccatum eſt in ſe, & in illas leges; quare interna flagitia maximè vetat ac punit. In tranſgreſſores autem præceptorum Legis naturæ, pœna indiſtinctè non apponitur, ſicut in cæremoniarum & iudiciorũ violatores, quia illa ſunt omnium Gentium, quibus non competit eadem pœna.

II. Ratio.

Deinde pęna infligi debet per iudicem, vel executorem legis: lex autem naturalis eſt etiam ad eos, qui non habuerunt, vel habebunt aliquem ſuperiorem, & iudicem.

Tertia, & quarta.

Ad hæc, lex naturæ, non tantùm exteriorum regula eſt, ſed etiam interiorum: at hæc, homini nota non ſunt, ideò fruſtrà taxaretur pœna. Homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.

1. Reg. 16.

Poſtremò, pęna naturaliter non cognoſcitur, ſed imponitur ab aliquo iudice vel legiſlatore. Lex autem naturæ indita eſt, non ab aliquo, vt talis eſt, data: deberi ergo pœnam tranſgreſſoribus legis, ex naturali notum eſt. Ignorat tamen qualis illa ſit, quia id non deducitur apertè ex principiis rationis practicæ.

Lex naturæ quænam ſit. Eius tranſgreſſores quatenus puniendi.

Nam lex naturæ quid eſt aliud, quàm determinatio iuſti & debiti, ad agendum vel cauendum ſecundùm rationem practicam? Pro tranſgreſſione igitur legis naturalis per ſe, non conſtituitur vlla determinata pœna. Si tamen præcepta legis naturæ, efficiantur tanquam præcepta alicuius legis poſitiuæ, legiſlator poteſt eis taxare pœnam.

Chriſti lex cur puniat tranſgreſſores ſuos.

Lex autem Chriſti poſitiua eſt, quia ab eo data; atque ideò potuit in ſimilibus præceptis legis naturæ taxare aliquam determinatam pœnam, quæ tamen propriè non eſſet ex vi legis naturæ, ſed ex legiſlatore. Peccabant ergo Iudęi circa interna, quanquàm lex ea propriè nec prohiberet, nec puniret: ſed quia erant ſubditi lege naturæ, quæ ore Dei (præterquã quòd erat indita & impreſſa cordi) in monte Sina eis eſt promulgata.

Exod. 19 & 20 & ſeq.

Iudæi per internam concupiſcẽtiam quomodò peccarent, cũ lex illam minimè prohiberet.

Volentes etiam agere contra cærimonias & iudicia, peccabant, quia illa voluntas contra legem naturæ erat: ſicut etiam peccantes contra legem politicam, in legem naturæ, præcipientem obedire legi poſitiuæ, agunt. Eſt autem mortiferum delictum, agere in legem poſitiuam, non ſemper, ſed quando omittitur iuſtum aliquid, quod ratio dictaret eſſe faciendum; vel quando admittitur aliquid iniuſtum, quod non eſſe admittendùm præſcriberet ratio.

Præceptum etiam non mœchandi in quo nobis Chriſtus tradiderit explicatius.

Tertiò, habetur ex hoc textu declaratio legis, quantum ad mulierem, non tantùm vxorem alterius, & à fortiori quantum ad marem, quem appeteret mulier; ſimiliter etiam actus externos præparantes ad libidinem, vt ſunt viſus, verba, oſcula, & tactus quicunque modò ex libidinis conſenſu oriantur, (qui omnes nomine impudicitiæ deſignantur) vitioſos eſſe, atque prohibitos, & eiuſdem ſpeciei cum actu carnis, ad quem referuntur.

Matth. 1.

Chriſti pudicitia: eiuſdẽ autoritas, & poteſtas quanta.

Idcircò põdera verba: *Ego autem*, Qui puritas ſum, & purus virgo natus de pura virgine; & ideò prius exigo cordis munditiam ante illam corporis. *Dico vobis*, hoc eſt, pręcipiendo declaro, qui Dominus ſum, & ipſe prior hanc legem obſeruo, & omnibus volentibus obedire, abundantem gratiam impartior, quo eam præſtare valeãt, quemadmodùm Paulo à ſtimulo carnis colaphizato dixit; *Sufficit tibi gratia mea.*

2. Cor. 12.

Ego etiam, qui obſeruantes remunero, & qui tanquam iudex pœna afficere, & mulctare tranſgreſſores paratus ſum.

Herculis illius Græcorum celeberrimi prodigioſa libido. Refert hoc Alex. Cle. in oratione contra Gentes, tom. 1. initio.

Præſtantes Græcorũ oratores adoleſcentes ad pręclara inuitare volẽtes facinora, Herculem ac Theſeum, atque huius farinæ homines proponebant; qui inter cætera pręclarè facta, rapiendis fœminis erant famoſiſſimi: ex quibus cùm Hercules duodecim ærumnis à Poëtis celeberrimus habeatur, mirum eſt cur tertium decimum facinus non adiecerint, quòd ſcilicet quinquaginta Theſei cuiuſdam filias vna nocte grauidas fecerit. Rem profectò memorãdam, & quæ ad hominum inuitandam laſciuiam eſſet idonea.

Iouis impudicitia multiformis. Clem. Rom.

Quid Iupiter ille ſupremus pater hominumq;, deumq;? nõne orbem terrarum adulteriis, & rapinis virginum impleuit? cuius inceſtas commixtiones, & adulteria penè innumera refert Clemens li. 10. Recognitionum. Nobis verò Chriſtus pudiciſſimus, & omnis caſtitatis amator, leges ſuo exemplo, & verbo ſanciuit.

Illud: Qui viderit mulierem ad concupiſcẽdum eam, &cæt. quem ſenſum habeat.

Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, id eſt, ex deſiderio explendi veneream concupiſcentiam aſpexerit. Vbi prohibetur non viſus fortuitus, oblataque videns ſine neceſſitate, vel etiam quandnque neceſſarius, ſed aſpectus libidinoſus ex conſenſu rationis deliberatæ in actum, vel in delectationem; quia vtrunq; eſt mortiferum, & ſimiliter periculoſum; & periculoſior eſt tactus: quippe vulnus grauius eſt ex propinquo loco acceptum, quàm ex lõginquo. Vtaque cupiditas lethalis eſt, tam illa delectationis venereæ ſine applicatione ad aliquam in particulari, quàm appetitus huius fœminæ, qui vulgò appellari ſolet amor: ſuntque hæ cupiditates duo affectus. Luxuria autem in actu tantùm conſiſtit, & dicitur à luxu, id eſt, ſolutione: quia delectatio venerea maximè ſoluit à ratione hominem, atq; eneruat. Vt enim illa ſuperior ſentẽtia: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, &cæt.* non poteſt accipi de omni ira, ſed de ira perfecta & deliberata; ita etiã hoc Chriſti dictum non de omni cõcupiſcentia, ſed de ea tantùm, cui conſenſus accedit, accipiendum eſt, id eſt, quæ deliberata ſit, affectata, atq; adeò procurata. Auguſtin. ponderat non eſſe dictum; Omnis qui concupierit mulierem; ſed, *Omnis qui viderit ad concupiſcendum eam*, id eſt, hoc fine, & hoc animo attenderit, vt eã concupiſcat. Quod iam nõ eſt titillari delectatione carnis, ſed plenè conſentire libidini, ita vt non refrænetur illicitus appetitus, ſed ſi facultas data fuerit, ſatietur. *Nam tria ſunt*, inquit, *quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, & conſenſione, expreſſis in primo Adæ peccato. Suggeſtio enim tanquam ſerpens, per corporis ſenſus ſecretò, blandeque illabitur, & ſolicitat appetitum: appetitus autem carnalis tanquam Heua ſolicitat rationem tanquam virum, vt ſecum fruatur, non quod ſuggeſtio offert. Cui ſi conſentiat ratio tanquam Adam, iam in corde peccatum patratum eſt. Quibus peractis, tanquam de paradiſo, hoc eſt, beatiſſima luce iuſtitia in mortem homo expellitur.* Hæc ferè Auguſtinus.

Luxuria vnde dicatur: quàm ſit pernicioſa.

Matth. 5.

Aug lib. 1. de ſermo. Dom. in monte, cap. 23. tom. 4. circa finem.

Peccatum tribus impletur, ſecundũ Auguſtin.

Geneſ. 4.

Chriſt⁹ aſpectum mulieris impudicũ prohibendo, quæ etiam ſimul prohibuiſſe cenſendus ſit.

Quod verò de viſu Dominus dixit, tanquam de notiore, & vnde vt plurimum naſci primò ſolet in animo concupiſcentia, hoc idem & de aliis ſenſibus iudicandum eſt. Nam qui tetigerit mulierem, aut audierit, aut etiam abſens de ea cogitauerit, vt eam concupiſcat, iam adulterium cum ea perpetrauit, ſi non in corpore, in corde tamen ſuo, coramque Deo, qui ſcrutatur corda, & renes, etſi nondum coram hominibus: & male conuerſum eſt à quiquſdam, Qui viderit vxorem alterius: quia alterius nuſquam eſt in Græcis, vel in Latinis, & nemo peccat appetendo propriam vxorem homo: ſed alienam quacunq; ratione, & licèt γυνὴ, & vxorem, & mulierem ſignificet, loci tamen habenda ratio eſt, vt interpretatio rei congruat: & præſtat vertere mulierem potiùs, quàm vxorem, ne prauis fornicandi occaſio præbeatur: omnis enim vxor mulier eſt, non è contrario, & Lutherani iam fornicationem peccatum eſſe non ducunt.

Pſalm. 7. & 2. Paral. 28. & Ierem. 11. & 17. & 20.

Quid mœchari mulierem in corde ſuo: mœchia quàm turpis & pernicioſa.

Iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. id eſt, adulterium ſpirituale cõmiſit cum ea, Deo ſpectante, & Angelis eius, etſi hominibus ſit ignotum: in quo ſeparauit à Deo ſponſo legitimo cor ſuum, & præcipuũ eius templum, hoc eſt, corpus polluit, ſecundarium eius templum, hoc eſt, membra Chriſti, quę facit eſſe membra meretricis: & concepit ex alieno viro prolem ſpuriam, quam ſuo tempore edet in lucem, iuxta illud: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem:* dedecorauitque, quod ad ſe attinet, totam familiam ſuam, Deum nempe parentem, & Angelos: Ipſius enim & genus ſumus, vt ex Ethnico quodam allegat Apoſtolus. Atque ita violat fidem in Baptiſmo promiſſam: non tantùm enim peccamus in Deum, & coram Deo ſpectante, ſed etiam intra Deum exiſtentes, quia in ipſo viuimus, mouemur & ſumus: quemadmodum peccãs in Principem, coram Principe, & Principis in domo. Neq; hoc tantũ à Chriſto nobis explicatum eſt, ſed etiam ab Ethnicis olim fuit intellectum, vt quidam eorum dixerit:

1. Cor. 6.

Pſalm. 7.

Actor. 17.

Aratus Poet.

Ibidem.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet.

Iuuen. Sat. 13. circa fin.

Oculum nobis dextrum nos ſcandalizante, cur iubeat Chriſtus eruere.

Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te. Quoniam dixerat: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam.* Atq; homo poſt caſum Adę implicitus eſt mille ſcandalis; docet Dominus fugere occaſionem ruinæ, quæ maximè impendet ab oculis. Nam ita Heua ſpectando lignum pulchrum, & ad veſcendum ſuaue, prolapſa eſt: & Sichem videndo Dinam filiam Iacob, ad raptum, & deflorationem eius progreſſus eſt: & vxor Putiphar eunuchi Pharaonis iniecit oculos in caſtrum Ioſeph, & de ſtupro interpellauit eum: ſed non obtinuit, ſicut nec ſeniores petulantiſſimi illi à pudiciſſima Suſanna quicquam obtinuerunt. Dauid etiam ſpectans Bethſabee lauantem ſe in ſolario, in adulterium, & homicidium ſimul incidit. Et vt quidam Ethnicus dixit:

Geneſ. 3.

Infra. 34.

Infrà 39.

Dan. 13. & ſeq.

2. Reg. 11.

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

De oculis quidã mundi ſapiens quid ſenſerit.

ira ſunt duces in omni ſcelere. Propterea Dominus pulchrè ait: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te; erue eum, & proijce eum abs te:*

docens

Ea metaphora quid Chriſtus nobis indicare voluerit.

docens non tam ad literam, quàm per metaphoram, ſiue parabolicè omnem anſam, & occaſionem ruinæ effugere. In qua fuga fidem, amorem, & obedientiam erga Chriſtum declaramus: præterea fortitudinem, & iuſtitiam: quia iuſtum eſt, Deum, & animam præponere omnibus. Eſt ergo huius loci primus ſenſus, vt omnia corporis mẽbra, ſenſusq́ue, ſi ad peccatum ducant, licèt chara, & pretioſa, ad cognitionem, vt oculus dexter; & ad actionẽ, vt manus, & maximè dextera, quę magis eſt dilecta, abſcindamus. Nam in oculo & manu dextera magis viget virtus, vtiliorque eſt ad pugnam, Siniſter enim oculus clypeo operitur, in quo tenendo manus ſiniſtra occupatur: oculo autẽ dextro, & manu dextera, & ſpectamus hoſtem, & pugnamus. Vnde 1. Reg. 11. ait Naas Ammonites: *In hoc feriã vobiſcũ fœdus, vt eruam omnium oculos veſtros dextros, ponamq́, vos opprobrium in vniuerſo Iſrael.* Nõ eſt autem ſenſus, vt oculi dextri fiat abſciſſio, vel ſenſus ſpoliatio alicuius: nã qui ſic vel pietatis ſtudio membrum abſcinderet, in autorem naturæ, quaſi malè illam inſtituiſſet, delinqueret. Membra enim per ſe mala non ſunt, nec ad pietatem obſtaculo ſunt: nec minùs ſiniſter oculus, vel manus ſiniſtra ſcãdalizat, quàm dexter oculus, vel manus dextera. Inferret quoque iniuriam Chriſto, qui nos ſuo ſanguine emit; & Spiritui S. cui corpora noſtra, ac mẽbra templum præſtant; ac ſpeciei humanæ, quam dehoneſtat, & deturpat. In politiam peccaret etiam, quam parte aliqua defraudat; & in ipſa membra, quę ſuapte natura ſunt innocentia, vt diximus: nam peccatum eſt in voluntate. Manetq́; concupiſcentia: & cõmodus, & naturalis inter alios modus eam ſedandi, eſt matrimonium. Et præſumitur talis in alios ferus & crudelis futurus: efficiturq́; irregularis ſecundùm Eccleſiæ cãnones. Abſciſſio ergo oculi, vel manus non eſt aliud, quàm coërcere abuſum ſenſuum, vel membrorum, dareq́; operam, ne mors per feneſtras intret: nam oculi deprædantur animam. Hinc Petrus apud Clemẽtem lib. Recognitionum egregiè hæc verba interpretatur: *Doceamus autẽ ſenſus noſtros corporales, qui extrinſecus ſunt, ſeruire interioribus ſenſibus: & nõ interiores ſenſus, qui quæ Dei ſunt, ſapiunt. Propter hoc enim & Dominus mandatum dedit, dicens: Quicunq́, viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Et his addidit: Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & abijce abs te: expedit enim tibi, vt vnum membrorũ tuorũ pereat, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis. Non dixit, Scãdalizauit te, vt poſteaquam peccaueris, tunc abijcias cauſam peccati: ſed ſi ſcandalizat te, hoc eſt, vt antequam pecces, cauſam peccati prouocantis te, & irritantis abſcindas. Ne quis autem veſtrum putet, fratres, quòd membrorum amputationem mandauerit Dominus; propoſitum in hoc vult reſecari, non membra, & cauſas, quæ ad peccandum illiciunt, quo cogitatio veſtra aſpectus vehiculo ſubuecta, ad amorem Dei ſenſibus corporeis inuiſa contendat. Nec carnalibus oculis, velut laſciuientibus equis, & extra mandatorum viam currum declinare cupientibus, relaxet fræna, & habenas indulgeat: ſed reuocet aſpectum corporis ad arbitrium mentis, & oculos noſtros, quos Deus operis ſui inſpectores eſſe voluit, & teſtes, non patiatur fieri lenones mali deſiderij.* Sic eo loco Petrus.

Dexter nobis oculus & manus cur potiùs abſcindenda quàm ſiniſtra.

1. Reg. 11.

Eius loci proprius & literalis refellitur intellectus quorundam.

Propriorum abſciſſio mẽbrorum quã iniqua: eius pœna.

1. Cor. 6.

Supra 3.

Ierem. 9.

Thren c.

Clem Rom. lib. 7 Recogn. propè finem.

Senſus noſtri corporales, non autẽ interni, cur docendi, vt Petrus docet.

Matth. 5.

Idẽ Apoſtolus expendit à Domino dictum: Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat, non autem ſcandalizauit te.

Oculos cur Deus dederit.

Significatur etiam, quia hæc chara ſunt, & vtilia ad cognitionem, & opera: adeò tamen contẽnenda, vt propinquorum amor immoderatus à recta cognitione, & opere non impediat. Ad hæc, quiuis conſiliarius malus, & adiutor in his quæ Dei ſunt, oculus eſt dexter, & manus dextera. Nam ſi ille conſilium præbet in diuinis, vel in ſpiritualibus ſit nobis coadiutor, & poſteà in aliquam hæreſim incidat, vel impietatis alicuius nobis ſit autor; abſcindendus eſt. Similiter oculus ſiniſter conſiliarius eſt nobis in rebus terrenis, vt manus ſiniſtra curator rerum noſtrarum temporalium, vt exponit Auguſtin. à fortiori ſunt reſecanda nobis, ſi ſalutis viam præcludant, & impediant. Itaq; ſeruus videns, & curãs bona tãquam proprius oculus, & manus, abſcindendus eſt: ſimiliter rationis prauum indicium, & voluntatis malus conſenſus, tanquam oculus, vel manus ſcandalizans, abſcindenda ſunt, ſicut quoduis opus bonum pertinens ad intellectum, & ad opus, vt docere, confeſſiones audire, conſilium, vel eleëmoſynas dare. Quæ omnia vitanda ſunt, ſi cum detrimento conſcientiæ fiant.

Altera illorũ Domini verborum allegoria.

Siniſtrũ oculũ, & manum quomodo abſcindem⁹, & à nobis proiiciemus, ſi nos ſcandalizent.

Aug. lib 1. de ſerm. Dom. in monte, c 24. tom. 4. circa finem.

Cogitent ergo, qui domi alunt ſcorta & concubinas, negantes ſe illis poſſe carere, atq; ſine illis viuere, non tantùm ob carnis imbecillitatem, vt interpretantur, verùm etiam propter rem familiarem, quam vtiliter adminiſtrant, quàm vanas excuſationes obtendant. Alij alias cauſas producũt, nempe vt vitatis ſecũdis nuptiis, ex primo matrimonio liberos ditent, & ſimiles alias. Rupertus Tuitienſis de propria cuiusque vxore interpretatur, quæ ſi ſit tam impia, vt nolit tibi cohabitare, niſi relicto Deo, ipſius impietatem ſequaris, dimittẽda potiùs eſt, quàm cum animæ tuæ diſpẽdio retinẽda, etiam ſi maximè ſit pulchra, & honeſta facie prædita. Nam vt dicitur à Salomone, *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo:*

Scortatores, & concubinarij quid ſalubriter cogitent, ſi ſapere velint.

Rupet. Tuit. in Matt. li 5.

Alij quam aliam in propoſitis Chriſti verbis allegoriam agnoſcant.

Prouer. 31.

Supra 12.

mulier timens Deum, ipſa laudabitur. Et in alio loco: *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra, & fatua*, hoc eſt: Quemadmodum ſus circulum aureum luto immergit, illumq́; contaminat; ita mulier fatua ad ſuum ipſius, & aliorum perditionem abutitur pulchritudine. Fuga igitur conflictus luxuriæ vitandus eſt, quemadmodum Ioſeph ſuo exemplo nos docuit. Nam luxuria, ignis quidam eſt, quem homo velut fœnum, & ſtipula non meliùs euadit, quàm ſi ſe ab eo longè ſubducat, ne fortè ignis huius Babylonici contactu totus exardeſcat, & pereat. Audiamus ergo tam ſalutaria Chriſti documenta, eiusq́ue conſiliis per omnia auſcultemus, ne totum corpus noſtrum pereat, & mittatur in gehennam: ſed potiùs integer ſpiritus, & anima, & corpus ſine querela ſeruetur in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto ſemper viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Illud Sapientis: Circulus aureus in naribꝰ ſuis, mulier pulchra & fatua quid ſignificet.

Geneſ. 39.

Luxuria cur potiùs fugiēdo vincēda, quàm cū ea dimicanda.

1 Theſſ. 5.

TRACTATVS XXXIX.

In illa verba: *Dictum eſt autem, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.*

Propoſiti loci difficultas.

AD huius ſententiæ ſeriem, & magis accuratam explicationem (nam profectò in loco longè difficillimo, obſcuriſſimoq́; explicando verſamur, in quo non tantùm Catholici ab hæreticis, ſed etiam ipſi Catholici inter ſe grauiter diſſentiunt, atq; digladiantur) præmittenda ſunt tria, nimirum ordinis ratio ad præcedentia; tùm ea quæ in lege fiebant: dehiq; quid ſit illud quod Dominus in Euangelio circa hunc articulum de repudianda vxore, de integro inſtituit.

De ſerie.

Quod ad primum igitur attinet, cùm ſuperiori lege docuiſſet, alienam non eſſe concupiſcendam vxorem; iam docet, propriam vxorem non dimittendam: in qua dimiſſione aliud ſubeſſe declarat mœchiæ genus, Scribis ac Phariſæis parum cognitum, atque perſpectum: eo quod dicitur, παρεκτὸς λόγυ πορνείας, *Excepta cauſa fornicationis, vel adulterij*, malè verſum eſt ab Eraſmo, *Excepta cauſa ſtupri.* Eſt enim ſtuprum propriè de violatis virginibus, & maſculis & matronis; adulterium verò quaſi alterius tori violatio, de coniugibus, vt inceſtus de cognatis, & affinibus. Stuprum verò κοράσις, vel διοκοράσις vocatur.

Prima lex quænam Iudæis data de diuortio.

Deut. 24.

Circa ſecundum, in Lege duo fieri ſolita erant: alterū eſt, quòd viro promittebatur repudium vxoris, nō tantùm communem habitationem, vel torū ſeparare, ſed etiam vinculum ipſum diſſoluere, etiā poſt conſummatum matrimonium cū ea. Nam dimiſſæ vxori licitum erat aliū virum d..cere. Atq; hoc quidem, vti declarauit Dominus Matth. 19. permiſſum eis erat ad duritiam cordis eorum. Secundum verò Domini præceptū erat, vt vir dimittens, vxori daret libellū repudij: quod Deut. 24. his verbis mandatur: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam* (cuius verbi loco Hebraicè dicitur: *& coiecerit cum ea*) *& non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimitt[…]eā de domo ſua. Quumq́; egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoq; oderit eam, dederitq́; ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorem: quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino.* Hæc ibi. Libellus repudij, qui Hebraicè dicitur Sepher Cherithuth, hoc eſt, liber ſucciſionis, quia ſucciditur copulatorū coniunctio; & Græcè dicitur βίβλος ἀποςασίυ, ſcheda quędam erat, ſiue Scriptura, quā maritus vxori dimittēdæ porrigere debebat, & tradere in manus eius, hoc eſt, ad fauorem eius, in ſignum libertatis, vt poſſet nubere, cùm vellet: quod repudium dare, ad ſolum virum ſpectabat, non ad mulierem: ideò vitium eius non continebat, ſed quòd nubere alteri ſine adulterio poſſet: & reſtituebatur dos, & pars bonorū, quæ per illam acquiſita erat. Diciturq́ue modò ab Hebræis libellus repudij, Ghet, hoc eſt, teſtis, quòd eſſet veluti repudij teſtis, in quo maritus renuntiat omne ius quod habet in vxorem. Hæc autē dimiſſio permiſſa erat illis ad maius vitandum malum, nempe ne ex odio mariti vxores occiderent: ita tamē concedebatur repudium, vt obſtringeretur maritus libellum repudij dare. Quod præceptū erat, tùm ne vxor infamaretur, & nō inueniret alium virum; tùm ne occideretur vt adultera accuſata à virò: tùm ne poſt repudium illam ad ſe reuocare poſſet. Quod intellige, poſtquam repudiata alteri nupſiſſet, à quo ſecundò eſſet repudiata vel eo mortuo, relicta: nam antequam illa ſecundò nuberet, poterat priori viro ſuo reconciliari: quoniā textus tantùm repudiatam, & ſecundò nuptam excludit, ne poſſet redire ad virum eius priorem. Tum denique, vt dum fieret libellus à Scribis, tempus

Matth. 19.

Deut. 24.

Altera lex diuortij Iudæorum.

Libellus repudij Hebræis quid.

Quid quòd ille dabatur in manu vxoris repudiandæ, & tātùm à viro, iuxta legem.

Iudæis cur permiſſum repudiū ſit: quæ etiam cauſa dandæ libelli.

Vir quatenus à ſe dimiſſam reſumere non poſſet vxorē.

eſſet,

Ille libellus repudij ſeu dimiſſionis cauſas cur minimè contineret.

eſſet, vt vel à ſeipſo, vel à Scribis perſuaſus, animũ maritus mutaret. In libello autem, vt tetigimus, non ſcribebantur cauſę repudij: quæ eſſet anſa vxorem infamãdi, & libellus potiùs iniuriam faceret repudiatæ, quàm faueret: ſed ſcripto promittebat, nunquàm ſe ampliùs cum ea conuẽturum, libertatemque nubendi cui vellet, donabat. Vnde Ioſephus hanc legem Dei declarans, ait: *Qui à coniuge quacunq; de cauſa, vt ſæpè hominibus vſu venit, diſiungi poſtulat, ſcripto ei ſecuritatem faciat, quòd eam nolit ampliꝰ repetere. Sic enim habebit poteſtatem alterius coniugis quærendi: alioqui diuortium non permittitur.* Idem rurſus inquit; *Lex noſtra ſolis maritis hoc ius permittit; mulieribus autem ne dimiſſis quidem fas eſt nubere, niſi prioris viri permiſſu.* Sic ille. Romanorum verò repudiũ liberum erat tam viro, quàm fœminæ, & pro voluntate propria, ſine alia cauſſa: de de quo Satyricus:

Ioſ. lib. 4. c. 8.

Idem lib. 15. Antiq. cap. 11 paullo ante med.

Quàm liberum olim Romanis tum viro, tum vxori eſſet libellus repudij.

Iuuena. Sat. 6

> *Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet:*
> *Fiant obſcuri dentes, oculiq; minores:*
> *Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi*
> *Iam grauis es nobis. & ſæpè emungeris: exi*
> *Ocyus, & propera: ſicco venit altera naſo.*
>
> Et infrà:
>
> *Sic creſcit numerus ſic fiunt octo mariti,*
> *Quinque per Autumnos: titulo res digna ſepulchri.*

Eius repudij forma verborum.

Huius forma hæc erat, vt habetur. *l. De diuortijs: Res tuas curato: res tuas tibi habeto.* Vxor verò dicebat: *Non vtar conditione tua.* Cauſa porrò dimittendæ vxoris exprimitur in textu, cũ dicitur: *Propter aliquam fœditatem.* Quæ non tantùm ſignificat apertum adulterium, vel eius ſuſpicionem, vt interpretatur Burgenſis ex quodam Rabbino Auen-Eſra: quia apertè adulterium manifeſtum damnabatur lapidationis; contra præſumptum verò adulterium, quod probari non poterat, erat lex Zelotypiæ de epotanda aqua, per quam detegebatur occultum crimen, vel innocentia vxoris. Si etiam ob eam tantùm cauſam licitum eſſet repudium, repudiata nullum inueniret virum, vtpote infamis de adulterio conuicta, vel ſuſpecta. Dominus etiam interrogatus à Phariſæis, an viro liceret quacunque de cauſa repudiare vxorem, reſpondit, hoc ad duritiam cordis eorum permiſſum. Ipſe autẽ corrigens Legem, ſolam cauſam excepit adulterij, ſiue fornicationis. Ergo admittit, cõceſſum illis fuiſſe quacunq; de cauſa vxores repudiare, vt Paullò antè in verbis Ioſephi alligatis ad ipſum videre licet. Quare vt ex cap. 24. Deuter. colligitur, & Malach. 2. ſatis erat ad repudium odium viri ad vxorem. Ad hæc ſi per fœditatem Lex ſolum adulterium intelligeret: profectò cum Chriſtus illam Legẽ corrigat & in facto fornicationis licitum repudium oſtendat, lex Euangelica non ſuperaret Muſaicam: neque Chriſtiana iuſtitia illam Legis, vt textus apertè oſtendit.

Fœditatem, cauſam repudij vxoris iuxta Legem, apertũ adulteriũ, aut eiꝰ ſuſpicionem non poſſe intelligi multis de cauſis.

Leuit. 20. Num. 5.

Matth. 19.

Idonea & efficax repudij cauſa quæ ſit.

Malach. 2.

Sed de hac dimiſſione duplex hic occurrit dubitatio. Altera eſt, an hæc matrimonij diſſolutio repugnaret iuri naturali & diuino? cuius nodi ſolutionem conſultò omittimus, quòd pleniùs ſit tractãda à nobis cap. 19. Matthæi, vbi de hac re fuit interrogatus Dominus à Phariſæis: ideo qui illã putat eſſe neceſſariam ad huius ſentẽtię explicationem; inde illã ſibi petere poterit. Altera dubitatio eſt, an hæc permiſsio dimittẽdi vxores, ſicut multitudo vxorum, vſura cum externis, & odium inimicorum, & ſimiles permiſsiones, ita eſſent à Deo in Lege toleratæ, tanquàm vitioſæ & peccatis adiunctæ, an verò ita conceſſæ eſſent à Deo, vt abſque peccato & vitio fieri poſſent: nam de hac re quidam inter ſe decertant: & quidam eorum volunt, huiuſmodi conceſsiones illicitas fuiſſe, & peccaſſe illis vtentes, & eorum permiſsionem, ſolùm fuiſſe omiſsionem petitionis. Talia enim facientes, à Lege non puniebantur, ſicut alia delicta patrantes; quemadmodum Leges ciuiles non puniunt fornicationẽ, quæ tamen peccatum eſt. Sed hæc opinio multa habet incommoda. Primum eſt, quòd quum in talibus non diſertè explicetur ab Scriptura peccatum, & omnes illius ſeculi homines, cùm rudes eſſent, permiſsionibus talibus vterentur, eſſet illaqueare animos; & ad propoſitum de repudio loquendo, id faciens, peccaret ad mortem, dimittendo vxorem. Deinde, peccatum committeret accipiendo ſecundam, & in peccato eſſet tam illi reddens debitum, quàm non reddens dimiſſæ. Tertiò, delinquere faceret vtramque vxorem, & de integro aſſumptam prolem illegitimam efficeret, & ſpuriis relinqueret hæreditatem. Quartò, lex prohiberet conuerſionem à peccato, quia prohibet, ne ſemel repudiata reuertatur ad repudiantem. Quintò, Malachiæ 2. dicitur, *Quum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſraël*: nefas autem videtur, Deum pręcipere, aut adhortari ad rem per ſe malam, ſi ſuapte natura peccatum eſſet; & Legis conceſsione non iuſtum & licitum factum repudium fuiſſet. Alterum inconueniẽs eſt, quia cum talia ſint de his, quæ deducuntur à regulis iuris naturæ, à rudibus hominibus ratio obligationis eorum euidenter non videbatur, cùm non eſſent contra prima pręcepta iuris naturæ;

Proponitur quæſtio quędam de diuortio, alibi ſoluenda.

Lib. 8 à tra. 44. vſque ad 49 excluſiuè Matth. 19.

An repudiũ vxorum, ac ſimiles aliæ permiſſiones Iudæorum per ſe fuerint illicitæ, vt ſequẽtes tradũt autores, an licitæ munere Diuino.

Lyran. Cornelꝰ Ianſen. in Mat. 19

Hæc opinio quàm multa cõtineat abſurda.

Malach. 2.

Secundum abſurdum.

ruræ, ſed contra ſecundaria : quæ vbi non ſunt firmata Lege poſitiua, vel conſuetudine, non obligant communiter tranſgreſſores nō agentes contra conſcientiam. Cùm ergo verba Legis illa concederent, ſicut & alia, durum videretur vel iniquum, tali ſcelere obſtringi. Tertium incommodum eſt, quia iſta, quæ conceduntur Iudæis, & licētioſa videntur, Gentiles etiā faciebant, & vt licita habebant: apud eos enim erat vxorum multitudo, erant vindictæ, vſuræ & repudia: & Dominus imperfectis Iudæis illa conceſsit. Sed quia fideles erant, & populus Dei, non tam laxè illa eis conceſsit, quemadmodum eis vtebantur Gentiles. Etenim libellus repudij reſtringebatur, quoniam in cauſſa nō licebat repudiare, vtpote cùm quis famam adimebat vxori ſuę, & opprimebat non deſponſatā: vt tradunt Deute. 22. Vſuræ etiam non ſunt conceſſæ in vniuerſum, ſed cum fratribus, id eſt, Iudæis prohibitæ, vt habetur Deuter. 23. Plures vxores ducere reſtrictum erat: nam etiā magnis perſonis, vt Regibus, vitio dabatur quamplurimas habere: vt ca. 17. Deuter. indicatur. Salomon quoque reprehenditur de vxorem multitudine 3. Reg. 11. & Eccleſ. 47. illi dicitur, *Inclinaſti femora tua mulieribus. Poteſtatem habuiſti in corpore tuo* (id eſt, illo liberè vſus es, laxando ad voluptatem compluribus vxoribus) *Dediſti maculam in gloria tua.* Odium quoq; & vindicta, vix putabatur peccatum apud Gentes: hæc reſtricta erant, ne liceret Iudæos odio habere; *Non oderis*, inquit, *fratrē tuū in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum. Non quæres vltionem, nec memor eris iniuria ciuiū tuorum.* Quia igitur omnia fiebant à Gentibus, & Iudęis reſtricta ſunt, & ſic cōceſſa, ſi adhuc in illis eſſet peccatum, & tantùm eſſet eos non punire; eadem eſſet ratio de alijs, in quibus reſtringebātur. Perinde enim eſſet vſura cum externo, atque cum fratre; & odium Chananæi, & Samaritani, atque fratris. Quartum exiſtit inconueniens, quòd ea quæ in lege permittebantur, & peccata ſunt, non exprimuntur in Lege quaſi conceſſa, ſed ſupprimuntur: cùm igitur iſta ſint expreſſa, haud ſunt eadem ratione permiſſa ſicut illa. Per Legem enim Moyſi cognitio peccati venit; vnde dictum eſt: *Annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*: nullibi autē Moyſes hoc peccatum eſſe declarauit, quod tamen declarare debebat, ſi peccatum fuiſſet: aliàs digni excuſatione extitiſſent Iudæi, quemadmodum Dominus dixit Iudæis: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatū non haberent. Nunc autem excuſationē non habent de peccato ſuo.* Et, *Si opera nō feciſſem in eis quæ nemo alius fecit; peccatum nō haberent: nunc autem & viderunt & oderunt, & me, & Patrem meum.* Quintum eſt incommodum, quoniam nō omnia prohibita in Lege, pœna peculiari plectuntur Legis, vt detinere ſeruum vltra ſeptē annos; vendere ancillam à ſe cognitam, Exo. 21. Ergo illa, de quibus eſt ſermo, non ob eā cauſam dicuntur permiſſa, quòd non habeant peculiarem pœnam à Lege taxatam. Sextum incommodum, quia benedicuntur à Deo vtentes tali conceſsione, vt, non fœnerantes fratri, ſed alieno, Deut. 23. Septimū inconueniens: Si lex humana poſſet licitū facere, quod permittit non puniendo, Id procul dubiò faceret; ergo Deus ſtatuēs id magis faceret, licèt decerneret aliquid contra Legem Naturæ. Aliàs lex eius immaculata imperfectior eſſet humana, quæ nihil mali verbis ſtatuit, ſed ſilentio, & non puniendo permittit.

Octauum abſurdum eſt hoc, quoniam Deus Lege ſua auerteret à ſe homines, & alliceret ad peccatum: quod prorſus eſt impoſsibile. Nonū inconueniens videtur, qp, vt ſupra probauimus, Dominus in hoc ſermone nō comparat Legem ſuam cum abuſibus, vel vitiis Scribarum, vel Phariſæorum, vel Iudæorum, ſed cum perfectione, & iuſtitia Legis Moſaicæ, oſtendens ſuæ legis iuſtitiam lōgo interuallo illam Moyſi ſuperare. Si ergo repudium iniuſtū ſuapte natura eſt, & Legis permiſſum minimè conceſſum, ita vt redderetur licitum, profectò Dominus non iuſtitiam cum iuſtitia compararet. Poſtremum abſurdum & incommodum eſt, quòd hanc ſententiam tenentes, vt Sanctos excuſent, aiunt illos habuiſſe peculiarem Dei reuelationem ad ſimilia faciendum; quod tamē durum videtur, quoniam in Scripturis non fit mentio reuelationis talis, & ſine neceſsitate ponēda non eſt.

Ideo melius reſoluitur argumentum, vt docet Epiſcop. Abulen. ſi dicamus, talia Iudæis ex varia diſpenſatione licita fuiſſe, qua de his loquens licita eſſe faciebat: Gentibus verò non habebantur illicita, neque reprehenſibilia, quia Deus tempore illo, ob populi ruditatem, non imputabat illa ad peccatum, quia contra regulas erant valdè remotas à primis principiis iuris Naturę, in quibus rationem obligationis non ita clarè videbant: conſuetudine præſertim, & poſitiua Lege in contrarium exiſtente: in talibus enim opinio pręualet veritati. Cuius etiam genti licèt ſecundùm ſuam conſuetudinem operari, cùm non

con-

Tertium inconueniens.

Quænam, & quātò laxiores Ethnicorum fuerint, quàm Iudæorum carnis licentiæ.

Deut. 22.

Infra 23.

Suprà 17.

3 Reg 11.

Ecclef 47.

Leuit. 19.

Quartum incommodū.

Eſai. 58.

Quintum abſurdum.

Exod. 21.

Sextum incōueniens.

Septimum.

Pſalm. 18.

Octauum.

Nonum.

Decimum ac vltimum.

Altera opinio longè probabilior, vt alia multa, ſic etiam repudium aſſerens Iudæis licitū fuiſſe.

Epiſ. Abu. in cap. 19. Mat. q. 46.

Qua ratione nunc infide-

ibus liceat vti repudio.

conuincitur malè opinari. Atque ob hanc rationem poſſunt nec infideles vti repudio, cùm necdum eis promulgatum ſit Euangelium, quod ſua lege poſitiua declarat & determinat, legem ipſam naturæ diuortium prohibere, & multitudiné vxorum. Hinc veteres Romani repudia vxorũ tanta libertate permiſerunt, vt florente adhuc Repub. liceret cuiq;, & quacunq; de cauſa, etiam occulta, vxoré dimiſſam ſine libello eiicere. Vnde Paulus Aemilius cùm repudiaſſet Papyriam vxorem ſuam, Muſonis viri Cõſularis filiam, cũ qua longo tempore vixerat, & ex qua maximam prolé ſuſtulerat, nempè maximũ illum Scipioné Aemilianum; nullam diuortij cauſſam indicare voluit; ſed percunctantibus reſpondebat porrecto pede: *Hic calceus nouus eſt, & pulcher: at nemo veſtrûm nouit, qua pedem meũ torqueat.* Cæſar Q. Pompeij filiam, ob ſolã ſuſcipionem repediauit. Hæc tamen effrænata repudiandi licentia, à poſterioribus Romanis Imperatoribus correcta eſt, vt in lib. 5. Codicis, tit. 16. apparet: præceptũque, ne, ſine apertis, & deſignatis cauſis liceat repudiare, nec vllo modo à ſe expellere niſi adulteram, aut homicidam, aut plagiariam, aut veneficam, aut ſepulchrorum diſſolutricem, aut læſæ maieſtatis ream. Adde autorem oper. imperfect. in Matthæum, qui hoc loco pro hac ſententia ſcribens, ait: *Hac ratione permiſit, vos daro libellũ repudij, quia melius iudicauit permittente lege matrimonia ſolui, quàm odio compellente homicidium fieri. Permiſit vobis mala facere, ne faceretis peiora. Ergo hac vobis permittendo, non vobis iuſtitiam Dei demonſtrauit, ſed à peccato abſtulit cauſſam peccandi, vt quaſi ſecundùm Legem agentibus vobis veſtrum peccatũ non videretur eſſe peccatum.* Sic ille, docens à peccato abſtuliſſe culpam peccandi: & paulò antè comparauit hanc permiſsioné cum permiſsione offerendi ſacrificia, & paullo poſt comparat cum permiſsione ſecundarum nuptiarũ facta ab Apoſtolo. Conſtat autem & offerre ſacrificia, & ſecundas nuptias per ſe peccata non eſſe.

Valer. Max. Quorũdam repudia Romanorum.

Sueto. in Iulij Caſ. vita c. 6. Repudiũ quibus tantum de cauſis fieri debeat.

Autor. Oper. imperfect. in Matth. ho. 33 ante mediũ, to. 2. operum B. Chryſoſt.

Quæ in contrarium fiũt argumenta, ſoluuntur. *Geneſ. 2. & Matth. 19.*

Nec in prædictam ſolutionem quicquã militant quæ ex Scripturis adducuntur in contrarium. Nam in primis illud Geneſis nihil repugnat. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrẽ, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna.* Dici enim poteſt, autoritatem hanc non fuiſſe adeò claram, vt poſſet tunc eos obligare: præſertim Lege repudium concedente, & repudiatę nuptias admittẽte. Deinde quod dicitur Deute. 24. de dimiſſa, quod polluta eſt, & facta abominabilis corã Domino, haud probat quòd repudiare ſit peccatum: quia mulier non erat quæ repudiabat, ſed quæ repudiabatur; & ideo propter repudium non poterat eſſe polluta peccato. Neque per Legem fas erat mulieri repudiare virũ ſuum, vt ſuprà attulimus ex Ioſepho. Pollutio igitur coram Domino, nihil eſt aliud quàm publica infamatio. Sic enim ex phraſi Hebræa dicitur fieri coram Domino, quod publicè fit. *Sicut Nemrod robuſtus venator coram Domino*; id eſt, publicus & nobilis prædo: & Samuel. *Loquimini*, ait, *de me coram Domino*, id eſt, publicè coram populo. Nec tertiò quicquam facit dictũ illud Malachiæ; *Vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere. Quum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael: operiet autem iniquitas veſtimentum eius.* Vbi pronomen Eius, ad virum refertur, vt oſtendit litera Hebræa. Iniquum ergo, & indecens erat, vxorem dimittere. Sed certè authoritas Malachiæ, Iudæos, qui ante Malachiam erant, nondum obligabat, quia nondum erat ſcripta: poſteà autem ita Prophetas interpretabantur, vt non contradicerent Legi, quam putabant repudium concedere. Et quod dicitur de viro: *Portabit iniquitatem ſuam*, ad iniuſtum odium poteſt referri, & ad dimiſsionem Lege minimè conceſſam. Et quanquàm ex Lege ſimpliciter repudiare licitũ eſſet; odium tamen, quo tale repudium coniunctum erat, ſine peccato eſſe non poterat: & hoc odium, vocat hìc iniquitatem viri Malach. Nec quartò item obſtat, quòd Dominus inquit Matt. 19. ad duritiam cordis eorum hoc eſſe conceſſum: nam per illam duritiam intelligit cor ob vehementes affectus non cedens, nec legem perfectionis patiens: Deus tamen attemperabat ſe eiuſmodi cordi parua gratia adiuto, ne peccaret, dictis conceſsionibus vtendo. Quintò, nihil impedit quod Dominus tradit, Moyſen permiſiſſe: quaſi permiſsio nõ ſit niſi de re per ſe mala & illicita: nam nõ ſemper in Scripturis permiſsio intelligitur de re illicita; ſed quandoque etiam de licita, quemadmodum Luc. 8. Dominus non permiſit intrare niſi duos ſecũ; & Paulus Act. 18. *Non permiſit me Spiritus Ieſu intrare in Bithyniam.* Hìc tamen Dominus propriè vtitur voce permiſsionis: nam res conſiderata in ſe ipſa, & non ex accidenti, illicita erat: & quia matrimonium ſecundum ſe indiſſolubile, ſecundùm eius primæuam inſtitutionem repudium erat illicitum: ex diſpẽſatione autem factum eſt quòd eſſet licitum. Et ideo Dominus rei naturam conſiderans, ita locutus eſt. Idcirco induxit matrimoniũ inter Adã & Heuã in innocentia

Secundũ argumentum. *Deut. 24.*

Ioſe lib. 14. antiq. cap. 8. Pollutio mulieris dimiſſę corã Domino, quid ſit. *1. Reg 12.*

Malach. 2.

Tertium argumentum.

Viri iniquitas quænam operiat veſtimẽtum eius apud Malachiam.

Quartum argum. & quid duritia cordis Iudæorũ. *Matth. 19.*

Quintum argumentum.

Vbi Scripturarũ permiſſio nou rem denotet illicitam. *Luc. 8. Actor. 16.*

Repudium quatenus illicitum.

Geneſ 2.

Matth. 19.

inſtitutum & perfectum: vnde ait, *Ab initio autem non fuit ſic*: quemadmodũ nec ab initio licita fuit multitudo vxorum, neq; rerum proprietas, ſed cõmunitas, quæ tamẽ licita fuerunt poſtea. Permiſsio ergo dicitur quandoque de minus bono, quomodo vſurpat Paulus, cùm ait:

1. Cor. 7.

Hoc autẽ dico ſecundùm indulgentiam, & non ſecundùm imperium, id eſt, permitto vt quiſq; ſua vxore vtatur, de qua erat ſermo.

Sextum arg. Matth. 19.

Nec ſextò etiam valet: *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Sed tũc ſoluebat Deus, Moyſe illud concedente; & ita propriè homo legem non ſoluebat.

Septimũ argumentum.

Septimò, ad rem non eſt, quòd obiici poſſet, matrimonium admittens diuortium, non differre à concubinatu, cùm in vtroque æquè liceat pro nutu dimittere vxorem. Reſpondemus enim, ſimile non eſſe. Nam ducens vxorem, animum perpetuò permanendi cum ea habere debet; etſi poſteà accidat repudium: quod non habet locum in concubinatu: nam licèt concubinatus ad mortem vſque duret, per accidens eſt: & ideò contra prolem eſt, cùm careat permanſione ad eam debitè educandam.

Quantum inter ſe differãt matrimoniũ & concubinatus.

Lege etiam tenetur quis non vtendi concubina, atque cum ea manendi, quemadmodũ lege obligatur, vt permaneat cum vxore. Ad hæc, vxor virum dimittere non poterat, ſicut poterat & debebat concubina dimittere concubinarium.

Octauum argumentum.

Octauò, contra prædicta non facit, quòd aliqui Patres videantur ſuſcepiſſe à ſe repudiatas vxores, quemadmodum Abraham, mortua Sara, ſuſcepit Agar de domo eiectam, vt colligi poteſt ex Geneſ. 25. & Dauid Michol à ſe ablegatam.

2 Reg 3.

Sed reſponderi facilè poteſt, iſta vera repudia non fuiſſe, ſed ſeparationem ad tempus, quantum ad communem habitationem, quam Abraham fecit ex mandato Domini, dicentis; *Eijce ancillam & filium eius*: Dauid verò ereptam ſibi vxorem violentia Saulis Regis, quæ nupſerat Phalti filio Lais ad ſe reuocauit: nam ſi repudium verum fuiſſet, debebat ſaltem Dauid, qui poſt Legem latam fuit, eam ad ſe non ſuſcipere, vt prohibetur Deut. 24.

Geneſ. 21.
1. Reg. 25.
Deut. 24.

Quid ſit lex Naturæ.

Quia igitur lex naturæ, conceptio eſt naturalis menti indita & impreſſa, qua dirigitur in actibus ſuis ad agendum conuenienter ad finem: ideo omne quod reddit rationem fini à natura præfixo inconuenientem, contra eius legem eſt. Sed ſi omninò finem tollat, vt nimius cibus ſanitatem, contra prima principia legis Naturæ eſt. Si autem finem non adimat, ſed faciat difficilem ad eum peruentionem: quemadmodum eſt extra tempus edere; vel tollat, & impediat ſecundarium finem, vt bonam habitudinem in negotiis: tunc edere, directè non tendit in Legem naturę, quia in concluſiones ex per ſe notis intendit.

Quoquo modo eius fini derogans, quando non peccet.

Tamen, quia tales cõcluſiones nondum firmatæ lege Diuina, & poſitiua & humana, ſiue aliqua conſuetudine, non ſunt ita notæ communiter, vt videatur ratio debiti; ideò contra eam faciens non peccat, etiamſi non ſit ſpecialis Dei diſpenſatio: quia cuicunq; genti facere licet, ſi nihil eſt, quo conuincatur malè opinari. Et ita omnia permiſſa Iudæis, à Gentibus fiebant, aliàs enim non concederentur: quia eis infirmi erant, non patiebantur, omnibus conceſsis Gentibus priuari, ſicut habere Regem. Hinc legimus, fuiſſe inter Gentes repudij leges, vt conſtat de lege Medorum & Perſarum ſub Aſſuero cõtra Vaſthi Reginam, Eſther cap. 1. & de ſocero Samſonis Philiſthæo, qui, cùm exiſtimaſſet primam filiam ſuam Samſonis vxorem exoſam, tradidit vicino ſuo, Iudic. 15. ſed ibi repudiauit pater, non vir. Extant & Platonis leges repudium concedentes viris.

1. Reg. 8.
Eſther. 1.
Iudic. 15.

Cur diuortiũ Chriſtianis illicitum.

Temporis autem progreſſu, & Chriſto luce veniente, & debuerunt hæc declarari; & iam eis qui ſub Chriſto ſunt, illicita reddita, inter quæ repudium eſt illicitum, quod ſemper reuerà fuit communiter & in vniuerſum contra concluſiones, vel ſecunda præcepta iuris naturæ. Namque ex diuortio ſequebatur, vt proles deſtituerentur; vt nollent opera inuicem communicare, & theſauriſare filiis; vel nollent etiam vacare proli, & perfectè eam educare & erudire, accelerantes diuortium.

2. Cor. 12.

Nulla ergo lex poſitiua, etiam diuina (excepta illa Geneſ. 2. homini primo lata) diuortium prohibet, vel omnia quæ contra rationem ſunt, præter Chriſti legem Euangelicam, quæ ſola dat gratiam ad omnia peccata vitanda, & perfectè reducit ad rectam rationem.

Euangelicæ legis efficacia.

Etſi ergo repudium ſine peccato poſſit fieri à Iudæis, quemadmodum & à Gentibus: tamẽ lata lex eſt, vt oſtenderetur, Iudæis licère repudiũ, & ex forma libelli honeſtatis viri & vxoris videretur & limitaretur, quia interdum non licebat, vt dictũ eſt, repudiare. Et hactenus quidem de his, quæ in Lege vel permiſſa erant, vel præcepta circa repudium vxoris, dictum ſit. Iam quod Dominus illi Legi addidit, diligenter eſt executiendum.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eã mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

Diuortium, ſeu dimiſſionem vxoris hic Chriſtus quomodo coarctet.

Etſi hactenùs de dimiſsione vxoris, etiã quantũ ad vinculũ, fuerit ſermo, nam in lege tam vir dimittens, quàm vxor dimiſſa, nouas nuptias cõtrahere poterãt: ta-

men

men in hac ſententia Dominus reſtringit ſermonem ad dimiſsionem vxoris duntaxat, quantum ad torum, ſiue cohabitationem: nam illam priorem dimiſsionem in Euangelio nunquàm nouit Eccleſia Chriſti, nec in praxim deduxit, neque per decreta ſua probauit: ſed potiùs illam, vel in cauſa fornicationis improbauit & reiecit. Atque ita hoc poſito veluti fundaméto (quod clauis eſt omnium Scripturarum aperiendarum; nam ſine Spiritu ſancto, qui in Eccleſia tanquàm Doctor & magiſter aſsiſtit, Scripturæ haud valent intelligi) dicimus non licere in Euangelio poſt diuortiū nouum concillare matrimonium. Nullus enim Orthodoxus Chriſtianus, præſertim apud Latinos, & Græcos antiquiores, auſus eſt poſt repudiatam vxorem propter fornicationem, aliam ducere, illa viuente, aut qui repudiatam poſt fornicationé duxerit, aut cui hoc Eccleſia facere tentanti permiſerit: ſed omnes Patres antiqui vno ſenſu docuerunt, vinculum coniugale manere vſque ad mortem, etiam diuortio legitimè facto: & probatur multis rationibus. In primis, quia ſi id licitum eſſet in cauſa fornicationis, iuſtitia Euangelica à Chriſto Indicta non ſuperaret iuſtitiam legis: niſi quòd ibi in pluribus liceret cauſis, in Euangelio non niſi in vnà tantùm fornicatione, quæ plerunque affingi poſſet, vel etiam per virum cauſas & occaſionem fornicandi vxori præbentem, ad diſſolutionem matrimonij quæri. Repudium autem in Lege, ad duritiam cordis eorum permiſſum erat. Si ergo in cauſa fornicationis liceret in Nouo Teſtamento, duritia cordis nondum omninò eſſet ablata, & ſic lex Euangelica non eſſet omninò perfecta. Deinde in hoc loco rantùm dicitur, *Omnis qui dimiſerit vxorem, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat*: nihil hìc traditur de viro, an aliam poſsit vxorem accipere: imò potiùs ſi dimittens facit vxorem mœchari, inſinuatur quod adhuc vinculum manet cum dimiſſo, & ſi qui dimiſſam ducit, adulterat: ergo per dimiſsionem in cauſa fornicationis, non erat ſoluta à lege viri. Tertiò, idem probatur ex aliis locis Euangelij, qui hunc illuſtrare poſſunt: nam Marc. 10. & Luc. 16. abſolutè ſine exceptione Dominus loquitur, & ait: *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulteriū committit ſuper eam* (videlicet in eius iniuriam) *& ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur*: vbi Dñs parem cõſtituit vxoris cum viro conditionem, & neutri concedit poſt diuortium nouas nuptias. Lucas autê habet: *Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur*. Cùm ergo Dominus requiſitus de vinculo matrimonij ab Apoſtolis idoneè & copioſè reſponderit, & Euangeliſtæ ſatis enarrauerint eius reſpõſum; nullamq; adiecerint cauſæ fornicationis exceptionem vt neceſſariam: quæréda via eſt, qua Euangeliſtarum verba inter ſe conueniant. Nec enim dicendum eſt, Marcum & Lucam, minus perfectè verba Domini retuliſſe, prętermittendo rem tanti momenti; aut ideò omiſiſſe, quòd Matthæus exceptionem fornicationis ſcripſiſſet; quaſi Apoſtoli res ſcribendas inter ſe partiti ſint, aut inuicem contulerint. Vt ergo conueniant Euangeliſtæ, neceſſarium eſt, cauſam exceptionis à Matthæo ſolo præſcriptam, ad ſolam dimiſsionem tori ſiue coniuctus eſſe referédam, quod Marcus & Lucas exceptionem ſupprimendo inſinuare videtur. Nec enim melior eſt interpres Euangeliſtæ, quàm aliùs Euangeliſta. Et notatam Marcum, quàm Lucam dixiſſe, *Quicunque*, vel *Omnis qui dimittit*, &c. vt illos regulam vniuerſalem tradidiſſe intelligas. Quartò, Dominus hìc reſtituit matrimonium ad primæuam eius inſtitutionem in ſtatu innocentiæ, quemadmodum docent Doctores, & ipſe Dominus indicauit, dicens: *Ab initio autem non fuit ſic*: id eſt, Neq; habebat locum cauſa fornicationis ad vinculum ſoluendum: neq; diuortiū tale conceſſum fuit. Et ſubdit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet*: id eſt; qui cum prius duo eſſent, & vnum per matrimonium facti ſint, ab homine diſſolui neque poſſunt, neque debent: id eſt, nec ab homine Moyſe, qui permiſit tãtùm ad tempus, nec à magiſtratu; nec ab hæreticis, nec à ſummo Pótifice, neque denique à quocunque homine, niſi à ſolo Deo. Quintò, Apoſtoli intellexerunt nõ eſſe dimittendam vxorem ea lege, vt ducatur alia: nam dixerunt Matthæi 19. *Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere*. Quibus Chriſtus reſpondit, *Non omnes capiunt verbum iſtud*, ſcilicet manere dimittentem in cauſa fornicationis ſine ſpe noui coniugij. Vnde ſubdit: *Sunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnū cælorum*. Nec enim veriſimile eſt, Apoſtolos, cùm Chriſtus diſputaret cum Phariſæis, ſic eum interrogaſſe, ſed domi tantum, vbi Dominus æquauit in dimiſsione fœminam viro, vt Marcus apertè tradit, & Paulus etiam indicauit: quod tamen in Lege non erat conceſſum. Sextò, pugnat illa ſententia cum Scripturis, & cum ipſius rationis æquitate. Cum Scripturis quidem

Clauis omnium Scripturarum quænam ſit.

Chriſtiani vinculū coniugij ſemper eſſe inſolubile probatur.

Secundū argumentum.

Tertium argumentum. *Marc.10.*

Luc.16.

Illud verbū: Niſi ob fornicationem, cui ſolus referat Matth. non Marcus, neq; Lucas.

Matth.19.

Quartum argumentum.

Matth.9. & Gen.2.

Explicatur id: Quod ergo Deus coniūxit, homo non ſeparet.

Quintum argum. pro matrimonij inſolubilitate. *Matth.19.*

Marc.10. Rom.7. & 1.Cor.7. & ſeq

Sextum arg.

Prædictus Pauli ſenſus de inſolubili cõiugio amplùs corroboratur.

Et confirmatur hic ſenſus: quia Apoſtolus docet, Dominum dediſſe illud præceptũ vxori, quod nullo modo dicere potuit, niſi quia pro certo, & indubitato habuit, virum & vxorem pares eſſe in cauſſa diuortij; & ideo illa omnia quæ Chriſtus dixit de viro dimittente vxorẽ, Paulus neceſſaria cõſequentia deriuauit ad vxorem dimittentem virum ſuum: & ob eandem cauſſam dixit eſſe à Domino præcepta, & de viro loquens non curauit apertè explicare illa omnia, quæ perſpicuè de vxore dixerat, quia viderat Chriſtum ſatis apertè de viro fuiſſe locutum, ex cuius verbis colligit præceptum de muliere. Quod non ſolùm factum eſt ob Apoſtoli familiarem βραχολογίαν, id eſt, ſermonis breuitatẽ, ſed etiam ob eam cauſſam, quia mulieres cupidiores ſunt alieni matrimonij, & affectuum ſuorum incontinentiores, ac vt plurimùm imprudentiores: ideo priùs, & clariùs de muliere præcepit ne diſcedat, vel maneat innupta. Silentium ergo Pauli pro hac ſententia facit. Quod ſi ita eſt, explicat Apoſtolus præceptum Chriſti apertũ datum Phariſæis in cauſſa fornicationis: & explicationem factam Apoſtolis domi, vbi vxor & vir ad paria iudicantur in Nouo Teſtamento, quemadmodũ hoc loco Pauli, & Marc. 10. clarè dicitur. Nam ſi vir dominium integrum ſuper corpus vxoris habet, & mulier ſuper corpus viri, vt poſsit vti, cùm velit, tanquàm ſua re, & abdicare; ſi vir poteſt vxorem abdicare; æquo iure, & pari in cauſſa idem mulier poterit. Nam alioqui fœmina nõ haberet dominiũ ſuper corpus viri: namq; cenſenda potiùs eſſet vſufructuaria, vt ſic dicam, quàm domina. Atque ita hoc loco Chryſoſtomus declarat hom. 19. ſuper priorem ad Corin. in verba illa, 1. Corin. 7. dicens: *Multis in locis magnam tribuit viro prærogatiuam. In Veteri quidem Teſtamento, inquit, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe tibi dominabitur. Paulus aũt ita diuidit, Vnuſquiſq; vxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: vxor autem virum timeat: hoc autem in loco, neq; maius, neque minus eſt, ſed vna poteſtas. Quid tandem? cùm de pudicitia ſermonem habeat, in alijs quidẽ ſuperior ſit, inquit, vir, hic pudicitiæ ratio habenda eſt: vir ſui corporis poteſtatem non habet, neque vxor. Magna hic paritas, & cupiditas nulla.* Sic ille: quẽ ſequitur Theophylactus. Baſilius Can. 9. *Quod Dominus pronuntiauit de non dimittenda vxore, excepta cauſa fornicationis; ex æquo, tum in viros, tum in vxores cõuenit.* Ambroſius hoc idem docet, & Hieronymus 32. quæſt. 5. cap. *Præcepit.* & Auguſt. ibidem cap. *Apoſtolus. Ad paria iudicantur vir, & vxor;* Primaſius, & Anſelmus ſuper verba, 1. Cor. 7. idẽ teſtantur.

Cur Paulus mulieri præcipiat à viro ſuo non diſcedere, non contra.

Marc. 10.
1. Cor. 7.
B. Chry. to. 4.
Geneſ. 3.
Ephe. 5.
Theophy.
B. Baſil. epiſt. 1. ad Amphiloch.
B. Ambroſ.
Hieronym.
Auguſt.
Primaſius.
Aug. diſcipulus.
B. Anſel.

Soluitur hoc: iubetur mulier viro ſuo reconciliari, non contra: vir igitur eſt ſolutus ab vxore.

Nec obſtat, verbum reconciliationis ſpectare ad eum qui offendit, & ita nõ eſſe ad propoſitum fornicationis vxoris: quia illa, de qua Paulus loquitur, nõ videtur fornicata, cùm detur ei optio, vel reconciliationis, vel permanendi ſine reditu ad virũ, & per eam, & non per virum ſtat, quòd ſi per virum ſtaret, eum, & non eam exhortaretur ad reconciliationem. Illa ergo, quę innocens eſt, non valet reconciliari: quod proprium eſt rei. Dicendum eſt, verbum καταλλάττειν, quo vtitur Apoſtolus, conuenire nõ tantùm reo, ſed cuicunq; reſarcienti amicitiam, & ineunti gratiã, licèt alterius cauſſa perditam: vnde 2. Machab. 1. Exaudiat (Deus ſcilicet) orationes veſtras, & reconcilietur vobis: & Paulus ait, Chriſtum reconciliare, ſeu pacificare terrena, & cœleſtia, id eſt, Angelos qui nõ peccarunt. Cicero in epiſtolis, patrem offenſum recõciliari filiis ſuis ſæpè ait. Quintò Apoſtolus in dicto cap. 1. Cor. 7. ſubiungit: *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit: quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt à lege: cui autẽ vult nubat, tantũ in Domino:* ergo tantũ morte vinculum matrimonij diſſoluitur; & nõ per fornicationem, aut aliam cauſſam. Et ad Rom. 7 *Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuẽte viro alligata eſt legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri:* Ergo per adulterium non ſoluitur vinculum matrimonij, quandiù coniux viuit, vt Auguſtinus lib. 2. in Pollentium cap. 4. docet. Ex diſputatis igitur elicimus virum non poſſe dimittere vxorem in Nouo Teſtamento, vel contrà, vxorem virum, ita vt ſecundò poſsint connubium iterare. Ex quo apparet, iuſtitiam à Chriſto in Nouo Teſtamento præceptã, in trib⁹ excedere illã veteris. Primò, quòd in illa diuortium, pluribus ex cauſsis eſſet permiſſum, & conceſſum; in Nouo, in cauſa fornicationis tantùm. Deinde quòd in Veteri erat permiſsio ad dimiſsionem etiã ad ſoluendum vinculum, in Nouo verò ad tori, & cohabitationis diſſolutionem tantummodò. Tertiò, in Veteri Inſtrumento tantùm viro permiſſum erat repudiare vxorem, non autem vxori repudiare virũ: at in Nouo tam vir, quàm vxor, in actu repudij pares ſunt effecti.

2. Mach. 1.
Coloſ. 1.
Quintum argumentum. 1. Cor. 7.
Rom. 7.
B. Aug. to. 6.

Coniugij Chriſtiani iuſtitia tripliciter maior eſt illa matrimonij legalis.

Nec valet in contrarium, quòd verbum dimittendi in Scripturis ſemper ſignificet ſolutionem quantum ad vinculum, imò etiam apud Gentiles: ait enim Suetonius in Tiberio cap. 10. *Dubium, vxoris ne tædio quã neq; criminari, aut dimittere auderet, neq; vltra perferre poſſet, an vt vitato aſsiduitatis faſtidio, autoritatem abſentia tueretur, &c.* & cap. 35.

Hæc obiectio diluitur: Perfectam ſeparationem vbique Scriptura verbo dimittendi ſignificat.
Sueton.

eiuſdem libri: *equiti Romano*, inquit, *iuſiurã-digratiam fecit, vxorem in ſtupro generi compertam dimitteret, quam ſe nunquàm repudiaturũ antè iurauerat*. Hæc ille. Sed etſi id verum ſit apud Gentiles; in Scripturis tamẽ id ſemper obſeruari negamus: ſed interdũ de ſeparatione tori, & in hac ſignificatione vſurpari verbum dimittendi, probatur ex ipſo Paulo, & Euangelio. Ille enim poſtquàm dixiſſet de muliere à viro diſcedẽte, vt maneat innupta, vel viro ſuo recõcilietur, ibi ſubdit: Et vir vxorem non dimittat; & ſupplendum eſt, vel maneat innuptus, vel vxori reconcilietur: Ergo dimiſsio tam viri, quàm vxoris, intelligenda eſt de ſeparatione tori. Similiter cùm Paulus ait: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo: non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa: non dimittat virum*. 1. Corinth. 7. vbi, quia matrimonium nondum erat ſolutum, hortatur fidelem ad permanendum cum coniuge infideli ad vnà habitandum, ac mutuum debitum reddẽdum: & ita non dimittere, intelligitur de ſeparatione tori, & communis habitationis; nunquàm enim ſoluitur vinculum coniugale, quod eſt in matrimonio infidelium, per conuerſionẽ alterius, niſi quando pars infidelis requiſita, aut non vult cohabitare, aut non ſine iniuria Creatoris: vt ſuperiùs diximus. Similiter quod Matth. 1. dicitur de Ioſeph, quod voluit occultè dimittere Virginẽm prægnantem, de dimiſsione ſeu ſeparatione quantum ad cohabitationem eſt ſermo, quod verbum Græcum ἀπολύσαι, oſtendit; & ratio confirmat. Non enim licebat in lege diuortium quantum ad vinculum, niſi dato libello repudij, quem Ioſeph dare non cogitabat, quia occultè volebat dimittere: quòd ſi voluiſſet cum alia contrahere, traduxiſſet penitùs, & infamaſſet. Porrò Matthæus cap. 5. & 19. pro verbo dimittendi vtitur voce, ἀπολύειν, quod eſt, priuare ſe tantùm vſu coniugij, & excludere domo; non autem ſignificar ſolutionem vinculi, vel ligaminis, vel poteſtatis coniugalis, quam quiſque coniux habet ſuper corpus alterius: ſolutio quippe vinculi coniugalis, à Paulo dicitur λύσις à verbo λύειν, quod propriè eſt vinculũ ſoluere, qua Paulus eodem capitulo vtitur, cùm ait: *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem*: vbi alligationi opponit ſolutionem. Atq; hanc verborum Græcorum differentiam annotauit quidã ex loco quodam Chryſoſtomi. Nam poſt quodlibet matrimoniũ contractum, & ratũ, duplex conſurgit inter cõiuges mutua obligatio; altera affirmatiua qua ſibi inuicem reddere debent mutuum obſequium: & hęc prorſus tollitur per dimiſſionem: altera eſt negatiua, qua quiſq; eorum lege coniugij tenetur alteri nemini facere ſui copiã per copulam cõiugalem, niſi illi ſoli, cui ſe alligauit per matrimonium: & hæc nõ tollitur niſi per mortem alterius coniugis, iuxta illud Apoſtoli: *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit*.

Exempla in contrariũ ex Paulo.

1. Cor. 7.

Coniugij infidelium nexus quando diſſoluatur.

Matth. 1. Exemplũ ex B. Matthæo.

Deut. 24.

Matth. 5. Infrà 19. ἀπολύειν. Græcè quid, & quid etiam λύσις apud Paulum.

1. Cor. 7.

Coniugij debitum quodnam affirmatiuum ſit, quod verò negatiuum.

1. Cor. 7.

Neque obſtat, Dominum eadem voce in diuerſis ſignificatis vti. Nam ſicut legem Euangelicam ſtrictiorẽ, quàm erat Vetus Teſtamentum, ſtatuebat, vel potiùs reſtituebat: ita tũ ſtrictiore verbi ſignificatione eſt vſus, volens vt iuſtitia noſtra abundaret pluſquàm ſcribarũ & Phariſæorũ. Et cũ Chriſtus vniuersè dixit: *Et qui dimiſſam duxerit, adulterat*: profectò dimiſſa, ſiue in cauſa fornicarionis, ſiue extra illam, quantum ad torum intelligitur: nam ſi dimiſſa eſſet, quod ad vinculũ attinet, nemo ſe illi commiſcendo adulteraret.

Huic argumẽto reſpondetur: Coniugij inſolubilitas à ſtrictiori verbo quàm dimittendi notari à Chriſto debuerat.

Matth. 5.

Nec ſecundò obſtat, quòd ſi eſſet ſermo de dimiſsione quantum ad torũ, multæ aliæ cauſæ cõmuniter à Doctoribus dẽtur, in quibus liceat dimiſsionem matrimonij circa torum & cohabitationem facere: vt ſi mulier nollet cohabitare ſine iniuria Creatoris, vel viro ſuo impedimento eſſet ad virtutem; vel ſi alter coniugũ incidat in hæreſim, poteſt fieri ſeparatio, vt conſtat ex cap. De illa, & ſequenti, de Diuortiis. Et Chriſtus ſuprà præceperat oculum ſcandalizantem erui, & manum ſcandalizantem abſcindi: ergo etiam vxor, ſi impedimento ſit viro ad pietatem, vel ſi laboraret morbo periculoſo, & contagioſo, vt lepræ: & ſimiles cauſæ quàm plurimæ. Reſpondendum eſt: Alias cauſas ſubeſſe non negamus: ſed hæc præcipuè, & directè repugnat legi matrimonij, & primum locum tenet in dimiſsione circa torum: quia ſemel dimiſſa (quod quidem autoritate eccleſiæ fieri debet, vt habetur extra de diuortijs, cap. *Significaſti*) licèt poſteà adultera cõuertatur, non cogitur maritus eam ſuſcipere, nec etiam ingredi in religionẽ, ſed tantùm continere manendo in ſeculo. In apoſtaſia autem, vel hæreſi, debet vel ſuſcipere, vel intrare in religionem. Et hoc fit, quia licèt maiora ſint illa crimina, adulterium tamen magis opponitur matrimonio; & ad adulteram accedens, digamiæ irregularitatem incurrit. Poteſt ergo vir vxorem veneficam, homicidam, aut furtis deditam, vel aliis criminibus obnoxiam (de qua diſputat Origenes in cap. 19. Matthæi, an poſsit dimitti, an neceſſario ſit retinenda ob Domini præceptum vetans di-

Hoc etiã ſoluitur: Si Chriſtus hoc loco de dimiſsione quantũ ad torum loqueretur, quorſum hoc, cũ aliæ (quę cenſerentur) diuortij cauſæ nõ deeſſent.

Quando maritus vxorem dimiſſam recipere nõ debeat, quando debeat, & quare.

Orig. tract. 8. in Matth. circa medium, tom. 2.

mitti,

mitti, æquitate autem aliud poſtulante) à ſe dimittere; ſola tamen cauſam fornicationis Dominus expreſſit, quòd hæc ſit propria diuortij cauſa in coniugio, cùm reliquæ omnes cauſæ ſint generales à quauis ſocietate Chriſtianum liberantes) & quòd ob fornicationem liceat in perpetuum dimittere, etiamſi is qui peccauit, pœnitentiam egerit, & à peccato ſuo reſpuerit. Aliæ autem cauſæ complectentes morbum aliquem contagioſum, temporariæ ſunt: & ſi contingant morbo contagioſo eam mundari, debet pars altera eam recipere.

Vir vxorem fornicatam innuptus tamen, cur dimittere poſſit.

In ſola igitur fornicatione datur copia dimittendi vxorem quantũ ad vſum coniugij. Primò, quia eſt in fidem matrimonij: & ideo frangenti poteſt fides frangi, id eſt, non reddi debitum, quo ſe priuauit ex natura fornicationis. Item, ne videatur Dominus velle fauere vxoris, vel viri peccato. Adhæc, quoniam, vt teſtantur Thomas, & Bonauentura, fornicatio non tantùm eſt culpa contra Deum, & animam, & proprium corpus, vt Paulus docet, ſed etiam directè cõtra bona matrimonij: quia tollitur per eam agnitio certa prolis: & fides promiſſa frangitur; & ſignificatio non ſeruatur, cùm alter coniugu carnem ſuam diuidat. Intelligenda eſt autem iſta poteſtas dimittendi adulteram, cùm is, qui dimittit, non eſt fornicatus: vel vxorem non proſtituit ſuam: vel eam nõ cognouit poſt fornicationem: vel non fuit fornicatio in infidelitate poſt diuortium: vel quę fornicata eſt, non ſuum virum ſimpliciter putauit ſuũ: vel vi eſt oppreſſa: vel eum cui nupſit, accepit, credens priorem maritũ fuiſſe mortuum. In omnibus enim his cauſsis licèt fornicatio ſit, ſeparatio tamen tori nõ fit: extra quas licitè fit, modò non ex vindicta fiat, ſed vt vitet infamiam, vel vt ipſa corrigatur. Hinc Doctores in his verſibus declarant cauſſas, quibus fornicantem non licèt dimittere:

Secunda ratio.

Thom. Bonauent.

1. Cor. 6.

Vxorẽ dimittendi adulteram qualis ſit illa poteſtas.

Simile, proſtituens: vis: mors, & credita forma.

Si conuertatur: poſt nouit: mittere nequit.

Septem cauſę vxorẽ non dimittẽdi fornicatam, explicantur breuiter.

& per Simile, intelligimus, ſi vir etiã adulterij fuerit conuictus: per ſecundum, ſi vir ipſe vxorem proſtituat: per tertiũ, violentiam qua ab altero vxor inuita comprimitur: per quartum, cùm vxor ex ignorantia inuicta putat virum mortuum, & alteri nubit, debet redire ad priorem virum: per quintum, cùm ab eo cognita eſt, quem inuictè, & ſine culpa credebat ſuum virum: per ſextum, ſi infidelis dimiſſa ab eo, qui factus eſt Chriſtianus, conuerti velit ad Chriſtum, tunc conuerſam iubetur vir nondũ vxoratus, vel nondum in ſacris ordinibus conſtitutus, vxorem recipere: per ſeptimum intelligitur reconciliatio, id eſt, poſtquàm ab adulterio vir ſibi reſipiſcentem vxorẽ reconciliauit, non poteſt eam dimittere. Et per fornicationem, quam hîc excipit Dominus, non tantum intelligẽda eſt carnalis coniunctio cum nõ ſuo, verùm etiam fornicatio ſpiritalis apoſtaſiæ, vel hæreſis, quemadmodũ inquit Auguſtinus: eo quòd Paulus permittat viro fideli dimittere vxorem infidelem propter infidelitatem, quæ fornicatio quædam ſpiritalis eſt. Ex quo Auguſtinus colligit: *Si infidelitas fornicatio eſt, & idololatria infidelitas, & auaritia idololatria, non eſt dubitandum & auaritiam fornicationem eſſe. Quis ergo iam quamlibet illicitam cõcupiſcentiam poteſt rectè à fornicationis genere ſeparare, ſi auaritia fornicatio eſt.* Hactenùs ille, quem ſequuntur auctor qui putatur Ambroſius, & quidam alij: nam in illa etiã re licet tori ſeparationem facere. Auguſtinus tamẽ lib. Retractationum hoc dictum retractat, & ſolùm licere diuortium in cauſa carnalis fornicationis decernit. Meritò autem non poteſt fornicatio tam generaliter accipi: nam ſic ſequeretur ob quoduis peccatum mortale fieri poſſe diuortium: quod falſum eſt, & contra ſacros Canones. Nam cap. *Quæ ſunt*, de diuortijs, aſſeritur, quod mulier pro furto, vel alio crimine niſi fidei ſuæ religionẽ corrumpere velit, ab eo ſeparari non debeat. Etſi ergo idololatria, vel hęreſis in Scripturis dicatur fornicatio, hîc tamen propriè accipitur de corporali, vt adulteriũ, vel alium illicitũ concubitum includit. Quia hîc Dominus loquitur de coniugio fidelium, quorũ ambo fidem Euangelicã ſuſceperunt: Paulus verò de coniugio infideliũ, quorum alter ad fidem cõuertitur. Plurima etiam alia argumenta ſunt cõtra prædictam expoſitionẽ, ſed illa ſeruamus ſuo loco ſoluẽda, nempè cùm tractabimus locum Matth. 19. ex quo ſumenda erunt quæ hîc deſunt. Interim paucis autoritatibꝰ Patrum, & Conciliorũ confirmabimus hunc ſenſum. In primis eſt Canon Apoſtolorũ XLVIII. ſiue ſecundùm alios, XLVII. qui ſic habet: *Si quis laicus cùm ſuam à ſe vxorem abijcit, alteram duxerit, aut ab alio dimiſſam, communione ſegregetur.* Qui cùm ſit vniuerſalis Canon, omnes dimiſsionis ſpecies, id eſt, in cauſa fornicationis, ſiue extra illã complecti debet. Deinde Euariſtus epiſtola ſua ſecũda ad Africanos ait: *Sicut vir nõ debet adulterare vxorem ſuam, ita nec Epiſcopus eccleſiam ſuam, id eſt, vt illã dimittat, ad quã ſacratus eſt, abſq; ineuitabili neceſſitate, aut Apoſtolica, vel regulari mutatione:*

Per fornicationem hoc loco quid.

Aug. lib. 1 de Dom. in Mõte, cap. 20. to. 4 circa finẽ. Idem in frà ca. 28. initio

Ambr. in ca. 7. ad Rom & ad Corinth tom. 5.

Aug. lib. 1 Retractatio ca. 19. to. 1. initio

Fornicatio quęnam impropria, & metaphorica.

Lib 8. tracta. 44. 45. 46. 47 & 48.

Eadem veritas coniugij ad vinculum inſolubilis grauiſſimis veterum Patrum teſtimonijs confirmatur.

Euariſtus Papa.

nec alteri ſe ambitus cauſſa coniungat. Et ſicut vxori non licet dimittere virum ſuum, vt alteri ſe (viuente eo) matrimonio ſociet, aut eum adulteret: licèt fornicatus ſit vir eius, ſed, iuxta Apoſtolum, aut viro ſuo reconciliari debet, aut manere innupta: ita eccleſiæ nō licet dimittere, aut ab ea ſegregare Epiſcopum ſuum, vt alterum, viuēte eo accipiant: ſed aut ipſum habeat, aut innupta maneat; id eſt, ne alterū Epiſcopū (ſuo viuente) accipiat ne fornicationis, aut adulterij crimē incurrat. Hæc ille: qui locum Apoſtoli 1. Cor. 7. de vxore dimittente virum fornicariū interpretatur.

Inno. c. I.

Adhæc, Innocentius I. epiſt. 2. ad Victricum Epiſcopum cap. 12. *Si enim de omnibus hæc ratio cuſtoditur, vt quæcunq; viuente viro, alteri nupſerit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi vnus ex eis defunctus fuerit: quantò magis de illa tenenda eſt, quæ ante immortali ſe ſponſo coniunxerat. & poſteà ad humanas nuptias trāſire elegit?*

Epiſt. 2.

Idem in epiſt. ad Exupe. Toloſ. Epiſc. c. 6. *De his etiā,* inquit, *requiſiuit dilectio tua, qui, interueniēte repudio, alijs ſe matrimonio copularūt: quos in vtraq; parte adulteros eſſe manifeſtū eſt. Qui verò vel vxore viuente, quamuis diſſociatum videatur eſſe coniugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neq; poſſunt adulteri nō videri, in tantū, vt etiam hæ perſonæ, quibus tales coniuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur, ſecundùm illud quod legimus in Euangelio: Qui dimiſerit vxorē ſuam, & aliā duxerit, mœchatur: ſimiliter & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Sic ille, nihil denuò ſtatuens, ſed declarās illud vinculum.

Leo. Pont.

Item Leo Papa, vt habetur 30. q. 5. c. *Qualis,* *Qualis,* inquit, *debeat vxor eſſe, quæ habenda eſt ſecundū legē, virgo caſta, & deſponſata in virginitate, & dotata legitimè, & à parentibus tradita ſpōſo, & paranymphis accipiēda & ita ſecundū legem & Euangeliū publicis nuptijs in coniugiū liquidè ſumēda: & omnibus diebus vitæ ſuæ (niſi ex conſenſu, & cauſa vacandi Deo) nunquam propter hominē eſt ſeparanda, & ſi fornicata fuerit, dimittenda, ſed illa viuente, altera non ducenda: quia adulteri regnū Dei nō poſſidebūt: & pœnitentia illius per Scripturā recipienda.* Hæc ibi.

1. Cor. 6.

Gregor.

Adhæc Gregor. vt habetur 32. q. 7. cap. Hi verò. *Hi verò, qui vxores ſuas in adulterio deprehendūt, nō licebit nec eū, nec eā, aliā vxorē accipere, vel aliū virum, quādiu ambo viuūt. Si aūt adultera mortua fuerit, vir eius, ſi vult, nubat, tantū in Domino: adultera verò nūquàm, etiāſi mortuus fuerit vir eius: omnib' tamē diebus vitæ ſuæ acerrima pœnitentia lamēta perſoluat.*

Alex. III.

Alexander III. in ca. *Ex parte.* de ſpōſalib. & matrimoniis. *Quia igitur nemini licet vxorem ſuā ſine manifeſta cauſa fornicationis dimittere, & tunc eam ſibi reconciliare debet, aut ipſa viuente cōtinere. Mādamus, quatenus eundē vt ſuperinducta dimiſſa ad vxorē ſuā redeat, & eam maritali affectione pertractet monitiōe præmiſſa per eccleſiaſticā cenſuram cogatis.* Ita Alexāder, nihil nouū ſtatués, ſed ius antiquum declarans.

Innoc. III.

Innoc. III. in c. *Gaudemus,* de diuortiis, volés probare multitudiné vxorū eſſe lege diuina prohibitā, ait: *Sanè veridica hæc ſententia probatur etiā de teſtimonio Veritatis teſtātis in Euangelio: Quicunq; dimiſerit vxorē ſuā, niſi ob fornicationē, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo vxore dimiſſa, duci alia de iure non poteſt; fortiùs & ipſa retenta: per quod euidēter apparet, pluralitatem in vtroq; ſex, cū nō ad impara iudicentur circa matrimoniū reprobandā.*

Matth. 19. Luc. 16.

Ad hęc Pontificū decreta accedūt, & nōnulla Cōcili. In primis Conciliū Elibertinū. can. 9.

Concilia. Concil. Elibertinum.

Fidelis fœmina, inquit, *quæ maritū adulterū reliquerit fidelem, & alterū duxerit, prohibeatur ne ducat. Si antē duxerit, non prius accipiat cōmunionem quàm is, quem reliquit, de ſeculo exierit; niſi neceſſitas infirmitatis dare cōpulerit.*

Concil. Mileuitanum.

Conciliū Mileuitanū can. 17. cui interfuit B. Auguſt. *Placuit, vt ſecundū Euāgelicam, & Apoſtolicā diſciplinam, neq; dimiſſus ab vxore, neq; dimiſſa à marito, alteri coniugātur, ſed ita maneant, aut ſibimet recōcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiā redigātur. In qua cauſa legē Imperialē petendā promulgari.* Hæc in illo Cōcilio; quod, licèt non habeat anathema, niſi in primis octo Capitib', in aliis vno & viginti non habet: tamen hic canon repetitur in Conc. VII. Africano. c. 69.

Concil. Affricanū ſiue Carthagin. VII.

Ac ne dicas, Concilia hæc prouincialia fuiſſe, addamus generalia. Nam Conciliū Florentinum, cuius doctrinam Sacramentorum Armeniis datam, à toto Concilio editam fuiſſe teſtatur Caietanus, de Sacramēto Matrimonij ita ſtatuit: *Quamuis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere; nō tamen aliud matrimoniū cōtrahere fas eſt, cum matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum ſit.*

Conc. Floren. in fine. Caietan.

Conc. Tridl.

Poſtremò Synodus Tridētina ſeſſ. 24. can. 7. ſic ſtatuit: *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit, & docet, iuxta Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, matrimonij vinculum nō poſſe diſſolui; & vtrumque, vel etiam innocentem, qui cauſſam adulterio non dedit, non poſſe, altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere; mœcharíq; eum, qui, dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, dimiſſo adultero, alij nupſerit, anathema ſit.* Hæc ibi. Et hactenùs de Conciliis.

Doctores. Clem. Alex. in fin. lib 2. tom. 2.

His ſubſcribunt magni, & veteres Eccleſiæ Doctores. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum: *Quòd autem conſulat Scriptura vxorem ducere, & nec à coniugio vnquàm permittat diſcedere, legem apertè conſtituit. Non dimittes vxorē, præter quàm propter fornicationem. Adulterium autem exiſtimat coniungi matrimonio, viuo altero ex ſeparatis.* Hæc

Circa med. Orig. com. 2.

ille, quæ iterum repetit libr. 3. Huius diſcipulus Origenes tract. 7. ſuper Matthæum: *Scio quoſdam*, inquit, *qui præſunt Eccleſiis, extra Scripturam permiſiſſe aliquam nubere, viro priori viuenti: & contra Scripturam quidem fecerunt dicentem, Mulier ligata eſt, quanto tempore viuit vir eius. Item viuēte viro, adultera vocabitur, ſi facta fuerit alteri viro. Non tamen omninò ſine cauſſa hoc permiſerunt: forſitan n. propter huiuſmodi infirmitatem incontinentiū hominum, peiorū comparatione quæ mala ſunt permiſerunt, aduerſus ea quæ ab initio fuerant ſcripta: Dico autē vobis, quoniam quicūq; dimiſerit vxorē ſuam ob cauſam fornicationis, & aliā duxerit, mœchatur. Forſitan audax aliquis, & Iudaicus vir aduerſans doctrinæ Saluatoris noſtri, dicet, quoniā & Ieſus dicens: Quicunq; dimiſerit vxorē ſuā, excepta cauſa fornicationis, facit eā mœchari, permiſit vxorē dimittere, quemadmodum Moyſes, quem retulit propter duritiam cordis Iudæorū hoc præcepiſſe: & hanc ipſam inquiet eſſe cauſſam fornicationis, per quam iuſtè vxor à viro dimittitur; ſecundùm quam & Moyſes præcepit dimittere vxorem, ſi inuenta fuerit res turpis in ea. Sed ad hoc ita eſt reſpondendum: quoniam ſi ſecundùm legem adultera lapidatur, manifeſtū eſt quoniā non ſecundùm hoc intelligitur res turpis. Nec enim in cauſſa adulterij oportet dare libellum repudij.* Et poſt pauca alia ſubdit. *Qua enim ratione adultera eſt mulier, quāuis legitimè nubere videatur viro viuente, eadem ratione & vir quāuis legitimè accipere videatur dimiſſam ab aliquo viro, non accipit legitimè ſecundùm ſentētiam Chriſti, ſed magis mœchatur, quaſi alienam accipiens.* Hactenùs Origenes.

Rom. 7. & 1. Cor. 7.

Cur olim diuortium Origene teſte permiſſum.

Deut. 24. Matth. 19.

Leuit. 24. Ioan. 8.

Athenag. ſub finem orationis.

Athenagoras in legatione pro Chriſtianis ad M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum Imperatores, &, quod plus eſt, philoſophos: *Secūda*, inquit, *nuptiæ, decorum quoddam adulterium eſt. Qui enim dimiſerit vxorem ſuam & duxerit alteram, adulterat, inquit Dominus noſter: neque dimittere illam cōcederis, cuius delibata eſt pudicitia, & alteram ducere. Nam qui prima vxore, licèt defūcta, ſeipſum priuat, quanquā diſſimulāter, & mādatū Dei trāſgreditur, quoniā à principio Deus virum vnū, & mulierē vnam creauit; & carnem à carne, & vnionē miſcendi vtriuſq; ſexus ſeparat.* Hæc ex Perionij verſione: quæ quoniam ſubobſcura ſunt, addam verſionem Ioannis Langij; quæ ſic habet: *Secundum enim matrimonium ſpecioſum eſt adulterium. Qui namq; repudiauerit, inquit, vxorem ſuam, & duxerit aliam, adulterium committit: neq; per diuortiū eam dimittere, cuius virginitatis florem aliquis violauit, neq; ſecundas adire nuptias permittēs. Siquidem qui ſeipſum orbat priore vxore (etiāſi illa mortua, diuortium fiat) occultus, obuelatusq; eſt adulter, manum quidem (hoc eſt, fictionem)* Dei, eiuſq; facturam tranſgrediens. *Quoniam in primordio vnum illevirum finxit, vnamq; fœminam: diſſoluens autem carnem à carne, vnionem commixtionis ad generis & ſexus communionē inſtitutam.* Taliter ille.

Matth. 5.

Geneſ. 2.

Secundū matrimonium quid Athenagoræ.

Tertu. procul à med.

Marcionis malè de coniugio ſentientis confutatio.

Tertullianus libro 4. in Marcionem introducit Marcionem ſic loquentem: *Qui dimiſerit*, inquit, *vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committet. Qui dimiſſā à viro duxerit, æquè adulter eſt, vt ſic quoq; prohibeat diuortium, illicitum facit repudiata matrimoniū; Moyſes verò permittit repudium in Deuteronomio, &c.* Et reſpondens Tertullian^9^ ait: *Dico illum* (nempè Chriſtū) *conditionaliter nunc feciſſe diuortij prohibitionem, ſi ideo quis dimittat vxorem, vt aliam ducat. Qui dimiſerit, inquit, vxorem, & aliam duxerit, adulteriū commiſit: & qui à marito dimiſſam duxerit, æquè adulter eſt. ex eadē vtiq; cauſa dimiſſam, qua non licet dimitti, vt alia ducatur: illicitè enim dimiſſam pro indimiſſa ducens, adulter eſt. Manet enim matrimoniū quod nō ritè diremptū eſt. Manēte matrimonio nubere adulterium eſt. Ita ſi conditionaliter prohibuit dimittere vxorem, non in totum prohibuit: & quod nō prohibuit in totum, permiſit.* Ita Tertullianus aſſerens in totum non prohibuiſſe diuortium, quia permittit quantum ad communionem, & corporum commixtionem, ſeparationem; non autem in totum, quia nō abſolutè ſoluitur vinculum, nec poteſt vxor ita dimitti, vt alia ducatur: quod contendunt in cauſſa fornicationis accidere.

Deut. 24.

B. Baſil parū à med.

Baſilius libro De vera virginitate: *Non audis quoniam qui dimiſſam duxerit, mœchatur? Etſi enim*, inquit, *pro culpa dimiſſa eſt, viuit tamen vir eius. Quid ergo dimiſſam perturbas? cur illi ſpatium non das, vt de his agat pœnitentiam, quorum gratia dimiſſa eſt? & vir à ſe dimiſſæ pœnam, emendationemq; miſeratus, ad ſe rurſus proprium reuocet membrum? Quid emendandi ſpaciū præripis, viuente viro ſic dimiſſam ducēs? Permitte, inquit, aut ad viuentē virum remeare meliorem factam mulierem; aut certè cùm neq; vidua, neque vxor ſit, pro remiſſione culpæ, quæ peccauit in virum, ſemper pœnas dare. Tu cur antequàm peccatum ſuum, pro quo dimiſſa eſt, planè intelligere poſſit, eam ad coniugiū rapiens, impudentiorē ad ſcelera deinceps facis? nempè, viuente viro, alienā adulteras cōiugem, facilemq; illi ad nequitiam reditum (vt dixi) per cōnubium pandis.* Sic ille, interpretans verbum Domini: *Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, de vxore quacunque ratione dimiſſa. B. Chryſoſtomus ſermone de libello repudij, in dictum Pauli: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vixerit vir ſuus, &c. Igitur quænam eſt lex illa*, inquit, *quam nobis Paulus poſuit? Mulier, inquit, non ſeparetur, viuente viro, neque alium ſuperinducat maritum, neq; ſecundas*

B. Chryſoſto. prope initiū, to. 4. ſub finē

1. Cor. 7. Rom. 7.

nuptias habeat. Et vide quanta cum diligentia verborum vſus ſit proprietate. Non enim dixit. Cohabitet viro, quoad vixerit vir illiꝰ: atq; adeò etiamſi libellum repudij det, etiamſi domum relinquat, etiamſi ad alium abeat, lege adſtricta eſt, adulteráq; eſt talis. Nam quemadmodũ ſerui

Mulier adultera virũ relinquẽs, qualis Chryſoſt.

fugitiui, etiamſi domum herilem relinquant, catenam ſecum trahunt attrahentem: ita & mulieres etiamſi viros relinquant, legem habẽt pro catena, ſe perſequentem, & adulterij accuſantem, accuſantem etiam recipientes, ac dicentem: Adhuc ſupereſt maritus, & adulterium facinus hoc eſt. Mulier enim adſtricta eſt legi, quo ad vixerit maritus illius: & omnis qui dimiſſam in vxorem

Quouſque duret vinculum cõiugij.

acceperit, adulter fit. Quando igitur licebit illi ſecundas nuptias contrahere? Quando? Tunc vbi à catena liberata fuerit, quando vir morietur ſolùm. Quæ autem ſerua eſt, ac ſubdita legi, etiamſi millies libellũ repudij det, adulterij ligabitur lege. Ne mihi leges ab exteris conditas legas, præcipientes dari libellum repudij, & diuelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus eſt te Deus in die illa qua venturus eſt, ſed ſecundùm ſuas, vt ipſe ſtatuit? Quid igitur? & Moſes, aiunt, hoc fecit: &

Deut. 24.

ille propter iſtam cauſſam. Tu verò audi Chriſtũ dicentem: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, nequaquã intrabitis in regnum cælorum. Idem homil. 17.

Tom. 2.

ſuper Matthæum. Ille qui quidem ſi alterã duxerit, tunc ſi conſtituit criminis reum, qui adulteram fecit ex coniuge: hic verò accipiendo alienam, adulter effectus eſt. Nequaquàm enim mihi referas, quia illam alter eiecit. Nam expulſa quoq; vxor, eſſe eius qui eam expulit, perſeuerat. Hactenùs ille. Ambroſius in 16. cap. Luc.

Ambroſ. li. 8. in Lucam, ca 2. ſub. initiũ, tom. 5. Matth. 19.

Dimittis ergo vxorem quaſi iure ſine crimine. & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, ſed diuina prohibet? Qui hominibus obſequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obſequuntur etiam qui leges ferunt: Quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet. Sed non ſolum hic cæleſte præceptum, ſed quoddam etiã opus Dei ſoluitur. Pateris ne oro liberos tuos, viuente te eſſe ſub vitrico, aut incolumi matre degere ſub nouerca? Pone ſi repudiata non nubat: & hec viuo viro tibi debuit diſplicere, cui adultero fidem ſeruat? Pone ſi nubat: neceſſitas illius tuũ crimẽ eſt: & cõiugium quod putas adulterium eſt. Quid enim refert, vtrùm aperta criminis confeſſione, an mariti ſpecie adulterũ admittas? niſi quod grauius eſt legem criminis feciſſe, quàm furtum. Et infrà, alligatis verbis Apoſtoli. 1. Corinth. 7. ait: Simul hic idem Apoſtolus negauit legis eſſe diuina, vt coniugium qualecunque ſoluatur: nec ipſe præcepit, nec dicet deferendi autoritatem, ſed culpam abſtulit deſtituto. Et paullò ſuperiùs: Sed fortaſſe dicet aliquis; Quomodo Moyſes mandauit dare librum repudij, & dimittere vxorem? Qui hoc dicit, Iudæus eſt: qui hoc dicit, Chriſtianus non eſt. Hæc ille: quæ ſatis oſtendunt, ea quæ in epiſtolam ad Corinthios ſcripſit, non eſſe germana & ſyncera, ſed, vt quidam tradunt, ſalſata & deprauata.

B. Hieronym. epiſt. 30. non procul à prin. to. 1 ante me.

Hieronymus in epiſtola ad Oceanum de obitu Fabiolæ matronæ Romanæ; quam reprehendit, quòd relicto priori viro ſecundas nuptias contraxerit: laudat tamen quod poſteà agnito peccato ſuo, publicam egerit pœnitentiam, & ſubdit hæc verba: Igitur & Fabiola, quia perſuaſerat ſibi, & putabat à ſe virum iure dimiſſum (ob ingentia ſcilicet ſcelera & adulteria) nec Euangelij vigorem nouerat, in quo nubendi vniuerſa cauſſatio, viuentibus viris, fœminis amputatur; dum, multa diaboli vitat vulnera, vnum in cauſſa vulnus accepit. Idem in epiſtola ad Amandum:

Idem epiſt. 147. circa fin. tom. 3. Rom 7.

Omnes cauſſationes Apoſtolus amputans, apertiſſimè definiuit, viuente viro adulteram eſſe mulierem, ſi alteri nupſerit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris perſuaſionem, patris autoritatem, propinquorum cateruam, ſeruorum inſidias atq; contemptum, damna rei familiaris. Quandiu viuit vir, licèt adulter ſit; licèt Sodomita, licèt flagitijs omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec

1. Cor. 7. & 2. Cor. vlt.

Apoſtolus hæc propria authoritate decernit, ſed Chriſto in ſe loquẽte, Chriſti verba ſecutꝰ eſt, qui ait in Euangelio: Qui dimittit vxorem ſuam, excepta cauſſa fornicationis, facit eã mœchari: & qui dimiſſam acceperit, adulter eſt. Idem quoque in cap. 19. Matthæi: Vbicunq;, inquit, eſt

Idem tom. 9.

fornicatio, & fornicationis ſuſpicio, liberè vxor dimittitur. Et quia poterat accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret; ſic priorem dimittere iubetur vxorem, vt ſecundam, prima viuente, non habeat. Hucuſque Hieronymus.

B. Auguſt. to. 6 prope fin.

Auguſtinus duos integros libros, quos inſcripſit De adulterinis coniugiis ad Pollentium, qui putabat, ob adulterium vxoris licitas eſſe ſecundas nuptias, diligentiſsimè ſcripſit, & quæſtionem hãc exactè diſcuſsit, & pro hac ſententia quam tuemur, concludit, locumque hunc ſic eſſe interpretandum docet. Vnde libro 2. cap. 4. ait: Licitè dimittitur coniux ob cauſſam fornicationis; ſed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterij, qui dimiſſam duxerit, etiam ob cauſam fornicationis. Sicut

Cap. 5. initio.

enim manente in ſe Sacramento regenerationis, excommunicatur cuiuſquam reus criminis, nec illo Sacramento caret, etiamſi nunquàm reconcilietur Deo: ita manente in ſe vinculo fœderis coniugalis, vxor dimittitur ob cauſſam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamſi nunquàm reconcilietur viro, carebit autẽ, ſi mortuus fuerit vir eius. Reus verò excõmunicatus ideo nunquàm

carebit

carebit regenerationis Sacramento, etiam non reconciliatus; quoniam nunquam moritur Deus. Idem tamen in libro de Bono coniugali, cap. 7. in fine ait: *Interueniente diuortio, non aboletur illa confœderatio nuptialis; ita vt ſibi coniuges ſint etiam ſeparati, cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint poſt ſuum repudium copulati.* Et paullò antè: *Quomodo autem viro poßit eſſe licentia ducendæ alterius ſi adulteram reliquerit, cùm mulieri non ſit nubendi alteri (ſcilicèt poteſtas) ſi adulterum reliquerit, non video.* Chriſtianus Druthmarus in Matthæum: *Simplex Domini præceptum eſt, quòd etſi propter fornicationem dimiſerit, nec ille debeat aliam habere, quoadusque illa viuit, nec illa alium. Si autem legaliter occiderit eã in iudicio, tunc poteſt alteram habere. Similem autem legem habet vir cum vxore, ſicut mulier cum viro, vt ſi vir mulierem adulterauerit, non poßit eã accipere, niſi vir ipſe moriatur; quia rem eſt de adulterio.* Anſelmus in cap. 5. Matthæi: *Hic præcipit non dimittere vxorem, niſi tantùm excepta cauſa fornicationis. Si enim ipſa ruperit legem coniugij, poteſt eam homo à ſe ſeparare, vt commixtionem illam auferat ſibi quam violauit; ſed tamen Sacramentum coniugij remanet, vt non aliam ducat.* Et in cap. 19. Matthæi: *Sola fornicatio cauſſa eſt ſeparationis. Poſtquam enim mulier quæ eſt viro iuncta, & vna erat in carnali copula, in aliam carnem illam vnitatem transmiſerit: & fornicationem illam diuiſerit: non amittet quidem vinculum coniugij; ſed meretur non amplius carnaliter cum viro ſuo copulari, quia contra copulationem peccauit.* Beda in cap. 10. Marci; *In Matthæo ſcriptum plenius eſt: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Vna ergo ſolummodò cauſſa eſt carnalis, fornicatio: vna ſpiritalis, timor Dei, vt vxor dimittatur; ſicut multi religionis cauſſa feciſſe leguntur. Nulla autem cauſſa eſt, Dei lege perſcripta, vt viuente ea quæ relicta eſt, alia ducatur.* Rupertus in Geneſ. lib. 2. cap. 35. *Igitur ſola fornicationis cauſſa rectè coniugatorum excuſantur diuortia, ita tamen, vt aut permaneant ſic, aut reconcilientur qui ab inuicem diſceſſere pro huiuſmodi cauſſa.* Ita ſentiunt Patres. Pleraq; alia ſuppetebant teſtimonia poſteriorum Doctorum, & præcipuè Scholaſticorum, quorum concors eſt ſenſus & conſenſus in hac ſententia, quam tot veterum Patrum, Romanorum Pontificum, & Cõciliorum autoritatibus confirmauimus. Et quamuis multa deſiderari valeant, quæ ad maiorem huius nodi diſſolutionem ſpectabant; illa tamen, ne hic tractatus creſceret in immenſum, in alium locum reiecimus. Interim intelligant Catholici omnes coniugati, legem ſibi eſſe à Chriſto præſcriptam, vt cum omni charitate vxores tractent; omnemque occaſionem illis præcidant: ſimulque intelligant, illas fornicantes, quibus tamen cauſam fornicationis non præbuerunt, ita ab ſe poſſe ablegare, & dimittere, vt tamen nouas nuptias conciliare non poſſint. Sed danda eſt eis opera, vt vel vxores olim dimiſſas, & emendatas ſibi reconcilient, vel inconiugati permaneant, vt Chriſto per Apoſtolum pareant loquenti, cui cum Patre & Spiritu ſancto in ſempiterna laus, honor, gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Idem eodem tomo. etiam ſub finem.

Chriſtianus Druthmar.

B. Anſelm. to. 1. in princ.

Beda c. 40. in Marc. tom. 5.

Rupert. Tuit.

Li. 8. Diſput. 44. & ſeq.

Chriſtiani cõiuges quomodo ſe gerere debeat.

TRACTATVS XL.

In illa verba: *Iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omninò, neque per cælum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, &c.*

POSTQVAM Dominus in ſuperioribus iniuſtitiam in proximum in ira & homicidio, & perſona ſibi coniuncta, nempe vxore, interdixit: nunc prohibet iniuriam in Deum, quæ tamen priori loco prohibenda videbatur. Sed oſtendere voluit, quàm ſit pacis noſtræ amator: & quòd odio proſequens fratrem quem videt, Deũ quem non videt, non diliget. ¶ *Dictum eſt antiquis, Non periurabis.* Antiquis qui ante legem extiterunt: ſiquidem iuramentũ pertinet ad religionem quæ ſemper fuit. Neceſſitas autem iuriſiurandi eſt à neceſſario commerciu inter homines, quòd in paciſcendo & terminando lites oportet habere inuicem de dictis, vel de promiſſis fidem: at quia ſolemus omnes eſſe mendaces, & conſequenter inuicem nobis non credere, & datam fidem ſæpè frangere; inuenta eſt religio iuriſiurandi, qua homo reprimitur ne mentiatur; tùm quia Deus eſt teſtis, qui non poterit falsò teſtari, nec aliquis eum mendacem facere: tùm quia DEVS eſt iudex: in omni enim iuramento ſubtacitè hæc imprecatio continetur, vt ſi non ſit verum quod iuratur, ipſe DEVS, vt iuſtus iudex, vltionem ſumat ſua die: quod qui non meruit, iam non eſt inter homines, ſed inter dæmones collocandus, quia illi credunt, & contremiſcunt. Præcipit autem lex naturæ, non eſſe peierandum, Geneſis 12. 21. 25. 26. & 31. Hoc autem præceptum habetur Exod. 20. Deuteronomij 5. Leuitici 19. *Non periurabis*

Scopus Domini.

Quibus dictũ antiquis: Non periurabis. Iuſiurandi neceſſitas vnde.

Iuramenti tacita conditio.

Iacob. 2.

Vbi Scripturarum periurium prohibetur.

in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus: Sapientiæ 14. inter peccata periurium numeratur, ſicut Pſalm. 14. dicitur: *Qui iurat proximo ſuo, & non decipit*: & in alio loco, *Nec iurauit in dolo proximo ſuo*. 1. Timoth. 1. periuri inter peccatores cenſentur: Atque hoc annotamus contra Priſcillianiſtas, qui, vt teſtatur Auguſtinus in libro de Hæreſibus, capite 70. docebant diſcipulos ſuos, vt iuramento interrogati, & requiſiti, nihil vnquam reualerent de illorum doctrina, & ad illius doctrinæ occultationem, licitum fuiſſe periorium: quapropter hanc ſemper in ore verſabant ſententiam.

Aug. tom. 6. initio.
Qui periuriū hæretici malum eſſe negauerunt.

Iura, periura, ſecretum prodere noli.

Eundem errorem impingit Bernard. ſermone 65. & 66. ſuper Cantica, quibuſdam ſui temporis hæreticis qui dicebantur Apoſtolici. Sed hic error prædictis locis ſatis eſt confutatus. Nam ſi mendacium ſuapte natura eſt malum; quanto erit deteriùs, ſi iuramento confirmetur? & vt quidam Ethnicus dixit: *Qui ſemel à veritate deflexit, is non maiori religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci conſueuit*. Hæc ille, notans mendaces facilè in periurium prolabi.

Bernard
Vnde illud conſtet eſſe peccatum, & graue.

Reddes autem Domino iuramenta tua. Hoc Caietanus, & alij quidam exiſtimant additum textui Leuit. 19. per Deuterotas quoſdam ſecundarios Doctores, id eſt, Scribas & Phariſæos, cùm ibi tantùm dicatur: *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus*. Alij verò non putant additum, ſed intelligunt, vtrumque concurrere cum eo quod dicitur Deuteronomij cap. 6. *Per nomen illius iurabis*: aiuntque prohiberi iuramentum per creaturas. At hoc non videtur poſſe cõſiſtere: quoniam ſancti in Veteri Teſtamento per creaturas iurabant, vt Ioſeph per ſalutem Pharaonis, & Iacob per timorem patris ſui Iſaac; imò etiam execrando, id eſt, deuouendo in cauſſa periurij: vt cùm dicitur; *Viuit anima tua*. 4. Regum 2. & 4. nimirùm: *Si ita non eſt, non viuas*; item, *Hæc mihi faciant dij, & hæc addant*. 3. Regum 19. quippè in eiuſmodi iuramentis execratoriis Deus inuocatur etiam, vt iudex: vnde Laban Geneſis 31. *Intueatur*, inquit, *& iudicet Dominus inter nos quando receſſerimus à nobis, ſi affl ixeris filias meas, & ſi introduxeris alias vxores ſuper eas*. Ergo quod dicitur: *Reddes Domino iuramenta tua*, ſiue, vt Græcè dicitur, ἀποδώσεις, hoc eſt perſolues, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ad honorem Dei præſtabis promiſſa in iuramento promiſſorio. Vel repetitio eſt eiuſdem, denotãs quòd Dominus exiget quod natura dictat; & Laban ſciebat in prædicto promiſſorio iuramento.

Leuit. 19.
Illud: Reddes autē Domino iuramenta tua, quid Caietano, quid alijs ſed ineptè.

Deut. 6.

Geneſ. 42.
Suprà 31.

4. Reg. 2. & 4.
3. Reg. 19.

Geneſ. 31.

Verior & ſolidior eius dicti intelligentia.

Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Iuramentum quod ad etymon ſuum ſpectat, à iure dicitur, teſte Auguſtino ſermone 28. de verbis Apoſtoli. quia ius ſuum tribuimus Deo, dum ſametur eum ſummam veritatem, qua noſtram firmamus: Vel, ſecundùm Thomam, Iuſiurandum ob id à iure dicitur, quòd pro iure ſit introductum, id eſt, pro lege habendum: ideò iura poſt præſtitum iuramentum, nullam aliam inquiſitionem permittunt, quia Deo eſſet irrogare iniuriam. Quantùm ad rem, ſecundùm Ciceronem de Officiis, Iuſiurandum, eſt affirmatio religioſa; ſecundùm Ariſtotelem verò in Rhetorica ad Alexandrum: Iuſiurandum cum diuina veneratione dictio probationis expers, id eſt, quæ alia probatione caret, ſecundùm Auguſtinum: *Quod eſt iurare per Deum, niſi, Teſtis eſt Deus?* Vt enim in his quæ ſciri poſſunt, & in ratione poſita ſunt, confirmatio procedit ex his quæ ſunt naturaliter nota; ideò ibi nec teſtibus opus eſt, nec iuramento: ita in moralibus, quia contingentia ſunt, & nimium varia, non poſſunt res ratione conſtabiliri, ſed opus eſt teſtibus. Humanum autem teſtimonium eſt fallax dupliciter: & vitio voluntatis, quia id quod non ſentit, per malitiam pronuntiare poteſt: & defectu intellectus, qui, ob ignorantiam, ſæpè de occultis & abſentibus fallitur.

Iuramenti duplex etymologia.
Aug. tom. 10.

Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. 10. 11. part. 2.

Quid ſit iuramentum.
Cic. lib. 3. de offic.
Philoſophus cap. de iuſiurando. tom. 3.

Aug ſer. 20. de verb. Apoſtol. circa medium. to. 10.

Humanū teſtimoniū poteſt fallere duplici de cauſſa.

Cùm ergo hominum teſtimonium ſit mendax; dictorum veritas ſolo diuino teſtimonio firmari poteſt, & ob id inuocato Deo, vt teſte, quia non eſt alius modus probandi: vt teſtatur Ariſtoteles in reſponſione ad Alexandrum. Et nomine diuini teſtimonij non tantùm Deum, & res diuinas; ſed etiam creaturas in Deum relatas intelligo. Nam qui per creaturas iurat, numen aliquod eſſe profitetur, ſiue falsò vt idolorum cultores, ſiue verè, vt Orthodoxi, qui Deum in creaturis exiſtere profitentur. Vnde Auguſtinus ſermone 28. de verbis Apoſtoli: *Non vos fallant*, inquit, *qui neſcio quomodo volentes ipſas iurationes diſcernere, vel potiùs non intelligere, dicunt non eſſe iurationem, quando dicit homo, Scit Deus, Teſtis eſt Deus, Inuoco Deum ſuper animam meã, verum me dicere. Inuocauit, inquit, Deum, teſtem fecit Deum. Nunquid iurauit? Qui hæc dicunt, nihil aliud volunt, niſi, inuocato Deo teſte, mentiri. Ita ne verò quiſquis eſt praui cordis, & peruerſi cordis, ſi dicas, per Deum, iuras, ſi dicas, Teſtis eſt Deus, non iuras? Quid eſt enim, Per Deum; niſi, Teſtis eſt Deus? Aut*

Ariſtot. loco dicto.
Iurantes per creaturas, etiam per Deum iurare.

2. Cor. 1.

Dicere, Teſtis eſt Deus, & ſimilia, verum eſſe iuramentum probat Auguſtinus.

quid

quid ſit, Teſtis eſt Deus, niſi, per Deum? Quid eſt autem iurare, niſi ius reddere Deo, quando per Deum iuras, ius ſaluti tuæ reddere, quando per ſalutem tuam iuras, ius filiis tuis reddere, quando per filios tuos iuras? Hæc ille: quibus conuincitur error Fabri ſuper illud ad Romanos 1. *Teſtis mihi eſt Deus*, dicentis non eſſe affectum iurantis, ſed aſſerentis: quod falſum eſſe, docet hic Auguſtinus, & Innocentius III. in titul. de Iureiurando, c. *Etſi Chriſtus*. & alij multi teſtantes Paulum iureiurando iuraſſe.

Error Fabri Stapulen. corrigitur. Rom. 1.

Innocent. III.

His præmiſſis, difficile videtur intelligere quid ſit, quod prohibeat Dominus. Nam ſi iurare eſt, citare Deum teſtem eius, quod dicis: quædam eſt huic præcepto ſententia, quæ è diametro videtur pugnare cũ lege veteri, quam tamen Dominus profeſſus eſt ſe non abrogare? Dicendum eſt, iuramentum nudum non eſſe rem per ſe malam & illicitam, ob annexam irreuerentiam, vt exiſtimauit Caietanus hoc loco: poſſe tamen inquit ex circumſtantiis honeſtari.

Sed contra hoc eſt. Primò, quia Scriptura id præcipere, vel ſaltem vt licitum concedere videtur: quocirca Deuteron. 6. dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis*; & Pſal. 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*, hoc eſt, qui diuinum honorem illi tribuunt, non alium Deum agnoſcentes; ac Eſai. 45. *Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua*: Item Exod. 22. præcipitur; *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad deos,* (nempe Sacerdotes) *& iurabit quod non extenderit manum in rem proximi ſui, ad perpetrandam fraudem.* Et infrà de commendato iumento vel boue, ſubditur: *Iuſiurandum erit in medio quòd non extenderit manum ad rem proximi ſui: ſuſcipietque Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur.*

Quod iuramentũ nõ ſit per ſe malũ. Deut. 6. & 10. Matth. 4. Pſalm. 62.

Eſai 45.

Exod. 22.

II. Argum.

Deinde iuramentum nequaquam eſt per ſe malum, quandoquidem id Deus vſurpat: *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus: Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum*: iterum, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum*

Geneſ 22.

Iacob 1. Pſalm. 131. Pſalm. 109.

Nec valet quod quidam Deo licitum eſſe iuramentum aſſerunt: quia, vt aiunt ex Ambroſio in Pſalmum 118. ſuper illud: *Iuraui & ſtatui, &c. Nemo benè iurat, niſi qui poteſt ſcire quod iurat. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum Iuret ergo ille, quem ſacramenti ſui pœnitere non poteſt: & poſteà noli vſurpare exemplum Sacramenti, qui implendi Sacramenti non habes poteſtatem.* Sic ille. Quod tamen non ſatis ſolidum eſſe videtur, quia Angelus etiam iurauit per Viuentem in ſecula ſeculorum, quia tempus non erit amplius: iurarunt etiam Patriarchæ, vt Abraham qui dixit; *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cæli & terræ*; iurauit Abraham ipſi Abimelech in Berſabee; Moyſes ipſi Raguel quòd habitaret cum eo, & Iacob ipſi Laban. Et Paulus etiam iurauit non ſemel, vt ad Rom. 1. 9. Galat. 1. & 2. ad Corinth. 11.

Amb tom. 4. Soluitur in contrariũ id: Nemo benè iurat, niſi qui poteſt ſcire (vt ſol⁹ De⁹) quod iurat.

Apoca. 10.

Ibidem. Geneſ 14.

Infrà 21. Infra 31. Exod. 2.

Tertiò, per ſe vitioſum non eſt, quod Eccleſia exigit ab hæreticis cùm reconciliantur, quemadmodum à Berengario; & Epiſcopus, ac Imperator, Pontifici ſummo, Romano Epiſcopo obedientiam iurant in ſua promotione. Hinc Innocentius III. vt habetur titulo de Sententia excommunicationis, c. *Excommunicamus*. excommunicat obſtinatè reſpuentes iuramenti religionem. Ad hęc, iudices exigunt iuramentum ex teſtibus: & Patres in Synodo 3. Epheſina exegerunt à Neſtorio hæretico, vt palinodiam ſuæ hæreſeos caneret, dicendo: *Conſequens eſt etiam iureiurando fateri te quòd anathematizes, & profana ducas tua profana dogmata: ſentias autem, & doceas, quæ nos ſentimus, & credimus.* In eadem Synodo Victor quidam Cyrilli amicus falſo accuſatus, non priùs purgatus eſt à crimine, quàm ſublatis in cœlum manibus per ſacroſanctum Baptiſmum, & myſteria veneranda ſe innocentem iuraſſet. Athanaſius in Apologia ad Conſtantium Imperatorem ſic iurat: *Tuæ pietati magna & clara voce reſpondeo, manuq́ extenſa, quod didici ab Apoſtolo, Deum in meam ipſius animam teſtor, & vt ſcribitur in libris Regum: iuſiurandum concipio. Teſtis ſit Dominus, & teſtis ſit Chriſtus eius, ſinas (quæſo) me loqui, nunquam in malum tui mentionem feci, apud fratrem tuum bonæ memoriæ, Conſtantem piſſimum Auguſtum, neque illum aduerſum te irritaui* Et paullò pòſt: *Vellem autem hunc hominem, quiſquis eſt, hic in præſentia adeſſe, vt delato iuramento ſub atteſtatione veritatis ab eo ſciſcitarer. Quæ enim ita dici, audirique volumus, quaſi Deo præſente, & ſub hac formula iuſiurandi nos Chriſtiani homines concipere ſolemus.* Hæc ille, & iurans per ſe Conſtantio, & exigens ab alio iuramentum. In Concilio Conſtantienſi inter hæreſes VVicleffi damnatus eſt articulus tollens omnia iuramenta quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, & commercia ciuilia: & decretum eſt à Patribus, vt ad confirmationem fœderis, quod pro euerſione ſchiſmatis inierant Romanorum, & Aragonum Reges, iuramentum ab omnibus qui in Concilio aderant, flagitaretur: quod ilicò factum eſt.

III. Argum.

Innocent. III.

Qui exigant iuramentum.

Synod Epheſiana III.

Athan to. 2.

2. Cor. 1.

Magni Athanaſij iuramentum.

Concil. Conſtantienſ.

Hæretici

Quorundã & veterum, & recentium hæreticorum in cauſa de iuramento doctrina.

Hæretici quoque dicti Vvaldenſes, & noſtro ſeculo Anabaptiſtæ, ex his verbis Domini, & Iacobi Apoſtoli, capit. 5. falsò collegerunt, nullum omninò iuramentum Chriſtianis eſſe licitum: & ante hos omnes Pelagiani negabant licere iuramentum; & iuramentum non eſſe, ſi quis dicat, Teſtis eſt Deus, vel, Teſtem inuoco Deum in animam meam; ſed tantum ſi dicatur, per Deum, vt oſtendit Auguſtinus epiſtol. 89. ad Hilarium in reſponſione ad 5. quæſtionem.

Iacob. 5.
2. Cor. 1.
Aug. tom. 2.

IV. Argum.
Hebr. 6.

Quartò, vtile eſt, vt innocentes infamati purgentur, lites terminentur, (Quia omnis controuerſiæ finis, ad confirmationem, eſt iuramentum, vt ait Apoſtolus) ſiue pro pace firmanda, & fidelitate promittenda exigatur ſacramentum.

V. Argum.
Hier. tom. 9.

Quintò, quia iuramentum actus eſt latriæ: ſiquidem per illud quod veneramur, & diligimus, iurare conſueuimus, vt docet Hieronymus in Matthæum. Ideò Deus maior, & omnia ſciens, & iuſtus, & punire valens periuros, exiſtimatur, cùm ſtatur iuramẽto ab exigente. Et latria eſt ex parte teſtium, & honor præſtandus idolis, præſtatur Deo vero, quemadmodum de ſacrificiis legis aſſerimus, quæ ne exhiberentur idolis, Dominus præcepit ſibi offerri: ex parte verò rei iuratæ, id eſt, actus humani, id eſt, vt piger, & ad fidem habendam tardus, tanto teſte allegato, credat. Et quia ſpecies ab obiecto ſumitur, & bonum in moribus à fine proficiſcitur, & proximus finis eſt confirmare actum humanum, non Dei honor; ideo non eſt propriè, ſed impropriè actus latriæ. Eſt ergo iuramentum ob nos quidem immediatè, principaliter autem, & remotè propter Deum: quemadmodum aſtra propter nos proximè creata ſunt (nobis enim lucem ipſam quia indigemus, miniſtrant) propter Deum verò, & præcipuè, & remotè.

Iuramẽtum vt ſit actus latriæ.

Iuramẽtum non eſſe per ſe bonum

Rurſus iuramentum per ſe bonum non eſt, vt docet Auguſtinus libro de Mendacio, capite 15. & libro 1. de ſermone Domini in Monte, capite 30. & ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione 89. art. 5. nam eius voluntas, & frequentatio prohibetur. Hinc Iacob. 5. dicitur: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum*: & Salomon, *Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa.* Et infrà: *Vir multum iurans, implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.* Ac rurſus; *Loquela*, inquit, *multum iurans, horripilationem capiti ſtatuet*: (id eſt, horreſcere capillos capitis faciet) *& irreuerentia ipſius, obturatio auritum.* Quibus verbis vult Sapiens, homines ad frequens iuramentum exhorreſcere, & non minus continere ac obturare aures, quàm ſolebant Iudæi ad diuina blaſphemia. Voluntas autem, & frequentatio rei per ſe bonæ, melior eſt. Tum quia eſt tantùm in remedium defectus, quemadmodum pharmaci potio, vel ſectio membri in remedium corporis ęntius: ergo non eſt per ſe bonum, nec frequentandum niſi ob defectum, hoc eſt, ob incredulitatem, & tarditatem eorum, qui non præſtant fidem dicti teſtis. Nam quia ita natura comparatum eſt, vt principia, & concluſio ſint eiuſdem generis, nempè vt neceſſaria concluſioni neceſſariæ, & probabili probabilia argumenta adhibeantur, cùm res confirmanda cadere, & fallere poſſit, non eſt ob defectum rationis, vel linguæ ſine neceſſitate adhibendum teſtimonium nunquam fallens. Ad hæc, ſi ſuapte natura bonum eſſet, haud eſt veriſimile, Chriſtum à re per ſe bona nos arcere voluiſſe. Cùm igitur iuſiurandum, nec per ſe bonum ſit, nec per ſe malum, ſupereſt, vt quandoque licitè fiat, quandoque illicitè. Licitè quidem, cùm ſuis circumſtantiis eſt ornatum, de quibus Ieremias inquit: *Et iurabis, Viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia.* In quæ verba Hieronymus ait: *Veritas ſit in iure, iuſtitia in cauſſa, iudicium in modo iurandi.* Sic ille. Veritas autem, & iuſtitia neceſſariò requiruntur, & ſpectant ad rem iuratam, ne vel falſa ſit, vel iniqua. Iudicium autem, prudentiam ſignificat, quæ cauſſam iurandi reſpicit, tempus, locum, & formam: ad quæ reducuntur fides, deuotio, ieiunium, quæ ſpectant ad honeſtatem. Cauſſa enim iurandi eſt neceſſitas, charitas, vel vtilitas prædicta, vt dictum eſt: atque hæc peculiariter ob Dei reuerentiam, & facilem linguæ lapſum, vt ita euitetur periurium. Et quoniam illæ conditiones non ſemper actu ſunt, propterea illicitum redditur iuramentum.

Iacob. 5.
Eccleſ. 23.
Infra 27.

Quid illud Sapiẽtis: Loquela multũ iurans, horripilat omẽ capilla.. uet.

Iuramẽtum ad quid inſtitutum tantummodò.

Secunda ratio, cur iuramentum nõ ſit per ſe bonum.

Iuramẽtum quando licitum ſit, quãdo non ſit.
Ierem. 4.
Hier. tom. 5.

Ad iuramentum tria requiruntur.

Quamobrem Chriſtus hoc loco docet iuramentum nullo modo faciendum, aut appetendum, vt per ſe bonum opus, quale eſt orare Deum, & in illum credere. Sic enim Iudæi iurabant. Secùs in cauſſa, qua dictaret charitas aliter faciendum; non eſt enim conſilium contra charitatem. Vel vt plurimum, iuſiurandum ſuadet vitare, vt declinemus periurium. Omninò ergo, non ſignificat hoc loco quacunque ex cauſſa, cùm ſæpè id iuſtitia, & charitas ſuadeant faciendum, ſed iuxta modum loquendi, non iurare omninò,

Vt vetet hic omne iuramentum Chriſtus.

Non iurate omnino quid.

eſt nullo

eſt nullo modo iurare, ſiue aſſerendo, ſiue promittendo, ſiue execrando, ſiue comminando; ſiue per Deum, ſiue per creaturas, ne prolabamur in periurium. Non ergo omninò intendit tollere iuramentum, ſed illud malum, vnde venit iuramentum. Ideò ait: *Ego autem dico vobis, non iurare omninò*: id eſt, Tales vos diſcipulos meos eſſe volo, atque ita perfectos, vt per vos non fiat, quo opus ſit iuramento, vt qui iuret, non à ſuo malo iuret, quod in ſe ſit, quaſi ſit mendax, aut de mendacio meritò ſuſpectus: qui enim hoc malum à ſe auferret, quod eſt innata malitia hominum, & pronitas ad mendacium, non quæreret ab vllo iuramentum; aut ſi quæreret, iniuria quæreretur, & ſic eſſet à malo alterius, non ſuo; neque eſſet peccatum, ſed virtus. Sunt enim quædam virtutes, quæ à malo proficiſcuntur, vt pœnitentia, & verecundia, quas præſtaret ſimpliciter non eſſe, quia poneretur culpa non eſſe, quod DEVS à nobis vellet. Sic ergo vos componite, & ita fideles, ac veraces oſtendite, vt nullus à vobis iuramentum requirere valeat, nec vos ab aliis. Idcircò beatus Iacobus frater Domini ait: *Nolite iurare*; id eſt, Non ſit vobis iurandi voluntas, vt cùm iuratis, videamini ad hoc bono fine compulſi. Sic etiam intelligitur illud Matthæi capite quinto: *Ego dico vobis, non reſiſtere malo*: nimirùm tales eſtote, vt parati ſitis quod ex vobis eſt, ad ferendum omne malum propter me, per quod non tollitur defenſio, ſi res ipſa poſtulauerit. Eſt enim tempus, quando quis, ſi ſe non defenderet, peccaret. Sed quia ſæpiùs in aliam partem peccatur; ideò Dominus perfectionem requirens, etiam ab eo quod licebat, volebat nos abſtrahere. Ita etiam de iuramento. Atque hunc ſenſum docet nos locus ille Eccleſiaſtici capit. 23. ſupra citatus, & Auguſtinus epiſt. ad Hilarium: *Iurationem*, inquit, *caue quantum potes. Meliùs quippe nec verum iuratur, quàm iurandi conſuetudine, & in periurium ſæpè caditur, & ſemper periurio propinquatur*. Idem ad Publicolam: *Si tamen illud adhuc mouet, quod in Nouo Teſtamento dictum eſt: Ne omninò iuremus. Quod quidem propterea dictum videtur, non quia verum iurare peccatum eſt; ſed quia peierare immane peccatum eſt. A quo nos longè eſſe voluit, qui omninò ne iuremus, admonuit*. Idem libro contra Mendacium: *Præceptum de prohibitione iuramenti ad hoc eſt poſitum, vt quantum in te eſt, non affectes, non ames, non quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas iuſiurandum*. Hic eſt ſenſus Auguſtini, quem ſequitur Chryſoſtomus in Matthæum. Quidam tamen exiſtimant, Dominum conſuluiſſe, non præcepiſſe omninò à iurando abſtinendum, vt Bernardus ſermone 65. in Cantica, damnans quoſdam hæreticos, qui aſſerebant illicitum eſſe iuramentum, licitum tamen eſſe peierare, ne ſecreta ſuæ ſectæ ab aliis ſcirentur, ait: *Patet, vos & ſuperſtitioſè obſeruare de iuramento, & flagitioſè præſumere de periurio. O peruerſitatem? Quod ad cautelam conſultum eſt, videlicet non iurare; hoc iſti mandati vice tam contentioſè obſeruant: & quod immobili iure ſanctum eſt, non peierandum ſcilicet, hoc tanquam indifferens pro ſua voluntate diſpenſant*. Sic ille: Et Chriſtianus Druthmarus in Matthæum ante ſeptingentos annos: *Ne Iudæi per idolorum nomina iurarent, permiſit eos Dominus iurare per nomen ſuum: nec nobis etiam inhibuit, ſed perfectionem nos docuit, quòd ea fides ſit habenda inter Chriſtianos, vt non ſit neceſſe iſtem nomen Domini interponere, periurium & illis, & nobis prohibitum eſt*. Sed profectò hæc ſolutio non ſatisfacit, quia certum eſt, Dominum hic aliquid voluiſſe prohibere vt illicitum, quod Iudæi licitum putabant: tùm etiam quia Paulus aliquoties iurans non videretur Domini conſilium ſecutus, & perfectione excidiſſe.

Chriſtianorũ perfectio circa iuramẽtum à Domino requiſita.

Quænã virtutes à malo ſint.

Iacob. 5.

Matth. 5.

Quomodo accipiendum ſit: Ego autẽ dico vobis, non reſiſtere malo.

Eccleſ. 23.

Aug. epi. 99. propè finem, tom. 2.

Idem ep. 154. ſub initium.

Idem li. 1. contra mendacium, cap. 15. ſub finem tom. 4. initio.

Chryſ. hom. 17. in Matth. tom. 2.

Bernardus iuramẽtum illicitum, licitũ periurium quoſdam aſſerẽtes, egregiè confutat.

Chriſtianus Druthmarus vetus autor, minus idoneam quam adferat prohibiti à Chriſto iuramenti rationem.

Aliter ergo exponit hanc prohibitionem iuriſiurandi Hieronymus: ſcribit enim in hæc verba: *Conſidera*, inquit, *quod hic Saluator non per Deum iurare prohibuerit; ſed per cœlum, & terram, & Ieroſolymam, & per caput tuum. Et hoc quaſi paruulis fuerat lege conceſſum; vt quomodo victimas immolabant Deo; ne eas idolis immolarent; ſic iurare permitterentur in Deum: non quòd rectè hoc facerent, ſed quòd melius eſſet Deo id exhibere, quàm dæmonibus: Euangelica autem veritas non recipit iuramentum; cùm omnis ſermo fidelis pro iureiurando ſit*. Hilarius can. 4. in Matthæum: *Superſtitionem*, inquit, *contumacia veteris condemnat: his enim elementorum nominibus Iudæis erat religio iurare, & cœli, & terræ, Ieruſalem, & capitis ſui: quibus in contumeliam, Dei Sacramento venerationem deferebant*. Hæc illi: quibus ſubſcribit Innocentius III. extrà, de iureiurando, c. *Etſi Chriſtus*. Hi enim omnes docent, Chriſtum prohibuiſſe iuramentum, non per Deum, ſed tantùm per creaturas, blaſphemè in illis conſtituendo finem, vt idolorum cultores faciebant.

II. Ratio.

B. Hier. tom. 9 in princ.

Hilarius.

Innocent. III.

Tertia ratio magis probabilis & ſolida.

Verùm hanc expoſitionem B. Thomas Auguſtinum ſecutus, deſeruit: & profectò Chriſtus videtur nos deterruiſſe ab omni iuramento, ſiue per Deum, ſiue per creaturas, non tantùm blaſphemè, vt idololatræ factitabant, ſed etiam immodicè,

B. Thom. in hunc locum, tom. 16. & ſæpè alibi.

vt ille

Leuit. 19. Chriſtũ prohibere nõ ſolùm per creaturas: ſed etiã per Deum omnino iurare.

vt ille populus ad cultum idolorum pronus, in more habebat. Et quia Dominus citauit Scripturas, *Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omninò.* Conſtat autem ex dictis, non tantùm vetuiſſe per creaturas, idola colentium more, ſed etiam relatas in Deũ, iurare: tunc enim redduntur iuramenta Deo, quãdo per creaturas ita iuratur, quaſi per Deum in illis exiſtentem, atque refulgentem. Si autem reprehendit Catholicè iurare per creaturas; multò arctiùs prohibuit iurare per Creatorem: licebat ſiquidẽ illi populo perinde ac nobis, iurare per creaturas.

Matth. 23 Per aurũ templi, non autẽ per templũ, aut altare, iuramentũ cur teneret ſecundùm Pharifæos.

Qua ratione Dominus Matthæi 23. accuſat Phariſæos, quòd docerent plebem, iurare per templum, & per altare, nó eſſe iuramentum: benè autem, iurare per aurum templi, aut per oblationem altaris, quoniam periurantes, poſita pœna auri, & oblationis, caſtigabant. Accedunt in cõfirmationem eorum quę dicta ſunt, differentiæ creaturarum, quibus Chriſtus rem explicauit. Eſt enim Deus, vt Theologi tradunt, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam in creaturis: qua ratione per creaturas iurare licitum eſt.

Quid iurare per cœlum & terram. *Ierem. 23.*

Primum modum explicuit per cœlum, & terram: quia enim Deus dicitur implere cœlum & terram, metaphoricè depingitur, vt homo qui ſedem habet in cęlo, vbi cernitur à beatis: & pedibus terram tangit, quaſi ſcabellum, quòd hæc omnia inferiora velut veſtigia pedum ipſius ſunt.

Iſai. vlt.

Quid verò per Ieruſalẽ & per caput iurare.

Per Ieruſalem autem loca ſacra, in quibus colitur Deus, intelligit; ibi enim exiſtimatur eſſe per præſentiam, vbi cum eo loquimur preces fundentes: nominatione verò capitis, vniuerſa quæ eius potentiæ & nutui ſubduntur, explicat: ideóque nefas eſſe iurare per caput, ſubiungit, quia non poteſt vnum capillum album nigrum facere, quia tota natura opificium potentiæ Dei eſt.

Quare Chriſtus vt per cęlum, & terrã, Ieroſolymã, & caput, ſic etiam per Deum nominatim non vetuerit iuramentum.

Interdicitur ergo in eo loco iurare per creaturas, quatenus in eis exiſtit Deus, & refulget, iuramentumq́ue deſtituitur veritate, & iuſtitia, & iudicio: fortiori verò ratione interdicitur iuramẽtum per Deum, quando ſcilicet abſque neceſſitate atque vtilitate effunditur. Subticuit autem illud Chriſtus, quoniam à minori ad maius negatiuè euidens erat argumentum: proinde dixit, *Neque per cœlum,* id eſt, non ſolùm per Deum, ſed etiam per creaturas.

Iacob. 5.

Hinc Iacobus Matthæum interpretaturus cap. 15. ait; *Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum, videlicet neque per Deum, neque per aliam creaturam.* Amputauit Dominus varios iurandi modos, quos Phariſæi vt licitos admittebant: quos tamen Dominus cohibet, quia & in illis comprehenditur nomen Dei. Quòd ſi inſeras; Si illis modis licitis Iudæis iurare non licet; nulla igitur ratione nos iuramentum aſſumere poſſumus: quod abſurdum videtur.

Quomodo ꝙ ipſe Chriſtus Deus inſtituit, nunc prohibet iuramentum? *B. Aug. tom. 4. ſnuſa.*

Si enim autor ipſe naturæ inſtituit iuramentum, ius naturale abrogaſſet. Reſpondet Auguſt. lib. de Mendacio, cap. 15. vitam & actus Sanctorum, regulam eſſe Scripturæ intelligentiæ, & Paulum poſt Chriſti mandatum non ſemel iuraſſe. Vnde nobis mandati ſenſum aperuit; vt quod dicitur, non iurare omninò, intelligas abſq; vrgente neceſſitate, ne ſcilicet iurando, ad iurandi facilitatem veniatur, à facilitate ad conſuetudinem, & ab hac ad periurium.

Idem cur vetat, vanè ſcilicet, & facilè iurare, cũ id lege ſit Naturæ prohibitum.

Si rurſus obiicias; Non ſolùm iurare ſine vrgente neceſſitate, ſed conſuetudinem & appetentiam iurandi, iure naturæ prohibitam eſſe: ius autem naturæ non Hebræos ſolũ, ſed & vniuerſos mortales ſemper obligauit: Chriſtus autem aliquid ſingulare nobis inhibere viſus eſt, cùm inquit: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis:* & quæ ſequuntur: *Ego autem dico vobis, non iurare omninò.* Reſpondetur, quòd etſi Dominus nihil prorſus prohibuerit, quod antiquis non eſſet vetitũ; explicauit tamen aliquid, quod illis non erat vſq; adeò apertum: deinde docuit, id, quod erat turpe, nobis, ratione ſtatus, eſſe turpius. Quod vt magis percipias, aduerte, quòd vtraque pars eſt præceptũ naturale, ſcilicet & iurare, quando ratio & neceſſitas id admonet, & non iurare, quando neceſſitas, vtilitasq; nõ adeſt. Idem ergo eſt, non iurare omninò, ac ſi dicas, non occidere omninò, vel nõ furari.

Chriſtus quare non dixit: Nolite iurare omninò, niſi ex neceſſitate, vel vtilitate.

Quare ergo non adiecit, niſi ex neceſſitate & vtilitate? Reſpondemus, minimè opus fuiſſe, quoniam præceptum naturale, quantumcunque ſub vniuerſalibus verbis proponatur, eas cauſſas, quas ipſa natura nõ comprehẽdit, nequaquam includit. Quod enim iudex maleficum, vel inuaſus interfectorem ſuum occidat; non eſt exceptio illius præcepti, *Non occides,* quia nunquam talia fuerunt illo præcepto incluſa. *Exod. 20.* Simili ratione furari in extrema neceſſitate; haud eſt exceptio illius præcepti, *Non furaberis.* *Ibidem.* Ad eum modum præceptum, *Nolite iurare omninò*, cauſſam neceſſitatis non includit; ideò perinde antiquos, vt nos, obligabat.

Iudæi iuramentum per creaturas nõ eſſe iuramentum cur putauerint.

At populus ille, vt ex verbis Euangelij coniectare licet, vel ob Iudæorum morem, vel ob ſuam cœcitatem, non arbitrabatur iuramento per creaturas aliquas ſe teneri, vt per templum, & per altare,

vt di-

Matth. 23.

vt dicitur Matth.23. & ideò non putabant. licèt falſum dicerent, ſe eſſe perituros, Ob id Chriſtus ait, *Nolite iurare omninò.* Et verbum, *Omnino,* nequaquam excludit omnes cauſſas (quandoquidem multæ neceſſitatem iurandi adſerunt) ſed modos omnes, & formas iurandi, vbi non adeſt neceſſitas, ſcilicet per cœlum, terram, & ſimilia, quæ ipſi iuramenta non putabant. Et ſicut in præcedentibus, inquit, *Audiſtis, Non occides, & cæt. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur, & ætc.* non adiecit illud quaſi olim eſſet licitum iraſci; ſed, quod ignorabant, explicuit: Sic, vbi præcepit, Nolite iurare, neque per cęlum, neque per terram, nil vetuit, quód vetitum non erat; ſed aperuit, iuramenta facta per creaturas, vera eſſe iuramenta, & ob id illicita, quando ſunt vana, id eſt, quando ſunt veritate, iuſtitia, & iudicio, vel horum aliquo deſtituta. Chriſtus igitur nobis interdicit iuramentorum frequentiam, tanquam turpiorem nobis, quàm illis. Chriſtiani etenim tanta charitate præſtare deberent, & tam perfecta, vt neque quemquam deciperent, neque deceptionem cuiuſquam metuerent. Charitas enim omnia credit. Ideò ad conciliandam inter ſe fidem, nullo inter eos opus eſſe deberet iuramento: hoc autem vbicunque eſt opus, ibi neceſſe eſt claudicare charitatem. Aut enim parum bene ſentit de eo, cui iurat; aut diffidit is, qui iuſiurandum ab alio exigit. Hinc Hieronymus dixit: *Euangelica veritas non recipit iuramentum, cùm omnis ſermo fidelis pro iureiurando ſit.* Deus etiam etſi olim iurauerit, Chriſtus tamen iurauit nunquam, ſed ſæpe dicebat; Amen, amen, id eſt, verè, verè, vel firmè, vel in veritate, vt Lucas expoſuit capit. 4. Vnde Chryſoſtom. licèt id pro iuramento accipiat homil. 11. ad Hebræos, & Origenes homil. 35. ſuper Matthæum, teſtatur Dominum cum affirmatione iuramenti pronuntiaſſe Petro, *Amen dico tibi, antequam gallus cantet ter me negabis:* tamen B.Hieronym. libr. de nominibus Hebrǫis, *amen*, propriè ſignificare ait, *verè*, vel, *fideliter*; & Auguſtinus tract. 41. in Ioannem ait; *Multum commendat quod ita pronuntiat, quodammodo ſi dici fas eſt, iuratio eius eſt.* Sic Auguſtinus, non audens planè vocare iuramentum, quia tantùm firma quædam eſt aſſeueratio.

Non iurandi omninò quid Chriſtus hoc verbo vetuerit.

Quanto Chriſtianis minus quàm Iudęis conueniat iuramentũ.

1. Cor. 13.

Hieronym. in Matth. ca. 5. tom. 9.

Chriſtus cũ ait: Amen, amen dico vobis, iuget, an affirmet.

Luc. 4.

Chryſ. to. 4.

Orig. tom. 2.

Matth. 26.

Hieron. 3. à med.

Aug. tom. 9.

Ex his igitut habemus ſenſum germanum huius loci: quem tamen Eraſmus non eſt aſſecutus: ait enim in hunc locum Theologos torquere hoc dictum, & ſimpliciter Chriſtum ſenſiſſe, perfectis non eſſe iurandum pro his rebus, pro quibus vulgus deierat: ſecus in cauſſa fidei, religioniſve. In ſupputationibus autem ſcripſit pariter licitum eſſe iuſiurandum Chriſtianis, ſicut bellum. Sed certè Eraſmus torquet verba Chriſti, tùm quia, vt dictum eſt, iurare, non eſt res per ſe mala; tùm quia Innocentius III. in cap. *Etſi Chriſtus*, viris perfectis & monachis permittit iurare in cauſſis monaſterij: & Epiſcopus, qui ad ſtatum perfectionis communicandæ aſſumitur, non ante conſecratur, quam iuramentum de præſtẽda obedientia ſummo Pontifici emiſerit. Quare, quæ beatus Chryſoſtom. hic, atque aliis penè innumeris in locis, ſentire videtur, iuramentum, rem eſſe peſſimam, atque ita Chriſtianis interdictam, vt nuſquam eis neque etiam in cauſa iuſta liceat, perbenignè eſt interpretandus, vel tanquam abuſum iurandi, & periculum periurij inſectans; vel certè ſi aliud ſenſit, deſerendus. Ait enim hom. 15. in Geneſin: *Iuramenta quoque modis omnibus fugiat* (Chriſtianus ſcilicet) *audiens ſententiam, quæ dicit; Dictum eſt antiquis, Non peierabis. Ego autem dico vobis, non iurandum omnino. Ne igitur dicat aliquis, in re iuſta iuro. Neque enim in re iuſta, neq; iniuſta iurare licet.* Et homil. 9. in Actus Apoſtolorum decernit, eſſe impios, & dignos, qui ab Eccleſia arceantur, qui in forenſibus actionibus, & contractibus, ac fideiuſſionibus, aut iurant, aut ab alio iuramentum exigunt. Et homil. 5. in Pſalmum: *Iurare à diabolo eſt: quod enim amplius his eſt, vt dixit Chriſtus, à malo eſt.* Et homil. 19. ad Populum Antiochenum: *Cum his autem omnibus audiſti Chriſti ſententiam dicentem, quòd non peierare tantùm, verùm & iurare quomodocunque, diabolicum eſt, & tota maligni machinatio.* Et libr. 1. in vituperatores vitæ monaſticæ: *Si iurare diabolicum eſſe comperitur, qua animaduerſione plectendi ſunt qui periurant?* Idem; vel potiùs non ipſe, ſed Autor Operis Imperfecti in Matthæum homil. 12. docet benè iurare per Deum, vel per creaturas, peccatum exiſtere: & quod benè iurare per creaturas, execrabilius ſit, quàm benè iurare per Deum: *Audite vos clerici,* inquit, *qui iurantibus Euangelia ſancta porrigitis, quomodò poteſtis ab illo iuramento eſſe ſecuri, qui ſemen periurij datis? Nunquid qui ignem portat, vnde conflatur incendium, alienus eſt ab illo incendio? Aut qui gladium porrigit, vnde homicidium cõmittatur, nonne eſt ſocius homicidij illius? Sic & qui occaſionem periurij præſtat, collega fit periurij eius. Si erat benè iurare iuſtum, iuſtè dicebatis, quia debemus illis Euangelium vt iurent, non vt periurent: nunc autem cùm ſciatis, quia & benè iurare peccatum eſt, quomodo poteſtis eſſe li-*

Quid theologaſter ille cenſor mundi Eraſmus hoc loco audeat T..cologis opponere.

Quib⁹ liceat iuramẽtum.

Innocent. III.

B. Chryſ. ho. 17 circa med. tom. 2.

Quæ mẽs fit Chryſoſtomi iuramentum arentis eſſe omnino Chriſtianis illicitum.

Idem tom. 1. in princ.

Idem tom. 5.

Idem tom. 1.

…dem tom. 5.

Idem.

Autor Oper. Imperfect. in Matth. to. 2. per. euſdem.

Clerici iurãtibus ſancta Euangelia porrigentes, vt ille ait, quomodo periurẽ.

beris, qui occaſionem das vnde peccetur in Deum? Ceſſet ignis, & incendium non fit: ſubtrahe gladium, & homicidium non committitur: ſic tolle iuramentum, & periurium non fit. Hæc de illis dicta ſunt qui iurant per Deum: eorum autem qui iurant per elementa, execrabilior iniquitas eſt. Hæc ille. Præterea cùm videret Chryſoſtomus, poſſe obiici, Deum ſæpe iuraſſe; reſpondet in Pſalmum 109. *Iuſiurandum quando audis, ne putes eſſe iuſiurandum, quemadmodum iram in Deo, ira non eſt, ſed ius puniendi & non animi perturbatio: ita etiam iuſiurandum. Deus enim non iurat: ſed dicit quod omnino futurum eſt.* Et homil. 47. in Geneſim, & 11. in epiſtolam ad Hebræos, explicat iuſiurandum Dei ad Abraham, non eſſe iuramentum, ſed promiſſionem; quam tamen humano more iuramentum appellat. Eodem modo ſoluit Athanaſius in ſermone de Cruce, & Paſſione Domini, qui interpretatur dictum iuramentum Dei ad Abraham, intelligens firmitatem, & conſtantiam mentis eius, per ſimilia iuramenta ſignificari. Sed profectò non videtur apta, & commoda ſolutio iſta. Quod enim ipſa Scriptura, imò Deus ipſe, iuramentum vocat, & Apoſtolus vt iuſiurandum exponit, atque iuramenti formam addit, tametſi Deus ſeſe accommodans, ad humanam infirmitatem id faciat, non deſinit tamen eſſe iuramentum. Nam ſimili ratione perfecti viri iurant, aliorum non credentium imbecillitati ſeſe attemperantes: & quia quædam profert Deus, quæ poſtea quaſi pœnitens mutat, iuxta illud: *Agam & ego pœnitentiam quod cogitaui vt facerem ei.* Ideò quæ omninò, & neceſſariò euenire voluit, iurat, iuxta id; *Sine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei:* &, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*; ad dicti firmitatem oſtendendam; non quòd eius dictum poſſit eſſe falſum. Sed non omne Dei dictum eadem firma voluntate prolatum eſt, ſed pendens à variis euentibus, quod ſubiicitur pœnitentiæ, & mutationi. Neque verò iuramentum perturbatio aliqua eſt, vt ira, vt ſit per metaphoram ponenda in Deo, atque Athanaſius ſupra productus, & iurauit ipſe, & iuramentum exegit. Deinde quia præceperat per Ieremiam Deus: *Iurabis, viuit Dominus in veritate, &c.* vbi videtur præcipi iuramentum per Deum. Soluit Chryſoſtomus homil. 17. in Matthæum: Iuramentum in Lege Veteri non fuiſſe præceptum, ſed duntaxat permiſſum, quemadmodùm repudium vxorum; ne per ſimulacra iurarent. At certè durum eſt, & violentum, iuramentum, vel repudium, tantùm fuiſſe permiſſum, tanquam rem malam: cùm Sancti, & Prophetæ ſæpe inueniantur iuraſſe. Et de repudio ſatis ſupra diſputatum eſt, peccatum minimè fuiſſe. Adde, quòd cùm maximè neceſſarium ſit iuramentum ad componendas ciuiles & Eccleſiaſticas controuerſias, non eſſe à viro bono detractandum. Soluit Chryſoſtomus hoc loco, & homil. 8. ad populum Antiochenum: *Quid igitur, ait, ſi iurandi neceſſitas ſit, inquit aliquis? Vbi eſt legis præuaricatio, non eſt neceſſitas. Et poſſibile eſt penitus, inquit, non iurare? Quid inquis? Deus iuſſit, & audes interrogare, ſi legem cuſtodire poſſibile? Difficile quippe non cuſtodire, & hoc per præſentia vobis perſuadere volo, quòd non difficile ſit non iurare, ſed iurare.* Hactenus ille. Verùm ſanè vbi ſuperior cogit ad iurandum, parendum eſt: & nihil poſſet terminari in cauſſis Eccleſiaſticis, vel ciuilibus, niſi medio iuramento. Nam, vt ait Apoſtolus: *Omnis controuerſiæ finis, ad confirmationem, eſt iuramentum.* Hanc tamen ſententiam ſequitur Epiphanius libro primo con. Oſſenos, vbi ait: *Igitur non oportet iurare, neque per ipſum Dominum, neque aliud quoddam iuramentum nam maligni illius (nempe diaboli) eſt iurare.* Hilarius Canon. 4. in Matthæum: *Lex pœnam poſuerat periurio, vt fraudulentiam mentium Sacramenti religio contineret. Fides verò Sacramenti conſuetudinem remouet, vita noſtra negotia in veritate conſtituens. Ergo in fidei ſimplicitate viuentibus, iurandi religione opus non eſt.* Hieronymus in Matthæum: *Hoc quaſi paruulis* (ſcilicet Iudæi) *fuerat lege conceſſum, vt quomodò victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent, ſic iurare permitterentur in Deum: non quòd rectè hoc facerent, ſed quòd melius eſſet Deo id exhibere, quàm dæmonibus. Euangelica autem veritas non recipit iuramentum; cùm omnis ſermo fidelis pro iureiurando ſit.* Theophyl. in hunc locum: *Iurare* (inquit) *& adiicere amplius ad etiam, vel non, à diabolo eſt. Porrò ſi dixeris, quòd & lex Moyſi mala erit, quoniam iurare iubet: diſce quòd tunc non erat malum iurare: poſt Chriſtum autem malum eſt, ſicut & circuncidi: & in ſumma quicquid eſt Iudaicum, Sugere enim puero conuenit, viro minimè* Sic illi. Sanè autem iuramentum non eſt res iudaica: eſt enim de iure naturæ, & à Patriarchis ante legem ſæpe vſurpata. Idem ait Euthym. in 5. cap. Matth. *Si iuramentum à diabolo eſt, quomodò ipſum Lex Vetus permittebat. Quia & animalium ſacrificia à malo quidem erant, & deceptione idolorum, ea tamen permiſit lex, propter Hebræorum infirmitatem. Cùm enim glutones eſſent, ac lurcones, Idolothyta amabant. Et item cùm eſſent increduli, iuramentum quoque diligebant.*

Deum impropriè iurare ſecundum Chryſoſtomum.

Mag. Athan. Geneſ 22.

Dei, cum iurat, propriũ id eſſe, verũ que iuſiurãdum.

Hebr. 6.

Ierem. 18.

Deus cur iuret.

Rom 11.

Pſalm. 109.

II. Argum.

Ierem. 4.

Illud Chryſoſtomi: diluitur: Iuramentum Iudæis, vt repudiũ, non præceptum, ſed permiſſum tantummodo fuit.

Deut. 24.

Et hoc etiã infirmatur: Vbi eſt legis præuaricatio non eſt neceſſitas.

Hebr. 6.

Epiphan.

Hilar.

Hieronym.

Theophyl.

Nõ eſſe rem Iudaicam, iurare.

Euthym.

Cur permiſſum olim iuramentũ Iudæis ſecundum Euthymium.

Oecum ca 7. circa med.
Iuramentū cur venerabile ſit,& ſacroſanctum.

Idem tradit Oecumenius in ca. 5. Iacobi, & eadem ferè quæ Chryſoſtomus, ac eius diſcipuli, Theophylactus, & Euthymius, tradiderūt. Verùm vt diximus, cùm iuramentum ortum habeat ex reuerentia quam Deo exhibemus, oſtendentes quòd ea cognoſcat, de quibus apud nos eſt controuerſia,& quod verax ſit, neque mentiri poſſit; & finem optimum habeat, quia neceſſarium eſt ad iuſtificandas hominum actiones, & ad finiendas inexplicabiles controuerſias, quæ humano iudicio ſolui non poſſunt: certè iuramentum res eſt veneranda,& ſacroſancta.

Triplex ſenſus Doctorū profertur, iuramentum Chriſtianis licitum eſſe negantium.

Quod ergo Doctores in contrarium aſſerunt; vel eò referendum eſt, ne quis vllo modo blaſphemè, ac impiè iuret per creaturas, quaſi in eis exiſtimet aliquid diuinitatis latere, quo modo Hierony. & Epiphanius ſunt interpretandi: vel eò referendum videtur, vt abuſum frequenter ſine neceſſitate iurandi tollant, & periculum periurij declinent, quo pacto Chryſoſtom. ex ardore inſectandi hoc peccatum, ſæpe loqui videtur; cupiens radicitus euellere inueteratam Græcorum licentiam, qui, vt ipſe ait, in officinis, in compitis, & in foro pro decem obolis, pro calceis, & viliſſimis quibuſque rebus iuramenta præſtare, & exigere non verebantur. Vel denique dicendum eſt, quòd voluerunt illi patres, vt hi, qui Chriſtianæ perfectionis ſtatum profitentur, non facilè in controuerſijs incidentibus iurent; cùm Chriſtus hoc illis inter cætera conſilia exhibuerit. Vnde Philo & Ioſephus ſcribunt de Eſſæis, perfectiſſimam vitam apud Hebræos profitentibus, illos iuſiurandum quaſi periurium vitaſſe. Atque in hunc ſenſum exponendi videntur Hilarius, Theophyl.& Euthym. qui aiunt, ſugere pueroconuenire, viris verò minimè; nempe viris imperfectis, ſeu incipientibus conuenire iuramentum, non autem perfectis.

Philo in l quę inſcribitur: Quod liber eſt quiſquis virtuti ſtudet, ante medium.
Eſſeni à iuramento quantum abhorrerent.
Ioſeph. li 2. de bello Iudai c. 7. circa med.

Quodnam, aſſertorium quod promiſſorium periuriū ſit.
Aſſertorium periurium quàm graue.

Et quia hoc præceptum eò tendit, vt periurium euitetur, paucis aperiam grauitatem huius delicti,& in primis periurij aſſertor (ſic vocant) quod eſt de re præſenti, vel præterita; deinde promiſſorij, quod eſt tantùm de futuro. Circa primum aſſertorium ſcilicet, etſi periurus fidelis meote non erret, ſed tantùm confidat, Dominum non indicaturum ſuum mendacium; facto tamen ita cum Deo agit, ac ſi non videret mendacium, vel ei vellet fauere; vel nolit, vel non poſſit periuros punire: cùm tamen nemo teſtem auderet Regem exhibere, vt falſum teſtaretur.

Eſt etiam occaſio, ne tanto teſti, quantus eſt Deus, ad veritatem teſtificandam allegato, fides non habeatur. Deinde, quia cùm ſit contra Deum, & non contra proximum, periurium peius eſt homicidio: quia peius putatur quod eſt in primam tabulam, homicidio, quod eſt in ſecundam. Tertiò, quia periurium punitur, vt Cicero ait libr. 2. de legibus, duplici pœna; diuina quidem exitio, humana verò dedecore; at verò canonicè infamia, & quòd non poſſit eſſe teſtis, & vna Quadrageſima in pane, & aqua ieiunet, & tribus Quadrageſimis communibus: vt habes 22. q. 13. & 6. q.1.cap. *Teſtimonium*. Et de iureiurando cap. *Querelam*. Quartò, quia peruertit fundamentum humanæ politiæ, id eſt, fidem; & talis fidei Deum violatorem facit: cùm tamen moris ſit peruerſi eos interficere, qui alteri obiicerent, Mentiris; cùm hoc de leui mendacio dicere, non ſit dignum morte, nam lex eam ſtatuiſſet. Ideo prouocare propter hæc ad ſingulare certamen, vel quenquam occidere, cùm omni iuſtitiæ aduerſetur, neque honeſtum eſt, neque honorificum: quia honor ſoli virtuti debetur.

Secunda ratio, periuriū cur grauius homicidio.
Tertia ratio, à pœnis.
M. Tull.
Quarta ratio

Gratiuitas periurij promiſſorij exponitur.

Iuramentum verò quo aliquid polliciti ſumus, violare turpiſſimum eſt, non ſolùm quia ſoluit fundamentum humani commercij, ſed quoniam cōtra Deum eſt, cuius nomen datur loco pignoris, & pro fideiuſſore; cùm tamen Deus, ob iuramentum promiſſum Abrahæ, filium ſuum in mortem tradiderit: & ob violationem iuramenti Sedechiæ deſtruxerit Ieruſalem; vt habetur 4 Reg.24.& 25. Ier.39. Ezech. 17. Plus tamen peccatur violando votum factum Deo, quàm iuramentum factum homini. Iurare autem rem illicitam, vel contra conſilium, periurium eſt, quia abutitur iuramento ad firmandum id, quod Deo nequaquam placet: ideò peius erit exequi. Et ſi res promiſſa eſt illicita in graui materia, lethale exiſtit periurium: in leui verò veniale. Si verò omiſſio ſit conſilij, ſimiliter delictum veniale erit.

Promiſſorij iuramenti quinq; conditiones.

In iuramento ergo, quo aliquid promittimus de futuro, adeſſe debet voluntas illud præſtandi, ſicut promittitur, ne ſit mortiferum, & doloſum: intelligitur tamen excepta ſemper voluntas ſuperioris, id eſt, Dei, vel Pontificis ſummi. Deinde quòd res in eodem ſtatu integra permaneat; non enim ſi ſano tibi iuraui reddere enſem, furioſo tibi debeo reddere: vel ſi tibi vero Epiſcopo,& Regi, cui fidelitatem & obedientiam iuraui, rc depoſito ſeruare debeo. Ad hæc intelligitur, niſi fuerit

abſolutus ab eo, in cuius gratiam fit iuramẽtum: vt ſi iuraui tibi reddere prima die Martij, non cogor, ſi tu remittis. Quartò intellige, ſi id præſtari valeat ab eo qui iurat, & quãtum eſt in eo: vt ſi promitto, vel iuro dare ſororem meam tibi in vxorem, nõ obſtringor, niſi vt bona fide laborem, quantum in me eſt, vt eam vxorem ducas. Quintò, in iuramento, quo quis ſe ligat alteri obſequi, intelligitur ſi præceperit licita & honeſta, atq; ea quæ fieri poſſint, nam in illis interdum epicheia cadit: vt, ſi iuraui reſidere in eccleſia, ſi abeſſem ab ea, ob vtilitatem Eccleſię, non cenſerer periurus.

Iuramentum incautum non eſſe ſeruandum.

In primis igitur diligenter diſcutiendum eſt quod promittitur in iuramento, & malè promiſſum ſiue iuratum negandum eſt, quemadmodum prudenter fecit Dauid cum Nabal, qui iurauit per Deum occidere virum impiũ, & ſtultum. 1. Reg. 25. & Salomon matri ſuæ iurauit mortem Adoniæ, & imprudenter impleuit. Sicut etiam Herodes, qui male promiſſum peius impleuit. Abominandum autem videtur vitium iuramenti, etiam veri & liciti, citra neceſſitatem, quia cùm alia vitia omnia cauſſam habeant lucri, vel honoris; vel ſolatij, hoc nullam habet, niſi abuſum libertatis linguæ in Deum, in quem vterque contendentium impudenter expuit iram ſuam, quaſi hoſtis eſſet amborum: cùm tamen eos ſuſtentet, & lege Romana verberetur iurans per genium principis, id eſt, cuſtodem Angelum: & Athenienſes, vt teſtatur Cyrillus libr. 10. in Iulianum, non audebant per ſuperiores iurare: & Plutarchus in Problematis ſcribat, *Iuramentum, pro tormento homini libero eſſe: Romani autem dicerent, à ſeruis veritatem per tormenta extorquendam: à ciue, iuramento: à ſacerdote, ſolo verbo*: quod circa ſacerdotem habetur. 22. quæſt. 5. cap. *Nullus*. Offendiculum etiam præbet hoc vitium, quia fit publicè, offenditq; eos, qui religioſi ſunt, & qui imitantur alios; fit etiam paſſim, & in omni tempora, & loco, & ex omnis perturbationis impetu, ſiue amoris, ſiue odij, ſiue iræ, ſiue lætitiæ, ſiue auaritiæ: ideò illo non niſi vt medicina venenata tantùm in neceſſitate vtendum: nomenque Dei ſacroſanctum, tot laudibus in Scripturis celebratum, & in cœlo ſanctos coronans, non alio ſanè modo eſſet à nobis vſurpãdum, quam eo, quo Sacramentum Euchariſtię ore ſuſcipimus.

1. Reg. 25.

3 Reg. 2. *Matth. 14.*

Iuramenti etiam boni aſſiduitas, quàm mala & vitioſa.

Cyr. tom. 3. *Plutarc. in q. conturitatis Romanis ante modum.* Eius multiplex abuſus.

Iuramẽtum, quando neceſſarium ſit.

Et vt ad iurandum ſit neceſſitas, opus eſt vt res ſit dubia: non dubitatione quæ ſpectet ad ſcientiam, vel ius, ſed quæ non poſſit alia via ſciri: vt qualitas rei aduocationem Dei in teſtem, & periculum peierandi compenſet. Debet & adeſſe reuerentia: ideò iure fit coram altari vel cruce, & iudice: & à ieiunio & ætatem habente, & dato ſpatio ad cogitandum; vti ceremoniæ iſtæ mouerent ad reuerentiam & timorem peierandi: ob id non dabatur iuramentum grauidis: vt habetur 22. q. 5. Nũc verò ſcriba aliquis (proh dolor) vel eius famulus ab inconſideratis iuramentũ exigit, plerumq; in inepta forma. Vnde fit, vt periuria à vulgo non magni pendantur: cùm tamen Iuramentum, cui deeſt veritas, vel iuſtitia, ſemper mortiferum exiſtat: cùm verò deſint circunſtantiæ iudicij, vel neceſſitatis, ſemper ſit veniale.

Vbi, & quomodo reuerenter fiat.

An habitus periurij ſit peccatum.

Conſuetudo autem cùm nihil ſit aliud quàm actuum quorundam frequentia, ſi actus illi mali ſint: conſuetudo non eſt peccatum ab eis diſtinctum, ſed ipſimet actus. habitus etiam ex frequentia prauæ actionis genitus, haud eſt peccatum, quia non eſt actus: ideò qui habitum tenet, modò de actu doluerit, egeritque pœnitentiam, nequaquam eſt in ſtatu peccati: ſed is tantùm verſatur in tali ſtatu, qui vel non egit pœnitentiam, vel propoſitum habet committendi peccatum, vel non tollit occaſiones eius: vel exercet artem habentem annexum flagitium. Tenens ergo habitum periurij, modò doleat, nequaquam eſt in ſtatu peccati cẽſendus exiſtere. Sed ſi cum actu iurandi habeat aliquis habitum mentiendi, cùm verum & licitum iuuare, non ſit mortiferum; tametſi extra neceſſitatem id fiat: tamen quia lingua facilè labitur ad mendacium, tum quia periculum eſt labendi lethaliter ideò opus eſt propoſito tollendi talem conſuetudinem: quod fit, ceſſando ab actu & familiaritate dante aditum ad iurandum, & imponendo ſibi aliquam pœnam, ſi iuret. Ad hæc, qui frequenter, & ſine cauſſa iurat, ſibi ipſi autoritatem adimit, & fidem: nam, vt Menander dixit, Ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε, Id eſt, *Malorum omnium iuramentum in aqua ſcribe*, Iurans verum, & credens eſſe falſum, vel dubitans eſſe verum, periurus eſt, formaliter loquendo, etſi verax ſit circa materiam: iurans verò falſum, quod credit eſſe verum, ratione materiæ periurus cenſetur, etſi, quod ad formam ſpectat, pro verace ſit habendus à nobis, quia nihil contra mentem dicit: iurans verò falſum, quod nouit eſſe falſum, & materia & forma ſimul periurus exiſtit. Iam pauca verba textus explicemus.

Quomodo quis periurio diſſueſcat.

Menandri de periurio dictum.

Qui ſint periuri.

Neque, inquit, *per cœlum*. Siquidem iurans intendit allegare indubitatam veritatẽ, non citat creaturas in ſe ipſis, ſed Deum

Neq; per cœlum cur vetet Dominus iurare.

ipſum

ipſum in eis fulgẽtem. Sed quia Iudæi pronierãt ad idola colenda, & nomen in creaturis putabant ineſſe, vel nõ offendi Deum in earum illicito iuramento: idcircò perfecti, qui nouerunt eas ad Deum referre, ſecuriùs, cum res poſtulat, per creaturas iurant: rudes autem fortè eis, non Deo, honorem, vel dilectionem impenderent: & explicatur Deus per eſſentiam eſſe in creaturis, cùm dicitur, per cœlum, & terram: per præſentiam, gubernando cuncta, quia videt omnia, dicendo eum regere Ieruſalem: vt principium rerum quæ arte & prudentia conſtant, monſtretur, cùm ait, in Ieruſalem, vbi artes, & doctrina morum vigebant: per potentiam, quia intrà, & ſolo imperio, non applicatis actiuis, non poſſumus mutare vnum capillum ab intrinſeco, eo quòd naturales vires non ſubſunt rationi, aut voluntati: quia ſolus Deus creauit omnia voluntate ſua, & conſeruat: quòd ſi quidam canos tingere ſoleant, id ab extrinſeco & artificio fit, nec tamen colorem illum immutant, ſed alio colore operiunt; vt ille, de quo Martialis:

Cœli, & Ieroſolymæ ſpiritualis intelligentia.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine capillis:
Tam ſubitò coruus, qui modò cygnus eras.

Lib. 3 ep.

Non ergo per cœlum: quia thronus Dei eſt: quaſi dicat, peierando per cœlum, iniuria fit Deo, cuius eſt ſedes: deierando per terram, iniuria fit Deo, cuius eſt ſcabellum. Notatur enim iudiciaria poteſtas Dei, quam hominibus deſcribit, ac ſi vt homo iudex ſederet, & terreni à Deo conculcarentur, cœleſtes honorarentur. *Neque per Ieroſolymam, quia ciuitas eſt magni Regis.* Alludit ad verba Pſalmi 47. vbi dicitur: *Ciuitas Regis magni, Deus in domibus eius cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eam.* Vbi ad literam eſt ſermo de Ieroſolyma: ſecundùm ſpiritum de Eccleſia, quæ eſt regia Dei, vt olim Hieruſalem. Sicut in duobus prioribus membris alludit Dominus ad Eſaiam, qui capite vltimo ait: *Cœlum ſedes mea: terra autem ſcabellum pedum meorum.*

Quid ſignificet: quia cęlum thronus Dei eſt.

Pſalm. 47. Thron' Dei qui myſticè.

Eſai 66.

Ponit verò exempla, quia nos aut iuramus per communes creaturas, vt cęlum, & terram: vel per ſacras, vt Ieroſolymam: vel per charas, & ad nos pertinentes, vt caput. *Neq; per caput tuum iuraueris.* Per quod, quia venerabilius, & amabilius in membris, iurare conſueuimus. Hinc Poeta Introducit Iunonem iurantem:

His exẽplis cur Dominus vtatur.

Chriſtus cur prohibet per caput noſtrũ iurare.

Virg. 4 Æneid.

Teſtor chara Deos, & te germana, tuumq;
Dulce caput.

Et Aſcanius apud eundem iurat.

Et caput hoc iuro per quod pater ante ſolebat.

Idem libr. 9. circa med. & fine m.

Videtur vetare Dominus modum iuiurandi: cum enim iuramentum fiat per rem ſuperiorem per ſe; qui per caput ſuum iurat, non videtur per aliquod maius ſe iurare. Sed hic eſt ſenſus huius iuramenti, vt ſi res aliter ſe habeat quàm ille affirmet, totum in caput ipſius iurantis vertatur: vbi tacitè inuocatur Deus. Et ſic intelligitur dictum illud: *Iurare in animam ſua, vel per animam ſuam:* & cùm inquit Apoſtolus, *Teſtem Deum inuoco in animam meam.* Sic qui per Deum iurabant, intelligebant: *Teſtem Deum inuoco in caput meum.* Sed hoc aſſerit Dominus non licere, quia non eſt homo dominus membrorum ſuorum, vt valeat, abſque peccato illa periculo exponere. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: Non, non.* Græcè dicitur, Ναὶ, ναὶ, id eſt, *Certè, certè:* Quippè, quippe: etiam, etiam: quæ vox à Terentio & Cicerone, & aliis Latinis autoribus eſt vſurpata. Et ſignificat, ſanè, certè, pro quo interpres tranſtulit, *Eſt, eſt.* Etiam, aut eſt, in alio loco vertit, vt ibi, *Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam,* vbi Græcè Ναὶ, habet. Et idem eſt Græcè ναὶ, quod Hebraicè Amen. Ex quo habes, dicentes, Verè, vel certè, vel, in veritate, vel amen, non iurare. Quod verò Ναὶ, & Amen, idem ſignificent, teſtatur Apoſtolus, cùm ait: *Quotquot promiſſiones Dei ſunt in ipſo eſt: ideò & per ipſum Amen, Deo ad gloriam noſtram.* Hoc verbum Chriſti: Iuuencus vno verbo eleganter deſcripſit:

Quid vetet Dominus hoc verbo.

Hinc duo loci quidam illuſtrantur. *Amos 8. 2. Cor. 1.*

Iacob. 5. Ναὶ particula Græcis quid.

Matth. 13.

Ναὶ Græcis, & Amen Hebræis, idem eſſe. *2. Cor. 1. Iuuenc lib. 4. Euang. hiſtoria.*

Eſt, eſt, ferte, quod eſt: quod non eſt, dicite, Non eſt.

Et Poëta:

Eſt, & non, cunctis monoſyllaba nota frequentant:
His demptis, nihil eſt hominum quod ſermo volutet.
Omnia in his, & ab his ſunt omnia, ſiue negoti,
Siue oti quicquam, ſeu turba, ſiue quietis.

Virg. in Epigram.

Omnia noſtra cogitata includunt eſſe, vel non eſſe. Et geminatio magis affirmat, & innuit vni eſt, & vni non mentis noſtræ: alterum eſt, & non vocis debere reſpondere, vel vni interrogationi: eſt ne ſic, vel non eſt? Reſponſio ſimplex, eſt ſic, vel, non eſt ſic. Eſtque ſenſus: Quod ad nos attinet, contenti eſſe debemus, eſt, & non. Si autem cogat neceſſitas, vel pietas, non eſt detrectandum iuramentum. *Quod autem his abundantius eſt,* (id eſt, quod his adiungitur, vel additur) *à malo eſt.* Hæretici quidam, vt Manichæi ponentes duo principia, Boni, & Mali Dei, negantesque vlla ratione licitum eſſe iuramentum, interpretati ſunt, eſt eſt; non, non, eſſe à bono; iuramentum autem à malo Deo; ſed vana eſt expoſitio, & vano fundamento nixa. Ideo Auguſtin. libr. 1. de ſerm. Domini In Monte,

Cur hęc verba, eſt, eſt: nõ, nõ, Chriſtus ingeminet.

Illud: Quod autem his abundantius eſt à malo eſt. Manichęi quomodo detorqueãt.

Aug. cap. 30. tom. 4.

A malo eſt, non malum eſt, dictum expendit Auguſtinus.

Monte, poſuerat non dixiſſe, Malum eſt, ſed, à malo eſt, id eſt, à mala cauſa, puta ex infirmitate humani generis, & plaga, quam ex crimine originali accepit: ex quo factum eſt, vt proni ſimus ad iurandum, & ad exigendum iuramentum, quòd nobis, vel aliis minus fidamus. Vnde Auguſtinus in expoſitione epiſtolæ ad Galatas (quod etiam habetur 22. q. 5. cap. *Non eſt*) affirmat, quòd iuramentum non eſt à malo, non quidem iurantis, ſed increduli petentis iuramentum. Neque tamen ſemper exigere iuramentum, eſt malum culpæ, ſed ſemper eſt malum pœnæ: quòd poſt originis labem homo amiſerit autoritatem in rebus grauibus: eſt tamen peccatum, quacunq;, vel leuiſſima de cauſa, iuramentum expoſcere: ſcelus verò grauiſſimum eſt, ab eo, quem ſcias peieraturum, iuramentum poſtulare. Hinc Auguſtinus ſermone in Decollatione Ioannis Baptiſtæ: *Ille qui hominem prouocat ad iurationem, & ſcit eum falſum eſſe iuraturum, vincit homicidam; quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animā: imò duas animas, & eius animam quam iurare prouocauit & ſuam.* Hæc ille: quæ habentur. 22. q. 5. cap. *Ille qui.* Vel dicendum, quod malum eſt in rebus prohibitis: non videtur autem cauſa cur prohibeatur quod ſit à malo pœnæ, id eſt, ignorantia exigentis cùm ignoret an alter dicat verum, vel velit mentiri, vel à mutabilitate ad malum eius à quo exigitur. Quia enim poteſt velle decipere, exigitur iuramentum: nam profectò quo magis iuſiurandum requiritur, eo amplius eſt à malo iſto modo, id eſt, pœna: & comedere eſſet prohibitum à malo pœnæ. Dicendo ergo à malo pœnæ, datur cauſa neceſſitatis iuramenti, & non prohibitionis. Vanum ergo eſt, quod Anabaptiſtæ noſtri ſeculi hæretici dogmatizarunt, exactionem iuramenti, quæ fit per magiſtratus, & principes in cauſis profanis, & ciuilibus, hîc à Chriſto interdici: quam doctrinam damnauit Concilium Conſtantienſe: & Geneſ. 21. idcircò vocatus eſt locus ille Berſabee, quia ibi vterque iurauit, id eſt, Abraham & Abimelech: & Geneſ. 26. Iacob & Abimelech iurarunt ſibi mutuò. In rebus tamen profanis parcè eſſe iurādum, tradunt etiam ipſi Ethnici. Iſocrates enim ad Demonicum ſcribens ait: *Iuſiurandum coactum propter duas admitte cauſas: vel vt te ipſum turpi crimine exoluas; vel vt amicos tuos in magnis periculis ſerues. Pecuniarum autem gratia per nullum Deum iuraueris, etiam ſi ſis verè iuraturus.* Et Baſilius in epiſt. ad Nepotes, quomodo ex Græcis autoribus captanda ſit vtilitas, Cliniam Pythagoræ familiarem celebrat, quòd cū liceret ipſi per iuſiurandum trium talētorum mulctam euadere, exoluit potiùs, quàm iurauit; & hoc cùm rectè vſurus eſſet iuramento. Quoniam verò tam Chryſoſtomus, quā Theophylactus & Euthymius, verbum, *à Malo eſt*, conſtanter ac frequenter, nempeà diabolo eſt, interpretantur, illud attingendum eſſe duxi. Nam & huic interpretationi Græca litera fauet, quæ habet ἐκ τοῦ πονηροῦ, qua voce intelligimus diabolum, qui propriè πονηρός eſt, ſcilicet laborem inferens, quia ſolicitans infeſtat nos ad peccatum: & ſi cedimus illi atque ſuccumbimus, præter cruciatum conſcientiæ internum, addicimur labori & æternæ pœnæ gehennæ; de quo dicitur in precatione Dominica: *Libera nos à malo:* quomodo interpretatur Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 5. myſtagogica, & Chryſoſtomus, & Ioannes in Canonica ſua, Cain, ait, eſſe ex maligno; ac rurſus de regenito, inquit, quod Malignus non tangit eum; quodque mundus totus eſt in maligno poſitus; & ita cōmune epithetum diaboli eſt πονηρός. Dicitur tamen iuramentum eſſe ex diabolo, non tantùm quia, illo ſuggerente & impellente, vel præſtamus ſine neceſſitate, vel exigimus, quia in eo manifeſtè peccatum eſt; verùm etiam quia cùm abeſt peccatum, & iuramentum religioſè, riteque vel exigitur, vel præſtatur, id ortum habet à dæmone patre mendacij, qui quidem cùm ex propriis loquitur, mendacium loquitur, quia mendax eſt, & mendacij pater. Et cùm Deus veritas ſit, quoties profertur mēdacium, quod veritati eſt contrarium, ipſi Deo aduerſamur. Quia ergo Satanas primus mendacium ſicut peccatum in mūdum inuexit; hinc eſt, vt quoties iuſiurandum redditur, ab infidelitate atq; illa procliuitate, qua inuicem nos decipimus, & nobis ipſis verba damus, profectum ſit: nam ſicut peccatum diabolo, ita etiam infirmitatem hanc, qua nobis inuicem fidem non habemus, illi tribuimus. Explicatque Iacobus Apoſtolus hunc locum, cùm ait: *Sit autem ſermo veſter, eſt eſt: non non, vt non ſub iudicio decidatis*, vel vt Græcè habetur, *in ſimulationem incidatis:* vt cùm quis per iuramentum creditur verax, & tamen mentitur, in ſimulationem incidit; quando bonitatem ſimulat, cùm malus ſit; Græcè enim dicitur, hypocriſin quæ vel pro condemnatione quæ conſequitur eos, qui indeſinenter, & ſine delectu iurant, & iurandi conſuetudine ad periurium feruntur: vel pro ſimulatione accipitur, vti diximus, vt ibi exponit Oecumenius.

Auguſt to. 4. propè finem.

Exactio iuramē̄ti cur ſemper malum pœnæ ſecundùm Auguſtinum.

Idem ſerm. de ſanctis, to 10.

Homicidam vincit, qui ſciens ad periurium hominem compellit, eodem autore.

Alter ſenſus illorum verborum: A malo eſt.

Publicis licere magiſtratibus iuramentum exigere contra Anabaptiſtas.

Concil Conſtant. ſeſſ. 12.

Geneſ. 21.

Infra 26.

Iſocrates iuſiurandū coactū propter duas admittit cauſas tātummodò.

Baſil. Mag. tom. 1. paulò à medio.

Clinias iurare etiam verum noluit.

Chryſ. ho 17. in Matt. to 2.

Theophyl. ibidem.

Euthy ibid.

Πονηρός Græcè quid.

Matth. 6.

Chryſoſt vbi ſupra.

1. Ioan. 3.

Geneſ 4.

1. Ioan. 5.

Iuramentū ex diabolo eſt dupliciter

Ioan. 8.

Iacob 5.

Sub iudicio (vt fratres Domini aiunt) quādo decidat quis.

Oecum ca 7.

Diuinæ Chriſti Legis, non iurandi, ad obſeruantiã adhortatio.

Poſtquam igitur tam procliuis eſt natura noſtra ad malum, & lingua noſtra ad mendacium, diligenter eſt nobis opera nauanda, vt hanc peſsimam iurandi conſuetudinem, quaſi decorum & ornamentum ſermnnis noſtri, longè à nobis ablegemus, abiiciamuſque, contentique ſimus ſimplici rerum aſſeueratione atque confirmatione, qua qui vtitur, maiorem ſibi comparat autoritatem & fidem apud alios; vt ſine vlla iuſiurandi ſpecie illi credatur. Quod ſi neceſsitas aliqua vrget, vel charitas poſtulet, non niſi ſumma ſobrietate, & reuerentia nomen Dei ſacroſanctũ in teſtimonium aduocemus; vt obſequentes ſimus legi Chriſti, per quem & cum quo Patri gloria, ſimul & Sancto Spiritui in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS XLI.

In illa verba: *Audiſtis quia dictum eſt, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi, & alteram, &c.*

Quàm hæc cũ ſuperioribus cohęreãt.

POSTQVAM Dominus in ſuperioribus docuit, Deo non eſſe iniuriam inferendam; iam legem tradit, qua homo inſtituitur, quomodò ſe debeat habere ad eos, qui iniuriam intulerunt, vel in perſona, vel in rebus, vel in operibus. Ad huius igitur loci ſenſum dilucidiùs exponendum: in primis dicendum eſt, quid in lege Moyſi eſſet traditum; & quatenus erat intelligendum; & quid addat Dominus ad illud.

Prima lex Iudæis data talionis quæ.

Aduertendum eſt, hanc legẽ talionis, qua quiſque tale patitur, quale alteri contra ius moliebatur, bis eſſe à Domino in Veteri Lege latam; ſemel contra hoſtem inuadentem, dicitur enim Exod. 21. *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit: ſubiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuit ſubſecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dẽtem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorẽ pro liuore.*

Exod. 21.

Idem ſtatuitur Leuit. 24. his verbis: *Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuiũ ſuorum, ſicut fecit, ſic fiet ei, Fracturã pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet; qualem inflixerit maculam, talem ſuſtinere cogetur.*

Leuit. 24.

Altera. Deut. 19.

Deinde eadem pœna decernitur cõtra falſum teſtem, Deut. 19. de quo præcipitur: *Reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui: vt audiẽtes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non miſereberis eius ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.*

Cur à Chriſto ſublata.

Erat autem hoc præceptum planè iudiciarium & non morale; ac proinde ceſſauit in Euangelio, quemadmodum iudicia cætera & ceremoniæ. Atque hæc lex olim continebatur in Lege XII. Tabularum, atque ab ipſa Lege Moſis fortaſsis accepta fuerat. Eius meminit Ariſtoteles in Ethicis, & vocat Repaſſum, vel Contrapaſſum, iuxta illud Rhadamanthi: *Si qua fecit, patiatur & ipſe, rectum fuerit iudiciũ.*

Ariſt. lib. 5. Ethic. cap. 5. tom. 3.

Prima ratio, illa lex talionis cur iniqua.

Sed ſemper Lex illa, trux, propter duritiam illius populi ad nectendas fraudes & calumnias procliuis, poſita fuit. Verùm hoc agnitum eſt crudele. Si namque rationem naturalem conſulas, ſatis eſt, vt qui occidit, occidatur: quod verò qui occidere procurauerit, reus fiat tanti criminis, durum; & iniquum videtur, præſertim quòd tantis minis abſterrerétur ab ſtudio accuſandi.

Secunda ratio.

Videtur etiam hæc lex iniqua, eo quòd ex repaſsione eius qui iniuriam intulit, nulla vtilitas perueniat ad eum, qui damnũ paſſus eſt.

Tertia ratio.

Ad hæc æquum non eſt, eum qui Principi iniurius extitit, & dente, vel oculo eum priuauit, ſimili damno punire: nam morte plecti, alia lege iubetur, qui Principi maledicit.

Exod. 22. & Act. 23.

Idcircò Iudæi intelligebant compenſationem fieri poſſe per bona externa, iuxta qualitatem, & quantitatem damni vel iniuriæ illatæ. Atque hoc docet Ioſephus, qui lib. 4. capit. vlt. ſic habet: *Qui excæcauerit quenquam, ſimilia patiatur, priuatus quo priuauit alium, niſi is malit pecuniam accipere: nam ipſi lex permittit arbitrium æſtimandi ſuũ caſum, ſi nolit haberi ſeuerior.* Sic ille.

Ioſeph hiſt.

Eadem lex, ſeu pœna quatenus æqua videri poſſet.

Hæc tamen lex aliquid æquitatis habebat, ſiue lædentem, ſiue læſum ſpectes. Nam efficax lex eſt ad coercendas noxias manùs lædentes, dum metuitur eiuſdem mali paſsio, quod aliis infligitur; læſi verò mitigat vindictæ appetitum. Nam cùm læſus ſoleat grauiorem expetere vindictam, quam ſit accepta iniuria, Dominus hac lege immoderatæ vltioni, vt annotat Auguſtinus, modum fixit, vt qualem quiſque intulit iniuriam, tale ſupplicium rependat, miſericordiam iuſtitiæ admiſcens, cùm grauiorem pœnam eſſet commeritus: adhuc tamen illa lex grauis & iniuſta aliquo modo erat.

Aug. lib. 1. de ſerm. Domin. in mont. c. 33. 34. tom. 4.

Quod etiamnunc tantũmodò mulctetur pœna talionis.

Quapropter legibus Romanis illa lex tam crudelis mitigata fuit, & iam ferè in deſuetudinem abiit illa pœna; retinetur tamen in quibuſdam pro-

prouintus bene moraris, præſertim in teſte, qui ſtudioſè dicit ſalſum teſtimonium in cauſa capitali, maximè quando illius cauſa interſicitur innocens. Et quanquam Moyſis lex tota ceſſauerit: iudicia tamen poſſunt, ſi iuſta, & commoda Republica cenſeantur, ab aliqua Republica vſurpari: atque vim habent, non vt à Moſe decreta ſunt, ſed quatenus ab illa Republica inſtituta. At in Lege Muyſi tū hoſti adorienti, tùm ſalſo teſti pœna hæc indicta erat: & in æquali rixa ſoluendæ tantùm erant expenſæ, quia vterque erat in culpa. Si autem quis eſſet inuaſus, pœna talionis plectebatur inuaſor. Et quia Lex iniuriam potius, & non vulnus, aut damnum expendebat, ſæpeque contingat in æquali vulnere & damno iniuriam fieri inæqualem, ob inæqualitatem perſonarum; ideò talionis pœna vſquequaque iuſta non videbatur. Tamen quia Iudæi fermè omnes æquales erant, & rudes ad inueniendum medium rationis, mediùm rei potiùs conſiderabant, quod ſenſu percipitur; ideò ad tempus data eſt in aliquibus rebus lex talionis ad eorum duritiem. Ne enim vltra iniuſtè procederent in appetenda vindicta, eorum peruicaciæ datum eſt, vt ad æqualitatem vſque appeterent. Quamobrē errabant Iudæi, ignorantes vindictā propter ſe, & nequaquam ex neceſsitate charitatis, vel iuſtitiæ appetendam. Et antiquis eſt dictum; Non iniuſtè vindicabis; nobis verò, Ne vindicetis

Lex Moyſi etiam ſit iniutilis & mortua, quomodo eatenus obſeruatur.

Lex talionis cur Iudæis data.

Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo. Malo, poſſet eſſe auferendi caſus, & ſenſus eſſet; ne reſiſtatis alicui per malum viciſsim redditum: verùm potiùs videtur eſſe Datiui caſus, & poteſt referri, vel ad malum iniuriæ, quod infertur, vel ad hominem malum iniuriam inferentem: & eſſet ſenſus, Non putetis vos iuſtè facere, ſi ſecundùm Legem grauiorem accepto malo vltionem non quæritis. Volo enim vos non rependere malum pro malo, ſed tam patienti animo illata mala perferre, vt ad alia perferenda vos promptos exhibeatis. Non ergo reſiſtere malo, eſt, non ſe præparare ad repellendum malum quod infertur, vel ad vindicandam iam illatum. Chryſoſtomus ad diabolum refert, qui in malis hominib. operatur: Græcè enim eſt τῷ πονηρῷ, quod ad hominem dæmone agitante interentem iniuriam referendum eſt, & non ad malum, niſi quatenus ab illo infertur. Quemadmodum ſuperiùs Dominus intellexit non iurare omnino, volens iuriſiurandi libidinem auferre: non tamen vbi neceſsitas, vel vtilitas id expoſcat. Ita & nunc ait: Ita vos componite, vt quod ex vobis eſt, animo ſitis parati nō reſiſtere malo. Neque idcirco defenſio, quæ iure naturæ eſt licita, aufertur: quin etiam neceſsitas defenſionis, ſi fortè in reſiſtendo maior occurrat vtilitas, non tollitur. Et quoniam hoc præceptum includit duo, alterum, non ſumere vindictam, alterum, non ſe defendere, diſcutiendum eſt, quatenus, & quomodo id liceat. Vt igitur initium ſumamus à vindicta, conſiderandum eſt, hominem alteri homini conſociari dupliciter: vel ſecundùm legem naturæ, vel ſecundum legem gratiæ. Duplex eſt enim hominis politia; altera, quæ reſpicit bona terræ, qui Philoſophis nota fuit, & ſuas leges habet; altera, quæ reſpicit bona cœleſtia, mundo ignota, quæ ſuis propriis legibus, & inſtitutis gubernatur. Deinde aduertendum eſt, legem gratiæ neguaquam deſtruere legem naturæ, ſed potiùs perficere: & ideò facit ſibi obtemperare, quia ſuperior, & nobilior lex reducit ad ſe legem inferiorem. Quæritur igitur, an ira, id eſt, appetitus vindictæ, ſit peccatum in legem naturæ? Et in promptu eſt reſponſio: Quoniam ſi appetit manu propria, & per ſe vindictam, peccatum admittit: quia non priuati alicuius eſt, ſed ſolùm Dei, & magiſtratus, vindictam ſumere de iniuriis, iuxta illud; *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Acquirit tamen is qui eſt paſſus iniuriam, ius accuſandi, & petendi vindictam à Lege ſtatutam, vt qui iniuriam intulit, luat in corpore, vel pecunia.

Quid eſt: Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo.

Reſiſtere malo, quid Chryſoſtomo.

Chryſ. ho. 18. in Mat. to. 4.

Quale hoc Domini præceptum.

Homo homini conſociatur dupliciter.

Hominis politia duplex, & quænam.

An ira, id eſt, appetitus vindictæ, ſit peccatum in legem naturæ.

Rom. 12. Deut. 32.

Dices; an hoc ſit ſecundùm legem Dei, & gratiæ? Et dicendum eſt, quàm maximè. Nam etiam Chriſti lex prohibet priuatas vindictas, ſecundum id: *Non voſmetipſos vindicantes, chariſſimi*; id enim magis verbum Græcum ſignificat: & Moſes, *Mea eſt*, inquit, *vltio, & ego retribuam.* Ergo hoc ius puniendi ſolius Dei eſt. Nec propterea percipiunt magiſtratus vindictam de manu Domini: quia dixit ipſe; *Mihi vindictam, & ego retribuam*; tùm quia magiſtratus nomine Dei punit, & vindicat; tùm quia alia eſt vindicta, quam lex gratiæ determinat; alia eſt hominum vindicta, quam lex quidem naturæ expoſcit, leges verò ciuiles determinant. Ideò cùm lex gratiæ non deſtruat legem naturæ, verum eſt magiſtratus habere iùs ſuum exercendi vindictam: quia ſalua manet vindicta Domini; cui facta eſt iniuria in filio ſuo, & membro Chriſti, cuius perturbatur politia propter huiuſmodi delicta, & iniurias:

Eadem an legi gratiæ conueniat.

Rom. 12.

Deut. 32.

Magiſtratus facientes vindictā, à Deo cur minimè vindicentur.

Deus cur ipſe retribuat vindictam.

quas

quas ſi non vindicat Magiſtratus ſecundùm hanc conſiderationem, quia non apprehendit magiſtratus hominem vt filiũ Dei, & membrum Chriſti, ſed ſolùm vt animal ſociale eſt, quam ſocietatem tueri vult quantum poteſt: ideò poteſt iniuriã paſſus petere vindictam iniurię, non illam quæ Dei eſt, & illi relinquenda, ſed illam quam ſecularis reddere debet poteſtas, vt Reſpublica tranquillè agat.

Cur, & qualẽ offenſus licitè petat à Magiſtratu vindictam.

Ar videtur Dominus vindictam, aut defenſionem non prohibere his verbis: *Ego autem dico vobis, nõ reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram:* & Paulus, *Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ;* & B. Petrus: *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Quæ enim eſt gratia ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis; hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis: quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinques exemplũ, vt ſequamini veſtigia eius:* quaſi dicat, Debetis caput veſtrum imitari.

Quibus verbis Domini, & Apoſtolorum omnis vindicta, aut defenſio etiã Magiſtratibus dempta videatur.
Rom. 12.
1. Pet. 2.

Reſpondemus, hoc præceptum malo non reſiſtendi, haud eſſe factum magiſtratibus & publicis perſonis, quarum eſt præuenire delicta ne fiant: & ſi fuerint, condignis ſuppliciis punire: quod ſi negligerent, deeſſent officio ſuo. *Non enim ſine cauſa gladium portant; ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorũ.* Et de magiſtratu ait Paulus; *Dei enim miniſter eſt: vindex* (id eſt, vt pœnam inferat) *in iram, ei qui malum agit.* Iudex etiam nõ tam proprium, quàm commune malum Dei poteſtate vindicat: quod ſi non fieret, nocentes & innocentes, Deique honor ſimul perirent.

Nequaquam Magiſtratus, non reſiſtendi malo, illa lege tenen.
Rom. 13.
1. Petr 2.
Rom. 12.
II. Argum.

Deinde hoc præceptum minimè traditur priuatis hominibus habentibus mandatum Dei, vt vindictam de aliis ſumant: atque hac ratione Iſrael occidebat hoſtes Chananæos; & Samuel interfecit Agag Regem Amalech, & Helias Prophetas Baal, & milites quinquaginta cum quinquagenario; & Heliſæus pueros illudentes, & dicentes, *Aſcende calue.* Hinc Dominus vt oſtenderet ſe non magiſtratibus mandare: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed priuatis:* Ideò à plurali ad ſingularem numerũ orationem ſuam inflexit, dicendo: *Sed ſi quis te percuſſerit, vel te angariauerit mille paſſus:* quo ſignificaret exigere ſe, vt propriarum iniuriarum ſimus negligentes.

Per eandem Chriſti legẽ priuatis licere hominibus ſumere de hoſtibus, Deo annuente, vindictam.
1. Reg. 15.
3. Reg. 18.
4. Reg. 1.
Infrà à Domini expeditur illa pluralis numeri ad ſingularẽ tranſitio: Ego autem dico vobis, &c. Sed ſi quis te percuſſerit, & reliqua.

Quòd verò quis alterius iniuriã à proximo valeat depellere, maximè ſi ſit publica perſona, à Chriſto hic non debuit tradi: quia ſicut tantùm debuit docere ea, quæ ad regnum ſuum (quod nõ eſt de hoc mundo) pertinebant, ita nihil voluit eorum mutare, quæ Deus Pater per naturales, & æquiſsimas leges inſtituerat regno mundi neceſſaria, quales etiam in Veteri Lege multas Deus olim rradiderat.

Quare Chriſtus nil de proximi defenſione, ſeu vindicta, an liceret, tradere debuerit.
Ioan. 18.

Tempus etiam inſtabat, quo velut oues in medium luporum Apoſtoli detruderentur ad prædicandum regnum cœlorum, ob quod ab omnibus erant odio habendi, & graues experturi perſecutiones: ideò magna tolerantia neceſſaria erat ad illa perferenda, & opus tali præcepto fuit.

Secunda ratio.
Matth. 10.

Ad hæc, vt inter dicendo iuramenta; non voluit ſignificare, nullam iurationem licitè poſſe fieri, ſed malam vulgi iuramento abutentis conſuetudinem corrigere, ac docere, à iuramentis omnibus abſtinendum eſſe, quoad eius fieri poſsit; ita dum mandat nõ reſiſtere malo, noluit nullo caſu, vel tempore, licere non ſolùm publicæ, ſed etiam priuatæ perſonæ, vt malum quod infertur, à ſe depellat, vel mali illati vindictam depoſcant; ſed vulgarem malis reſiſtendi conſuetudinem amputare à ſuis voluit, ne eſſet eorum animus per iram vltionis cupidus. Non ergo reſiſtentiam mali iuſtis & ſanctis de cauſis factam auferre voluit.

Tertia ratio.

Secundò poteſt reſponderi, quòd reſiſtere malo, tripliciter contingere poteſt: vel animo deſiderante vindictam, vel ore illam poſtulante, vel manu faciente. Et quod ad animum attinet, non licet deſiderare animo, qui principaliter feratur in damnum alterius, vel pœnam, vt pœna eſt, optare: nam ſic duceretur à malo homine, id eſt, traheretur ad malum ſtatum mentis, & non traheret eum ad bonum, patienter ſe habendo: quemadmodum ſi appetit pro eo, quod non debet, vel pluſquàm debet. Si autem æqualis pœna deſideraretur ob peccantis correptionem, vel vt poſthac minùs peccet vtque bonum commune, & iuſtitia, & Dei honor ſeruetur, etſi ſequatur aliqua delectatio, & ablatio triſtitiæ ex iniuria accepta profectę, ſi talis pœna inferatur, nequaquam cenſetur illicitum.

Altera ſuper verbis Domini mota: Nõ reſiſtere malo, dubitationis cõtra vindictam ſuiq; defẽſionem ſolutio.

Eſt autem vindicta, deſiderium inferendi pœnam, vel gaudium de illata, quatenus id eſt, vel putatur iuſtum: de qua illud eſt: *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam.* Et quia prò qualis naturali ad bonum propenſione, certa, & diſtincta ab cæteris datur virtus, quæ eam compleat, qua ſine noceret inclinatio (Nam virtutes ſunt naturales, quod ad inclinationes addinet: ſed non complentur niſi conſuetudine & prudentia) hinc eſt, vt virtus quædam innominata vindictam

Vindicta q̃d.
Pſalm. 57.
Hæc vis vindicatiua in iraſcente cur animi parte neceſſariò ſit collocanda.

iuſte

Hanc probatur à manſuetudinis virtute ac Fortitudinis eſſe diuerſam.

iuſtè appetens, in virtute animæ iraſcentis conſtituenda ſit, quæ diſtincta ſit manſuetudine, quia ſolùm tendit ad vindicandum: diſtincta etiam à virtute ſortitudinis, eo quòd non verſatur circa pericula, & ea quæ terrorem incutiunt; neque eſt ad ſuſtinendum malum, ſed ad inſerendum. Fortitudo autem propriè non eſt ad actionem, vel paſsionem, ſed dicit tantum modò animum intrepidum ac imperterritũ, quem, quoniam auſertur timor impediens, conſequitur actio, vel paſsio. Vindicare igitur iniuriam, vt concernit Rempublicam, eſt virtus iuſtitiæ: vt autem priuatum aliquem, virtutis vindicationis, qua quis ſeruat menſuram in vltione ſumenda. Crudelitas autem, vitium eſt per exceſſum, quemadmodum remiſsio per deſectum, & compedit illis, qui non amore, ſed timore ducuntur. Qui ergo prædicto virtutis modo vindictam appetunt, nihil peccant, neque publicis magiſtratibus id neque priuatis hominibus illicitum eſt, poſſuntque animo improbis hominibus reſiſtere. Atque hæc quidem de appetenda vindicta.

Vltio iniuriæ quatenus iuſtitiæ, vt verò virtutis ſit vindicantis.

Hæc omnia Epiſ. Abulenſis in c. 5. Matt.

An ſic vindicantes peccent.

Verbo autem illam poſtulare, & malo reſiſtere, eſſet vel reprehendere, vel petere vindictam ab eo, qui eam poteſt inferre. Et quod attinet ad reprehenſionem, Dei lege, ex officioque Magiſtratus tenetur. Priuatus etiam debet malo reſiſtere, quatenus contra Deum agit, oſtendendo verbo, vel vultu, peccatum alterius ſibi diſplicere: nam ſine ira & odio poteſt quis corrigere lædentem, velut Chriſtus, Pauluſque fecerunt. Quare Dominus dixit; *Si malè locutus ſum; teſtimonium perhibe de malo:* id eſt teſtis eſſe potes, non iudex: Apoſtolis verò vindictam ex ira poſtulantibus, & dicentibus, *Domine, vis dicamus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos?* ipſe reſpondit increpans illos, *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*, ſecus Helias, qui idem bis dixit; *Si homo Dei ego ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te & quinquaginta tuos*; quia hoc ex zelo honoris Dei dixit, non ira: & Petrus, qui mortis in Ananiam & Sapphiram pronuntiauit ſententiam; & Paulus in Corinthium inceſtuoſum, & in Elymam magum. Petere autem à Deo vindictam, imprecando, viros ductos Spiritu Dei, & non ira vel furore ſuccenſos, ſicut incedens non eſt, ita nec infrequens in Scripturis. Hinc enim illæ voces: *Confundantur, & revereantur ſimul qui quærunt animam meam*: & Ieremias; *Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione conteres eos.* Nobis tamẽ à vindicta à Deo poſtulanda abſtinendum eſt, niſi peculiari Dei Inſtinctu ad id agamur. A iudice autem vindictam petere, licitũ eſt, dummodò eo animo & ſine, quo vltionẽ appetere ſas eſt, id fiat: quando autem propria vindicta impunita redundat in contumeliam Dei vel proximi, neceſſe eſt illam poſtulare: quòd ſi nec in Deum, nec in proximum tendat, poteſt quidem bono animo, ſi expediat, peti; imò ſi ex remiſsione malum ſequatur, debet peti: extra quæ laudabilius eſt, conſilium Euangelicum Chriſti ſequendo, non flagitare. Quod quidem conſilium Chryſoſt. hom. 29. in Matth. cùm vrgeat de hortando fideles à litibus & contentionibus iudiciorum; inde acceperunt Faber, & Eraſmus, atq; aſſeruerunt, illicitum eſſe viro Chriſtiano iniuriæ vindictam repetere via iuris: cùm tamen hoc, conſilium tantùm ſit; præceptum verò à Deo non eſt, vt etiam interdum iubeamur corã magiſtratu vindictam repetere, vel ob bonum commune, ne lædatur, vel ob bonum ipſius delinquentis: vt ſupra dictum eſt. Et hæc de ſecundo.

Dupliciter verbo poſtulatur vindicta.

An liceat corripere lædentem, & quomodò.

Ioan. 18.

Actor. 23.

Apoſtolos Samaritanus poſtulãtes vindictam, cur Domin⁹ corripuerit.

Luc. 9.

4. Reg. 1.

Acto. 4.

Actor. 13.

Pſalm. 39.

Ierem 17.

Offenſo an liceat à iudice poſtulare vindictam, & quatenus.

B. Chryſo. tom 2.

Quid ex Chryſoſto. Faber Stapulenſis, & Eraſmus hic falsò dogmatizent.

Facto autem, vel manu reſiſtere malo, debent ex officio Principes, & Magiſtratus: priuatæ verò perſonæ, ſi diuinitùs admoneantur, poſſunt etiam reſiſtere. Porrò cæteri priuati, ſi malum contra Deum ſit, vel etiam contra ipſos animo deſendendi ſe, non nocendi, poſſunt iure reſiſtere; tum ne alius delinquat; tũ ne ipſum damnum patiatur etiam in temporalibus. Sed perfectus vir, potius iacturam rerum ſuarum faciet, quàm vel nocéat proximo vel charitatem fratri debitam periculo exponat. Igitur malo non reſiſtere, quod plus eſt quàm remittere, ad præparationẽ tantùm animi præceptũ eſt; vt plurimum tamen conſilium eſt: quod non contingeret ſi quando impediret charitatem. Et de externa Dominus iniuriæ propulſatione potiùs loquitur vel defenſione, quæ etſi licita ſit, tamen quia maligna eſt noſtra natura, & admiſcere peccata conſueuit, ſaluberrimum conſilium eſt, cedere, cùm omnibus, tũ maximè perfectis. Sunt ergo ſex gradus in ſumenda vindicta conſiderandi: quorum primus eſt, nocere innocenti. Secundus, plus nocere nocenti; atque hi duo etiam lege Moyſis prohibiti erant. Tertius, æqualiter nocere nocenti. Quartus, minus nocere nocenti; qui quidem duo conceſsi erant in Lege. Quintus, non nocere nocenti. Sextus, paratum eſſe plus pati à nocente; atque hi

Quorum munus ſit reipſa malo reſiſtere.

Hęc Domini lex: Non reſiſtendi malo, vt ſic accipienda.

Sex gradus vindictæ.

duo planè ſunt Euangelici, Nouique Teſtamenti.

Quæ bona ſit ipſius defenſio.

Reſtat modò, vt de defenſione dicamus: quæ bona eſt, ſi ſecum habet inculpatam tutelam, & naturæ iure licita eſt. Nam ita comparatum eſt natura, vt quiſque ſe, & ſuos, & ſua, quantum poteſt, tueatur, idque agat propter finem, & bonum quodpiam: hic autem finis nequit eſſe, niſi quod eſt in humanis, & ratione humani boni. Etenim lex naturæ non proſpicit quicquam de futura beatitudine. Bonum autem humanum, cuius gratia vel iubet, vel prohibet aliquid, vel eſt priuatum, vel commune, & vtrumque bonum ſatagit tueri & conſeruare per mandata ſua; quòd ſi fieri id non poſsit, optima ratione præfert commune particulari, vtpote diuinius, ac maius. Reſpiciendo ergo ius naturæ, licita cenſetur defenſio, propter bonum particulare, vel commune, quod nobis naturaliter charum eſt, vel debet eſſe; vt corporis vita, libertas, honor, vxor, filij, ſubſtantia, & huiuſmodi. Quare ſi quis inualidus eſt, & poteſt ſe iure defendere; nec facit; iniquè agit ſecundum ius naturæ; quia non facit quod natura docet, cuius bonum patitur in ſe corrumpi, niſi aliud magis aliud poſtularet. Ideò Philoſophi hunc finem tantùm conſiderantes, in iniuſtitiæ loco poſuerunt non ſeruare hæc bona & defendere; ſed ea per ignauiã & timiditatem negligere. Sed iam quæſtio eſt, an ſecundùm ius Euangelij licita ſit defenſio, propter verba Chriſti, & Petri, & Pauli ſuperiùs allegata; & quia quidam de hæreſi ſuſpecti, omne ius defenſionis Chriſtianis interdixerunt. Reſpondemus, legem gratiæ, & politiam Chriſti per fidem oſtendere nobis maiora & veriora bona, nempe diuina, & repoſita in cœlis, ad quæ nos iubet contendere, ordinauitque in nobis charitatem, & fecit deſpicere, præ illis, hæc omnia inferiora bona, quatenus ad ſuperiora conſequenda obſtant; aut aliquo modo impediunt: & ſecundùm hunc finem aut licita, aut illicita defenſio in Euangelio iudicanda eſt, ſcilicet quatenus ille finis in nobis ſeruatur, aut deſtruitur. Quare non mirum, ſi Dominus, qui maiora, & meliora bona oſtendit, atq; hæc terrena, ea præceperit aut ſuaſerit, deſpici & contemni, dixeritq; non reſiſtere malo: vt intelligas, quando per hoc vitantur grauiora mala, & promouemur ad meliora bona.

Licitam eſſe defenſionem propriam iure naturæ.

An illa iure Euangelij ſit licita.
1. Pet. 2.
Rom. 12.
Cant. 2.
Cur vetet Chriſtus malo reſiſtere; eidem contrà ſuadeat.

Præcipit itaq; non reſiſtere malo, quoties ex actu reſiſtendi euidenter maius malum inſurgit, quo re proterui eſt, & inſani, è duobus malis non eligere minus. Suadet verò, quando eſt promotio ad bonum maius: nec enim omnes lege vlla tenentur ad actus perfectionis meliores, quoniam nec valent, cùm ſint imperfecti multi: perfectis autem incumbit, vt etiam facto non reſiſtant, ob maius bonum, vt ait Apoſtolus. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius; & *Noli vinci à malo; ſed vince in bono malum:* vbi & propter proximi bonum, & propter ipſius qui ſuſtinet, virtutem & perfectionem, ſuadet (vt hic Dominus) non eſſe reddendum malum pro malo, ſed bonum pro malo. At quia euenire poteſt interdum, ob malitiam hominum, qui deteriores fiunt licentia inſultandi in eos qui ſe non defendunt, & ob alias cauſas, vt melius ſit eligere defenſionem ob ſalutem communitatis & imperfectorum: tunc non ſolùm licitum eſt ſerueri, verum etiam ſecundũ virtutem: tunc enim non obſiſtitur tantum bono temporali, ſed ſpirituali. Ideò & inimicis Fidei Eccleſiam vaſtantibus & opprimentibus reſiſtere, & eos debellare licere qui negat prætextu horum verborum Chriſti, manifeſtè in hypocriſi loquitur mendacium, eſtque fidei Chriſti hoſtis, cuius deſtructioni hoc ſuo dogmate fauet. Quia ergo re ipſa ſeruare hoc mandatum, vel conſilium Chriſti, interdum vergeret in detrimentum melioris boni, eſſetque ad maiora ſcandala occaſio: ſapienter ab Auguſtino li. 1. ſermonis Domini in monte, cap. 19. ſub finem, aliiſque Doctoribus dictum eſt, & intellectum; vt accipiatur præceptum ſecundùm præparationem animi, vt promptus ſit pro nomine Ieſu, & propter virtutem quiſque Chriſtianus omnia ſuſtinere, ſi opus eſt.

Rom. 12.
Ibidem.
Licitæ huiuſmodi non ſolùm in Eccleſia, ſed etiam neceſſariæ defenſionis exemplum.
Aug. tom. 4.

Nec propterea deſtruitur lex naturæ, imò perficitur à lege gratiæ: quia finis inferior abſorbetur à ſuperiori, & quod lex naturæ cuſtodiri vult, magis cuſtoditur à gratia: & ſi interim natura patiatur aliquid. Exemplum ſit Dominus Ieſus, qui iniuſtè traditus eſt morti, & ipſe, vt agnus manſuetus, iniuſtè ducebatur ad victimã, ſed iuſtè poterat ſe defendere, vt homo; quia quatenus Deus cui dubium? Hinc dixit Petro, *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones Angelorum?* Integrum ergo illi erat ſe defendere, vt lex naturæ dictabat: ſed quia ſuperior lex diuina, & lex gratiæ, cui ſe ſubdiderat, propriam defenſionem ob maius bonũ, id eſt, mundi redemptionem, abiiciebat, noluit ſe tutari, ne dum vindicare, dans Deo vindictam ac

Lex gratiæ ſiquam ſui defenſionẽ diſſuadens, aut vetans, legi naturæ quomodò nõ repugnet.
Eſai. 53. & alibi.
Matth. 26.
Quam tulit non reſiſtendi malo Chriſtus legem, quã integrè ſeruauit.

certò ſciens quod ipſe plus lucrabatur ſibi gloriæ, & nos ſuo ſanguine redimebat, mortemque deſtruebat. Quare finis naturæ, qui eſt, tueri ſe, & ſuos, & ſua, minimè deſtruebatur, ſed perficiebatur potius ideò dixit; *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit: ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructũ affert:* & hanc conditioné teſtamento reliquit Chriſtus Apoſtolis atque diſcipulis, vt ſcilicet ſuo exemplo non ſe defenderent, ſed victimæ & ipſi fierent & holocauſta Domino, ad ædificationem Eccleſiæ ſuæ: quia *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum.*

Ioan. 12.

Matth. 10. Ioan. 13. & Infrà 15.

Atquoniam interdum, vt dictum eſt, hoc re ipſa ſeruare noceret: ideò ſeruandum eſt in præparatione animi, & dinſtinguenda tempora. Ecce Dominus, antequam pateretur, dixit Apoſtolis ſuis, vt tunicam venderent, & emerent gladium; & Petro, *Quò ego vado, non potes me modò ſequi, ſequeris autem poſtea*; & reliquis diſcipulis, *Quò ego vado, vos non poteſtis venire: & vobis dico modò.* Quia enim nondum erant mites & maturi ad ſubeundam Crucem, permittebat vti humanis remediis & præſidiis, ſi opus eſſet pro defenſione, donec veniret calor ingens Spiritus ſancti, quo miteſcerent; & ſatis erat illis pro anteriori tempore in præparatione animi non reſiſtere malo, quemadmodũ oſtenderunt ſe habere, cùm dixit quiuis ſe paratum ad mortem obeundam cum illo. Sed errabant in hoc, quòd putabant vires proprias animi ad hanc rem ſufficere; quod verum non erat, vt Dominus teſtatus eſt illis: quocirca non habebant vim præcepti illius, non reſiſtere malo, vt re ipſa impleretur.

Luc. 22. Ioan. 13. Ibidem.

Expenditur Domini dictum Apoſtolis; Quo ego vado, vos non poteſtis venire: & vobis dico modò.

Adde, quòd non omni tempore perfectis expedit cedere iuri defenſionis: vt cùm intereſt Eccleſiæ ſeruari corpus ad certum tempus, ad laborandum in vinea Domini, quo ad veniat maturitas fructuũ. Hinc Dominus non ſe expoſuit conſeſtim morti, ſed aliquando ſugit, & abſcondit ſe. Infans enim ſugit Herodem, in Aegyptum pergens: in quo ſacto imperfectorum geſtauit typum. Et grandis ſugiens euitauit rabiem Phariſæorum, vt eſſet etiam perfectis exemplar: quia nondum impleuerat menſuram prædicationis ſuæ. Sic interdum Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum fugiebant, vt Paulus demiſſus in ſporta per muros Damaſci. At poſtea, pace data à tyrannis Eccleſiæ, quia plerunque contingebat, vt non, vel reſiſtendo malo, & vindicando via iudicij, vel defenſione illud depellendo, cederet potiùs in ruinam Eccleſiæ, & ſcandalum, atque in bonorum conculcationem & malorum exaltationem, locus datus eſt & vindictæ per viam iuſtitiæ, & defenſioni ſecundùm iuris naturalis exactionem.

Quando etiã viri perfecti debeant reſiſtere malo.

Ioan. 8.

Matth. 2.

Chriſtus, & Apoſtoli id ipſum facto & exemplo nobis teſtatũ reliquerunt.

Actor. 9.

Tempus & cauſa deinceps aliter faciendi quæ fuerit.

Defenſio ergo interdum eſt licita, interdum præcepta, aliquando verò prohibita: tùm ratione perſonæ, ſi talis ſit, à quo exigatur perfectio; tùm ratione cauſæ, vt ſi de Fide coram tyranno agatur, vt olim; tùm ratione finis, ſi ex ira priuatam iniuriam apud magiſtratum proſequamur. Verendum enim eſt, ne noſtri gratia inſiſtamus, quod nõ debemus: quoniam hoc non eſt remittere fratri ſuo debita, ſicut Chriſti lex flagitat; alioqui qua fronte dicemus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?* Et hic ſermo eſt de vindicta, non de reſtitutione damni; quod etſi in iudicio proſequi licitum ſit, Dominus tamen hic, & Paulus 1. Corinth. 6. hortantur, vt etiam damnum contemnamus, quod ad nos attinet: quoniam etſi liceat, non tamen ſemper quod licet, expedit.

Defenſio ſui ipſius interdum tribus de cauſis illicita.

Matth. 6.

1. Cor. 6. 1. Cor. 10.

Sed ſi quis te percuſſerit in vnam maxillam tuam, præbe ei & alteram. Priori ſententia præcepit ſuſtinere malum illatum, ſequentibus tribus clauſulis plus exigit, vt quis etiam prõptus ſit, ac ſeſe offerat ad ferendam alteram, etiam maiorem, iniuriam. Tria autem iniuriæ genera adiicit, ſub quibus omnes iniurias comprehendere voluit. Per hyperbolen ergo ſignificatur animi præparatio ſine odio & ira ad plus patiendum. Exempla tamen ſanctorum, & Chriſti conuincunt prædictæ intelligentiæ æquitatem. Namque Apoſtolus percuſſus alapa, nequaquam obuertit alteram malam, ſed dixit; *Percutiet te Deus, paries dealbate:* nec peccauit Paulus, vt quidam dicunt, cùm eſſet plenus Spiritu ſancto: neque Scriptura eum reprehendit, ſed reprehenſus ipſe à circumſtantibus, etiam peccatum non fatetur, at excuſat; in Pontificem Ananiam culpam prudentiſsimè reiiciens: *Neſciebam fratres,* inquit, *quia Princeps eſt Sacerdotum.*

Quid doceat Dominus his verbis: Sed ſi quis te percuſſerit in vnam maxillam tuã, præbe ei & alteram.

Huic Chriſti dicto, an præiudicent contraria exẽpla Sanctorum.

Actor. 23.

Quòd ſi obiicias, illum qui indicabat, & ſedebat in loco Pontificis, notum fuiſſe à Paulo: quomodo ergo inquit, Neſciebam? Reſpondeo quòd etſi ſederet vt iudex, & ſummus Pontifex; non tamen iure iuſsit eum percuti, quia non ſe gerebat rectè vt iudex, & Pontifex, ſed quaſi hypocrita, & tyrannus. Quod ſecũdùm virtutẽ & opportunitatem à tanto Apoſtolo factũ fuiſſe, religioſius eſt credere, & magis

Quàm verè dictum ſit à Paulo de Põtifice Anania quem no uerat. Neſciebã quia Princeps eſt Sacerdotum.

pium.

Infrà 25.
1.Cor.9.
Quare Chriſtus percutiẽtiſe in vnam maxillã ſuã, non præbuerit ei & alteram.
Ioan. 18.

pium. Aliàs ſe defendit Apoſtolus iudicio, & appellauit ad Cæſarem: ſed omnia propter Euangelium, & fructum eius fecit. Ad hæc Dominus in vna maxilla percuſſus, non vertit alteram, ſed dixit; *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo. Si autem benè, quid me cædis?* ne putemus à nobis ad literam id ſemper exigi, ſed vt in præparatione animi id habeamus, vt, quod poſtulauerit ratio, etiam affectu præſtemus: vt docet beatus Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum. At ſanè præſtitit ea in re Chriſtus, & beatus Paulus, vt magis docerent iniuſtitiam actus, & lædentes corrigerent, & ſe illas iniurias non mereri oſtenderent, quàm humiliter patiendo, conſcios ſe eſſe alicuius criminis videri: præſertim cum de re Chriſtiana, & de tota Fide eſſet controuerſia, in qua exercere manſuetudinis virtutem, vt hæc tanta veritas periclitetur, importuniſsimum videbatur.

Aug. lib. 22. contra Fauſt ca. 76. tom. 6. circ. med.

Tria hominis bona eleganter Christi verbis expreſſa.

Et notandum, tria bona eſſe hominis: nempe corporis in percuſsione maxillę ſignificata; & ſubſtantiæ, de qua: *Qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere*; & honoris, & libertatis, de quibus: *Et quicunque te angariauerit mille paſſus, & cat.* B. Auguſtinus epiſtola ad Marcellinum, eleganter reſpondet iis, qui propter hoc præceptum, & alia ſimilia calumniabantur Chriſtianam religionem, quaſi cõtrariam bono Reipublicæ, in qua hæc ſeruari non poſſunt: vbi oſtendit, ſimilia etiam à Gentibus laudata eſſe: *Quomodò*, inquit, *Cæſari adminiſtratori vtique Reipublicæ mores eius extollens Cicero dicebat: quòd nihil obliuiſci ſolet niſi iniurias? Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator. Sed ſi laudator talem Cæſarem nouerat; ſi autem adulator, talem eſſe debere oſtendebat Principem ciuitatis, qualem illum fallaciter prædicabat. Quid eſt autem non reddere malum pro malo, niſi abhorrere ab vlciſcendi libidine? Quid eſt accepta iniuria ignoſcere malle, quàm perſequi, & nihil niſi inimicitias obliuiſci. Hæc cùm in eorum leguntur autoribus; exclamatur, & plauditur, deſcribi atq; prædicari mores videntur, quibus dignum eſſet exurgere ciuitatem, quæ tot gentibus imperaret, quòd accepta iniuria ignoſcere, quàm perſequi malebant. Cùm verò legitur præcipiẽte autoritate diuina, non reddendum malum pro malo: cùm hæc tam ſalubris admonitio congregationibus populorum, tanquàm publicis vtriuſq; ſexus atq; omnium ætatum, & dignitatum ſcholis de ſuperiori loco perſonat, accuſatur religio tanquã inimica Reipublica.* Hæc illi, vbi paullò poſt præcepti huius ſenſum explicat, & notat nõ eſſe vim faciendam, verbo. Dexteram: alioquin ſi verborum proprietati ſeruiamus, percuſſa maxilla ſiniſtra, nõ eſſet præbenda dextera: ergo dexteram pro, alterã poſuit, quia magis aliàs conueniebat priùs ſiniſtræ fieri mentionem, quàm dextræ, quòd primus ictus magis excipiatur in eã. Certè Lucas cap. 6. nullam facit mẽtionem dexteræ, & teſtatur Auguſtinus, multa exẽplaria Latina ſuo tempore in Matthæo, nõ habere dexteram.

Au. epiſ. 5. ante med. to. 2.

Cice. ora. pro M. Marcello

Malum pro malo nõ reddere, quid ſecundùm Auguſtinum.
Rom. 12.

Ibidem.

Cur dexteræ potiùs maxillę percutiendæ, quàm ſiniſtræ Dominus exemplũ poſuit.

Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, ca. 30. tom. 4.

Explicatur hoc: Qui vult tunicã tuam tollere; dimitte ei & pallium.

In ſecunda verò clauſula: *Qui vult tunicã tuam tollere; dimitte ei & pallium*: ſenſus eſt; Qui te vult vna veſte priuare, redde illi alteram. Nam aliàs præpoſterus eſſet ſermo: pallium enim, quod eſt exterior veſtis, priùs detrahitur, tunica verò quæ eſt interior, poſteà. Apud Lucam verò prius eſt *ἱμάτιον*, quod eſt, palliũ, poſteà verò χιτών, id eſt, tunica. ¶ *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Si ad literam hoc ſeruaretur, homo nudus remaneret, ſine pallio, & tunica: quemadmodum B. Franciſcus ſummoquodam perfectionis ſpiritu impulſus, coram iudice ſpirituali accerſitus à patre feciſſe legitur: nam & veſtimenta ſua illi renuntiaſſe, & nudus permanſiſſe ſcribitur. Sed hæc ſale egent, & ſano ſenſu, & hyperbolica locutio eſt. Et per hæc neceſſaria omnia mobilia bona intelliguntur: ſecùs de ſeruo, ſi foret periculum animæ eius alteri cum dãdo, vel vendendo. Dicere ergo, *Dimitte ei & pallium*; perinde eſt, ac ſi dicat, Omnibus cede, ne maneat litis, vel iracundiæ occaſio; vel, Eſto patiens in rebus, ſicut in perſona; & operibus pluſquam etiã poſsit nocere aduerſarius. Namq; agere, & pati fortia, non iam Romanum ampliùs, ſed Chriſtianum eſt. At Chriſtianum cum Chriſtiano pro bonis temporariis coram infideli iudice contẽdere, ſi ſcandalum eſt, & inter ſe poſſunt componere, malum eſt. Coram fideli verò magiſtratu ex charitate, ne altera pars perdat animam ſuam, meritũ eſt vt recuperet: nam hoc imperfecto conceditur. At perfectioni incumbens, quia debet fugere occaſiones non tantùm amittendi bona fortunæ, ſed multo magis non vulnerandi charitatem, non deberet contendere vllo modo. In aliis rebus debet etiã perfectus, vel coram iudice infideli, ſi non eſt alius; vt pro cauſa fidei, & pro peccato graui vitando, pro tuenda vita, & fama, imò etiã pro rebus quas curat alienis, iudicio cõtendere. Quemadmodum Athanaſius cùm diſputaret contra Arium, contendit iudicialiter coram iudice Probo Gẽtili. Et B. Syluester coram iudice item infideli diſputauit cum Iudæis de fide. Et B. Dominicus,

Illud: Qui vult tunicam tuam tollere dimitte ei & pallium, quomodò accipiendum.

Propriũ non iam Romanorũ ampliùs, ſed Chriſtianorum quid.

Viris etiam perfectis quando expediat cum aduerſario iudicio etiam ethnici magiſtratus cõtendere, exemplo ſanctorum.
Mag. Atha

ac duodecim Abbates diſputauerunt contra hæreticos Albingenſes corã iudice quodam profano, & religionis experti: & Paulus ante hos omnes dixit: *Cæſarem appello.* Quod autem idem Apoſtolus ait: *Omninò idem delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos*, ſenſus eſt, Certè ſignum eſt, quod peccata ſunt in populo, vbi eſt vis: quia altera pars litigantium communiter peccat.

Actor. 25.
1. Cor. 6.
Illud Pauli ad Corinth. Omninò delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos, quid ſignificet.

Et quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Græcè legitur: *Et quicunque te angariauerit milliare vnum, vade cum illo duo*: vt ſignificetur vnius tantum milliaris adiectio. Plus tamen indicat lectio Latina, quæ poſt vnum poſtulatum milliare, adiicit alia duo: mille autem paſſus pro vno milliari poſiti ſunt, quod totidem milliare paſsibus conſtet. Verbum, angariare, idem eſt quod adigere, & Græcè habetur ἀγγαρεύειν, quã vocem Suidas indicat eſſe Perſicam: nam apud illos ἄγγαροι dicuntur Regii nuncii, qui literas inuicẽ tradunt perferendas, quoniam certis itinerum ſpatiis mutabantur: & velocius pergere credebantur nuncii huiuſmodi, quam ſit gruum volatus. Hinc translata vox eſt ad ſeruorum, vel iumentorum ritu onera baiulanda, qui alias vocantur ἀχθοφόροι. Hinc etiam, quos recuſantes cogimus, vt nobis ſint itineris duces rectè angariare dicimus, qua voce vtitur Euangeliſta, cum Simonem Cyrenẽſem refert angariatum ad ferendam Crucem. Quicunque ergo te angariauerit, id eſt iniuſtè coegerit ad opus non malum, ſed laboriosum, quod eſt contra honorem & libertatem. Et ſiniſtra maxilla minus honorata eſt quam dextera: & palliũ plus eſt quam tunica. Et quod dicitur: *vade cũ eo*, intellige in animi præparatione, ſi opus eſt, etiam reipſa: vt vincatur in bono malus.

Angariare quid: vnde ſumptum, teſte Suida.

Αχθοφόροι Græcè quid.

Matth. 27.

Quid eſt: Quicunq; te angariauerit &c. & quomodò accipiendum.

Rom. 12.

Qui autem petit à te da ei: & volenti mutuare à te, ne auertaris. Prioribus tribus mãdatis inſtituit nos Dominus, quomodo videlicet nos gerere debeamus erga violentos: duo iam adiungit: quibus docet, quomodò agamus erga ſimplices, qui vel donari, vel mutuari aliquid ſibi petunt. Quibus addit tertium, nempe, ne ablata repetamus. vult ergo Dominus, noſtra ita eſſe aliorum vtilitati expoſita, vt ſiue ſit grauis, ſiue mutuo aliquid dandũ, ſiue egenus proximus aliquid ſubducat, vel palàm etiam auferat, non grauemur, aut indignemur. Non autem hoc ad literam præcisè eſt intelligendum: quid enim ſi petat quæ turpia ſunt, & obſcæna? vel quid ſi petat ad libidinem ſuam explendam, vel gladium ad alium iniuria trucidandum? vel quid, ſi non indigeat qui petit, ſed procaciter petat? vel quid, ſi mihi, & meis non minus deſit, quam ei qui petit? Quamobrem ſenſus eſt: Omni petenti te tribue, id eſt, eſto liberalis, ne diligas pecuniam, & ob hoc ne retraharis à dando; cum tamen dare oporteat ſecundum virtutem. Nam conſiderandum cui, & quantum, & quando des, quæ charitas potiùs præſcribit: quam natura. Sunt enim quidam in lege naturæ indigni accipere, in lege charitatis nullus. Da ergo bona ſpiritualia, vel temporalia, quæ poſſunt petenti prodeſſe, & iuſtè ei dari. Vnde Auguſtinus contra Vincentium Donatiſtam: *vtilius*, inquit, *eſurienti panis tollitur, ſi ſecurus de cibo iuſtitiam negligat: quàm eſurienti panis frangitur, vt iniuſtitia acquieſcat.* Hæc ille. Et quia hoc præceptum eſt affirmatiuum, non ſemper obligat, ſed tempore quidem neceſsitatis: quando contra charitatem eſſet, ad lethale obligat, cum præter charitatem eſt ad veniale. Vel cõſilia ſunt, & modus quo communiter vſuri erant Apoſtoli. Aliquando etiam melius, aliquid dabis, cùm iniuſtè petẽtem iuſtè correxeris. Neq;, inquit, omnia petenti te, tribue.

His verbis Dominus: Qui petit à te da ei, quid præcipiat nobis.

In dando, quid ſit ſpectandum ſit & tenendum.

Aug. tom. 7.

Huius legis tranſgreſſio quãdo lethalis, quando venialis ſit.

Illud verò: *Volenti mutuare à te, ne auertaris*: ſignificat, Ne auertas faciem, vt moris eſt facere illis, qui denegant ea quæ petuntur. Huius autem præcepti ſimilis eſt ratio atque præcedentis. Qui in egeſtate verecundè petit mutuum, quo tu quidem carere potes, ille autem vehementer eget; nõ negabis ei, etiam ſi non ſperes te vnquam recepturum. Quod dicitur, *Ne auertaris*, Auguſtinus, *Ne auerſatus fueris*, vel paſſiuè, *Ne auertaris*, ab eo qui vult à te mutuare, vt ita Datiuus Volenti ponatur pro caſu Auferendi: atq; in hac verborum ſtructura videtur Dominus alludere ad verba Tobiæ cap. 4. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini.* Nam ſi mutuũ dederitis his, à quibus ſperatis recipere: quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia: vt dicitur Luc. 6. quæ verba paullò pòſt exponemus. ¶ Lucas tamen hunc locum ita tractat: *Omni autem petenti te tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* Primum præceptum cũ ſit affirmatiuum, & ad miſericordiam ſpectet, nec obligat, niſi cùm oportet: nec ſuadet, niſi cùm expedit, quòd omni petẽti te tribuas. Secundum verò præceptum cùm ſit ſpecie tenus negatiuum, non tantùm ſemper videtur obligare, de non repetendo ſuo. Tunc ergo præcipitur, aut ſuadetur non repetere ſuum, cùm contra virtutem non militat, vel cùm rectæ rationi conſonat, vt

Quid illud: Volenti mutuare à te, ne auertaris.

B. Aug. c. 19. libri primi de ſerm. Domini in monte.

Hæc Domini doctrina quam illi ſenioris Tobiæ ſit cõformis. *Tob. 4.*

Luc. 6.
Ibidem.

Perpenditur textus D. Lucæ: Omni petenti te tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne auertaris.

neceſſa-

neceſſarium eſt atque expediens. Nam vt neceſſarium, pręcipitur; vt expediens, ſuadetur. Atque ita hoc præceptum intelligẽdum eſt, ſecundùm doctrinam B. Auguſtini, in animi præparatione. Interim ſatagámus, & hæc ſacroſancta Chriſti mandata, & conſilia non tantùm intellectu comprehẽdamus; ſed etiam opere comprobemus. Magna enim ſunt, & perfecta, quæ nobis à Domino præſcribuntur: ſed magnum eſt diuinæ gratiæ auxilium, quod nobis ad ea præſtanda cœlitus ſuppeditatur: magna & Sanctorum exempla, qui ea nobis ſuis factis lenierunt, & emolliuerunt, factaque facilia volentibus oſtenderunt: maxima rurſus & ingentia exiſtunt præmia, quæ in cœlis repoſita ſunt eis qui hæc præſtiterũt, adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſemper viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Doctrinæ Chriſti traditæ tam ſalutaris à nobis præſtãdæ rationes, & adiumenta quæ ſuppetant.

TRACTATVS XLII.

In illa verba: *Audiſtis quia dictum eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, &c.*

Legem Moyſi imperfectã Chriſtus corrigens atque perficiens, quid feciſſe videatur.

QVEMADMODVM excellens & inſignis pictor figuram à diſcipulo formatam, minus tamen perfectam, & in nonnullis deficientem, pennicillo corrigere & emendare conſueuit; ad eum modũ legem à Moyſe, homine puro, & ſeruo profectam, Chriſtus, Legiſlator ſapientiſſimus, limauit, atque perfecit, viuoſque, vt ita dicam, colores adhibuit illi. Ergo poſt alia præcepta iuſtitiæ, charitatem, quæ eſt plenitudo iuſtitiæ, complere decreuit, in eo potiſſimùm quod dicitur, *Diliges proximum tuum*. Et aptè quidem hæc cohærent cum proximè pręcedentibus. Quippe iniurias, non propulſatas maximè, odiũ conſequi ſolet. Hinc voluit Dominus charitatis affectum & effectũ verbo & facto his, qui nos offenderunt, impendi. Ait igitur, *Audiſtis quia dictum eſt*. Loquitur enim Apoſtolis & turbis rudibus & ignorantibus qui literas neſciebant, & legẽ audierant tantùm ab Scribis, & Rabbinis: & alibi inquiunt Apoſtoli, *Quid Scribæ ergo dicunt, quòd Heliam oporteat primùm venire?* Cum legiſperitis autem & doctis aliter agebat Dominus: ait enim illis Matth. 21, *Vtique nunquam legiſtis, Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* & Matth. 22, de reſurrectione interrogatus, reſpondit: *De reſurrectione antem mortuorum nõ legiſtis quod dictum eſt à Deo dicẽte vobis; Ego ſum Deus Abrahã, Deus Iſaac & Deus Iacob?* & Luc. 10. iuriſperito interroganti. *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Cui dixit Dominus: *In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?* Neq; inquit, dictum eſt antiquis: quia hoc pręceptum, odio habendi inimicum, permiſſio fuit legis Moyſis.

Ordinis ratio.

Rom. 13.

Quibus legis auditum, quibus verò eius lectionem & ſtudiũ Chriſtus tribueret.

Matth. 17.

Infrà 21.
Pſalm. 8
Matth. 22.

Exod 3.
Luc. 10.
Idem cur nũ dixit Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Odio habebis inimicum tuũ.

Diliges proximum tuum Leuit. 19. ſic habetur: *Diliges amicum tuum, ſicut te ipſum; Ego Dominus*. Ita ceruicoſos & refractarios nouerat Iudæos Deus, vt vix ſemiiuſta præcepta daret: vnde hæc lex de diligendo amico, in legibus ciuilibus non continetur, tanquam ſuperflua, & à natura ipſa ſatis ſuperque inſtillata: tamen quia natura humana corrupta eſt, & ad ſe conuerſa, tantũ ſeipſam amare nouit vſq; ad contemptum Dei, & amici, vt præcipiendum fuerit, vti Deus, & amicus diligatur. Illud porrò: *Sicut te ipſum*, nihil eſt aliud, niſi vt ita faciamus circa eosq; tales nos exhibeamus, vt natura optamus illos nobis facere, ſeſeque nobis exhibere. Amicus, ſiue proximus, ſiue ſocius (quod vox Hebræa magis ſonat, nempe rehu) reuera eſt omnis à nobis diſtinctus (vnde corpus, & nos ipſi excludimur) rationis particeps, & non damnatus: nam dæmones, & damnati; etiam qui ſunt in Limbo, minimè ſunt charitate, id eſt, ad gloriam diligendi, vt reliqui omnes viatores, & beati, & qui purgantur animi; inter nos enim, & nos eſt benefacere, quæ eſt proximi ratio, vt Dominus explicuit Luc. 10. cùm dixit: *Qui fecerit miſericordiam, ille eſt meus proximus*. Sancti enim nobis benefaciunt, & nos animis, qui igne expiãtur, viatores omnes nobis, & nos illis. Cæterũ Iudæi, ac fortaſſis etiam Deus accommodans ſe infirmitati, & paruitati illius populi, velut interrogatio Scribæ oſtendit Luc. 10. & Domini reſponſio, per proximum tantum intelligebant Iudæum, de quo paullò ante dixit: *Ne oderis fratrem in corde tuo*: & pòſt ſequitur: *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum*. Et per diligere intellige, nõ tantùm amorem amicitiæ (ad differentiam amoris concupiſcentiæ) qua bonum amico volumus propter ipſum, nam ita nos ipſos diligimus; ſed etiam diligere ex charitate: quoniã vt Dominus inquit: *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ*.

Leuit. 19.

Iudæis quæ cauſſæ pręcipiendi extiterint, vt Deũ & amicũ diligerent.

Proximũ noſtrum ſicut nos ipſos quẽadmodũ diligere debeamus: & quis ſit ille proximus diligendus.

Luc. 10.

Iudæi quem proximum tantùm diligerent.

Quid eſt proximum diligere.

Matth 22.

Et odio habebis inimicum tuum. Quia in veteri Teſtamento nullibi hæc lex odio proſequendi inimicum inuenitur; ideò magna ratione hîc laborant Doctores in hoc nodo diſſoluendo; maximè cum paullò antè verba producta ex Leuitico dicatur: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo*: & infra, *Non*

Hæc verba: Et odio habebis inimicũ tuum, vnde ſumpta ſint.

Exod. 23. *quæras vitionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*, & in alio loco: *Si videris aſinum odiẽtis te iacere ſub onere, non pertranſibis. ſed ſubleuabis cum eo*: & Salomon, *Si eſurierit*, inquit, *inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi.*

Prouerb. 25. & Rom. 12.

Quidam reſpondent, hæc verba interrogãter eſſe legenda, hoc modo: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum?* quaſi dicat, Minimè. At tamen hæc ſolutio non placet. Tùm quia nec cum interrogatione, nec ſine illa tale præceptum in Scripturis inuenitur: tùm quia id eſt contra mentem Christi, qui ponit in lege fuiſſe præceptũ, & ſuper illud adiungit nouam legem de diligendo inimico.

Prima ſolutio, improbabilis tamen propter duo.

Secundò, ſoluit Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum Manichæum cap. 24. oſtendo, vnum, & eundem hominẽ eſſe amicum, & inimicum: amicum quidem propter bonam Dei naturam, ac proinde diligendum; inimicum verò propter peccatum, ac ob id odio habendum: atque Iudæis hoc fuiſſe cõceſſum.

Secunda ſolutio quæ etiam improbatur.

Sed certè ſi verum amamus, perinde nobis, atque Iudæis faseſt, odio proſequi inimicum propter peccatum: nam inimicus, vt inimicus eſt, nequaquam eſt diligendus: nam ſi vt inimicus eſſet diligendus, multò magis peccatũ & inimicitia ipſa diligẽda eſſet, ſecundùm regulam topicam, quæ habet: *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.*

Inimicus noſter quaten⁹ minimè diligendus.

B. Aug. to. 6.

Tertiò, exponit Origenes, in homilia huius Euangelij, iuxta ſubtiliorem, vt ipſe ait, intellectum, per inimicum, dæmonem, qui in Euangelio dicitur inimicus homo. At ſane hæc expoſitio claudicare videtur; tùm quia poneret, Iudæis hoc olim licuiſſe, dæmones odiſſe ſcilicet, quod perinde nobis, atque illis præceptum eſt: tùm quia dixit: *Ego autem dico, Diligite inimicos veſtros.* Præceptum igitur nobis eſſet, vt diligeremus cacodæmones, quos tamen vt proſcriptos, & capitales Dei hoſtes, odio pluſquam Vatiniano debemus proſequi, nullumq́ue commercium, amicitiamve cum illis contrahere, iuxta illud Apoſtoli: *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum.*

Tertia ſolutio parum idonea.

Origenes.

1. Cor. 10.

Quartò, his ſolutionibus non acquieſcentes quidam magni viri, aſſeruerunt hoc verbũ de odio habendo inimico, additum fuiſſe atque adiunctũ ipſi Scripturæ ab Scribis, ac corruptoribus quibuſdam, qui hoc de ſuo adiecerunt; quemadmodũ Heua adiunxit cõminationi mortis particulã fortè: *Ne fortè*, inquit, *moriamur.* & proinde ita ſentientes vrgent verbum illud, Audiſtis, quaſi dicat, hoc nõ legebatur, nec erat in lege ſcriptum.

Quarta ſolutio inferius refellenda.

Geneſ. 3.

Expoſitio hęc etſi probabilitate non careat, maximè ob eos qui illam aſſerunt, non tamen omninò ſcrupulis ſuis vacat, & nonnulla magni momenti contra illam occurrunt. Primum quidem, quia nunquam Scribę, & Phariſæi notati ſunt à Domino de corruptione legis, vel additione; quod erat ſummum peccatum, & cùm de aliis minus grauibus reprehendantur, de hoc nunquam: benè autem arguuntur de praua intelligẽtia legis, vt Matth. 15. cùm agitur de honore parentum, & Matthæi 23. cùm eſt ſermo de iureiurando.

Prima ratio ad probandũ illa verba. Et odio habebis inimicũ tuũ ab Scribis, & Phariſæis textui legis, addita non fuiſſe.

Matth. 5.
Infrà 23.

Secundum eſt, quia in omnibus reliquis præceptis quæ explicuit Dominus in hoc ſermone, cùm ait: *Audiſtis, quia dictum eſt*, ſemper illud, quod dicitur auditum, continetur in lege: vt, *Nõ occides; Non periurabis; Non mœchaberis; Quicunque dimiſerit vxorem, det ei libellum repudij; Oculum pro oculo, & dentem pro dente*: oportet igitur & hoc quod dicitur: *Et odio habebis inimicũ tuum*, aliquo modo in lege contineri, ne nõ contentum in lege, pro contento imprudenter poſuiſſe videatur.

Secũda ratio.

Exod. 20.
Infrà 21
Deut. 24.

Tertium eſt, quia ſcopus Christi in hoc ſermone, non tam eſt, legem nouam præferre traditionibus Iudęorum, & falſis interpretationibus Scribarum, & Phariſæorum, quàm ipſimet legi, & ſenſui vero per eam intento, & à Iudæis in praxim deducto: quemadmodum ſuperiùs explicuimus, cùm tractaremus illa verba: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum.* Super legis enim ipſius defectus Iudæis, vt imperfectis permiſſos, Christus iuſtitiam ſuam ſuperinduxit.

Tertia ratio.

Quartum eſt, quoniam lex dicendo: *Diliges amicum tuum*, ſatis innuebat inimici odium permitti: maximè quia ad amandum amicum natura eſt propenſa, neque eget legis calcari. Ideò de illo quod difficilius erat, & maius, & ſilentio à lege permiſſum, Dominus inquit, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.*

Quarta ratio

Quod autem quidam tradunt, Septuaginta Interpretes Leuit. 19. vertiſſe: *Diliges amicum tuum, ſicut te ipſum, & non inimicum tuum*: haud ſatis aſſequor, quorum codicum nixi autoritate illam lexionem aſſerant: & illa verba: Et non inimicum tuum, nec in Septuaginta interpretibus, nec in Hebræa veritate inueniuntur.

Quinta ſolutio quorundam minus etiã ſolida, ac probabilis.

His ergo ſenſibus, ſcrupulis equidem grauis ponderis non carentibus, expeditis, ſupereſt illud, vt dicamus fuiſſe in lege Iudæis, ob duritiam cordis, ac infirmitatem eorum carnis permiſſum atq; conceſſum, vti odiſſent inimicos. Ita enim B. Auguſtinus libro de ſermone Domini in monte aſſerit, dicens: *Nec quod in lege dictum eſt: Oderis inimicum tuum, vox iubentis iuſto accipienda eſt. ſed permittentis infirmo. Sic autem diligendus eſt inimicus, non in quantum inimicus. ſed in*

Sexta ſolutio atque poſtrema, illis omnibus præferenda, & ſequenda.

B. Aug. lib. 1. de ſer. Domi. in monte, ca. 41. in fine. tom. 4.

Quomodò inimicus diligendus ſit.

quantum

Orig. tom. 2.

quāutū homo eſt, vt ei reddas quod tibi. Origenes in homilia præſentis Euangelij; *Sicut ad dimittendas*, inquit, *vxores iuſtum fuit vt eas non interficerent, ſic ad odiendum inimicum mādatum fuit, vt, & amicum non odiſſent. Conceſſa ſunt autem iſta populo illi veteri adhuc rudi, & infirmo.* Hæc ille. Et B. Gregorius in Euangelia: *Cùm in lege ſcriptum ſit: Diliges amicum tuum; & odio habebis inimicum tuum: accepta tunc iuſtis licentia fuerat, vt Dei inimicos, ſuosq́; aduerſarios, quanta poſſent virtute comprimerent, eosq́; iure gladij ferirent. Quod in nouo procul dubio Teſtamento compeſcitur, cùm per ſemetipſam veritas prædicat, dicens: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.*

B. Grego. homil. 30 in Euang. ſub init. tom. 2.

Leuit. 19.

Qui ſint inimici.

His verbis declarauit, inimicos eſſe eos, qui Deo, & ſeruis ſuis aduerſantur, Quēadmodum ergo in lege multa alia erāt illi populo permiſſa, vt vſura cum extraneis, diuortium, & multitudo vxorum, vindicta; ita quoq; odium inimicorum: quod colligebant tantùm ex præcepto amādi amicum, & ex affectibus odij erga quaſdam gentes indultis. Quę vt magis intelligātur, aduerte, quòd quemadmodum Chriſtianus duplicem habet inimicum, alterum quidē ſecundùm legem, vt Turcam, & Mahumetanū, qui ratione religionis Chriſtianos perſequitur, alterum verò ciuilem, & eiuſdem religionis, ſed qui verbo, aut facto eum offenderit, nam ob id dici ſolet inimicus: ita Iudæus duplicem habuit inimicum, alterū quidem ciuilē, alterum verò legalem. Inimicum ratione legis vocamus Chananeū, Amorrhæum, Amalechitam, Samaritanū, cum quibus nationibus Iudæi odium implacabile gerebant, & plus quàm nos cum Turcis, quia inimici erant Dei, atq; exortes eius legis, idolorumq́; cultores, & multis flagitiis contaminati, & iſtos oſtēdebat ſe Deus odio habere, præcipiens, vt Iudæi eos delerent, perſequerentur, & occiderent: quæ omnia ſigna ſunt odij. Vnde Exodi 23. *Præcedet te Angelus*, inquit, *meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Heuæum, & Iebuſæum, quos ego cōteram, &c. cunctorumq́; inimicorum tuorum coram te terga vertam.* Erat igitur à Deo permiſſum non ſolùm, ſed etiam præceptū, vt odio haberent cæteras nationes idôlis ſeruiētes, tanquā ab ipſo Deo derelictas, & datas in eorum manus plectandas: ideò pollicitus eſt ſuā protectionem contra illas: iuſsit ne inirent fœdera, vel connubia, vel aliam quamlibet ſocietatem cum eis. Quare Exod. 34. dicebat: *Ego ipſe eyciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum: & Hethæum, Pherezæum quoque, & Heuæum, & Iebuſæum. Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas tibi amicitias, quæ ſint tibi in ruinam, ſed & aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lucosq́; ſuccide. Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomē eius, Deus & æmulator. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum.* Et Deut. 7. *Cùmque tradiderit Dominus Deus tuus tibi ſeptē gentes, percuties eas vſq; ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis coniugia.* Et 1. Regum 15. per Samuelem præcepit Deus Sauli: *Nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum atq; lactantem, bouem, & ouem, camelum, & aſinum.* Quanquam autem iſti effectus odij, vt occiſio, & vaſtatio, ſine odio fieri poſſent, & modò cùm iudex dānat reum ad mortem: tamen quia populus ille rudis erat, nec ruminans, neque diſtinguens inter naturam & culpam, & quia ab eo iniuria affectus erat, vt ab Amelech, à Moabita, & Samaritano, ac vt religionem eorum falſam punirent, aut ne falſa eorum religione inficerentur, permiſſus eſt odiū geſtare: & odium hoc non erat generale in omnes alienos à lege ſua, ſed tantū in quoſdam. Vnde Deut. 23. *Ammonites*, inquit, *& Moabites etiam poſt decimam generationem nō intrabunt Eccleſiam Domini in æternum. Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quando egreſsi eſtis de Aegypto; & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ, vt malediceret tibi.* Excipit tamen in eōdem capite Aegyptios & Idumæos, dicens: *Nōn abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt, nec Aegyptium, quia aduena fuiſti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione, intrabunt in Eccleſiam Domini.* Et cùm in eodem capite doceat, non eſſe fœnerandum fratri ad vſuram; intelligitur exceptus Idumæus, qui frater ibidem declaratus eſt. Erat etiam exceptus Cynæus: vnde Saul volens percutere Amalech, & Cynæo parcere, dixit Cynæo: *Abite, receſſite, atq; diſcedite ab Amalech, ne fortè inuoluam te cum eo, tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filijs Iſrael, cùm aſcenderet de Aegypto.* Neq; verò odium tantùm erat reſtrictum ad perſonas, ſed etiam ad mala, quæ poterāt illis optare, & ad bona, quibus debebant illos ſpoliare. Nam tantùm erant bona illa, quæ magna tunc mundus putabat, nempe vita, libertas, bona temporaria, commercia, matrimonia, & huiuſmodi; ſiquidem bona gratiæ ſpiritualia & cœleſtia Iudæus, & talis ignorabat. Ideò odium ad eorum bonorum ſpoliationem nō extendebatur. Hinc Ieſus filius Sirach nondum

Duplex Chriſtianorū, vt etiam Iudæorum inimic⁹, legalis, & ciuilis.

Quos Deus inimicos Iudæis mandaret odio habendos & perſequendos.

Exod. 23.

Infra. 34.

Deut. 7.

1. Reg. 15.

Odij inimicorū Iudæis permittendi cauſſæ.

Iudæi alienigenas per legem quos tantùm non odiſſent.

Deut. 23.

Num 22.

Deut. 23.

Ibidem.

1. Reg. 15.

Exod. 17.

Quo etiam proceſſerit . . . deorum illu[m] odium ge[n]tium alienigenarum.

Eccleſ. 50.

exuto Iudæorum ſpiritu, quo pro tempore illo erat præditus, in libro Eccleſ. ca. 50. oſtendit ad certas nationes odium quod gerebat, dicens: *Duas gentes odit anima mea, tertia autem non eſt gens quam oderim: Qui ſedent in monte Seir, & Philiſthijm, & ſtultus populus qui habitat in Sichimis.*

In Samaritas Idumæos, & Philiſthæos, Iudæi cur præcipuo ferrentur odio.

Erant enim Idumæi, Philiſthæi, & Samaritani gentes viciniſſimæ, & infeſtiſſimæ Iudæis, & vndique videbantur populum Dei obſidere, & circũcingere: Idumæi à Meridie, & Oriente, & qui in euertenda ciuitate ſancta Regi Babyloniæ ſerulerant, vt ſcribitur 3. Eſdr. 4. *Tu, inquit, voluiſti ædificare templum, quod incenderũt Idumæi, quãdo exterminata eſt Iudæa à Chaldæis.* Hinc Dauid cecinit: *Memor eſto, Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem: Qui dicunt, Exinanite, exinanite vſq; ad fundamentũ in ea.* Philiſthæi verò proximi erant Iudęis ab Occidente, & bella continua cũ illis geſſerant.

3. Eſdr. 4.

Pſalm. 136.

Samaritanorũ, & Iudæorum inter ipſos mutui odij cauſſæ.

Samaritani verò à Septentrione cingebant Dei populum, quorum metropolis erat tunc Sichima, iuxta quam erat mons Garizim, in quo eo tẽpore quo ſcripſit Ieſus filius Sirach, erat templum Deo Iudæorum conſtructum inſtar templi Ieroſolymitani, cuius rei gratia cœperunt oriri præter antiquas nouæ & grauiſſimæ contendendi cauſſæ inter Iudæos, & Samaritanos, vt propterea Ieſus filius Sirach in ſua perſona loquens, indicet odiũ acerbiſſimũ, quo Iudęi proſequebantur Sichimitas: nec de hoc odio ſe ille iactaſſet, ſi fuiſſe in illo vllum peccatum exiſtimaſſet.

Quis Iudæorum inimicus ciuilis.

Exod. 21.

Alter verò inimicus ciuilis erat, nimirũ frater eius fidelis, qui tamen in aliquo alterum offendiſſet. Quanquam autem, quoad ciuilem inimicũ attinet, permitteret quædam odij ſigna, vt oculũ pro oculo, dẽtem pro dente, medio tamen magiſtratu.

Pœna talionis à quo tantũm inferenda. Cędes homicidæ quæ licita num etiã apud Chriſtianos.

Num. 35.

Et ꝙ cõſanguineus occiſi poſſet occidere homicidam, ſi eũ fortè inueniret, antequã ſe reciperet in ciuitatem aliquam refugij, vt dicitur Num. 35. hoc tamẽ vt exterior & miniſter legis faciebat: ea ratione, qua etiã apud nos interdũ conceditur vita homicidis, & extorribus, & patria fugatis, ea lege, ſi alterius homicidæ extorris à ſe occiſi caput ad magiſtratum attulerit. Nam id illicitũ non eſt iudicandũ, poſtquam voluntate fit principis, & vt miniſter eius aliquis operatur: niſi accedat mala voluntas, quæ actũ reddat prauum: quemadmodum in iudice, & carnifice contingere poteſt.

Huius odiũ inimici vbi lege prohibitum.

Exod. 23.

Leuit. 19.

In vniuerſum tamen hoc odium inimici ciuilis videtur lex prohibuiſſe, vt Exod. 23. *Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Et Leuit. 19. præcipitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper eo peccatum. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Vbi vides apertè, fratrem, id eſt, Iudæum, nõ eſſe odio habendum, & peccatum eſſe, illum odio habere; cùm in alio loco præcipiat: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.*

Eccleſ. 28. & Rom. 12.

Qua in cauſa Iudæi Iudæos fratres, & amicos debebant odiſſe, & perſequi.

Quòd ſi Iudæi, qui fratres erant, idôla colerent, & deos ſequerentur alienos, iam illi pro fratribus habendi non erant, ſed pro inimicis cenſendi. Ideò Dominus per Moſen præcipit occidere Iudæos idolis ſeruientes, & ne parcerent amico aut proximo: quòd cùm feciſſent, dixit Moſes, quòd conſecrârunt manus ſuas in die illa.

Exod. 32.

Chriſti autoritas & poteſtas ſupra illã Moyſi his verbis expreſſa: Ego autẽ dico vobis.

Ait igitur: *Ego autem dico.* Nouus homo & legiſlator, dans noua præcepta, & cui datũ eſt corrigere imperfecta legis, & verus legis interpres; in cuius pectore reconditũ eſt omne ius, & Naturale, & Diuinum, & Politiuum, cùm Prophetæ nõ ſuos, ſed Domini ſermones proponerent, dicentes: *Hæc dicit Dominus Deus.* Ego etiã, filius Dei, perfectus; non vt ſeruus Moyſes permittens imperfecta, ſed perfecta exigens quæque. Ego denique, lapis angularis, qui facio vtraq; vnum; qui nolo diſtinctiones populorum, ſed omnes in me vnum eſſe.

Epheſ. 2.

Ibidem.

Coloſ. 3.

Chriſtꝰ duos populos, Iudæum, & Gẽtilem adæquauit.

Vt enim ait Paulus: *Non eſt* (in Chriſto ſcilicet Ieſu) *maſculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, circũciſio, & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber*; Neq; Chananęus, aut Samaritanus, aut Publicanus, aut Ethnicus, quos putatis à vobis licitè haberi odio: quia hæc diſtinctio etiã à nobis perperã intellecta ceſſat, quia venit Rex pacificus ad conciliandum omnes, & ponẽdum animam ſuam pro inimicis.

Rom. 5.

Vt iam in illo nihil ſit profanum, nihil commune, aut immundum, niſi quod ſuaptè natura elegerit eſſe immundum: quia omnes mundi facti ſunt in ſanguine Chriſti, & facti propè, qui longè erant.

Epheſ. 2.

Actor. 10.

Quid illud Petro cœlitꝰ dictũ, Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.

Ideò Petro de Gentibus eſt dictum: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Et vide, vt ſecũdò facta eſt vox de cœlo, & ipſe fermè nõ intelligebat quòd ipſe Chriſtus purificauerat omnia, & quòd non erat in eo circa ſalutem, Iudæus magis quàm Græcus, ſed proximos fecit ſibi omnes: quia ipſe omnibus appropinquauit, & conſequenter omnes ſibi proximos, & amicos effecit: & hoc eſt quod nunquam intelligere potuit Iudæorũ proteruia. Hinc ille Scriba volens ſe ipſum iuſtificare, rogauit. *Et quis eſt proximus meus?*

Luc. 10.

1. Cor. 9.

Et mirificè reſpõdit Dominus, quòd eſſet Samaritanus ille, qui factus eſt omnia omnibus, vt omoes lucrificaret: & ideò eiꝰ gratia debemus nos omnes, vt proximos, & amicos diligere, ſicut ipſe dilexit

nos.

Ioan. 13.
Iudęi ni deſipere voluiſſent, exteras quam gentes pro proximis habendas, & diligendas.

nos. Hoc etiã ſatis docere poterat, vel ipſum proximi vocabulum: nam cùm ſuperlatiuum ſit, & referatur ad eum qui maximè eſt propinquus, perpendere babebant, quędã eſſe proxima loco, non natura, quędam natura, non loco; quædam & loco, & natura, quædam verò neutro modo. Loco ſunt proxima, vt homo, & veſtis, ſed non natura. Contrà homo homini natura proximus eſt, licèt interdum loco diſtet. Debebat ergo hæc propinquitas naturæ vincere omnes accidẽtarias diſtãtias, vel loci, vel ſanguinis, vel cuiuſuis alterius rei, quæ nata eſt diſſidium generare: & ideo Dominus legem naturæ explicauit, & quid ſignificet proximi vox, hoc loco expoſuit. Hinc cùm, loquente Petro in domo Cornelij, cecidiſſet Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant ſermonem, obſtupuerunt ij, qui ex circunciſorum genere credebant, quotquot venerant cum Petro, quòd & in nationes Spiritus ſancti gratia effuſa eſſet. Et cap. 11. *His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes; Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Ex quibus apparet, eos appellatione proximi ſuam tantùm gentem, hoc eſt, Hebræorum, exiſtimaſſe intelligendam; cæteros autem, ne dignos quidem putabant, qui in Dei gratiam reciperentur, niſi Hebręorum ſacris eſſent initiati. Hoc neſcierunt rudes Apoſtoli, quãdo in Samaritanos ingratos petebãt ignem de cœlo deſcendere, qui eos combureret: Quibus Chriſtus: *Neſcitis*, inquit, *cuius ſpiritus eſtis*, id eſt, ignoratis vos non ſpectare ampliùs ad Vetus, ſed ad Nouum Teſtamentum, in quo Spiritus & doctrina datur ad habendum omnes homines pro amicis. Hoc eſt enim mandatum nouum, vt diligamus inuicem, ſicut ipſe dilexit nos: quia cùm inimici eſſemus, ipſe & dilexit, & reconciliauit nos Patri. Idcirco nouum mãdatum dicitur, quia diligẽdi etiam inimici, quia nos tales dilecti ſumus à Deo. Hinc Ioannes ait: *Chariſſimi, non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio.* Et ſubdit: *Iterum mandatum nouum ſcribo vobis, quod verũ eſt, & in ipſo, & in vobis.* Nouum vocatur, quatenus inimici etiam diligendi ſunt: nam vetus mandatum non erat verum, & plenum in Chriſto, id eſt, nõdum erat perfectum, & impletum, quia nondum lux venerat, & dies, ſed erant tenebrę, & nox, & necdum cognitũ quomodo Chriſtus eſſet in nobis, & ſublatæ per ipſum omnes inimicitiæ, & hęreſes, & ſchiſmata, atq; omnes vniti in eo: quare impletum fuit in Chriſto diligente hoſtes, & in nobis qui debemus diligere inimicos noſtros.

Act. 10.

Infrà 11.

Quo loco exteras gentes cæci haberent Iudęi

Luc. 9.

Quid illud Domini ad Apoſtolos ſignificet, Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.

Ioan. 13.
Rom. 5.
Dilectio proximi cur nouum mãdatum vocetur à Dilecto.
1. Ioan. 2.

Vetus idem quale mandatum in Chriſto.

Epheſ. 2.

Põdera ergo verbum, Dico, hoc eſt, præcipio: quia primus facio, & exemplum faciendi do, atque auxilium diuinæ gratiæ ad tantum præceptum præſtandum omni volenti ſuppedito, præmiumq́ue ampliſſimum ſeruanti in cœlis repono, & ipſe ſum in inimico diligendus. ¶ *Vobis*, Apoſtolis, Patribus Noui Teſtamenti, & in vobis omnibus, qui per vos mei futuri ſunt. ¶ *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Poſthæc verba immediatè interſeritur in Græcis codicibus: *Benedicite maledicentibus vobis:* quod ex alio loco in hunc vidatur eſſe tranſlatum, nempè ex Luc. ca. 6. vel ex epiſtola ad Romanos: & ſine dubio Chriſtus dixit, poſtquàm Lucas illud expreſſit. Quod & Chriſtus in Cruce ſeruauit: nam ſe deuouentibus benè precatus eſt: de quo Petrus: *Cùm malediceretur, non maledicebat.* Stephanus etiam cùm appeteretur lapidibus, & fremerent dentibus in eum, blandas preces pro illis ad Deum fudit. Apoſtoli quoque hoc obſeruarunt, de quibus Apoſtolus ait: *Maledicimur; & benedicimus.* Eſt autem magna virtus ita linguam poſſidere, vt bonum pro malo reddat; cùm tamen certiſſimus ſit cordis index. Non tantùm ergo pro inimicis orandum, ſed etiam illis eſt benè precãdum. Sed redeamus ad Matthæum. *Diligite*, corde: *benefacite*, opere: *Orate*, verbo. *Diligite*, dando primo cor: *Benefacite*, largiendo temporalia: *Orate*, ſpiritualia communicando. Ad hæc, *Diligite*, habendo charitatem, & dilectionem. At ne ſit dilectio in verbo, & lingua tantùm, ſed vt ſit in opere, & veritate, addit: *Benefacite*, hoc eſt, beneficiis temporalibus alficite. Quòd ſi non habes temporaria quæ dones, vel ille eis non eget, vel ſi eget, reſpuit, ſubdit: *Orate*, id eſt, date quod vos non poteſtis negare quaſi non habeatis, & ille, etiamſi velit, non poteſt impedire: & talia, quibus inimicus eget, id eſt, orationẽ, qua ille flectatur ad te diligendum. Et ponit inimicum, & eos, qui oderunt, ac ſimul eos, qui perſequuntur, & calumniantur. Per inimicos, non accipias per naturam inimicos: quia in natura malum nõ eſt, ſed per contrariam voluntatem, vt docet Auguſt. Nullus enim homo, aut diabolus; malus eſt natura, ſed voluntate, vt docet Cyrillus Ieroſolymitan. Deinde non vetat Chriſtiana charitas iudicem legibus vti in maleficos, neq; iudex cùm impiũ damnat, inimicum agit; ſicut nec iuſtitia charitatem opprimit. Et vt pulchrè docet Aug. li. contra Parmen. *Præcepta Euangelica de dilectione inimicorum, & miſericordia proximis impẽdenda, exhortationes quoq; Apoſtolorum de cibãdis,*

Chriſto quã conueniens præceptũ dilectionis inimicorum.

Hæc verba: Benedicite maledicentibus vobis, vnde conſtet Dominum protuliſſe.
Luc. 6.
Rom. 12.

Præceptũ dilectionis inimicorum à quibus impletum.
1 Pet. 2.
Actor. 7.

1. Cor. 4.

Rom. 12.

Quomodo diligemus inimicos, benefaciemus his qui oderunt nos, & orabimus pro perſequentibus, & calumniãtibus nos.
1. Ioan. 3.

Qui non habendi pro inimicis.
Aug. li. 12. de Ciu. Dei, c. 3.
Cyrill. Ieroſolymit. tom. 1 Cateche. 2.

Altera exciuditur inimicorum acceptio.

Aug. li. 3. contra Parmen, ca. 2. tom. 7.

vel potandu inimicu, non eatenus intelligenda ſunt, vt peccandi relaxetur impunitas, ſed vt delinquẽdi correctio, & vt natura miniſtretur ſubſidium, donec per ſententiam iudicii adempta ſpe correctionis malorum tollatur exercitium. Hæc Auguſtinus.

Pro inimicis qui etiã minimè cenſendi, ſed potiùs pro amicis.

Deniq; per inimicos non intelligas verè admonentes, & vitia tua carpentes ex charitate: quia hi veri ſunt amici: nam *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo.*

Eccleſ. 17.

Et ſi aſinum inimici tui errantem debes reducere, etiam per flagella, ad inimicum, cur non potiùs hominem?

Exod. 23.

Neque velis eſſe infirmo, aut ſtulto ſimilis, qui pro hoſte habet medentem chirurgum, & ſanantem, vt Herodes Ioannem Baptiſtam ſe corripientem oderat.

Matth. 14.

Sed per inimicos primùm accipe Samaritanos, Chananæos, Hæreticos, quos vos ſic vocatis. Deinde etiam intellige eum, qui læſit aut violauit amicitiam, offendendo te in aliquo, vel quem tu offendiſti, & ampliùs vis offendere, ne ab eo offendaris. Eſt autem inimicus priuatus ſicut hoſtis communis, & publicus.

Qui dicãtur inimici.

Qui verò dicantur inimici, in hunc modum explicat Baſilius in Regulis breuioribus: *Inimici,* inquit, *proprium eſt nocere, & inſidiari. Quicunque itaque quocunque modo alicui nocet, ipſius ritè inimicus appellari poteſt. præcipuè autem, qui peccatum committit. Nam quantum in ipſo eſt, variis modis nocet, & inſidiatur ei qui cum viuit, aut conſuetudinem habet. Quoniam autem homo conſtat ex animo & corpore: quod quidem ad animum attinet, eos qui huiuſmodi ſunt, diligemus caſtigando, admonendo, & omnibus modis ad ſanitatem reuocando; quod verò ad corpus attinet, beneficiis ipſos ſubleuando, cùm aliqua re egeant, earum, quæ ſunt ad vitam neceſſaria.* Hæc ille.

Baſil in Regulis breu. interrogat. 270. inuetio tom. 2.

Et explicans Dominus, qui ſint inimici, ſubiungit: *His qui oderunt vos,* ſcilicet corde, & qui perſequuntur opere, & verbo calumniantur.

Quibus verbis Domin⁹ expreſſerit inimicos.

Nec tantũ eos inimicos qui olim oderunt, vel læſerunt, ſed etiam qui actu, & de præſenti calumniantur, & perſequuntur vos: ne fortè quis dicat plagas eſſe recentes, neque poſſe inimicos tam citò diligi, aut illis remiſſionem impendi. Namque Chriſtus Dominus, & poſt illum Stephanus, in ipſo actu perſequutionis, & mortis, quam ſibi Iudæi inſerebant, turpiſſimæ, preces ad Deum fuderunt ex intimo cordis & dilectionis affectu, atq; remiſſionẽ illis, quod ad eos attinet, impenderũt.

Luc 23. Actor. 7.

Nec eſt ſenſus, quòd inimicitia, vel odium, vel perſecutio & calumnia prouocet vel excitet ad amorem: quia hæc in inimico cùm ſint peccata, diligẽda minimè ſunt: & vt odio ſunt Deo impius, & impietas eius, ita inimicitia & odium, & inimicus, & odio nos habens, hac ratione odio habendi ſunt.

Inimici nos odio habentes, perſequẽtes, & calumniantes cùm ſic Deum offendant, quã rectè à nobis diligi queãt.

Sap. 14.

Sed ſenſus eſt, ne inimicitia impediat, aut retrahat nos à Chriſtiana charitate, quam debemus proximis noſtris, ob naturam eius bonam à Deo creatam, & à Chriſto redemptam, gratiæ atq; gloriæ capacem.

Quinq. genera bonorum inimicis optanda, quænam, & quatenus.

Quia verò diligere, nihil eſt aliud, quàm bonum alicui velle; & bona ſunt in triplici differentia, vt tradunt Philoſophi, nempè, fortunæ, corporis & animi, quibus Theologi adiungunt alia duo bonorum genera, nimirum gratiæ, & gloriæ, quibus quinq; generibus bonorum quaſi quinq; talentis ditamur, & quaſi quinq; panibus ſatiamur: tria vltima bona, nempè animæ, gratiæ, & gloriæ, ſimpliciter ſunt inimico deſideranda à nobis, quemadmodum illa nobis ſimpliciter volumus & optamus: bona verò corporis non ſimpliciter, niſi quatenùs ſunt inſtrumenta ſalutis, neque nobis, neque inimicis deſiderare licet: at bonorum fortunæ, quæ infima ſunt & viliſſima, non niſi cum duabus conditionibus eorum dilectio moderanda eſt, & nobis ipſis, & inimicis optanda, nempè & quatenus ſunt, aut eſſe poſſunt inſtrumenta ſalutis, virtutumq́ue, & quantum conueniunt ſtatui honeſto cuiuſlibet.

An liceat inimico mortẽ optare, & qua ratione.

Mortem verò corporis non poſſumus deſiderare inimico, niſi ea ratione, vt ne peccatis peccata accumulans Deum offendat, vel ne impediat bonos & iuſtos, factis eos affligendo, ſeu malo exemplo vexando, quemadmodum Sodomitę iniquis operibus cruciabant animam Loth iuſti: aliàs verò velle mortem inimico, eſſet ſe iudicem conſtituere in cauſſa propria, & Deum facere lictorem, ſiue carnificem.

2. Pet 2. Geneſ. 19.

Perſecutores cur nobis permittantur à Deo.

Neque miremur, ſi mali nos perſequentes à Deo permittantur: nam id iuſto iudicio ſit, & ſæpè ad exercitium, eruditionemq́ue noſtram, vt olim permiſit Iebuſæum in medio filiorum Iſraël, vt exercerет eos, doceretq́ue artem prælιandi.

Ioſu. 15. & Iudic. 1.

Cur non peculiarem, ſed tãtùm generalem inimicis benefaciẽdi rationem Chriſtus tradiderit.

Tria autem illa, diligere, beneſacere, & orare, inimicos quidem reſpiciunt, quatenus inimicis, & non inimicis communia ſunt, vt ſubiuncta Patris cœleſtis beneficia, & exempla teſtantur: etenim Solem oriri facere ſuper bonos & malos, & pluere ſuper iuſtos, & iniuſtos, communia ſunt, & non propria beneficia: ita etiam intellige de dilectione, beneficentia, & oratione communi. Vult enim Dominus, vt à communi dilectione, qua omnes diligimus; & à communi beneficentia, qua cunctis benefacimus; & à communi orationis ſuffragio, quo omnibus ſuffragamur, inimicos noſtros prudentes nequaquã excludamus. At peculiariter diligere, orare, & beneſa-

cere

cere pro aliquo priuato, hic non explicatur à Domino: ſed id ex regula generali, quæ in affirmatiuis præceptis præfixa eſt cunctis, intelligendum & eliciendum reliquit, quæ ſolùm in neceſſitatis inimici euentu peculiariter obligant. Vnde dicitur,

Rom. 12. Prouerb. 25.

Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſemper tamen in præparatione animi id præſtandum eſt. His verò ſuperaddere, aut ſupererogare, non niſi conſilij & perfectionis eſt. Non obligatur ergo quis bonum aliquod temporale, vel ſpirituale illi optare, ſicut nec de eo cogitare, benè autem non odio proſequi. Cauendum autem eſt ab oratione, & beneficentia, qua inimicorum vitam optamus, & precibus poſtulamus à Domino, illiſq; ægrotantibus neceſſarios ſumptus ſuppeditamus non ob aliam cauſſam, niſi vt viuant, quatenus de viuentibus aliquando ſumere valeamus vindictam: nã adeò corruptum eſt humanum ingenium & deprauatum, vt aliquando in nonnullis prouinciis id acciderit.

Orationis & beneficentiæ genus aduerſus inimicũ maximè fugiendum, ac deteſtãdum.

Expenditur non dictum à Chriſto: Diligite inimicos veſtros ex toto corde, &c.

Illud verò conſideratione dignum eſt, Dominum præcepto dilectionis inimicorum non addidiſſe, *Ex toto corde*, vt addidit in præcepto diligendi Deum: neq; adiunxiſſe, *ſicut te ipſum*, vt in præcepto diligendi proximum adiecit: quia nimium aſſlixiſſet nos additio talis, & quia ſatis eſſet in hac inimici dilectione neminem odio habendum; & in vniuerſum diligere, nullo omninò à communi noſtra dilectione, beneficentia, & oratione excluſo. ¶ *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Lucas dixit, *Et eritis vos filij Altiſſimi.* Cùm rem perfectam atq; excellentem præcepiſſet, & ad quam natura noſtra parum eſt propenſa; rationes adiũgit, quibus perſuadeat dilectionem inimicorum. Et primùm quidem argumentatur ab honeſto: honeſtum enim eſt, & cum virtute cohærens, vt filij imitatores exiſtant paternarum virtutum, atq; eos moribus referant, & exprimant, quantum poſſunt. Hinc ait Dominus, *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quòd viderit Patrem facientem.* Et hoc eſt quod ait; *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Certè Seneca libr. de beneficiis, ſimili ratione vtitur: *More optimorum*, inquit, *parentum, qui maledictis ſuorum infantium arrident, non ceſſant dij beneficia congerere de beneficiorum autore dubitantibus, ſed æquali tenore bona ſua per gentes, populoſq; diſtribuunt.* Hæc ille, Euangelicis verbis conſonus.

Luc. 6.

Efficax Chriſti ratio quęnam dilectionis inimicorum.

Ioan. 5.

Parentum conſuetudo bonorum.

Seneca lib. 6 de beneficiis, cap. 22.

Verùm ineptè additum videri poſſet alicui hoc dictum; *Vt ſitis filij Patris veſtri*: nam qui ſemel filius eſt, quomodo ampliùs filius fieri poteſt. Eſt tamen rectè, & elegãter additum. Senſus etenim eſt, quòd & qui filius eſt patris, ſi non illa quæ pater monſtrat, agit, non meretur nomen filij: degenerat enim, & alium ſe oſtendit habere patrem. Nec conſequitur ius adoptionis ad hæreditatem: nam eius quiſque dicitur eſſe filius in Scripturis, cuius facta conſectatur, & monita imitatur. Hinc dictum eſt; *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Id eſt; Non poteſtis filij eſſe Abrahæ, niſi eius fidem, obedientiam, & opera conſectemini. Ibidem verò dicitur: *Vos ex patre diabolo eſtis; & deſideria patris veſtri vultis facere.* Nempè, ex eo conſtat vos eſſe filios diaboli, quòd necem meam deſignantes, diabolum, qui homicida fuit ab initio, imitamini. Hinc frequenter Chriſtus dicitur eſſe filius Dauid, ob inſignem eius clementiam, & lenitatem animi. Nam vt Dauid non reddidit retribuentibus ſibi mala, vt conſtat de manſuetudine eius in Saule, & Abſalone filio, & in Semei: ita Chriſtus mitiſſimus fuit, & clemẽtiſſimus erga peccatores, ſibi, & Patri ſuo bellum indicentes. Quod ergo ait: *Vt ſitis filij, &c.* idem eſt ac ſi dixiſſet; Vt opere declaretis, & vita ipſa exprimatis vos eſſe filios Dei, quemadmodum filij Dei appellamini. Deinde, vt filiorum hæreditatem poſſideatis, audientes vocem illam dulciſſimam: *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Ita enim is, qui natura filius Dei eſt Chriſtus, inimicos dilexit, & pro perſequentibus ſe & calumniantibus orauit. Atque ex hoc verbo euidens elicitur argumentum, nos præditos eſſe libertate arbitrij. Ait enim hoc loco Hieronymus: *Si Dei præcepta cuſtodiens filius quis efficitur Dei; ergo non eſt natura filius, ſed arbitrio ſuo.*

Diligentes inimicos, vt fiant, qui erant antè, filij Dei.

Ioan. 8.

Iudæi Chriſticidæ cur filij diaboli.

Chriſtus filius Dauid cur dicatur.

Matth. 1. 9 12 15 20. 21. & 22. 1. Reg. 24. & infra 26. 2 Reg 14. Infra 16.

Inimicos diligentes, filij Patris cœleſtis quomodo fiant.

Matth. 25. Matth. 5. Luc. 23.

Hinc expugnantur liberũ impugnãtes arbitriũ.

Hier. tom. 9.

Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Per hæc duo, intellige omnia bona corporea à Deo nobis collata. Sol enim, medius eſt planetarum inter omnes, quemadmodum cor eſt principium vitæ in medio corpore animalis. Ideo principium eſt omnium rerũ naturalium, vt Philoſophus dicat: *Sol & homo generant hominem*: vnde Sol oriente vireſcunt herbæ, & plantæ: illo recedente, moriuntur. Ac ſuum Solem vocat, id eſt, à ſe creatum, & ſibi obedientem in naturalibus, vt præſit diei, & in ſupernaturalibus, vt in ſtatione tempore Ioſue. Per pluuiam etiam terra fœcundatur, irrigaturque, vt poſſit germinare, & vitam præſtare cunctis terræ naſcentibus. Hinc ſecundùm ſententiam Thaletis, omnia conſtabant ex aqua; & Philoſophi dicunt, ſemen animantium eſſe aqueum; &

Per Solem & pluuiam, cõmunia bonis & malis Dei beneficia, qd Chriſtus ſignificauerit.

Ariſt. lib. 2. Phyſic.

Cur Sol Dei dicatur.

Geneſ. 1.

Ioſu. 10.

Opinio Thaletis de aqua.

Eccleſ. 29.

ſecun-

Geneſ. 2.

ſecundum Scripturam, *Initium vitæ hominis, aqua, & panis.* Et Geneſis 2. ad probandum quod Deus crearat terræ naſcentia ſine aquæ præſidio, dicitur: *Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram.* Pluere autem, beneficium eſt indebitum, & voluntarium, quia Deus nil debet, & ex voluntate eius, & non ex natura, vel præter, vel contra eam eſt, quod Sol oriatur: poſſetque Deus facere, vt Sol iſte ſubtraheret radios, vel homines percuteret acriſia, vel tenebras efficeret, quæ non poſſent Solis radiis illuminari, vt ille Aegypti, vel eius influxu priuare.

Solis & pluuiæ beneficia quàm ſint libera, & voluntaria, atq; hominibus indebita.

Exod. 10.

Beneficium autem Solis ac pluuiæ etſi commune ſit, tamen quantum ad vtilitatem perinde eſt, ac ſi cuiuis eſſet ſingulare. Nec de ſpiritualibus beneficiis exemplum poſuit, vt de cuſtodia Angelorum, pulſatione cordis, & dono legis, & Prophetiæ: quia non ſunt omnibus nota, nec cognoſcuntur à Deo procedentia ab his qui experiuntur. Secùs de cibo, quia ſiſtunt in cauſis ſecundis, minusque illa eſſe à Deo exiſtimantur à rudibus.

Corporea Solis & pluuiæ potiùs quam ſpiritalia Chriſtus beneficia cur protulerit pro dilectione inimicorum.

Sol qualis cauſa Philoſophis.

Sol etiam maxima cauſſa omnium quæ putantur cauſſa vitæ in temperie calidi, & humidi: cauſſa etiam cibi, ſiquidem generatio mixtorum per actionem calidi & humidi fit. Et pluuia videtur maius beneficium, quia non omni, nec æqualiter datur, vt Sol; & in præmium, & per orationem datur, vel ſubtrahitur in pœnam: & per eam indicat prouidentiam ſuam, vt dicitur Actorum 14. & reſpicere terram peculiariter, Deuteronom. 11. Sol poſt pactum initum nobiſcum, Geneſis 8. & Ieremiæ 33. non aufertur vnquàm à Domino.

Actor. 14.
Deut. 11.
Geneſ. 8.
Ierem. 33.

Chriſtus etiã quare nõ dixit: Qui dat vobis triticũ, vinum, & oleum; ſed Solẽ, & pluuiã.

Nec Chriſtus etiam inquit, qui dat vobis triticum, vinum, & oleum, ſed Solem & pluuiam: quandoquidem illa vniuerſalia ſunt, & omnibus communia beneficia, hæc particularia: & in iſtis aliquid noſtri inuenitur, non in illis: & quia illa iſtorum ſunt cauſſa, non iſta illorum. Per hæc ergo duo intellige omnia Dei beneficia ad vitam hominis corporalem neceſſaria ſuſtinendam, quæ nulli Deus denegat; imò voluit omnibus eſſe communia. Quamobrem deberet iniuria affectus his donis naturæ, à quibus ita pendemus, excitari ad diligendum inimicos; cùm Deus poſſit vltionem quam velit de inimicis ſuis confeſtim ſumere.

Solis, & pluuiæ quanta ſint Dei beneficia.

An non magnum beneficium eſſet, ſi quis inimico ſuo in ſylua tenebroſa erranti facem portaret, qua viam eius dirigeret? An non grandis eſſet beneficentia, ſi quis campos inimici ſteriles adaquaret & irrigaret? Quantò magis Deus eſt beneficus, qui nobis, vitam contra eius voluntate inſtituentibus, & in ſylua mundi errantibus, lumen Solis non denegat ad iocundè & lætè viuendum: & pluuias opportunas ad agros noſtros fœcundandos mittit, vnde vitam poſſimus ſuſtinere? Eſt etiam ad rem, ſi iuxta ſpiritum exponamus, diligentes inimicos imitari ſanctiſſimam Trinitatem.

Diligentes inimicos, diuinarum perſonarum imitatores exiſtere.

Sap. 11.

Patrem quidem, qui omnia diligit, & nihil odit eorum quæ fecit, & qui Solem iuſtitiæ Chriſtum nos per doctrinam ſuam illuminantem, & charitate ſua nos calefacientem, atque promiſſis ſuis lætificantem, & ad fructus bonorum operum edendos ſuo exemplo excitantem, ad nos de cœlo miſit, & oriri fecit per incarnationem, & occidere per mortem; vt vitam diuinam homines compararent. Miſit etiam pluuiam voluntariam Spiritus ſancti, quæ vbique diffunditur, & repleuit orbem terrarum, ad irriganda atque fœcundanda terrena corda, vt fructus bonæ terræ feramus, iuxta illud: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.*

Pſalm. 67.

Ioel. 2 & Actor. 2.

Nubes Dei, vt Sol etiam & pluuia, quæ myſticæ & ſpirituales.

Fecit inſuper nubes ſuas pluere, id eſt, Apoſtolos & prædicatores verbi Dei, quorum pluuia, ſiue prædicatio Euangelica, lætificat, & frugiferam facit terram humanam: quod enim Deus Pater facit, & oſtendit in CHRISTO, regula eſt & doctrina eius quod debent facere filij adoptionis, ſecundùm illud; *In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.*

1. Ioan. 4.

Hunc autem Solem, id eſt, Chriſtum, & hanc pluuiam Spiritus ſancti, ſiue doctrinæ Euangelicæ, communem fecit Deus iuſtis & iniuſtis, bonis & malis: ita nos diligendo inimicos & amicos, planè oſtendimus nos eſſe filios Patris noſtri, qui in cœlis eſt, & non filios patris, qui in terris eſt, qui ſæpè nos ad vindictam faciendam hortatur, atque ad vlciſcendas vel leuiſſimas familiæ ſuæ illatas iniurias prouocat. ¶ *Si enim diligitis eos qui vos diligunt.* Argumentum eſt ab vtili.

His verbis Domini: Si enim diligitis eos q̃ vos diligunt, quã mercedẽ habebitis, &c. amicorum dilectionem minimè prohiberi.

Neque voluit Dominus ſignificare, nullam penitùs eſſe mercedem eorum, qui diligunt, à quibus diliguntur: nam hic actus cùm virtutis ſit amicitiæ, & memoris beneficiorum animi atque grati, non caret ſuo præmio, & mercede apud Deum. Nam alioqui dilectio parentum, aut filiorum, aut eorum, qui ſe nobis beneficos præſtiterunt, aut denique ipſius Dei dilectio, qui tot indies beneficiis deuincire nos, atque cumulare non ceſſat, non magnipenderetur à DEO: cùm tamen grauius peccatum ſit, amicum, quàm inimicum odio habere. Quod ergo hic dicitur, *Si enim di-*

ligitis

Diligentes tantum amicos, ac benefacientes, cur parui, & exiguam apud Deū mercedem habeāt.

ligitis eos qui vos diligunt; ſupplendum eſt aduerbium Tantùm, vel Solùm: quod ex clauſula ſequenti manifeſtum fit, quæ habet, *Etſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm.* Et hinc verus ſenſus reſultat, modicam & exiguam, imò reuerà nullam mercedem mereri apud Deum, qui ſolùm ſunt parati diligere amicum, aut benefacientem. Ratio eſt, quia non eſt opus ex charitate, quæ eſt radix meriti, quia habet Deum pro obiecto & fine, & actionibus moralibus Deū vt finem, non vt obiectum communicat, ideo pretioſos & præmio dignos reddit earum virtutum actus. Publicani ſiquidem, genus hominum odioſum & crudele, omniq; infamia refertum apud Iudęos, hanc iuſtitiam præſtabant: quanquàm hoc genus hominum apud Romanos in honore eſſet, vt alio loco diximus: Iudæis tamen inuiſum erat, & propter fraudes, quas vt plurimum exercere ſolent, & quia exigebant tributa Principibus Ethnicis perſoluenda; quod Iudæis iniquum, & contra legem eſſe videbatur.

Publicani quale genus hominum.

Etſi ſalutaueritis fratres veſtros tātùm, quid amplius facitis? Verbum ſalutandi Græcè eſt ἀσπάζεσθαι, quod eſt, oſculo & amplexu aliquem ſalutare, quod olim conſuetum erat fieri, non ſolùm apud Iudæos, ſed etiam apud Græcos atque Romanos. Obſeruarunt hoc noſtri ſeculi hæretici Anabaptiſtæ, tanquàm ſingularem quādam Chriſtianiſmi notam: ſed profectò communis extitit cum Ethnicis & publicanis, qui Chriſti legem non nouerunt: & nulla maior eſt nota veri Chriſtianiſmi, quàm fides & obedientia, ad Sponſam Chriſti Eccleſiam atque eius miniſtros. ¶ Agnoſcant ergo, qui inter Chriſtianos inimicitias gerunt, & inimicos ſuos ne aſpectu quidem, nedum alloquio, & ſalutatione dignātur, quam iuſtitiam colant, & quid ſibi pollicere valeant apud Chriſtum de doctrina Euangelica in hoc tanti momenti præcepto violata. Debemus enim à communi & publica ſalutatione inimicos occurrētes non excludere, ne charitatem violemus, vel alios offendamus: & poſcente neceſſitate, ſicut iubemur priuato benefacere, ita etiam adire, & ſalutare: extra quod conſilij eſt tantùm ſalutare.

Salutare fratres hoc loco quid, ſingularis Chriſtianiſmi nota, quædam Anabaptiſtis, ſed falsò.

Inimicorum oſores quam longè à charitate ſint Chriſtiana.

Quod autem Dominus alibi inquit, *Neminem per viam ſalutaueritis*: eò tendebat, vt miniſtri Euangelici non remorarentur per hæc humanitatis officia à munere euangelizandi: quia meſſis multa eſt; operarij autem, pauci: & ſi prohibuit ſalutari in via, non tamen domi.

Matth. 10. & Luc. 10. Illud: Neminem per viā ſalutaueritis quo ſenſu dictum ſit.

¶ *Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Id eſt, Gentiles, qui nihil habent ſupra genitam naturam corruptam. Et ſibi notis ſtimulis incitat eos ad benè operandum: quia Iudæi Ethnicos, & publicanos præ ſe deſpiciebant. Et concludit Dominus: *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Cuius verbi ſenſum in ſequentem tractatum ſeruamus. Interim meminerimus nos ad perfectionem vocari, & rationi atque iuſtitiæ conſonum eſſe cum primis videtur, vt qui perfectum Legiſlatorem ſortiti ſumus, & perfecta legis inſtituta profitemur, perfectam quoque in cœlo mercedem expectamus, perfectamque quoque iuſtitiam, perfectoſque charitatis fructus proferamus, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ſempiterna ſit laus, & gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Ethnici qui quàm miſeri, & minus perfecti.

Chriſtiani, Parente inſtar cœleſtis, cur debeant eſſe perfecti.

TRACTATVS XLIII.

In illa verba: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* in quo tractatur de præcepto dilectionis inimicorum, an ſit conſilium, vel præceptum, & quale.

NOVA alia ratione (quæ ex prædictis tamē ortum habeat) ad dilectionem inimicorum hortatur, dicendo: *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* At hic obiicies, quòd nemo eſt, vel eſſe poteſt ita perfectus ac Deus. Sed facilè eſt reſpondere, aduerbium Sicut, non æqualitatem in Sacris literis, nec omnimodam, ſed nonnullam ſimilitudinem ſignificare: atque hanc ſimilitudinem, ſeu imitationem perfectionis explicuit Lucas capite ſexto, dicendo: *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt*: Nam poſito præcepto diligendi inimicos, hac coronide illud terminauit. ¶ Nec miſericors hoc loco capitur pro eo, qui alienis miſeriis, & neceſſitatibus indoleſcit, ſed quomodo in Scripturis frequenter ponitur, hoc eſt, pro beneficio, & benigno. Ita Tobias cap. 4. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors*, id eſt, benignus. Eodem modo capitur miſericordia pro benignitate. Vnde Geneſis 20. dixit Abraham Saræ, *Hanc miſericordiam facies mecum.* Et capite 21. Abimelech Abrahæ dixit: *Iuxta miſericordiam quam feci tibi, facies mihi.* Et Dominus Luc. 10. *Quis horum triū videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit,*

Altera ratio hortādi ad diligendum inimicos.

Quomodo quis ſicut Pater cœleſtis poſſit eſſe perfectus.

Luc. 6.

Miſericors vbi Scripturarū pro benigno capitur atque benefico.

Tob. 4.

Geneſ 20.

Infrà 21.

Luc. 10.

Qui

Qui . . it miſericordiam in illum, id eſt, ille qui beneficium contulit. Et Lucas hoc loco, poſtquàm dixit, Patrem cœleſtem benignum eſſe erga malos, & ingratos, intulit: *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Ergo idem eſt eſſe benignum & miſericordem. Debemus ergo perfectionem Dei imitari in impendenda miſericordia dilectionis ad inimicum. Et re vera charitas perfectio eſt Chriſtiana, quam Apoſtolus vocat vinculum perfectionis. Et dilectus Diſcipulus ait: *Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt.*

Colloſ. 3.

Quomodo Chriſtus ab imperfectis perfectionē exigit, nēpè dilectionem inimicorum?

Secundò inquies, durum eſſe hunc ſermonem, qui ab imperfectis perfectionem exegit. Sed certè qui hoc dicit, ignorat cuius Patris ſit filius: neſcit legiſlatorem perfectum, neſcit perfectionē charitatis, quæ In Nouo exigitur Teſtamento, in quo elaborandum eſt, vt euadamus omnes in virum perfectum: Neſcit denique cęleſtis Ieruſalem perfectionem, ad quam vocatus eſt. Nam perfectio, quæ pręcipitur hoc loco, illa eſt, cui nihil deeſt in præceptis diuinis perficiendis: qui enim defecerit in vno, factus eſt omnium reus. Hinc Paulus perfectionem præcepit: *Gaudete*, inquit, *perfecti eſtote; exhortamini; idipſum ſapite.* Et ad Coloſſ. ait Apoſtolus; *Corripientes omnem hominem, & docentes in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu.* Et de ſeipſo, ac ſimilibus dicebat: *Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Ideo in primordio mundi, & lege Naturæ dictū eſt Abrahæ: *Ambula coram me, & eſto perfectus*: & de Noë ſcriptum eſt: *Noë*, inquit, *vir iuſtus atq; perfectus in generationibus ſuis*: imò populo Iſraëlitico infanti, & ſub lege, quæ nihil ad perfectum adduxit, exiſtenti, dictum eſt: *Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo*: Quid igitur mirum, ſi nos ad perfectionem vocemur?

Epheſ. 4.

Ad Chriſtianā perfectionem hortatoriæ voces Apoſtoli.

Iacob 2.

2. Cor. 13.

Coloſ. 1.

Philip. 3.

Geneſ 17.

Suprà. 6.

Hebr. 17.

Deut. 18.

Quale Chriſtus perfectionē à nobis requirat.

Quòd ſi dicas; Si omnes debemus eſſe perfecti, oportet ergo omnia relinquere, deſerere vxores, & ſub alterius obedientia gubernari: nam hæc tria ſtatum perfectionis conſtituere dicuntur. Reſpondemus, hic non eſſe ſermonem de perfectione conſiliorum, quam non niſi volentes profitentur in Euangelio, ſed de perfectione charitatis quæ mandatur. Et hæc dicitur perfectio reſpectu charitatis, quæ exigebatur in lege, quemadmodum & illa qualiſcunque dilectio in lege præcepta, perfectio erat reſpectu charitatis Gentilium. In lege autem Euangelica, vbi perfectio diligendi inimicos præcipitur, ſuadetur & alia perfectio, quæ in conſiliis poſita eſt, per quam impedimenta charitatis tolluntur, vt poſſeſſio bonorum temporalium, & vxoris, & libertas viuendi, vt quiſque velit citra peculiarem obedientiam: atque in hunc modum qui eiuſmodi conſilia profitetur, ad charitatem perfectionis comparandam contendere debet. Sed de hac perfectione hic non eſt ſermo.

Quòd ſi dicas, hic nullam eſſe poſſe perfectionem: quia Apoſtolus de ſeipſo dixit, *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim*: & in alio loco: *Quum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quòd ex parte eſt.* quibus verbis ſeipſum imperfectum ſignificat, & adhuc contendere ad perfectionem: quòd ſi imperfectus erat is; quis alius ſe eſſe perfectum audeat profiteri? Reſpondendum eſt: quemadmodum vnus & idem homo, reſpectu diuerſorū pater eſt, & filius, paruus, & magnus: nam collatus ad minores, magnus eſt; ad maiores, paruus: ita homo euangelicus, & ſeruans præceptum charitatis à Domino traditum, ſi cōferatur cum Iudæo, perfectus eſt. Si autem conferatur ad illam, quam beati poſſident perfectionem, vbi quiſque propriè eſt perfectus in omni genere virtutum, & in omni gradu, ita vt nihil illi deſit; profectò dici poteſt imperfectus.

Ad perfectionem à Chriſto cui vocamur, quæ in cœlo, teſte Apoſtolo, tantummodò reperitur.

Philip. 3.

1. Cor. 13.

Quòd ſi ſecundò obiicias; Si Deus in lege permiſit imperfectis odio habere inimicos, quare non etiam in Euangelio, in quo permulti inueniūtur imperfecti? Reſpondeo; duplicem exiſtere imperfectionem, alteram quidem ſtatus, alteram verò perſonæ. Iudæi igitur imperfecti erant, ſecundùm legem, quæ nihil ad perfectum adduxit, & in qua parua erat gratia, quæ illis conſerebatur: vnde quędam illis tanquàm pueris, imperfecta permiſſa ſunt. Exiſtentes verò in Euangelio, quod à fratre Domini dicitur lex perfectæ libertatis, perfecti ſunt ratione ſtatus, magnumque gratiæ diuinæ auxilium omnibus volentibus illam obſeruare ſuppeditatur: & illis tanquàm viris omnia quæ imperfecta erant, & in veteri lege permiſſa, meritò ſublata ſunt; ita vt iam non liceat in Nouo Teſtamento (quod attinet ad ipſam legē) quemquam imperfectum exiſtere: quòd ſi quiſquam imperfectus eſt, ſuo vitio, & ſua culpa talis eſt, quod legi & ſtatui perfectionis ſe nolit accommodare: quemadmodum & olim multi viri perfecti extiterunt, quòd ſe legi imperfectę non accommodauerint, ſed ſupra illam, Dei munere, Euangelicam legem profeſſi ſint. Quòd ſi illi tempore legis imperfectæ, perfecta operabantur &

Cur nō Chriſtianis imperfectis, vt olim Iudæis, odium inimicorum à Chriſto permittitur.

Hebr. 7.

Iacob. 1.

Legis veteris homines, quicunque fuere, vnde perfecti.

profitebantur: multò magis, qui perfectionem Euangelicam ſequuntur, ad perfectionem charitatis contendere, illamque comparare ſibi valebunt. Vt ergo olim multæ perſonæ Dei gratia perfectæ extiterunt lege imperfecta ſtante: ita modò multi imperfecti ſuo vitio exiſtunt, lege, & ſtatu perſectionis vigente.

Quinam illi fuerunt.

Quòd ſi tertiò obiicias; multos extitiſſe in lege, & ante legem de perfectione commendatos, quemadmodum Noë & Abraham, & Iob, velut etiam Moyſes, qui pro Synagoga volente ſe lapidare, preces ſudit ad Deum, dixitque: *Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti*: quod proculdubiò ad Euãgelicam ſpectat perſectionem: Dauid etiam tantæ extitit perſectionis, vt Sauli inimico, ſe ad mortem quærenti, & actu perſequenti, ex animo pepercerit; piaculum ducens manum mittere in Chriſtum Domini: vnde dicebat; *Si reddidi retribuentibus mihi mala; Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis*: Iob quoque dicebat cap. 31. *Si gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat; & exultaui quòd inueniſſet eum malum*: Quid ergo ampliùs præcepit Chriſtus, ſi hæc in lege naturæ, & Moyſis obſeruabantur? Reſpondeo: multum per omnem modum. Nam hęc illi ſupra legem præſtiterunt ſupererogantes, & ad Euangelium ſpectantes, fide, & Spiritu prædíti Euangelico, ad quæ opera perfectionis interdum Prophetæ exhortabantur: vt cùm dicitur Prouerb. 24. *Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne forte videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam*, & Prouerb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, da ei aquam bibere: Prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi.* Ita enim paulatim Iudæi diſponebantur ad legem Euangelicam ſuſcipiendam. Et quanquàm multa ex dictis de inimico ciuili valeãt intelligi, id eſt, de Hebræo fratre offendente, cuius odium vetabat lex; multa tamen præſtare poterat vel Moyſes, vel Dauid, quæ præcepti nequaquàm erant, ſed conſilij. Et hactenùs dictum ſit de hac ſententia.

Geneſ. 6. *Exod. 32.* *1. Reg. 24. & infrà 20.* *Pſalm. 7.* *Iob 31.*

Perfectio dilectionis inimicorum vt propria legis Euangelicæ, Naturæ, & Moyſi legibus ſi illa non defuit?

Prouerb. 24. *Infrà 25. & Rom. 12.*

Quartò conſiderandum eſt, in huius præcepti traditione B. Lucam quædam inuoluiſſe ac implicaſſe ex illis, quę proximè ante hoc præceptum de lege talionis tradita ſunt. Ait enim: *Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis: & orate pro calumniantibus vos. Et qui te percutit in maxillam, præbe illi & alteram. Et ab eo qui aufert tibi veſtimẽtum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas: Et prout vultis vt faciãt vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. Et ſi diligitis eos qui vos diligunt; quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores, diligentes ſe, diligũt. Et ſi benefeceritis his qui vobis benefaciunt; quæ vobis eſt gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere; quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Veruntamen diligite inimicos veſtros: benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filij Altiſſimi, quia & ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos. Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Hæc Lucas. In quibus verbis Lucæ notandum eſt, bis repeti, *Diligite inimicos veſtros; & benefacite*: quod quidem factum eſt, vt magis inhæreant mentibus, & vt hortaretur ad benefaciẽdum ſine ſpe recipiendi mutuum. Deinde aduerte, quæ Matthæus diſtinctiùs dixit de explicatione legis illius, Oculum pro oculo, & dentem pro dente, Lucam ſimul illa coniunxiſſe cũ præcepto diligendi inimicos: quædam tamen illis addidit. Et primum addit illud verbum, *Benedicite maledicentibus vobis*: quod iam expoſitum eſt. Deinde addit illam generalem ſententiam: Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. Sed huius ſententiæ explicationem ſeruamus in 7. cap. Matth. vbi iterum continetur. Tertiò his, quæ dixit de dilectione amicorum, & ſalutatione, hæc apponit: *Et ſi benefeceritis his qui vobis benefaciunt; quæ vobis eſt gratia? Siquidem & peccatores hoc faciũt. Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere; quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.* Quod dicit, *quæ vobis eſt gratia*: idem ſignificat quod quid maius operamini quã quod operantur peccatores? cùm tamen oporteat, iuſtitiam veſtram abundare ſupra illam Scribarum & Phariſæorum. Natura docet, vt nos benefacientibus & diligentibus, benefici ſimus; quod Chriſtus non dãnat: verùm longè ſublimiora à ſuis requirit, nimirum vt omnes ex æquo diligant; omnibus, citra perſonarum reſpectum, benefaciant, ſiue amicis, ſiue inimicis; ſiue rependere, ac par poſſint referre, ſiue minus. Cùm ait, peccatores peccatoribus fœnerari: Græcè dicitur, δανείζειν, quod duo ſignificat, & propriè fœnerari, quod eſt, accipere aliquid vltra ſortem: & ſimpliciter mutuum dare, quomodo hic abſque dubio accipiendum eſt. Vult enim Chriſtus excitare Chriſtianos ad mutuum dandum ſimpliciter, etſi recepturos ſe princi-

Proponitur textus D. Lucæ de dilectione, inimicorum, & expenditur.

Luc. 6.

Cur ſecundò Dominus iubet: Diligite inimicos veſtros?

Exod. 21.

Hiſtoriæ Matthæi hoc loco quænam addiderit Lucas.

Illud de diligentibus tantùm ſe diligentes, quæ vobis eſt gratia? quid ſignificet.

Matth. 5.

Quomodo velit Chriſtianos Dominus fœnerari, huius verbi duplex acceptio.

palem ſortem non ſperent, quadoquidem etiam peccatores, & Gentiles inter ſe mutuum dant ſine vllo fœnore, & ſine vlla ſpe recipiendi vltra ſortem: nam hoc eſt quod dicit, recipere æqualia, vnde ſubdit: *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Quibus verbis, non ſolùm prohibet ad vſuram accommodare, vt ſcilicet nihil ratione mutui ſperent; ſiue id in pactum deduxerint, quæ eſt vſura externa; ſiue tantùm corde & mente affectauerint, quæ eſt interna: ſecùs autem ratione grati animi virtutis, vel ratione proprij damni emergentis, vel lucri ceſſantis in eo, qui paratus eſt negotiari cum ſua pecunia, & rogatus mutuat. Atque ita mutuum dare, conſilium eſt: nihil autem inde ſperare, præceptum eſt.

Chriſtus cū ait: Mutuum date, nihil inde ſperantes, quid ſuadeat, quid præcipiat.

Sed præter hunc ſenſum eſt alius; quo Chriſtus diſcipulos ſuos admonet, vt mutuum dent, etiam non ſperantes ipſam ſortem recipere, & æſtiment ſe donaſſe; atque expectent à Deo remunerationem illam amplam. Atque hunc ſenſum comprobat id quod præceſſit: *Si mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, &c. nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia:* non enim in more eſt, vt in fęnore lucrum ſit ſorti æquale; ſed dixit, *æqualia*, paria bona gratuitò refuſa, puta quod remutuabit & ipſe aliquando, ſi aliter crederet non mutuaturus. Probat & illud quod ſequitur: *Et erit merces veſtra multa.* Atq; ita exponit B. Baſilius in illa verba Pſal. 14. *Qui pecuniam ſuam nō dedit ad vſuram.* & B. Thomas docet, non prohiberi his verbis vſuram, ſed conſilium mutuandi dari, ſine ſpe humanæ compenſationis, aut fauoris, ſed ſolùm intuitu diuinæ mercedis. Itaque verbum fœnerandi non propriè, vt diximus accipitur, ſed ſimpliciter pro mutuo ex charitate, quemadmodum alio loco dicitur; *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis:* & latiùs diximus in illud Luc. 7. *Duo debitores erant cuidam fœneratori.*

Alterum genus mutuationis perfectius ex eiſdē verbis colligitur à Domino præſcribi.

B. Baſil. to. 1.

D. Thom. de malo q. 13. art. 4. 3. 10. 0.

Prouerb 19.

Lib. 4. tract. 8. 2. part in ordine 35.

His explicatis, redeundum eſt ad præceptum hoc dilectionis inimicorum. Quidam enim exiſtimant, propter illa verba: *Eſtote ergo perfecti*, præceptum non eſſe, ſed merum conſilium: perfectio autem non exigitur ab homine, ſed volentibus conſulitur. Reſpondemus; legem præceptorum Chriſti perfectam eſſe, & perfectum facere ſeruantem eam, ſi conferatur cum illo, qui Moyſis pręcepta cuſtodiat: quanquàm hic perfectus non erit, ſi conferatur cum iis, qui legem Chriſti ſimul cum conſilii perfectiùs ſeruant: quemadmodum nec hi, ſi conferantur cum beatis, perfecti ſunt dicendi, vt ſuperiùs diximus. Quòd autem ſub forma præcepti hoc ſit traditum à Domino, ſatis indicat illud verbum: *Dico vobis:* quod vim mandati habet in omnibus his, quæ CHRISTVS adiunxit legi, & perinde eſt ac dicere, edico, vel indico vobis, legemque ſtatuo. Deinde quia ait: *Quam mercedem habebitis apud Patrem?* quaſi dicat, nullam. Indicat etiam; *Quid amplius facitis*, Græcè τὶ περισσὸν, hoc eſt, Quid abundantius, vel quid ampliùs præ Gentilibus, & publicanis, qui eadem faciunt? Quid ſcilicet facitis, in quo illos excellitis? Simili modo illa particula vtitur Paulus ad Roman. 3. *Quid ergo ampliùs Iudæo eſt?* nempè, Quid habet Iudæus, in quo abundet præ Gentili? Si ergo nulla eſt merces apud Deum diligenti amicum tantùm, aut benefacienti amico; ad ſalutem neceſſarium eſt diligere inimicum. Vnde & à principio cùm dixit, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra:* & cùm cap. 6. inchoat; *Attendite ne iuſtitiam veſtram, &c.* ſatis indicat hæc præcepta eſſe, neque tantùm conſilia: quanquàm aliquando contingat eſſe conſilia, vt explicuimus. Clemens libro 1. Conſtitutionum, cap. 2. propoſitis illis verbis; *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos;* ſubdit: *Attendamus itaque, chariſſimi, ad hæc præcepta, &cæt.* Sunt ergo illa præcepta, non conſilia, vt quidam putant. Et Hieronymus noſter in hæc verba: *Multi præcepta Dei imbecillitate ſua, non Sanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt, & dicunt ſufficere virtutibus non odiſſe inimicos; cæterùm diligere plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo, Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta, quæ fecit Dauid in Saul, & in Abſalon; Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt; & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis.* Hactenùs Hieronymus.

Dilectionem inimicorum, conſilium eſſe, nō præceptum arguētium, primū argumētum diluitur.

Id eſſe præceptum oſtēditur duplici ratione ex verbis Chriſti ſumpta.

Rom. 9.

Matth. 6.

Clem. Rom.

Hier. tom. 9.

Non eſſe impoſſibile dilectionis inimicorū præceptum, teſte Hieronymo.

1. Reg. 24. & infra 26.

2. Reg. 14. & aliàs.

Rom. 9.

Secundò dicunt quidam, hoc præceptum diligendi inimicos præſtari minimè poſſe. Verùm qui hoc dicunt, iniurij ſunt Deo ipſi, qui inſipienter impoſſibilia præcepiſſet. Nam procul dubiò ſi impoſſibile præcepiſſet, à Deo nequaquàm pręceptum fuiſſet, nec tot Sancti, etiam in lege ipſa naturæ, vt Iob, & Ioſeph erga fratres ſuos, qui eum in ſeruum vendiderunt, illud obſeruaſſent: & in lege ſcripta non ſolùm Moyſes cum populo volente ſe lapidare, ſed etiam Dauid cum Abſalon, & cum Semei, atque cum Saule hoſte capitaliſſimo, hanc dilectionem cuſtodiſſent: in Euangelio verò Chriſtus, Apoſtoli, Stephanus, & Martyres hunc amoris modum à Domino præſcriptum obſeruarunt diligentiſſimè.

Secundū argum. ab impoſſibilitate, vt aiunt, huius præcepti.

Iob. 31.

Geneſ. 45. & ſeq.

Exod. 17. & Num. 12.

2. Reg. 14.

Infrà 16.

1. Reg. 24. & 26.

Quinam in veteri lege

Quod

Præceptũ im-pleuent dile-ctionis ini-micorum. Soluitur hoc: Non omnes ſumus ſancti & perfecti, qui, vt illi, idẽ valeamus præſtare.

Quod ſi dicas, illos viros ſanctos, & perfectos fuiſſe, nec nos imperfectos, & peccatores cum illis eſſe vlla ratione conferendos; Reſpondemus confitendo, illos Sanctos fuiſſe; ſed propterea homines eſſe non deſiiſſe. Imò ob hoc ipſum quòd erant ſancti, ad imitandum ſunt nobis propoſiti. Vnde frater Domini: *Exemplum accipite, fratres*, inquit, *exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce, beatificamus, eos qui ſuſtinuerunt. Helias, homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, &c.* Quamobrem Dominus ad perfectionem, & ſanctitatem hortatur, cum ait: *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum*: &; *Perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.*

Iacob. 5. — 3. Reg. 17. — Leuit. 11.

Ad illud etiam: Vt calor aquæ & contra, ſic inimicorum dilectionis natura noſtra eſt impatiens. — Marc. 9.

Quòd ſi rurſus obiicias; impoſſibilem eſt naturæ noſtræ dilectionem proximi: quemadmodum aquæ, quæ ſua natura frigida eſt, calorem. Reſpondeo, naturæ nudæ, & ſoli, non ſolùm hæc, ſed alia præcepta Dei impoſſibilia eſſe: ſecùs eſt, ſi natura noſtra induatur Dei gratia. Nihil eſt enim impoſſibile credenti. Quemadmodum aquæ nudæ & ſoli impoſſibile eſt calefacere: ſecùs vbi igne aqua ſit ſupra naturam ſuam eleuata, & calefacta. Qua etiam ratione ad Indiam peruenire homini per ſe impoſſibile eſt, aliter ſi nauis præſidio traiiciat: nam ſic minimè repugnat illuc peruenire. Tertiò opponunt, huiuſmodi præceptum diligendi inimicos, aduerſarium eſſe naturæ: durum eſt autem, vt nos contra naturam pugnemus. Dico, hominem conſtare anima & corpore, ſiue carne & ſpiritu: & dilectio inimicorum proculdubiò contra naturam carnis eſt. Sed vt Apoſtolus ait: *Prudentia carnis inimica eſt Deo*. Non eſt autem contra naturam, id eſt, contra naturalem rationem, quæ eſt in mente: nam etſi ratio vi ſua nequeat aſſurgere, vt perſpiciat bonum eſſe diligere inimicum; tamen ſi bonò fidei & gratiæ illuſtretur, ſiatque homo DEI filius, alios oculos mentis acquirit, & agnoſcit in inimico amicum, nempè Chriſtum, qui eſt in omnibus, etiam peccatoribus. Ideo videmur obligati ad illum amandum, qui non ſimiliter dilexit inimicos: quare hæc dilectio non eſt iam inimici & malefici, ſed amici, ac benefici, id eſt, Chriſti. Homo autem ſine fide & gratia ſecundùm ſolam naturam inimicum diligere haud poterit: non enim agnoſcit in eo niſi malam mentem, & malum animum, atque odium, quod dignum eſt odio reciproco. Ergo qui ſentiunt, ab homine hoc præceptum non poſſe impleri, non ſunt adhuc filij Dei. Dicamus igitur, hoc præceptum contra naturam carnis eſſe, ſed non contra rationis naturam; ſed ſupra rationem, vt ſunt alia omnia quæ ad fidem ſpectant, & conſorme naturæ reparatæ, quæ perſpicit in inimico aliquid dignum dilectione.

Tertium argum. ab naturali repugnantia. — Iacob. 4. — Rom. 5. — Non poſſe diligi à nobis dicentes inimicos, quid arguant.

Quartum argum. à difficultate.

Quartò, videtur ſaltem hoc præceptum (aiunt) durum, aſperum, atque difficile. Sed hoc vitio contingit noſtro, qui gratiam Dei, & Spiritum Chriſti, quo difficilia quæque emolliuntur, ſuauiaque redduntur, non haurimus: & quandiù ſecundùm ſpiritum huius mundi viuimus, non poſſunt Chriſti præcepta non videri dura, ſalebroſa & inſipida. Sed vide quid dicat is, qui de Spiritu Chriſti potauit largè; *Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus: & mandata eius grauia non ſunt.* Vide etiam quid dicat ipſe legiſlator, *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

1. Ioan. 5. — Matth. 11.

Vnde oritur hæc difficultas. — 1. Cor. 2.

Quemadmodum autem de vino non rectè iudicat palatum febri infectum: ita nec animalis homo percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, neque præcepta ab eo de dilectione. Ad hæc, vt agnoſcas, quàm ſit ſanctum, & iuſtum, dulce & iocundum hoc præceptum, finge Deum conuocare omnes Angelos, & omnes homines, reliquasque creaturas, quæ tibi nocere poſſunt, &, te nominatim appellato, ad vniuerſos illos loqui in hunc modum: Quia ego hunc hominem diligo; mando & præcipio vobis omnibus, vt mei cauſſa illum diligatis, ita vt etiamſi inferat vobis iniurias graues, & multas, nullam tamen de eo ſumatis vindictam, reddatisque ei bonum pro malo, vincentes in bono veſtro malum eius: an non hoc præceptum ſanctum, dulce, & facile iudicares; Sed profectò quod de te Deus ſanxit, de omnibus aliis ſtatuit. Ideo niſi corruptum eſſet iudicium tuum, & ſeculi affectibus perturbatum, deberet abs te iocundiſſimum iudicari.

Commodo ſatis & elegãti exẽplo facilis oſtenditur atq; adeò iocunda dilectio inimicorum. — Rom. 12.

Ferentibus, quàm inferentibus iniurias hoc eſſe præceptum Domini dulcius atque iocundius.

Fortaſſe reſpondebis; præceptum quidem iocundiſſimum videri conuitiantibus, ſed non conuitia iniuriasque recipientibus; & qui ad remiſſionem præſtandam obligantur. Sed iam ego fortiùs agam, honeſtius ac dulcius hoc eſſe præceptum parcentibus, quàm iis, quibus parcitur. Nam ſi tu inſigni iniuria aliquem afficeres, qui tamen contemplatione Dei tibi ignoſceret, iniuriamq; remitteret; cuinam, tuo iudicio, maiorem fauorem oſtenderet Deus, tibi ne, cui parcitur, an verò illi qui pepercit? Reſpondebis, ſi ſapis, illi qui pepercit; tum quia non incidit in peccatum

iniuria afficiendi alterum; nam melius eſt, iniuriā ferre, quàm inferre: tum quia parcere, actus eſt ſingularis virtutis, quē præſtare, ſine gratia Dei quiſquam nō poteſt: ſed quòd nobis condonetur iniuria, nulla noſtra virtute fit. Parcere ergo, res eſt per ſe honeſta & iuſta, & ſancta, & ſuauitatis pleniſſima: Deusq́ue præcipiens diligi inimicos, etſi amorem ſuum illis quibus vult parci, teſtificetur, maiorem tamen & excellentiorem oſtendit erga parcentes, quos in ſuprema virtute ad illuſtrandam gloriam ſuam voluit exerceri.

Quā & hoc leue quod inferūt: Eſt accipere veniā, quàm dare iocūdius atque ſuauius.

Sed demùm oppones, maiorem ſenſum dulcedinis ſuauitatisq; nos percipere, cùm remittitur nobis iniuria, quàm cùm nos remittimus: nam vix & ægrè, & magna cum affectuum pugna luctaque ad ignoſcendum accedimus. Reſpondeo, verum eſſe, ſi ſenſum & carnem ſpectes: ſecùs autem eſt, ſi rationem & ſpiritum conſulas. Quippe vt ſenſui dulce eſt & iocūdum, remiſſionem iniuriæ illatæ accipere; ita ſpiritui dare remiſſionem, longè eſt iocundiſſimum atque ſuauiſſimum. Præſtat autem vel minima ſpiritus & rationis delectatio, omnibus omnium ſenſuum voluptatibus.

Quintum argum. ab humano dedecore, & infamia.

Quintò argumentantur, diligere inimicos: illisq; veniam dare, rem videri parùm honorificā, imò vilem, & magno coniunctam cum dedecore, ab omnibus paſſim exiſtimari. Reſpondeo; verum eſſe, ſi ignorantes, & mundi huius dilectores, quibus ignota ſunt Dei præcepta, & conſilia, conſulamus. Animalis enim homo nō percepit ea quæ ſunt Spiritus Dei: nempè tales non ſecus de diuinis CHRISTI mandatis iudicare poſſunt, quàm cæcus de coloribus, aut ſurdus de vocibus, aut harmoniis. *1. Cor. 2.* Si verò Deum & Angelos conſulas, & homines magnos & perfectos omnium ætatum & ſeculorum, aliud cenſebunt. Vt interim omittam Philoſophos, & externos quoſdam, qui in lege naturæ ſingulares pietatis & iuſtitiæ cultores extiterunt, apud quos excelſum quendam virtutis gradum obtinuit dilectio inimicorum, & præteritarum remiſſio iniuriarum: quam Cicero ab Athenienſibus acceptam ἀμνηστείαν laudibus celebrauit, & commendauit, & in Iulio Cæſare, vt virtutem excelſam & heroicam, iniuriarum obliuionem prædicauit. *Cicero.* Sed interim nobis ſatis eſſe debet Dei ipſius Optim. Maxim. exemplum, qui potentiam ſuam parcendo maximè & miſerando manifeſtam reddit; cùm tamen illi, omnes vlciſci iniurias longè ſit facillimum. Eſt etiam Chriſtus imitandus, qui non prius legem tulit, quàm fecit. Omnes autem, qui hoc præceptum ſeruarunt, meritò & veneramur, & colimus.

Sextum arg.

Sextò argumentantur: Ego libenter parcerē, ſi inimicus ad me veniret, & ſupplex, & humilis veniam imploraret: cæterùm illi adhuc ſuperbienti, & abſenti, remiſſionemq; minimè poſtulanti parcere, dedecus mihi eſſet, & turpe. Reſpondeo, prima facie Scripturam hoc porrigere in parabola Matth. 18. de ſeruo, qui roganti conſeruo ſuo non remiſit debitum; cùm tamen ipſe à domino rogans, obtinuiſſet. *Matth. 18.* *Veniam, eā tametſi non rogantibus, vbi Chriſtus inſinuet non negandam.* Deus etiam, qui à nobis eſt in hac re tanquàm regula imitandus, nulli, niſi humiliter roganti, parcere conſueuit. Vnde Luc. 17. Petro dixit: *Et ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me; dimitte illi.* *Luc. 17.* Dicendum eſt tamen, parabolæ concluſionem, & finem eſſe: *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris:* Et non ait, niſi remiſeritis rogantibus vos; & alibi abſolutè ait: *Dimittite, & dimittemini.* *Luc. 6.* *Veniæ poſtulatio ad parcendum inimico, quæ ſola meritò ſufficeret.* Quòd ſi velis hic ſuppleri conditionem, dimittite, ſcilicet roganti, vt in parabola; Reſpondeo, ſatis rogare inimicum, cùm rogat pro illo Chriſtus, qui ſibi vt donatum recipit, quod nos nobis inuicem donamus: & ſic impletur parabola. Qui verò non donat, vindictam ſibi arrogat contra Dominum dicentem: *Mea eſt vltio, & ego retribuam.* *Deut. 32. & Rom. 12.* Et cùm illi, qui iniuriam accepit, præceptum ſit veniam dare, ille verò, qui intulit, in mandatis habeat illum ſuppliciter adire, cui fuit iniurius, ac remiſſionem poſtulare: non debet iuſtitia vnius ex alterius officio pendere, ſed quiſq; quod ſuum eſt, diligenter præſtare, & alterum ad præſtandum officium ſuum tardiorem ſuo exemplo prouocare.

VII. Argum.

Septimò, aiunt quidam: Ego libenter parcerem inimico, modò mundus intelligat me hanc propter Deum facere remiſſionem, eiusq́ue contemplatione animum appetentem vindictæ ponere: aliter libenter non remitterem. Nec enim ego ita vitam inſtitui meam, vt mundus poſſit cogitare me talē eſſe, qui propter Deum offendēti parcam. Sed certè oportet te propter Deum parcere, etiamſi totus mundus neſciat: aliàs propter te ipſum, & mūdi gloriā tantùm faceres, & non tantū propter Deū. *Inimico qui parcant verè propter Deū.* Hinc Chriſtus præſcius huius noſtri praui cordis, cùm dixiſſet: *Diligite inimicos veſtros,* continuò ſubiunxit: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis;* *Matth. 6.* Et, *Cùm facis eleemoſynam* (vel remiſſionem) *noli tuba canere ante te: Expecta* *Ibidem.*

Domi-

Habac. 2.
1.Cor. 4.

Dominum, qui veniens veniet, & non tardabit: Qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Et tunc (ſcilicet in iudicio generali) *laus erit vnicuique à Deo.*

Inimicis parcentes, mundanam ad tempus infamiam & dedecus, quorum perferent Ethnicorum exempla.

Quòd ſi te verba tanti Apoſtoli non permouent; moueant te ſaltem Ethnicorum documenta. Inter quos Iunius Brutus ad tempus ſe ſtultum, & hebetioris ingenij ſimulauit, & haberi ſtultus, & rudis, haud magni pendit, vt aliquando patriam à tyrannis liberaret: quare titulum liberatoris, & aſſertoris, vel Patris patriæ promeritus fuit. Q. Fabius Maximus timidum ſe, & puſillanimem baberi æquo animo tulit, fugiens congreſſum cum Hannibale; quo interim delitiis Capuanis frangeret vires exercitus eius: vt nomen Cunctatoris ſibi compararit, & æternas illas Ennij laudes:

M. Tull. lib. 1. de offic. paulò remotius à princip.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtque magiſq; viri nunc gloria claret.

Quænam vel inuiti à mundo conuitia patiantur iniuriarum vltores.

Si ergo illi propter hominum laudes timidi, & ſtulti à mũdo ad tempus iudicari pro nihilo habuerunt; quantò magis propter æternas, & veras Dei laudes, & timidus, & puſillanimis, & vilis haberi ſuſtinere debes? Imò ſi maximè vlciſcaris iniurias acceptas pro voto tuo, ſemper de te mundus murmurabit, quòd fueris impius, crudelis, & inexorabilis, atque præcepti Euangelici tranſgreſſor. Ideo vanum eſt, à cæco, & inſtabili vulgi iudicio pendere.

VIII. Ratio.

Octauum conflant argumentum tale: Si facilè (inquiunt) remitterentur iniuriæ per bonos viros, improbi quiq; indies fierent inſolentiores, & ad conuitia, & malefacta audaciores. Quare expedit Reipublicæ, & illuſtribus familiis, vt illis reſiſtatur, & eorum libidini obuiam eatur propter quietem, & pacem communem. Reſpondemus: Si hæc vera eſſent, inſipienter Chriſtus ſuaſiſſet: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo*: & Paulus malè dixiſſet: *Non vos defendentes, chariſſimi*: quod falſum eſt. Imò quando quis vult propriam facere vindictam, magis turbantur Reſpublicæ, ac vniuerſæ familiæ. Sed Deus eſt in mundo, cui relinquendæ ſunt vindictæ, & magiſtratibus ab eo conſtitutis. Vis ergo tu plus fidere tuæ ſapientiæ, viribuſq;, quàm Deo? Si ergo homines iniurias condonarent eo modo quo Chriſtus, Paulusque præcipiunt, mundus eſſet magis quietus, atque pacificus. Quod ſi ita eſt, inquis, quare ergo illi qui iniurias condonant, vt viles, & abiecti ab omnibus ſolent haberi? Reſpondebo illud inde proficiſci, quod plerunque iniuria affecti propria culpa offenſi ſunt, ideo ſi forte condonent, viles atque abiecti cenſentur.

Vltiones inimicorum rebus ferè publicis, generi atq; familiæ ſolere perniciosiores exiſtere.
Rom. 12.
Ibidem, & Deut. 32.

Cur ferè qui inimicis parcunt, viles ac deſpecti à mundo habeantur.

II. Ratio.

Deinde tales ferè ſemper parcere ſolent inimicis, aut propter timorem, aut propter viliſſimam mercedẽ, vel aliis de cauſis minùs honeſtis, vt proptereà meritò tales demiſſi, ac puſilli animi exiſtimentur. Tertiò, accedunt cõſanguinei, & affines eius, qui eſt paſſus iniuriã, & magnificant vindictas atq; exaggerant, ſingulariaque certamina quaſi rem decoris, & honoris plenam in cœlum euehunt, vt ea ratione inimicum ſine proprio ipſorum damno de medio tollant: factaq; vindicta ſperant ſe futuros dominos facultatum vindicantis, quòd ille propter mortem illatam in perpetuum exilium ſit relegandus. Quartò, principes, & magiſtratus vindictam de inimicis ſuis ſumentes, ea ratione laudare ſolent, & commendare, quo poſſint liberius bona ſe vindicantium cõfiſcare, & publicare. Hinc ante paucos annos in Italia à quibuſdam Principibus cãpus, ſiue locus ad duellum liberè conferebatur, confluebantque ad huiuſmodi barbara planè atque immania ſpectacula multi nobiles, & fortitudine præſtantes, ac ſtrenui viri, non ſolùm vt alteri partium fauerent, ſed etiam vt tam fero ſpectaculo oculos ſanguinarios paſcerent ſuos. Vnde factum eſt, vt ſe ipſum manu propria de inimicis vlciſci, pro actu maximæ virtutis ſtultiſſimè ſit habitum; parcere verò, vitioſum, & remiſſi, ac abiecti animi. Poſtremò, dæmon in his tragœdiis excitandis mirabilis artifex, quæ diſcordiæ ſunt, & belli, ſuggerit; ab his quæ pacis, & concordiæ ſunt, dehortatur: quibus perſuaſionibus ac ſuggeſtionibus cùm natura humana deprauata, ad iniuriaſque, vel inferendas, vel referendas procliuis ſimiliter auſcultaret, haud mirum ſi factum eſt, vt hæc omnium animos peruaſerit opinio, magnos, & ſtrenuos, & fortes habendos eſſe qui ſe vlciſcerentur; ignauos, & remiſſos ac contemptibiles, qui condonarent. Sed certè omnia hęc falſa ſunt, & Euangelio Chriſti, & ſaluti noſtræ contraria, ſummeque pernicioſa. Nam & apud ethnicos celebratus eſt Cæſar de clementia, & animi lenitate, vt ſuperiùs produximus. Ariſtoteles ad magnanimum ſpectare ait, obliuiſci iniuriarum. Et vt debilis ſtomachi eſt cibum duriorem dirigere non poſſe, ita puſilli animi eſt verbum diriuſculum non poſſe ſuſtinere. Photio, vir illuſtris, proximè, & iniuſtè interficiendus, vt teſtatur Plutarchus in vita eius, rogatus ab amicis ſi quid filio ſuo eius nomine dici vellet: *Volo equidem*, inquit, *ne illata mihi ab Athenienſibus*

III. Ratio.

IV. Ratio.

Singularium duellæ certaminum duæ crudeles, & impiæ.

Quinta ac poſtrema ratio.

Vltionem iniuriarum humilis, & abiecti animi, [illegible]ta remiſſionem fortia, ac ſtrenui probatur ethnicorum primarum virorum exemplis.
Ariſt. lib. 4. Ethic. c. 3. ſub finem, tom. 3.

Plutar. to. 3. ſub initium.

Socratis illi⁹ Philoſophorum ſapientiſſimi mira patientia.

iniuria reminiſcatur. Socrates, patientiæ nomine à cũctis celebratus, cùm publica conuitia ab Ariſtophane paſſus eſſet; non modò non ægrè tulit, ſed obuium interrogauit, num ſe rurſus ad ſimilem rem opus haberet? Idem etiã rogatus cur vxorem moleſtam, & importunam iniuriis, tum verbo, tum facto laceſſentem, à ſe non dimitteret, atque expelleret, reſpondit ſe nolle, quòd quotidiè domi ſuæ quaſi in ſchola quadam patientiam addiſceret. Narrat Baſilius epiſtola ad Nepotes de captanda vtilitate ex Gentilium libris, de Pericle, Euclide Megarenſi, ac Socrate, qui percuſſi alteram præbuere maxillam. Socrates, vt teſtis eſt Diogenes Laërtius in vitis Philoſophorum, cùm calcem impingenti nihil comminatus eſſet, & hanc eius tolerantiam quidam eſſent demirati: *Quid*, inquit, *ſi me aſinus calce impetiiſſet, num illi diem indixiſſem?* Lycurgus Rex Lacedæmoniorum, cùm à ciue quopiam iuuene altero oculorum eſſet orbatus, illum à populo accepit, vt quo liberet modò puniret. Quod ille minimè fecit, ſed optimè inſtitutum, boniq́ue viri moribus prędit um, in theatrum perduxit. Admirãtibus autem Lacedæmoniis: Iſtum antehac, inquit, iniurium, & violentum, qualem à vobis accepi, iam frugi, & popularem vobis reſtituo. Deinde æquum non videtur, imò à ratione lõgè alienum, vt tu in ꝓpria ſis iudex, & pars, & carnifex cauſa: nam affectus excæcat oculos rationis, ni poſſimus rectè iudicare, iure ne, ad iniuria ſimus læſi: & vbi hoc conſtaret iniuria nos eſſe læſos, timendum eſſet à noſtris affectibus, ne in ſumenda vltione modum excedamus. Et vt conſtaret quanta vindicta eſſet ſumenda, adhuc tu facultatem non haberes in vindicta, quę Dei propria eſt. Vnde vel magiſtratus nõ valet iuſtè aliquem punire, niſi reus prius ſit legitimè cõuictus vel cõfeſſus: & adhuc illi datur tempus pœnitentiæ, ſi capite ſit plectendus. Tu tamen contra omnem iuris ordinem, & æquitatem, neq; conuictum, neque confeſſum: & antequàm valeat reſipiſcere, veniamq́ue à Deo errati ſui poſtulare, necem illius deſignas. Quare huiuſcemodi vindictæ impiæ ſunt, & crudeliſſimæ. Tertiò, quia iniuria tibi illata, plus eſt Dei, quàm tua: Deo ergo condonante condonare debes & tu. Quòd ſi ob zelum honoris Dei vindictã appetis, perge ad magiſtratum, qui ex officio iniurias Deo, vel proximo illatas vlciſci debet. Quartò dices, etiamſi magiſtratus maximè puniat, & ſuſpendio eum tradat, ego contentus, vel quietus eſſe non poſſum: neque quieſcam, donec manibus meis vindictam ſumam, non enim aliàs conſtare poſſet honor meus. Sicut ergo ipſe abſtulit honorẽ meum vulnus mihi infligẽdo, ita ego vulnera, & necem illi inferẽdo, honorẽ meum recuperabo. Sed age, reſpõde mihi: Quando ille tibi vulnus inflixit, vel poteras te ab eo defendere, & noluiſti: ac ſanè tunc ille honorem tibi non præripuit, ſed tu tibi. Quod ſi te tueri non poteras, quia ex inſidiis te aggreſſus eſt, & ſatellitum comitatu ſtipatus, certum eſt quod ob vulnus acceptum non es minus glorioſus in mundo, quàm prius: nil enim de tuo honore præreptum eſt, ſicut nec de virtute, cuius honor teſtimonium eſt. Non deberes ergo meditari vltionem, vt recipias honorem tuum, quem potiùs vitio vindicationis amitteres. Quintò inquies, ſiue poteram me tueri, ſiue non, hoc vnum certum eſt, mihi honorem meum eſſe ſublatum: nam quiuis exiſtimat, me ob aliquam culpam meam iuſtè offenſum. Reſpondeo, ad te non ſpectare hoc definire, ſed ad magiſtratum: quòd ſi ille non fecerit, committet totum negotium Deo. Namq; verus honor non pendet ex vulgi opinione, ſed ex virtute: neque ſe ipſum vlciſci, vel vulnerare, & occidere inimicum, quod quiuis plebeius & contemptus poteſt præſtare, honorificum eſt, ſed vince in bono malum. Vt enim aqua vincit ignem, quando illum ad induendas ſuas perducit proprietates: & contra ignis vincit aquam, quando eam in ſe transformat, & ſibi ſimilem reddit: ita ſi tu percuſſus, vel contumelia affectus ad referiendum, vel ad contumeliam grauiori minorem compenſandam traheris, vtique victus es ab Inimico tuo, & illi ſimilis effectus. Sed vt verè vincas, debes amore odium, beneuolentia maleuolentiam, beneficiis iniurias compenſare, vt ita inimicum lucreris, & tibi quàm ſimillimũ reddas propter Deum. Quòd ſi ille tua bonitate abutatur, & magis indureſcat, nec ad pœnitentiam inflectatur; at animum tuum vincere, & appetitus motusq́ue animi tuos frãgere, illud in primis maximum, & cum honore, & decore coniunctum eſt. Melior eſt enim (inquit Sapiens) vir patiens viro forti: & vt alius dixit.

Ardua res, viciſſe alios: victoria maior
Eſt, animi fluctus compoſuiſſe ſuos.
Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia, nec virtus altiùs ire poteſt.

Nonò argumentantur ab Eccleſiæ precationibus, & ſanctorum exemplis. Orat enim ſic Eccleſia: *Hoſtium noſtrorum, quæſumus Domine, elide ſuperbiam, eorumq́ue contumaciam dextera tua virtute proſterne.* Et de

Marginal notes:

Baſil. tom. 1.

Qui percuſſi ex Philoſophis alteram præbuere maxillam.

Diog. Laert. lib. 2. de vitis Philoſophor.

Secundũ argumentũ, ad probandum ſcilicet, vindicare iniurias eſſe magnanimi viri, & fortis.

Reum quempiam Iudex quando iuſtè puniat.

III. Argum.

Ad hoc reſpondetur: Niſi mea adſit, de inimico Magiſtratus mihi vindicta non ſufficit.

Quàm leue etiã: Omninò inimicus honorem eripuit meũ.

Verus honor vnde tantùm æſtimãdus ſit.

Rom. 12.

Inimicus quomodo vincendus.

Prouerb. 16.

Vera victoria quænam.

IX. Argum.

Pſalm. 108. *Actor. 1.*

Iuda dicitur: *Fiant dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter;* & aliæ item imprecationes, quæ ibi ſubiunguntur: & Paulus pro Alexandro ærario non orat, ſed ait: *Reddet illi Dominus ſecundum opera eius:* & de rebelli ait Chriſtus: *Sit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus:* & dilectus diſcipulus: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis:* & alibi: *Vſquequo Domine (ſanctus, & verus) nõ iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs qui habitant in terra?* Et apud Lucam: *Deus non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe, die ac nocte, & patientiam habebit in illis?* Vides igitur, electos non ſolùm pro ſuis inimicis non orare, ſed potiùs contra vindictam clamare. Reſpondemus, Deum cuncta quidem ex ſe diligere, & nihil eorum quæ fecit odiſſe, ad ſuam gloriam, ad quam illuſtrandam omnia creauit, etiam dæmones, quæ ad naturam eorum, pertinet: ſolùm peccatum à dilectione excluditur, quod nihil eſt, & ideò nihil habet amore dignum. Atque hac ratione cunctæ res, etiam peccatores, ac inimici noſtri ſunt diligendi: quia videmus Deum velle eorum conſeruationem. At hæc conſidera, quòd cùm charitas ad proximum, amicitia quædam ſit, oportet illam in aliquo bono eſſe innixam: hoc autem bonum eſt communicatio beatitudinis, ideò omnes debemus diligere inuicem, & mutuò exoptare beatitudinem, quandiu ſumus eius capaces, id eſt, dum ſumus in via, in qua Deus omnes homines vult ſaluos fieri. Niſi ſit aliquis inſigni crimine notatus aliquo, vel reprobus, quem Deus ſolus nouit, vt Apoſtolus oſtendit de Alexandro ærario: & hoc eſt peccatum ad mortem, ſiue peccatum in ſpiritum ſanctum. Cæterùm quia noſtrum non eſt hoc iudicium, debemus velle citra diſcrimen omnibus ſalutem viatoribus: & hoc eſt ſalutare. Idcirco non debemus inimicum ab hoc genere dilectionis excludere, ſed illi quod debet, dimittere, eumque ſalutare, & eſurientem cibare, more Dei, qui Solem ſuum omnium beneficio oriri facit, & pluit ſuper omnes, vt ſic omnes ad ſe conuertat: ita nos noſtro beneficio conuertamus eos ad Deum, atque eorum extinguamus odium, & amaritudinem, carbones congerentes in capita eorũ, & malum illorum in bono vincentes. Sed quoniam quidam magna reproborum ſigna, & indicia edunt, nolentes Eccleſiæ parere, & rebelles ſe illi exhibentes, his ſimus animo parati benefacere, & oremus pro eorum conuerſione. Sed quia neſcimus an certò ſint reprobi; pareamus Scripturæ, & Eccleſiæ, non admiſcendo nos cum illis,

2. Tim. 2. *Matth. 18.* *1. Ioan. 5.* *Apoc. 6.* *Luc. 18.*

Qua ratione quæ fecit, diligat omnia Deus.

Sap. 11. *Prouer. 16.*

Omnes homines ſe inuicem diligere cur debeant.

1. Tim. 2. *2. Tim. 4.*

Quod nã ſit peccatum ad mortem, de quo Ioannes.

Prouerb. 25. *Rom. 12.* *Ibidem.*

Eccleſiæ contumaces, ac peruerſi quatenus diligendi à nobis, atque amplectendi, itemq; fugiendi ac deuitandi.

nec illis Aue dicendo: quia hoc partim ad eorum punitionem, partim ad correctionem ſpectat: quemadmodùm excommunicationes, interdicta, & depoſitiones, quæ in faciem videntur eſſe in pœnam, ſed inprimis ſunt medelam.

2. Ioan. 2.

Ergo illa Eccleſiæ precatio: *Hoſtium noſtrorum, quæſumus Domine, elide ſuperbiam,* nõ malũ hoſtium poſtulat, ſed Eccleſiæ conſeruationem, atq; ipſorum etiam hoſtium bonum precatur quia vult eorum, elidi ſuperbiam, qua in populum Dei ſumma iniuria inſultant. Quòd ſi nolit humiliari: non eſt malum orare Deum, eorum vt cõtumaciam ita frangat, ne lædat Eccleſiam.

Eccleſia cùm precatur hoſtium ſuorũ vt elidat ſuperbiã Deus, cur id faciat.

Quòd autem ſancti orant contra inimicos, & priuatam ſpectant vindictam, nullibi legitur. Si tamen alicubi id inueniatur, oportet interpretari, eos non ad inimicos reſpicere, vt ad proprios, & peculiares inimicos, ſed vt inimicos Dei, & religionis, eius Eccleſiam perſequentes: nec id ſolùm, ſed etiam vt perfectos in malitia ſua. Sic enim Paulus in Elymam Magum, & Ananiam Pontificem liberè locutus eſt, vindictam quandam à Deo exoptans: quod & in Elymam Magum obtinuit, nã eum Deus propter ſuum verbum excæcauit. Sic etiam precantur ſancti cõtra effuſores ſanguinis ſui, atq; hoc Prophetæ tanquam hortantes ſæpè pronuntiant, & lætantur non de malo quod accidit impio, ſed de bono diuinæ vindictæ, iuſtitiæq;. *Lætabitur enim iuſtus cùm viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Dicitur lauare manus in ſanguine peccatoris, cùm omnis ſanguis tangentẽ maculet, & maximè peccatoris, qui non cõmunicat cũ eo in operibus prauis, vt cùm dicitur: *Lauabo inter innocentes manus meas.* Vel dum peccatoris ſanguis funditur, qui iuſtos perſequebatur, oſtenditur iuſti ſanguis mundus, & purus in actionibus ſuis, quã eius munditiam punitio diuina in perſecutorem conteſtatur. Vnde quod ſit ſermo de iuſto perſecutiones paſſo à peccatore, probat vox illa, vindictã, cùm ait: *Cùm viderit vindictam.* Et confirmant verba ſequentia: *Et dicet homo, Si vtiq; eſt fructus iuſto? Vtiq; eſt Deus iudicans eos in terra.* Itaq; inimicus nunquam odio habendus eſt, vt proprius & priuatus inimicus, ſed ratione publicæ iniuriæ, & communis, quæ eſt in Deũ, Eccleſiam, maximè ſi res eſt deſperata: ſecùs ſi deplorata res nõ ſit: nam eum ſalutare, & reinuare debemus.

Si vnquã ſancti de inimicis ſuis vindictam à Deo petunt, quo animo id facere videantur.

Actor. 13. *Infrà 23.*

Pſalm. 57.

Lauet manus ſuas in ſanguine peccatoris quis.

Pſalm. 25.

Qua ratione inimicus ſit odio habendus.

Decimò ac poſtremò obiiciunt quaſdã breues excuſationes, quibus & aptæ ſũt adhibendæ reſponſiones. Aiunt enim: Odio habeo vitium eius, non naturam. Sed

Decimum ac poſtremum argum. plurimas odij inimicorum

[non deponēdi contineos cantationes.] vide, an in alio idem vitium eodem modo oderis. Nolo nocere (inquiunt) ei. At opus eſt illi prodeſſe. Non poſſum, quia non eſt naturæ conſonum meæ. Sed gratia Dei naturam perficit. Non promeretur vllam remiſsionis gratiã. Sed promeritus eſt Chriſtus. Oportet me tueri honorem meum. Sed prius oportet ſeruare honorem Dei, ac præceptorum eius. Irridebunt me qui nouerint, ſi pepercero. Sed primò irrideant Chriſtum, qui & pepercit inimicis, & parcendum eſſe docuit in lege ſua. [Luc 23. & Rom. 5.] Habebo bellum cum parentibus & conſanguineis. Sed peius eſt bellare cum Deo, & lege ſua, quæ docet: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus* [Matth 10. & Luc. 14.] Fiet inſolentior, ſi pepercero. Imò congregabis carbones in caput illius: quemadmodum Saul humiliatus eſt erga Dauidem parcentem. [Prouerb. 25. Rom. 12. 1. Reg. 24. & infrà 26.] Verùm ille dignus eſt percuti, quia contra legem fecit: tu tamen minimè dignus qui repercutias, cùm ſis diſcipulus illius, qui cùm malediceretur, non remaledicebat. [1. Petr 2.] Non rogat inimicus, vt ei parcam. Sed rogat Chriſtus de Cruce, & rogat per prædicatorē dicentē; Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. [2. Cor. 5.] Non prodero illi bonitate mea. Sed proderis tibi, & tandem illi proderis: quia Domino ſuo quiſque ſtat, aut cadit: ſtabit autem. [Rom. 14.] Iterum me percutiet. Sed audi Chriſtum dicentem: *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*: [Matth. 18. & Luc. 17.] cumulatè que rependet quod illius cauſa geſtum eſt.

[Aliæ quoque cauſſæ nō diligendi inimicos, leues, & vanæ.] Poſtremò, grauiſsimam intulit iniuriam. Sed reſpice in faciem Chriſti tui, & omnia molleſcent, & indulcabuntur: Nam ſi dicas; Me læſit conuitio; Chriſtus maledicta, & improperia ſuſtinuit. Proditione, & dolo mecum eſt actum. [Matth 26. Ioan. 13.] Sed Dominus à ſuo eſt proditus diſcipulo. Beneficiis multis eum mihi deuinxeram, qui me percuſſit. Sed Dominus ab ingratis Iudæis paſſus eſt. *His*, inquit, *plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me*. [Zach 13.] Surripuit per vim bona mea. Sed Chriſtus honore, veſtimentis omnibus, atque ſanguine, & vita ſimul ſpoliatus fuit. [Pſalm. 21. Matth. 27.] Percuſsit virga, quod grauiſsimum eſt contumeliæ genus. Sed Dominus tuus virgis ad ſanguinem vſque eſt flagellatus, & arundine caput eius ſacroſanctum percuſſum. Impegit alapam coram aliis. Meminiſſe debes eius quam Ieſus alligatus corã Pontifice accepit. [Ioan. 18.] Vulnus inflixit. Et Dominus vulneratus eſt, non propter ſe, ſed propter noſtra peccata. Remanſit ſignum cicatricis in facie dehoneſtata. Et Chriſtus ſeruauit plagarum ſigna ad gloriam Innocentiæ ſuæ, & iuſtitiæ. Vides ergo, nihil eſſe tam graue, & fœdum, in quo Dominum tuum non videas acerbius, & ignominioſius ad meritum & exemplum tuum tractatum. Ipſi ergo cum Patre, & Spiritu ſancto, omnis honor, gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS XLIV.

In illa verba: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam, &c.* Mat. 6.

HACTENVS Dominus docuit, quænam bona opera nobis ſint præſtanda, vt noſtra iuſtitia excellat illam Scribarum, & Phariſæorum: nunc modum quo ſint facienda, præſcribit, id eſt, finem, à quo ſint faciēda, præſcribit, id eſt, finem, à quo bonitas, vel malitia actus moralis ſumenda eſt, quemadmodum ſpecies ab obiecto accipitur. [Quid doceat Domin⁹ hoc capite Matthæi ſexto.] Quemadmodum autem in operum ſubſtantia legē impleuit perſectio ra iubēdo, ita in fine, ſeu permiſsis quæ etſi æterna eſſent in lege, quod attinet ad Deũ, quia virtus omnib. aliis antecellit; Iudæus tamen vt plurimũ terrenos honores, & laudes ſpectabat, quæ operibus legis ſecundũ hanc rationem debebantur. [Dei promiſſiones Iudæis factæ quatenus æternæ, vt verò eſſēt temporariæ.] Quinimò expreſsè Dominus hęc tantũ frequētiùs pollicetur, eis ſe accommodans. Vnde Moſes: *Faciet te*, inquit, *Dominus Deus tuus excelſiorē cunctis gētibus quæ verſantur in terra. Venientq́ super te vniuerſa benedictiones iſtæ, & apprehendent te; ſi tamen præcepta eius audieris*. [Deut. 28.] Primò igitur in genere docet bonũ finem, qui ſpectandus eſt. Deinde in ſpeciali, quis ſcopus in eleemoſyna, quis in precatione, & ieiunio, contra concupiſcentiam oculorum, ſuperbiam vitæ, & carnis cōcupiſcentiam ſit nobis præſcribēdus, atq; obſeruandus. [1. Ioan. 2.] Rectè autem, poſita radice dilectionis, etiam inimicorũ, qua filij Dei, & nominamur, & ſumus, opera miſericordię præcipit: quæ ſi in nobis inuenta fuerint, requieſcemus in Sabbato glorię, audientes illud dulciſsimũ verbum: *Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratũ vobis regnum à conſtitutione mundi* [Infra. 9. Vnde filij Dei & nominemur, & ſimus.] [Matth. 25.] Sine illa aũt radice amoris hypocritę efficimur.

Ait ergo: *Attendite*. Opus eſt enim diuinis oculis cauere, ne ſpiritus vanæ gloriæ, aut ambitiõis, occultè ſubintret, & mille fle-

Qua ratione quis malum ſpiritũ attendere, & cognoſcere queat.

Aug regul 3. c. 5 tom 1. pro pe finem.

Idem epi. 64. circa finem.

xibus, inſtar ſerpentis, ſe inſinuet: quia in re maximè ſcriaverſamur, vbi agitur de cęleſti gloria, aut adipiſcẽda, aut amittenda: & vix poteſt homo attendere & agnoſcere malum ſpiritum, niſi edomitis, & compreſsis prius animi motibus, ac perturbationibus. Quare rectè Augu. in regula docet: *Alia quacunq; iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant.* Quanta difficultate vinci poſsit inanis gloria, docet Auguſt. ad Aurel. dicens: *Vires huius peſtis* (id eſt vanæ gloriæ) *non ſentit, niſi qui ei bellum indixerit: quia etſi cuiquam facilè eſt laude carere, dũ denegatur, difficilè eſt non ea delectari, dum offertur: & tamen tanta mentis in Deum debet eſſe ſuſpenſio, vt ſi non meritò laudemur, corrigamus eos quos poſſumus, ne arbitrentur, aut in nobis eſſe quod non eſt, aut noſtrum eſſe quod Dei eſt, aut ea laudent, quæ quamuis non deſint nobis, aut etiam ſuperſint, nequaquã tamen ſunt laudabilia velut ſunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impijs hominibus. Si autem meritò laudamur, propter Deum gratulemur ijs, quibus placet verum bonum, non tamen pro his quia placemus hominibus: ſed ſi corã Deo tales ſumus, quales nos eſſe credunt, & nõ tribuitur nobis, ſed Deo, cuius dona ſunt omnia, quæ verè, meritoq; laudantur. Hæc mihi ipſe (inquit) canto quotidie.* Hactenus, & acutè, & eleganter Auguſtinus.

Quanta ſit inanis gloriæ peſtis, eiusq; fugendæ difficultas, teſte Auguſtino.

Laudes hominum quomodo accipiendæ.

Cur hæc lectio probabilior: Attendite ne iuſtitiã veſtram faciatis. quam illa, eleemoſynam veſtram, &c.

Chryſ. ho. 19. in Matth. initio, tom. 2.

Theophylact. ibidem.

Euthym. ibi.

Hieron. ibid. tom 9.

Aug. lib. 2. de ſerm Dom in monte. c. 3. to 4. prope finem

Ne iuſtitiam veſtram Quidam noui autores annotàrũt. Gręcè legi à Chryſoſtomo, Theophylacto, & Euthymio, eleẽmoſynã veſtram, quia de illa ſubdit ſtatim: *Quum ergo facis eleemoſynam, &c.* Sed profectò præſtantior eſt lectio Latina, quam ſequuntur Hieronymus, & Auguſtinus, & in quibuſdam manuſcriptis codicibus legitur *δικαιοσύνην*, & veriſimile eſt Matthęũ Hebraicè dixiſſe צדקתכם, id eſt, iuſtitiam veſtram. Certè textus Syriacus, qui creditur à B. Matthęo editus, iuſtitiam veſtrã, vel in iuſtitia veſtra habet: vt primò doctè de quouis opere bono in genere loquatur, Inde verò procedat ad diuerſas operũ ſpecies, nempe eleemoſynam, orationem, & ieiunium. Hæc autem variatio textus Græci (nam alius habet eleemoſynã, alius iuſtitiam) inde accidiſſe putanda eſt, quòd cùm apud Hebræos opus eleemoſynæ iuſtitia vocetur, iuxta illud: *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*, & Paulus: *Augebit incremẽta frugum iuſtitiæ veſtræ*, hoc eſt, eleemoſynæ Et Dan. 4. legimus: *Quamobrẽ Rex, cõſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime*, Hebraicè eſt, *Peccata tua iuſtitia redime.* Et Deut. 24. præcipit Dominus ei, qui pignus accepit à paupere, vt ante Solis occ. ſum ei reddat: *Vt dormiẽs*, inquit, *in veſtimento ſuo benedicat tibi, & habeas iuſtitiam coram Domino Deo tuo*: quo in loco Septuaginta pro iuſtitia verterunt eleemoſynam. Dicitur autem operatio eleemoſynæ iuſtitia: quia iuſtum eſt, vt qui abũdat, det indigenti, & per eam iuſtitiam ſibi compararet apud Deum. Hinc Mat. 25. iuſti vocantur, qui opera miſericordię cum proximo expleuerunt. Ideò veriſimile eſt, hoc loco Euangeliſtam poſuiſſe iuſtitiam, eos verò qui cernerent, hîc ſermonem haberi de eleemoſyna, non animaduertentes locutionis Hebrææ proprietatem, eleemoſynam pro iuſtitia vertiſſe, cùm tamẽ iuſtitia eleemoſynam ſignificare poſsit etiã hoc loco.

Cæcorũ alij cũ iuſtitiam legant, alij eleemoſynam

Pſalm. 111. & 2 Cor. 9.

Ibidem.

Dan 4.

Deut. 24.

Operatio eleemoſynæ, cur dicatur iuſtitia.

Matth. 25.

Porrò autẽ iuſtitiam hîc vocat, opera iuſta nã habitus iuſtitiæ infuſæ propriè non fit; quemadmodũ nec lex; niſi à legiſlatore. Et quod Chriſtus inquit: *Nemo ex vobis facit legem*, ſenſus eſt; nemo opus à lege præceptũ implet. Opera verò externa propterea iuſtitia vocãtur, quia internã iuſtitiam teſtificantur, illamq; augent, atq; perficiunt, iuxta illud: *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc*. Dicendo aũt, *Veſtrum*, teſtatur nos ad opera bona, & Deo grata per liberũ arbitriũ cõcurrere.

Quid vocet hic propriè iuſtitiã Chriſtus.

Ioan. 7.

Apoc. vlt.

Faciatis coram hominibus. Non eſt hîc ſiſtẽdum, ſed vltra pergendum, & ad Dei gloriam illuſtrandam per opera perueniendũ noſtra. Chriſtus enim & ſancti lucẽ coram hominibus ponebant, & ad id iuxta menſuram diuinæ gratiæ quiuis, maximè verò Prælatus obſtringitur. Sed addendũ quod ſequitur: *Vt videamini ab eis.* Multũ laborat Dominus in extirpenda atq; radicitus euellenda hac vanitate, ad quã homines ſunt ſuaptè natura propenſi, & vt ſic dicã: *Tãta molis erat ſinceram condere gentem.* Et ſecũdùm doctrinam Ariſt. *Nõ quia operamur bona vel iuſta, boni, & iuſti ſumus, ſed potiùs è contrario*: & aliud eſt, iuſta & fortia operari, aliud, iuſtè & fortiter. Nam primum non eſt opus virtutis, ſed ſecundum. Vnde ſcriptum eſt: *Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris*, & vt quidam dicebat, Non nominum, ſed aduerbiorum Deus eſt remunerator.

Bonorum operũ quis debeat eſſe vltimus finis.

Ariſto. lib. 2. Ethic. cap 4. tom 3. initio.

Vere iuſti, & fortes qui.

Deut. 16.

Neque ait: *Vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, &c. ſed vt vos ipſi videamini.* In quo, ſi vt in vltimo fine ſiſtitur, peccatum eſt lethale: ſi verò in eo non tanquam in vltimo fine, ſed aliquo pacto ſiſtatur, veniale. Cùm autem primus motus rationem antevertens fuerit, nihil ibi demeriti, ſicut nec meriti exiſtit: at ſi nullo modo quis in eo hæreat, ſed ad Dei gloriam, & proximi vtilitatem per illud pergat, opus eſt ſanctum, & cœleſti dignum mercede. Damnon tamen eos, qui bono

Benefacientes, coram hominibus, vt ab eis videantur, qui grauiter, qui verò leuiter peccent.

animo operari incipiunt, admiſcens ſcrupulos cœnodoxiæ, plerunque affligere conatur: qui tamen contemptu, & deſpicientia quadam animi excelſa vincendus eſt, illiq; cum Bernardo obiectandum: *Nec propter te incœpi, nec propter te finiam.* Opus ergo bonum ſecreto fieri, ſecundùm ſe bonũ non eſt, quemadmodum nec pharmacum niſi ad morbum leuandum non iuuat; ita nec ſecretò operari, niſi ad vitium inanis gloriæ pellendum, vel iuſtum ſcandalum vitandum; vel quia pudore publici ſpectaculi quis impeditur. Benè autẽ publicè agere, id eſt, ita vt cęteri intelligere poſsint, per ſe bonum eſt, tùm ob exemplũ bonum quod præſtamus: tum vt Deus, à quo eſt omne bonum, laudibus celebretur. Turpia enim omnia (nõ autem honeſta) ſecretum volunt, & oprant. At opera Prælati ſecundùm ſe conſiderata, vt docere, ſacrificare, & quædam eleemoſynæ, ob exemplũ dandum, & vitandum ſcandalum, publica eſſe debent, niſi commercio externo & notitia impediantur: alia verò poſſunt eſſe ſecreta vt orare. Omnes ergo Dominus inſtituit, ne eorum intentio in operando ſit ſolùm videri: imperfectos verò, fugere glorię occaſionẽ ſecretè agendo. Hinc Auguſtinus tract. 8. in Canonicam Ioannis hæc verba pertractans, ſcribit: *Noluit hoc dicere, vt quæcunque bona facimus, abſcondamus ab oculis hominum; & timeamus videri. Si times ſpectatores nõ habebis imitatores. Debes ergo videri; ſed nõ ad hoc debes facere, vt videaris. Non ibi debet eſſe finis gaudij tui, non ibi terminus lætitiæ tuæ, vt putes te totum fructum conſecutum eſſe boni operis tui, cùm viſus fueris atque laudatus. Nihil eſt hoc, contemne te, cùm laudaris. Ille in te laudetur, qui per te operatur. Noli ergo ad laudem tuam operari quod bonum agis; ſed ad laudem illius, a quo habes vt bonum agas. Abs te habes malè agere: à Deo habes benè agere.* Ita ille ſcit. Atque in hunc locum lib. 2. de ſerm. Domini in monte ſcribit: *Siquidem non rectè viuere, perniciosum eſt. rectè autem viuere, & nolle laudari, quid eſt aliud quàm inimicum eſſe rebus humanis, quæ vtique tantò ſunt miſeriores, quantò minus placet recta vita hominum. Si ergo inter quos viuis, te rectè viuentem nõ laudauerint, illi in errore ſunt: ſi autem laudauerint, tu in periculo. Niſi tam ſimplex cor habueris, & mundum, vt ea quæ rectè facis, non propter laudes hominum facias, magiſq; illis rectè laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum eſt, placet, quàm tibi: niſi quia rectè viuis, etiamſi nemo laudaret: ipſamq; laudem tuam tunc intelligas vtilem eſſe laudantibus, ſi non te ipſum in tua bona vita, ſed Deum honorent, cuius, ſanctiſsimum templum eſt quiſquis viuit benè: vt impleatur quod ait Dauid: In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur.* Hæc Auguſtinus. Et Cicero libro 1. Officiorum: *Totius autem iniuſtitiæ nulla capitalior quàm eorum, qui cùm fallunt, id maximè agunt, vt viri boni eſſe videantur.* Per hoc autem, *Attendite*, ambitionem & cœnodoxiam interdicit, hoc eſt, immoderatũ honoris, vel gloriæ appetitum: quod tunc contingit, quando nulla eſt virtus, vel excellentia, pro qua honor, vel gloria impendi debeat; vel quando maior quam ſit virtus illa, vel excellentia, appetitur; vel quãdo æqualis, ſed ad Dei gloriam, & proximi vtilitatem non refertur. Quia autem honor & gloria, atq; excellentia, dona Dei ſunt, tunc benè & vtiliter affectantur, quãdo non propter nos ipſos, ſed propter Dei honorem, proximoſq; iuuandos appetuntur: & peccatum eſt à vitio noſtro amittere. Sed gloria cœleſtis inprimis præmium noſtrum eſſe debet, & à nobis tanquam finis affectari. Hęc autem ab hominibus virtuti dantur, quia non habent homines maiora, quæ dare poſsint; cùm inter externa bona hæc principem locum obtineant.

Bona opera cur potiùs publicè, quàm priuatim fieri debeant.

Ioan. 5.

Boni opera paſtoris quæ publica eſſe conueniat, & expediat.

B. Au tom. 9. Quid ſignificet: Attendite ne iuſtitiã veſtrã faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.

Idem cap. 1. initio tom. 4. Rectè viuere, & nolle laudari, quid ſecundum Auguſtinum.

Pſalm. 33.

Hoc verbo, Attendite ne iuſtitiã, &c. quã vetet Dominus cœnodoxiam.

Honor & gloria, quatenus à nobis expeti queant.

Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum. Namq; venialis ambitio, vel inanis gloria opus pręcedens, ob quam videlicet fit, æternæ vitæ præmio priuat, licèt gehennæ ſuppliciis non addicat. Quando autẽ ſequitur inanis gloria opus ipſum, non amittit mercedem, neq; quando illud comitatur, illiq; eſt annexa, niſi omninò, vel ex parte actus ex ea procedat, & non ex charitate, Si autem ex charitate, quia bonũ initium habet ille actus, non tollitur illi merces. Et non ait, puniemini in gehenna: tùm quia ſæpè illa inanis gloria, leuis culpa eſt: quod oſtenditur ex eo, cùm quis magis horret mortiferum delictum, quàm illam: tùm quia priuari mercede ſaltem illius actus, ſatis eſt Dei filiis. Subdit: *Apud Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Magna eſt mercatorum ſtultitia obolo velle vendere merces alienis, quas Patri infinitum theſaurum rependenti negat. Et fit hoc, quia homo Dei munera, & propria peccata, & vanitatem gloriæ in verbis hominum male ſtabilitæ, nõ agnoſcit. Interim tamẽ magna auiditate incumbens vanæ glorię, & hominũ laudibus venandis, docet nos quærere per patientiã boni operis veram gloriam, & ſolidum honorem. Inſidiatur autem inanis gloriæ cupiditas bonis operibus, illiſq; innaſcitur, vt vermis in pomo pulchro & odorifero: ac vt pomum exeſum vermibus, ac putridum ex arbore citò decidit, efficiturque cibus porcorum; ita bona opera inani gloria ceu verme corrupta cadũt à præmio, &

Bona tãtùm propter humanam gloriam operantes, cur mercedem nõ habeãt apud Patrem Deum.

Benefacientibus ob inanẽ gloriam, cur Dominus iacturam cœleſtis mercedis, non autẽ pœnam comminetur æternam.

Bona propter humanã, non autẽ Diuinam mercedem operãtiũ, inſignis ſtultitia.

Rom. 2.

Quàm innata, & ingenita bonis operibus inanis gloria.

ab immundis dæmonibus deuorentur. Et Patrem potiùs nominat, quàm Deũ; vt eo nomine magis nos ſtimulet ad ſtudium placendi Deo, optimoq; parenti.

Eleemoſynæ prius quam orationis faciendæ traditam à Chriſto rationem Chryſoſt. expendit.
Chryſ. ho. 19. in Mat. to 2.
Faciendi eleemoſynam & orandi modum cur tantùm Dominus præſcribat.
Prouerb. 19.
Matth. 13.

Cùm ergo facis eleemoſynam. Iam ad peculiares iuſtitiæ ſpecies deſcendit, & primo quidem loco ad eleëmoſynã: de qua priùs, teſte Chryſoſtomo, verba facit, quàm de oratione: quia priùs debes exaudire proximum in paruis, & non in his, quæ tua, ſed Dei ſunt, vt te Deus exaudire dignetur orantem in magnis. Neque præcepit: Fac eleëmoſynam, vel fac orationem; quia ponit hęc Dominus fieri à nobis debere: nam hîc de modo tantùm agit operandi, præceptis iam priùs poſitis: *Benefacite his, qui oderunt vos;* &, *Orate pro perſequentibus:* &, *Omni petenti à te, ne auertaris.* Et quod ad eleëmoſynam attinet, quis eſt qui nolit graui ſarcina, & ſuperfluis exonerari, aliorumq; humeris & brachiis in cælũ deportari, dum in via ſumus? aut quis eſt adeò ſtultus, vt non velit ſeminare, vt centuplum fructum colligat? vel qui nolit pauperis miſerendo Deo fœnerari? Eleemoſyna promiſſionem peccati remittendi habet, abundantiam bonorum externorum, gloriam æternam, occaſionem iuuandi proximũ, proteſtationem fidei, & humanitatem. Et fortaſſis poſt præceptum generale de vitanda vana laude, congruenter de eleëmoſyna loquitur, quòd frequenter in ea actione peccetur per inanem gloriam. Nam, vt ait Philoſophus, ſolent potiſſimùm laudari qui liberales ſunt, & largiter opes effundunt. Et de eleëmoſyna agit prius quàm de ieiunio & oratione, non tanquam cæteris antecellat, cùm de externis bonis exhibeatur; Ieiunium verò, & oratio de internis, ſed ob maiorem populi applauſum. Vnde apud Lutheranos mirum ſilentiũ de oratione, & ieiunio; magnus verò boatus de eleemoſyna: quia minus offendit veterem hominem. Eſt autem eleëmoſyna vox Græca, quòd opus ſit miſerationis; quo aliquid noſtrum egenti ex commiſeratione propter Deum elargimur.

Ariſto. lib. 4. Ethi. ca 1. ſub initium.
Eleemoſyna Græcis quare ſic dicta.
Chryſo ſuprà productus.
Theophylact. ibidem.
Illud: Noli tuba canere ante te, quid ſignificet.

Noli tuba canere ante te. Docent Chryſoſtomus, & Theophylactus, non eſſe hoc ita accipiendum, quaſi ad ſignum tubarum eleëmoſynas erogauerint hypocritæ: ſed hoc dicto indicare voluiſſe maximam illorum gloriæ oſtẽtationis infamiam. Sunt qui putent morem tangi antiquum, quo ſono tubæ excitabantur pauperes ad locum & tempus eleëmoſynæ ad tollendam vagationem incertam mendicantium, & moleſtiam erogantium eleemoſynas, ne omni hora, aut vbique moleſtia afficerentur. Sed hoc more fortaſsis bene inſtituto abutebantur hypocritę, ſeruantes illum ad hoc vt honorificarentur ab hominibus. Certè in cœnobio Montis Caſſinatis, præter quotidianas eleëmoſynas, quaſdam alias faciunt Diui Benedicti Religioſi certis diebus, ad quas magno campanæ ære, quod ad aliquot millia paſſuum auditur, pauperes in pagis circuniacẽtibus accerſuntur, nõ ſolùm ſine vllo vitio, verùm etiam magno cum merito, ad tollendam incertam mendicantium vagationem, vt eleëmoſynam recipiant. Noli ergo tuba canere, id eſt, noli ea intentione operari, qua hypocritæ, vt opera publicentur tua, & laudem ex eis propterea veneris. Secùs eſt, ſi bona mente ad Dei laudem, & aliorum exemplum, & ordinem, vt ſcilicet pauperes ordinati conueniant. Sed itum eſt noſtro vitio in abuſus; vt olim Romanis magiſtratibus in more erat ſportulã donare iis, qui officij gratia ipſos eſſent comitati: quod magno ambitionis faſtu fiebat, vt Satyricus dixerit:

Benedictinorum in pauperes beneficentia quædã ab omni ambitione remotiſſima.
Iuuen Sat. 3.

Non ne vides quanto celebretur ſportula fumo?

Vituperat ergo eos qui pręmitterent tuba præcinentem eorum liberalitatem propter gloriam aucupandam. Etſi omnis qui quouis modo cupit videri, atq; ob id operari, vt ab hominibus laudetur, tuba canere dici poſſit. Quiſquis ergo præſente altero eleëmoſynam facit, vel deprecante alio & rogante, aliàs minimè facturus, eo animo, vt laudabilis appareat, tuba canit, & instar gallinæ cantu ouum quod edidit, prodentis, atq; eodem cantu amittentis, mercede ſuæ eleëmoſynæ, quam fecit, & quam in loco abſcondito vt magis laudetur, fecit, priuatur. Quemadmodum autem artifex, opus tenens in manu, eum ſemper præ oculis habet, qui ei commiſit faciendum, cogitat quale & quomodo iſtud facere mãdauit, nõ curans quid alij ſentiant: ad hunc modum qui propter Deũ eleemoſynam tribuit, neminem in corde ſuo, præter Deum, ſpectare debet. Quòd ſi contingat, vt in aliquorum conſpectu illam faciat; ipſe tamen etſi videatur ab eis, animo ſuo illos ne videat; & inſtar eius, qui aliquid vehementer cogitans, per viam tranſit, à multis hominibus cernitur, ipſe autem cernit neminem, totus cogitationibus ſuis intentus. Sunt etiam tubæ adulatores & ſcurræ, in quos homines liberales ſeſe effundere ſolent, quo eorum liberalitatem & magnificentiam deprædicent. Addit Petrus Rauennas in hæc verba: *Benè, ait, tuba, quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt, non ciuilis, non*

Eleemoſynã humano tantùm facientes intuitu, quales merito videantur.
Largiens eleemoſynam, quem debeat intueri.
Qui etiã tubæ canentes nomine deſignentur.
Petrus Rauennas ſerm. 9.

miſericor-

miſericordia dedita,ſed clamori: ſeditionis vernula,non alumna pietatis: oſtentationis nundinatio,nō commercium pietatis. Eleemoſynam quiquis oſtentat, inſultat. Audiſtis quemadmodum notat eleemoſynam in conuentu,in plateis,in triuijs,non impenſam ad leuamen pauperum ſed hominum propoſitam ad fauorem, vt probentur miſericordiam vendere,non donare. Sic ille.

Io eleemoſynam oſtentantes.

Hypocrita Græcè quid.

Sicut hypocritæ faciunt: Hypocrita, Græca vox eſt, & perſonatum hiſtrionem ſignificat, id eſt, eū, qui ficta perſona fabulā agit apud populum, quia aliud ſe eſſe ſimulabat, quàm re vera eſſet: qui actor dicebatur, vnde quod nos actionem & pronunciationem dicimus, illi hypocriſin vocabant. Et pulchrè ait, quantum ad hiſtrionicam geſticulationē, quod præceſsit, *Vt videamini ab eis*, vel vt Græcè habetur, πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς, id eſt, vt ſpectemini; quod actorum & hiſtrionū eſt: vnde ab illa Græca voce theatrum, dicitur locus, in quo ſpectatur. Tales ſunt hypocritæ, qui alienam induunt perſonam, iuſtorum nempe, cùm impij exiſtant, & ſuam in aliena occultant; tanquam iuſti quidem, facientes eleëmoſynas, & alia bona externa opera; tanquam impij verò, tacitè gloriolam liberalitatis aucupantes. Hypocrita ergo eſt, omnis, qui, cùm malus ſit, per bona opera bonus videri affectat. Sed ſunt quidā in aliud extremum declinantes, qui, vt nomen hypocritę fugiant, bonas actiones omittūt, quas iubebantur facere: & peccata etiam tanquā profani admittunt. Sed certè hæc peſtilentior hypocriſis eſt quàm prior: & quiſquis contra Chriſtianam agit profeſsionē, hypocrita eſt. Quiſquis aliud ſimulat, quàm ſit, hypocrita eſt. *In Synagogis.* Nam poſt lectionem, vel precationem, tuba coram populo vocabant pauperes, vt boni viderentur. *Et in vicis,* Vicos dicit, non eos qui non ſunt oppida, ſed oppidula parua, ſiue pagi; ſed in quos diuiditur vrbs, de quibus Luc. 14. *Exi in plateas, & in vicos ciuitatis*: nā paullò pòſt meminit platearum, quæ propriè dicuntur viæ latiores.

Oſtentantes eleemoſynā, quàm ſimiles hypocritis.

Arguūtur benefacere nolentes, ne vitium, aut iudicium incurtant hypocriſis.

In vicis quibus hypocritæ eleemoſynam oſtentarent.

Luc. 14.

Iidem ſic honorificari cur vellēt ab hominibus.

¶ *Vt honor ficentur ab hominibus.* Nimirū vt eis, ob excellentiam, exhibeatur honor, & reuerentia, quæ nihil eſt aliud, quàm reſilitio quædam ab eorum excellentia, ſpectata & comparata ad propriam paruitatem. Et vanum eſt ab hominibus quærere gloriam, quæ inſtar fumi, vel venti, euaneſcit, cùm in vocibus tantùm eorum ſita ſit: & parùm honorare poſſunt, cùm externa tantùm cernere poſsint: videturq́; ſtultitiæ plenum, res ſuas largiri, & inenia verba comparare. ¶ *Amen dico vobis.* Aſſeuerando confirmat, nullam eſſe talis eleemoſynę mercedem. Neq; tantùm mercedis amiſsionem comminatur Dominus, & non ſupplicij inflictionem, vt Caietanus putat, dicēs, eleemoſynam facere ob vanam gloriam, venlale eſſe peccatum tantùm. Etſi enim venialis culpa ſit communiter, lethalis tamen & mortiſera eſt, quando quis operis ſui præſtituit humanum finem vltimū, & præponit gloriam ſuam glorię Dei, & mercedem terreſtrem cœleſti: & ſic deceptor hominum, imò etiam ſui ipſius cōſtituitur; quod graue ſcelus eſt, & à Domino potiſsimùm exagitatum. Hinc Auguſt. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte, cap. 2. initio: *Tales (qui ſcilicet ſimulatione peccant) ab inſpectore cordis Deo mercedem non capiunt, niſi fallaciæ ſupplicium.* Sic ſanctus Pater.

Aeternā non modò mercedem amitte-re, ſed etiam pœnam promereri humanam ob gloriam largientes.

B. Aug. to. 4.

Cur nullam iſti beneficij, ne humanā quidem mercedem mereantur.

Receperunt mercedem ſuam. Pondera verbum, *Receperunt*, tāquam debitum ex iuſtitia: & mercedem illam vocat, id eſt, honorem quem quærebant: quanquam nec hūc quidem promerentur, quia nulli per peccatum quicquam promerentur. Nam honor teſtimonium eſt virtutis, quam quiſq; à Deo accepit, ad quam honorem dirigere debet: niſi Deus hoc genus boni in mortiſero crimine facti tales hìc velit remunerare pro ſua liberalitate. Quòd ſi Deus eiuſmodi facta tam abiecta & humilia ſic remunerat, profectò argumentum eſt, illum opera filiorum Dei ampliſsimo præmio affecturum in cœlis. Eſt autem longe amarū verbum quod dicitur; *Receperunt mercedem ſuam* Sicut & diuiti Epuloni dictum eſt: *Fili, recepiſti bona in vita tua*: & damnati ipſi ſerò hoc agnoſcent, dicentes: *Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid cōtulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens.* Rogandusq́; ſanè Deus eſt, ne velit hìc, ſed in futura vita ſoluere, vbi nihil imminet periculi vt à latronibus ſpoliemur, quemadmodum in hac periculoſa vita.

Magna cœleſtis iactura mercedis, & intolerabilis.

Luc. 16.

Sap. 5.

Faciētis eleemoſynā quomodò oſcere debeat ſiniſtra quid faciat dextera ſua.

Te ergo faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Hyperbole eſt, quaſi dicat: Ipſe neſcias quod facis, ſi fieri poteſt, tantùm abſit, vt aliis oſtentes; ſed velut oblitus facti tui, nec imputes homini quod benefeceris, nec tibi hoc nomine placeas quòd dederis. Non ſolùm ergo cauendum ab aliis qui ſpectent, & honorificent, verùm etiam à ſemetipſo: fieri enim poteſt vt aliis nō videntibus homo ſecum in corde ſuo glorietur, & videatur ſibi propterea iuſtus, non ſolùm quòd eleemoſynam fecerit, ſed etiam quòd ſecretò fecerit: & ita in ſeipſo extollatur, & non in Deo glorietur. Vel ſenſus eſt: Facito ſecretè ex te, vel quantū ad executionem, ſi adhuc es imper-

Alter ſenſus.

Falſus quorūdam per ſiniſtram intellectus reſteuitur. Et cognā Auguſtini ſentētia, & Hieronymi probabilior.

ſectus, vt etiam valde coniuncti & familiares tibi, tanquam ſiniſtra dexteræ, non intelligant. Non autem per ſiniſtram intelligatur infidelis, vel inimicus, vel vxor: nam eis vitæ bonæ prælucere debemus exemplo. Auguſtinus tamen illis tribus ſiniſtræ ſenſibus excluſis, [Greek] ſiniſtram, interpretatur delectationem humanæ laudis; dexteram intentionem implendi præcepta diuina. *Cùm itaque*, inquit, *conſcientia facientis eleemoſynam miſcet ſe appetitio laudis humana, fit ſiniſtra conſcientia operis dextera.* Eſt ergò ſenſus; Vt qui facit eleemoſynam, non ſolùm faciat per dexteram, id eſt, amore Dei, & propter mercedem æternam, & non per ſiniſtram, id eſt, amore ſui, & propter mercedem temporalem, ſed etiam ita fiat, vt ſi fieri poſſit, neſciat ſiniſtra quid faciat dextera: id eſt, Non admiſceatur quouis modo propriæ laudis, & honoris appetitio, ne intercipiat, aut dubium reddat: quod ipſi operi rectè per dexteram facto debetur. Eodem ferè modo exponit Hieronymus in commentarijs. Et poteſt hæc doctrina vt præceptum, vel tanquam cautela accipi: nam vel præcipitur, vt omninò aliena ſit intentio operantis ab eo, vt quærat videri ab hominibus, & quantum ad ſe ſpectat, eleemoſyna in abſcondito fiat, non in publico: vel inſtruimur, vt noſtræ imbecillitati proſpicientes; ſtudeamus eleemoſynas noſtras quàm ſecretiſſimas facere, ne in illas obrepat vanæ gloriæ vermis, omne eius meritum, & pretium corrodens.

Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte c. 5. ſub init. tom. 4. circa finem.

Hieron. in ca. Matth. 6. to. 9.

Vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito. Non ſolùm alijs, ſed etiam tibi ipſi reſpectu ſiniſtræ. Et ſignificat, bonam conſcientiam nullius laudis vel gloriæ humanę more affectam, ſed quæ Deo tantùm placere cogitat.

Eleemoſyna noſtra vt ſit in abſcondito.

Et Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Nunc Græci codices, & olim multa exemplaria Latina, teſte B. Auguſtino, habebant: *Reddet tibi in manifeſto*, atque ita Theophylactus legit, & interpretatur: *Tunc, enim nuda & manifeſta omnia erunt.* Chryſoſtomus etiam ita interpretatur, ac ſi legeris; etiamſi Auguſtinus teſtetur ſuo tempore exemplaria Græca illam particulam non habere. Et placet quidem hæc litera, non ſolùm, quia multum lucis & gratiæ habet antitheſis illa *In abſcondito, & in manifeſto*, quod Græcè exprimitur [Greek], ſed etiam vt intelligas aliquando nõ fraudandum noſtrum iſtum appetitum, quo in lucem prodire deſideramus, modò verò noſtram diligamus gloriam, quæ ſeruatur in cœlis: & Deus reddens mercedem ſua die declarabit, præclariſſimumque oſtendet opus noſtrum; & tunc laus vera & ſolida erit vnicuique à Deo. Pater ergò, qui videt in abſcondito, id eſt, qui videt nos, & opera noſtra, etiam occultiſſima: ideò nulla eſt cauſa cur omittamus bona occulta, vel committamus mala ſecreta. Pater itaque, qui ita nos videt; nec videtur tamen à nobis, *Reddet tibi.* Non exprimit quid reddet: quia tantum, & tale præmium eſt, vt verbis explicari non poſſit. Reddet quod decet tãtum Patrem dare bonis filijs. Reddet, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Reddet, quando dicet: *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: Sitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me.* Reliqua ſpectantia ad eleemoſynę præceptum & modum diximus in hoc quinto libro, vbi tractauimus illud: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur:* Rogandus ergo nobis eſt Deus, ne hic ſoluat, vbi tanquam in via periculoſa timendũ eſt à latronibus ne ſpoliemur, ſed in futuro, vbi nihil periculi imminet. Rectum etiam eſt, vt quia veterem hominem noſtrũ ſepeliuimus, eius motus ambitioſos præcidamus, vt ſpiritus, & ratio perducant nos ad lucem, & poſſeſſionem verę, & ſempiternæ gloriæ, ſolidique honoris, qui propter Deum laudes, & honores hominum contempſimus, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu Sancto omni laude, gloria, atque imperio fruitur in ſecula ſeculorum. Amen.

Eleemoſynæ mercedem Pater cœleſtis quando reddet in manifeſto.

Aug. loco prædicto, in fine. Theophyl. in Matth. Chryſoſt. hom. 10. tom. 2.

Quàm hæc lectio probabilis: Pater tuus, &c. reddet tibi in manifeſto.

1. Cor. 4. Quid eſt, Patrem videre in abſcondito.

Eleemoſynam propter Deũ tantum facientibus quid reddet cœleſtis Pater. *Iſa. 64. 1. Cor. 2. Matth. 25.*

Tract. 15. & ſeq. Matth. 5.

Diuina & æterna, non humana & temporalis bonorum operum; merces à Deo nobis expetenda, tantummodo.

TRACTATVS XLV.

In illa verba: *Et cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem quum oraueris, intra in cubiculum tuum; & cæt.*

POST præparationem animi ad eleemoſynam rectè factam, qua auaritia comprimitur; docet rectè precari, & ſupplicationes Deo porrigere, ad vincendam ſuperbiam vitæ, quæ eroganiibus eleemoſynas inſidiatur. Et ſimilia docet his quæ iam dixit de eleemoſyna, niſi quod in precando non ſolùm ſuos vult alienos eſſe à vitio hypocritarum & Phariſæorum, ſed

Scopus Domini hæc lectio Et cum oraueris non eritis ſicut melius illis: & cùm oratis, &c.

etiam ab alio vitio, id eſt, multiloquio ethnicorum. Ait ergò: *Et cùm oratis.* Græcè in ſingulari habetur: *Et quum oraueris, non eris ſicut hypocritæ,* vt Euthymius & Theophylactus legunt: ſimiliter legitur in codice Syriaco, Et cùm oras: quæ lectio præſtare videtur, & magis cohærere cum præcedentibus. Nam ſuperiùs dixit in ſingulari, *Te ergò faciente eleemoſynam.* &, *Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te:* & cum conſequentibus, vbi dicitur, *Tu autem cùm oraueris; tu autem cùm ieiunas:* nam publicas preces & ſupplicationes plerunque homines ſimul iuncti de more Eccleſiæ faciunt, quas Chriſtus hoc loco non videtur reprehendiſſe, ſed priuatas cuiuſque, quæ ſtudioſè in publico fiunt, vt ab alijs videatur.

Euthym.
Theophyl.

Modũ orandi, non præceptũ cur hic Dominus tradat.
Math.5.

Nihil deinde hic præcipit de precando, quia, vt ſuprà annotauimus, Dominus vult intelligi, obſecrationes, & orationes eſſe ad Deum fundendas: propterea dixit: *Orate pro perſequentibus & calumniãtibus vos:* nam ſatis nos ad precandum ſtimulare deberēt tum propria, tum aliena delicta; tum neceſſitates & moleſtiæ humanæ vitæ: vt quemadmodum ſine ſpiritu inſpirato, & reſpirato viuere non poſſumus, ita ſine iugibus precibus vita noſtra ſpiritualis conſtare nõ poſſet. Vnde Dominus dixit: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* & Paulus, *Sine intermiſſione orate.*

Luc.18.
1.Theſ.5.
Orationem pro precatione, ſieri autores vſurpant ſoli.

Tertiò aduertendum eſt, verbum orandi apud Latinos idem ſignificare quod precari, ſiué preces ad Deum fundere; etſi verbale eius oratio, apud bonos autores in ea ſignificatione non inueniatur; in Scripturis tamen & Patribus, pro precatione & ſupplicatione frequenter accipitur: quemadmodum & nunc, ac poſthac accipiemus. Eſt autem orare, aliquid à Deo petere, ſiue vt Damaſcenus ait, petere à Deo, quæ illum decet dare, & nos accipere. Eſtque orare, actus rationis practicæ, Deum ad finem ſuum conſequendum aduocantis. Rationis autem practicæ eſt res ad finem ſuum diſponere, atque dirigere: ſpeculatiuæ autem rationis tantum eſt ſimplicia apprehendere vt actus primus; vt ſecunqus componere, & diuidere; vt tertius ſyllogizare ſiue ratiocinari, vt ait Ariſtoteles 3. de anima. Non eſt etiam facultatis voluntatis, orare, quæ abſolutè fertur in obiectum: hinc ratio, & non voluntas imperat, niſi quatenus eius motum ſicut imperium, ſequitur actio; vel rectius quatenus imperium ponit finem amari: & obiectum voluntatis, quia bonum eſt ſimpliciter, finis eſt omnium aliarum facultatum, atque actu vitæ ipſius humanæ. Brutis animantibus à natura ſunt determinata ea, quæ appetenda ſunt: viæque & inſtrumenta, quibus acquirantur. Ideò quàmprimum eſt in eis deſiderium, tam citò applicant inſtrumenta ad actum, niſi violentia impediantur. Homini autem ratio ſuadet quid velle debeat, non natura, quia ratio inquirit, quod ſit ei proprium bonum, & optandum: & habito deſiderio, quia caret certis inſtrumentis, vel vijs, quibus habeatur quod habere intendit, poteſt remorari, & præcedit actus rationis determinans quid eligendum, & electionem factam ſequitur ratio imperans inſtrumentis, dirigendo ea, & accommodando ad rem electam conſequendam: hæc autem ordinatio ſeu directio extrà exprimitur, dicendo, Fac hoc. Sed quia inſtrumenta non ſolùm ſunt vires & membra, ſed homines, quando ſunt ſuperiores; eos applicamus per imperium: quando verò non ſunt in poteſtate noſtra, applicamus per petitionem, & ſi maiores ſunt, per deprecationem.

Quid orare: ad quem actum rationis pertineat.
B.Damaſc.li. 3 de Orthodo. fide, cap.24. in princip.
Oratio cur nõ ſit opus voluntatis.
Ratio, intellectiuſve homini quid præſtent.

Nec Imperat nobis Dominus, vti diximus, orare: etiamſi alibi precandi ſtudium præcipiat & commendet, quia de modo orandi vult agere, liberamque eam vult à nobis prodire, & ponit eam velut neceſſariam in diebus feſtis & ſolennibus, ex Eccleſiæ conſuetudine, ac in periculis impendentibus; & à quouis propterea amandam atque exoptandam: quia vtiliſſima eſt ad omnia, fortiſſimaque atque excellentiſſima.

Orationis dignitas & excellentia.

Nam à digniſſima creatura, nempe rationali, proficiſcitur; & ad ſummum Deum vel ad beatos, non autem ad viatores, ob eius excellentiam, funditur. Præſtat etiam hac nobilitate, vt Pater æternus eam à nobis requirat. Nam *Spiritus eſt Deus: & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.* Et format Spiritus ſanctus, ſecundùm illud: *Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Chriſtus ſemper in ea exauditur, quia ipſe vt caput per membra ſua poſtulans, pro ſua reuerentia exauditur: Angeli atque beati eam Deo offerunt, vt dixit Raphael Tobiæ: *Quando orabas,* inquit, *cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuũ: & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Omnes denique qui cœleſti gloria perfruuntur, boniqúe viatores illam exercent: prodeſtque ſecundùm

Ioan.4.
Rom.8.
Ioan.11.
Heb.5.
Tob.12.
Supra 2.
Orationis virtus & efficacia

Auguſti-

B. Auguſti.

Aug.ſtinum, ad impetrandum omnia, ad meritum vitæ æternæ, ad humilitatem ad ſerenitatem conſcientiæ, ad memoriam delictorum, eorumque remiſsionem; vt ſimus capaces beneficiorũ, quæ ſemper quidem Deus paratus eſt nobis elargiri, ſed nos ijs recipiendis minimè apti ſumus & idonei. Et quemadmodum Deum orare, non mutat eius prouidentiam, ita nec ab eo tollitur precatio, imò ponitur potiùs. Qui etenim vult finem gloriæ, præſidia & adiumenta, quæ ad eam perducunt, inter quæ principem habet locum precatio, etiam voluit. Ait ergo, *Cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ.* Qui quo maiora, & meliora quàm eleemoſynam dando fingunt eo ſe malori mercede priuant: & ſi in illa fictione vltimum finem conſtituant, grauiſsimè delinquunt. ¶ *Qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare.* Amant, inquit, quia in amore interno vitium, vel virtus eſt, non in his, quæ extra fiunt, in quibus per ſe nec malitia, nec bonitas ineſt. Idcircò verbum φιλοῦσι, quòd hic ponitur, ſignificat, ſolent, vt putauit Eraſmus, ſed amant, vt etiam Euangelium legit Syriacum. Et cum anguli, loca ſint ſecretiora, & quę in angulis fiunt, paucis ſint conſpicua: quomodo Phariſæi quærentes videri ab hominibus in angulis platearum orabant? Sed per angulos hic non intelligit occulta diuerticula & receſſus, ſed duarum platearum aut plurium ſimul cõuenientium coniunctiones, quæ vocantur compita, vel quadriuia; & de patenti abſconſione gloriabantur: & ſtantes orabant, quia hic erat multorum communis modus orandi: vnde Luc. 18. Publicanus & Phariſæus ſtantes precabantur. Ideò vbi illa ſeruatur conſuetudo, vt apud Græcos, vitium non eſt. Latinæ tamen Eccleſiæ mos, & commendabilior, & communior videtur, deuotionique magis eſt conſonus, nempe genua flectere, quem modum orandi ſeruauit Chriſtus in horto, vbi primum genibus flexis; deinde verò proſtratus in terram orabat. Hinc pigritia vel parua deuotio facit nos ſępè ad Miſſæ ſacrificium ſedere, vel ſtare; niſi ad Euangelium: circa hæc autem & ſcandalum, modus eſt indifferens. Et quia orantium erat illa figura, nolebant ſedentes meditari in illis locis, ſed ſtantes. Spiritus ſanctus tamen in Apoſtolos orantes & ſedentes deſcendit. *Vt videatur ab hominibus.* Orare ergo in angulis, quid peruium viſui erat: & graue, vel leue delictum erat, quatenus in eo quòd viderentur, conſtituerent vltimum finem, aut non conſtituerent, ſicut de eleemoſyna dictum eſt: niſi quòd cùm oratio ſit, quid magis internum quàm eleemoſyna, minùs in oratione homines iudicare poterant.

Preces noſtras nõ modò non tollit, ſed etiam ponit Diuina prouidentia.

Duplex hypocritarum orantium pœna.

Cur amant hypocritæ, & quibus in angulis platearum ſtantes orare.

Luc. 18.

Cur melius genu flexi, quam ſtantes oremus.

Matth. 26.

Actor. 2.

Hypocritę in angulis orantes, vt viderentur ab hominib⁹, quo modo peccarent.

Tu autem quum oraueris, intra in cubiculum tuum. De priuata igitur oratione loquitur, cùm in ſingulari ait: Tu autem quum oraueris: quia publica, quæ fit à miniſtris Eccleſiæ pro tota communitate, publicè debet fieri, vt Eccleſia præcipit, neque tantùm corde, ſed etiam voce: vt Dei laudes mente & lingua celebrentur, & proximus ædificatione accipiat, intelligatq; orationem pro ſe fieri, indeque animatus deſideret illa, quæ publica præcatio petit ſibi euenire, & moueatur ad orandum: & vt miniſter aduertat, an compleuerit orationem. Atque hæc oratio vocalis exemplum habet à Chriſto, qui preces illas Ioan. 17. coram Apoſtolis habuit, & in horto ter Patrem ſupplex deprecatus eſt: & Paulus cum Sila in carcere preces nocturnas cantabant, & Dauid prædixerat; *In Eccleſiis benedicite Domino, de fontibus Iſrael*; & Apoſtol. 1. Corinth. 14. *Cæterum ſi benedixeris ſpiritu: qui ſupplet locum idiotæ, quomodò dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem?* Olim etiam Plinius Iunior inquiſitionem habuit, iuſſu Traiani, de Chriſtianis: & deprcherdit illos, antelucanos hymnos cuidam Chriſto Deo canere.

His verbis: Tu autem cũ oraueris, &c. publicas Eccleſiæ preces & ſupplicationes minimè prohiberi.

Oratio vocalis quam vocant, à Chriſto, & Sanctis vſurpata.

Ioan. 17. & ſeq.
Luc. 22.
Act. 16
Pſalm. 67.
1. Cor. 14.

Cubiculum autem cordis intelligit, & externum etiam, ob cautelam vanæ gloriæ, quæ eſt finis repugnans quàm maximè latriæ, quæ eſt cultus Deo debitus propter ſe ipſum. Neque hic videri ab hominibus neſas eſt, vt ait Auguſtin. ſed ideò hoc agere, vt videaris ab hominibus. Qui in ſpiritu, & veritate Deum adorant, benè adorant, ſiue in cubiculo id faciant, ſiue in agro, ſiue in templo. Nullus hoc impedit ex ſe locus. Rurſus per hypocriſin orare non minus in cubiculo quis poteſt, quàm in frequentiſsima Eccleſia: poteſt enim quis ex hypocriſi in conclauem ſe abdere, quaſi deprecaturus, & tamen aut nugis, aut etiam nequitiæ vacare: quemadmodum Domitianus Imperator inter initia principatus ſui, quotidie ſecretum ſibi horarium ſumere ſolebat, vt ſcribit Suetonius, quaſi ſerijs, grauibuſque cogitationibus, aut cum Ioue colloquiis vacaturus; nec tamen interim quicquam ampliùs, quàm muſcas captare ſolitus erat, ac ſtylo præacuto configere. Vt cuidam interroganti, eſſet ne quis intus cum Cæſare; non abſurde reſpõſum ſit à Vibio Criſpo: Nec muſca quidem. *Qui ad ſupplicandum,*

Deum oraturus, quale cubiculum intret.

B. Auguſtin.
Ioan. 4.

Secretò etiã orans, quemadmodum hypocrita eſſe poſſit.

Sueto. cap. 3

Vt quis rectè adorandũ ſe comparet.

B. Chryſo. ho 19 in Matth. tom. 2.

dum, inquit Chryſoſt. *paratur; omnibus relictis, illum intuetur vnum, qui habet donãdi quod petitur poteſtatem. Qui verò dum oculus animoq; diuagantur per alia, labijs duntaxat auribus diuinis obſtrepunt, iram eius citiùs, quàm gratiam reportabunt. Occludendum eſt cubiculum, id eſt, penetrale illud arcanũ cogitationum, ne illuc per oſtia ſenſuum irrepant rerum carnalium & vanitatum huius mundi phantaſmata.* Hæc ille in ſenſu.

Quod oſtiũ orans claudere debet, & quomodo publicæ orationis vtilitates.

Et clauſo oſtio. Quàm ſalubre conſilium, etiam ad literam, porrigit Chriſtus, maximè tamen clauſo oſtio cordis externis & vanis cogitationibus, & oratio quidem ex ſe publicè fieri deberet, tum quia honeſta eſt, & aliis exemplum præbet; tum quia ſpectat ad laudem Dei; tum denique quia publica quæ fit nomine communitatis, illi ſecretum conuenire non poteſt. Ideò infirmis, qui occaſione vanæ gloriæ, vel ſtrepitu impediuntur, conuenit vt non niſi in ſecreto orent, qua in re profitentur fidem Dei omnia cognoſcentis: Dæmon etiam cùm cor neſciat, ſi voce non profertur, non habet occaſiones tentandi. Locus igitur per ſe non iuuat ad orandum, quia Deus vbique eſt: & ex voluntate, non ex loco exaudit. Non diſponit etiam locus ad orandum agendo in mentem, ſed Deus ipſe: oratio tamen publica vt populo innoteſcat, debet eſſe in loco determinato; priuata ex congruitate, quia locus precibus deputatus admonet orare. Homo etiam magis ſe diſponit ob loci reuerentiam: nã Deus ex voluntate ſua potiùs exaudit in vno loco, quàm in alio deprecantes. Vt ſignis etiam hoc teſtetur, ob honorem diuorum, quorum ſunt ibi reliquiæ: & quia in Eccleſia fiunt ceremoniæ ad deuotionem excitantes: nam frigidæ preces à calidis; qui illuc conuenire ſolent, incaleſcunt, ſecundùm illud; *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quo fit, vt deprecatio in eo loco magis digna ſit exaudiri, ob orationem Eccleſiæ ab Spiritu ſancto edoctæ, & id petentis: hinc Conſilium Gangrenſe capit. 5. *Si quis docet, domum Dei contemptibilem eſſe debere, & congregationes quæ in ea fiunt, anathema ſit:* quòd à Gratiano diſtinct. 30. adſertur. Ideò etſi non ſemper obligetur laicus in ea preces fundere, ſemper tamen eam non deſpicere aſtringitur. Verbum tamen Domini (Ioan. 4. *Venit hora, quando neque in monte hoc* (ſcilicet Garizim) *neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem*: intelligitur de adoratione, quæ Deo exhibetur per ſacrificia, quia de oratione non erat dubium Iudæis, quod extra Ieruſalem poſſet fieri: cum quotidiè, ob incurrentia pericula, ad adorandum cogerentur, & in Synagogis quotidie, vel ſaltem in Sabbato conuenirent ad orationem, in quibus etiam hypocritæ orabant: ſed de loco ſacrificij erat ſchiſma, quem Deus in Ieruſalem præſcripſerat: & de hoc conſilium petebant Samaritani à Chriſto.

Clam, & ſecretò orare conueniat quibus.

Quid publicè, vel priuatim iubemur orare, ſi locus ad orandum nil proficit?

In tẽplo, quã extra; cur Deus magis precantes exaudiat.

Matth. 18.

Conc. Gangr.

Ioan. 4.

Illud: Venit hora, quãdo neq; in monte hoc, neq; in Ieroſolymis adorabitis Patrẽ, &c. quomodo intelligitur.

Publicæ Eccleſiæ preces & ſupplicationes de more cur fiãt ad Orientem.

In oratione autem pública conſuetudo eſt obſeruanda, orandi ad Orientem, quia in eo Dei gubernantis virtus in initio motus cæli apparet, vt olim in templo apparebat. Ibi etiam videtur fuiſſe Paradiſus terreſtris ſignificans cœleſtem, quæ in deprecatione quæritur, gloriam. Aſcendit etiam Dominus ſuper cœlum cœli, ad Orientem. Inde etiam venturus exiſtimatur; dixit enim, *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſq; in Occidentem: ita erit & aduentus Filij hominis.* Iudæis olim interdixit orare ad Orientem, quia ita faciebant Gentiles aſtra odorantes. Nunc autem non eſt periculum idololatriæ: quando autem Iudæi erant extra Ieruſalem, orabant ad eam conuerſi, & licèt eſſet Orientalis Ieruſalẽ, quemadmodum qui in Babylone, quæ ipſi Ieruſalem eſt Septentrionalis, detinebantur, vt Daniel contra Ieruſalem Meridionalem precabantur, vt habes Daniel. 6. Ergo ex hoc quod Dominus ait de ſe in cubiculum recipiendo, non tollit vſum templorum, neceſſarium orationi publicæ, & priuatæ conducibilem: ſed tantum vetare voluit vanam gloriam. Nam ipſe Dominus & Apoſtoli ad templum, orandi gratia, plerunque conueniebant.

Pſalm 67.

Matth. 24.

Id olim facere cur Iudæis prohibitum.

Dan. 6.

Ora Patrem tuum in abſcondito. Patrẽ vocat Deum: quia enim quod confertur oranti, à tribus datur perſonis, quarum quęuis gloriam habet quam petimus. Et Pater vt perſona eſt, non refertur ad nos, vel creaturas, quia non eſt pater naturalis, vel Filius, vel Spiritus ſanctus reſpectu noſtri: ideò ad vnam perſonam preces fundere non ita conuenit, vt intelligamus alias perſonas excludi, vel affectu ſpeciali ad vnam illarum duci, vel illam revereri quaſi meliorem ratione attributorũ: quia in qualibet eſt eſſentia trium. Dicendo ergo, *Patrem tuum*, procol dubiò Deum intelligit.

Patris nomine quem oramus, & adoramus, Deũ hoc loco. id eſt. ſanctiſſimam Trinitatem, deſignari.

Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Hoc fortaſſe propter ſimplices, & idiotas dixit, quia quantum putant eſſe ea, quæ ſub aſpectum cadunt. Cùm igitur ille, qui ſua natura inuiſus eſt, & omnia videt, precibus noſtris præſens adſit, non opus eſt multo clamore vocis, aut linguæ volubilitate. Memores ſimus Annę matris

Deum cur Chriſtus videre dicat in abſcondito.

1 Reg. c.

Samue-

Samuelis, quæ largiter quidem flens orauit Dominum, ſed ita, vt loqueretur in corde ſuo, tantumq́; labia eius mouerentur, & vox penitus non audiretur. Ita & nobis faciendum eſt: nam coram Regibus quoque, dum eos alloquimur, omnis coercetur tumultus, & maximum vndique ſilentium commendatur, Et ait, *Reddet tibi.* Admonet Chryſoſtomus, vt cum admiratione miſericordiam Dei conſideremus, qui pro his quoque, quæ à nobis rogantur bonis mercedem ſe pollicetur daturum. *Orantes autem nolite multum loqui.* Græcè dicitur, *μὴ βαττολογήσητε*, eſtq́; dictio cõpoſita, & prouerbialis, à Batto quodam poëta, qui hymnos compoſuit ſuperuacanea eorundem replicatione plurimũ moleſtos: ad quod ſpectauit Ouidius, cum Battum quẽdam iudicem facit eaſdem inſulsè iterantem: *Sub illis montibus erant, & erant ſub montibus illis.* Quem ridiculè imitatus Mercurius dicebat:

Et me mihi perfide, prodis,
Me mihi prodis, ait.

Quanta Dei miſericordia Chryſoſtomo.
Chryſ. ho. 19. in Mat. prope fin. tomo 2.
Battalogia quid, hæc vox vnde ſũpta.
Ouid. lib. 2. metamorph.
Mercurius autor.

Chryſoſtomus cum Theophylacto per battalogiam intelligunt nugacitatem, & loquacitatem, qua non vtilia poſcimus, ſed temporaria, vt regnum terrenum, diuitias, honores, & ſimilia. Sed non eò Dominus ſpectauit, qui ſubiunxit: Putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. Et licèt etiam temporalia bona precibus à Deo poſtulare. Alij inſigniter balbum putant fuiſſe, quorum hominum eſt eadem frequenter iterare. Et ipſe textus quid intelligat, paullò pòſt explicat, cùm ait: Putãt enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur: vbi in Græco non battologia ponitur, ſed polylogia, quæ apertè ſonat multiloquium. His autem verbis aliũ defectum in orando notat: quãdo Deum velut hominem iudicamus, qui verborum multitudine vel doceatur, vel flectatur. Tales fiebant orationes, & ſermones ad Cæſares, & Patres Conſcriptos, quos vt deos obſeruabant ipſi Gentiles, & in eo plurimum laborabant, vt oſtenderent quid peterent, & dandum eſſe perſuaderent, multo verborum delectu, & elegantia. Hinc inſtitutiones Oratoriæ ad excitandos affectus accommodatę ex arte tradebantur, & vt rectè docet Auguſtinus, tales magis exercere linguã, quàm emendare animum docebantur, vt nunc Hæretici faciunt: quod in precatione, qua Deo ſupplicamus, minimè oportet facere. Nonit enim ille quid petamus eum, nec poteſt ille vllis noſtris precibus vel doceri, vel proprij flecti.

Chryſo. ibid. Theophylact. ibidem.
Battalogiæ, ſeu multiloquij in oratione, eorum Patrũ minùs cõmoda interpretatio reiicitur.
Balborũ proprium hominum quid.
His Dominus verbis quale vitium orantium reprehendit.
Hæretici quomodò orent infelices.
Aug lib 2. de ſerm. Dom. in mõ. ca. 7. init. to. 4. circ. fin

Non igitur prolixiores preces Dominus hoc verbo interdicit, qui aliàs dixit: *Oportet ſemper orare, & non deficere;* &, *Pernoctabat in oratione Dei;* &, *Factus in agonia prolixiùs orabat petẽs vnum & idem ter, Tranſeat à me calix iſte:* & per Paulum inquit; *Sine intermiſſione orare;* & de Petro in cuſtodia poſitus ait Lucas: *& Petrus quidem ſeruabatur in carcere, Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Sed aliud eſt prolixè orare, aliud multiloquio in precibus agere, quaſi in verborũ munditia ſiue proprietate ſit confitendum.

Continuatio autem, & prolixitas in oratione tanta adhibenda, vel quantam homo ferre poteſt orando, id eſt, quantum durat ſpiritus, & diuina bonitas inſpirat: nam in ſpiritu oratio fieri debet: & ſi excitante ſpiritu deſiſtatur à precibus, ſit ſpiritui ipſi iniuria: vel quantum opus eſt vt donum quod petimus, impetremus. Cuius rei gratia Dominus duplici nos parabola muniuit: altera quidem viduæ illius immitem & inclementem iudicem importuna quadam precandi perſeuerantia flectentis, Luc. 18. Altera verò illius, qui nocte intempeſta venit ad amicum, poſtulans tres panes mutuò: qui propter improbitatẽ obtinuit quòd poſtulauit, Luc. 11. Sunt ergo prolixæ preces interdum vtiles; interdum verò breues, vt notauit Auguſtinus epiſt. 121. ad Probam dicens: *Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, ſed eas quidem breuiſſimas, & raptim quodammodò iaculatas, ne illa vigilãter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſcat, atque hebetetur intentio. Ac per hoc ipſi ſatis oſtendunt hanc intentionem, ſicut non eſt obtundenda, ſi perdurare non poteſt, ita ſi perdurauerit, citò non eſſe rumpendã.* Hactenus Auguſtinus. ¶ Multum ergo loqui ille dicitur, qui excedit medium, ſiue modum definitum à Sapiente. Hinc Eccleſiæ orationes longæ minimè ſunt, ſed breuiſſimæ, ac ſuccinctæ, & myſteriorum fœcũditate prægnantes. In oratione autem non neceſſaria, ſed libera, & ſpontanea, ſine peccato breuiare, vel producere licet, quamuis ea, quæ ſine feruore funditur, & longa eſt, ſatisfaciat, quia laborioſa eſt, & moleſta: ad meritum tamen non nimis eſt producenda, id eſt, vſque ad faſtidium, quia homo inuitus ad illam redit. Multum ergo loqui iure prohibitum eſt, quia contra rationem eſt putare ſe poſſe Deum docere, vel exiſtimare poſſe ſe flectere ad contrarium eorum, quæ facere decreuit. Similiter prohibetur inhoneſta petere, & vel abſolutè, vel ordinatè dicere

Aſſiduè orare, & perſeuerantet Chriſtum multiloquij verbo vetare.
Luc. 18.
Suprà. 6.
Infrà 22.
1. Theſſ. 5.
Actor. 12.
Quamdiu orandum ſit ſine intermiſſione.
Ioan. 4.
Vbi nos Chriſtus ad perpetuum orandi ſtudium cohortetur.
Luca. 18.
Luc. 11.
Augu tom. 2. cap. 10.
Monachi in Aegypto, teſte Auguſtino, quales haberent orationes.
Multum loqui quis dicatur.
Oratio quæ breuior, quæ poſſit eſſe productior, etiã efficax apud Deum.
Orantes cur prohibeãtur multũ loqui.

ad mouendum, vel delectandum Deum: ſecus ſi quis ſeipſum velit mouere, nam licitum eſt longa oratione, & melodia vti. Verba autem multo dicere, quia opus eſt attentione, ne memoria fallatur, & plerunque perit deuotio, laudabile non eſt: paucis autem verbis petere poſſumus, non tam diu loquendo, & eundem ſermonem prolixiùs repetendo, quàm diu deſiderando, & gemendo. Vt enim petitio expreſſa eſt dicere, Da mihi, & interpretatiua, porrigere manum. Ita petere ratione, practice eſt expreſſa oratio; interpretatiua verò, eſt recogitatio neceſſitatum, erectio ſpei in Deum, humiliatio ſpiritus, deuotio, intentaque deſideria, de quibus Propheta: *Eritq́, antequàm clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Et alibi, *Preparationem cordis eorum audiuit auris tua.*

Multiloqua aut multiuerbis, vt ſic dicam, oratio quid incommodi habeat.

Oratio quænam practica, quæ nam ſit interpretatiua.

Eſai. 65.

Pſalm. 10.

Verum ex his Domini verbis natæ ſunt aliquot hæreſes. Quidam enim penitus ſuſtulerunt omnes noſtras precationes, vt teſtatur B. Hieronymus, quia Deus nouit cuius rei indigeamus. Sed iam dictum eſt, ſupplicationes noſtras non eò tendere, vt Deum doceamus, flectamuſve, ſed vt nos agnoſcamus infirmitates noſtras, illiſque agnitis humiliemur, & in alios viros mutemur, vt digni ſimus qui petita impetremus, vtque noſtram indigentiam, eiuſque munificentiam confiteamur, & virtutem fidei, atque humilitatis, gratiarum actionis, charitatiſq; orando exerceamus. Verba Hieronymi ſunt: *Cõſurgit in hoc loco quadam hæreſis: Philoſophorum quoque peruerſum dogma dicentium; Si nouit Deus quid oremus, & antequàm petamus, ſcit quibus indigeamus, fruſtrà ſcienti loquimur. Quibus breuiter reſpondendum eſt, nos non narratores eſſe, ſed rogatores. Aliud eſt enim narrare ignoranti, aliud ſcientem petere. In illo indicium eſt, hic obſequium. Ibi fideliter indicamus, hic miſerabiliter obſecramus.*

Si nouit Deus quid oremus (ait Hieronymus) & antequàm petamus ſcit quibus indigeamus, quid ergo ſcienti loquimur.

B. Hierony. in Matt. tom. 9.

Quorum illã ſoluat Hieronymus hæreticorũ quæſtionem.

Eſt & alia Auguſtini quæſtio: Si eo quòd Deus Pater omnia ſcit, multis verbis in oratione vtendum non eſt; cur etiam vel paucis verbis vtendum erit, vel ſaltem illis paucis, quibus mox orare Patrem docet? Dicendum eſt, nullis quidem verbis ſimpliciter in oratione opus eſſe, vt quid à Deo impetremus: Deus enim ſpiritus eſt, & non tam verba attendit, quàm ardens animi deſiderium, ſine quo vocalis oratio Deo grata non eſt. Paucis tamen verbis orandi nobis formam edixit, vt illis nos doceret, quas res, & quo ordine, & qua ratione à Deo Patre petere oporteret. Alij verò è conuerſo non deſiſtebant ab oratione: vnde & Euchitæ dicti ſunt, quaſi dicas, Deprecantes. Verùm iſti nimis ad literam accipiebant verba Domini, dicentis: *Oportet ſemper orare*, cùm ratio ipſa, & exempla Chriſti, Sanctorumque ſatis inſtruerent, non ita exactam peti illis verbis orandi rationem.

Auguſt. li. 2. ſerm Dom. in mon. c. 7. to. 4.

Quid vllis omnino verbis Patrem Chriſtus omnia ſcientem orare nos docet?

Ioan. 4.

Euchitarũ, id eſt, deprecantium (qui refellitur) erroris occaſio.

Luc. 18.

Alij verò de orationibus, quæ ſecundùm vocem fiunt, detrahunt, idque autoritate B. Chryſoſtomi, qui homil. 19. huic orationi detrahere videtur: cùm tamen ille inanes quoſdam, & ineptos oratores arguat, qui orationem vocalem ſpirituali proponebant, & ob id indecoris geſtibus & immoderatis vociferationibus in templo orabant, quo clariùs à cæteris internoſcerentur, non ſine audientium admiratione. Sed certè hoc loco illæ non prohibentur, quibus ſemper vſa eſt Eccleſia, & Sancti eas frequentarunt, atq; eis vtendũ in publicis precibus ſemper eſt; in priuatis verò eatenus vſurpandæ, quatenus Deo animus vnitur magis; & quanquam ex ſe perfectior ſit precatio ea quæ ſecundùm mentem fit, ſimiliorq; illi; quam Angeli fundunt ad Deum, celataque dæmoni ne tentet, & ſine proximi impedimento: tamẽ communiter imperfectos, & minùs exercitatos magis iuuat vocalis nonnullis de cauſis. Primò quidem, vt Deum etiam corporis cultu, quemadmodùm genibus, & voce, veneremur. Deinde, quia homo, maximè rudis, magis intelligit verba, quam deſideria, vel conceptus, qui paruæ (vt dicitur) entitatis ſunt: quemadmodum durum habentes tactum, vel magnũ etiam frigus non percipiunt. Tertiò, quia vox mẽti eſt cognata, ideò apta ad mouendum: quo fit, vt doctus à prædicante moueatur, & narrando propriam affectionẽ, in lacrymas & gemitus interdum erumpat. Quartò, præſtat oratio quæ fit voce, ob exemplum quod proximo exhibemus. Quintò, vt redundantia ſpiritus ſiue mentis, corpus Deum laudet. Sextò, quia obiectum quod voce percipitur, magis tenet, & remoratur mentem: ſecus eſt de conceptibus internis, qui per voces ad memoriam reducuntur. Nec voces diſparatæ ſunt cogitationibus mentis, quæ eas ſignificant: ideò anima non diuiditur ad cogitanda verba & conceptus: & Deus nõ audit voces, ſed intelligit ſua eſſentia.

Orationem (vt quidam dogmatizãt) vocalem à Chriſto minimè damnari, at probibet.

Chryſo. to. 2.

Vocalis orationis quantus vſus in Eccleſia.

Rudioribus ac imperfectis vocalis oratio cur magis expediat.

Secũda ratio

Tertia.

Quarta, quinta, & vltima rationes.

¶ *Putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.* Putabant ethnici etiam deos ſuos, quia homines fuerant, corda non cognoſcere, vt Propheta: Baal, qui perſuaſi ab illudente Helia, feriò clamabant; & aſtutè ita dæmones volebant, quia corda non intelligunt: ideò putabant eos verborum mul-

Ethnici orantes cur putarẽt ſe in multiloquio exaudiri.

3. Reg. 18.

multitudine flecti. Hinc coram Ioue introducuntur & Venus,& Iuno Rhetorum inſtar,habere orationes:Iupiterque occultat ſua adulteria.

Deus à nobis rogari cur velit.

Scit enim Pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. Si ergo hoc nouit, quid opus eſt vt precibus Deum pulſemus? Reſpondeo,quia ipſe præcepit ob bonum noſtrum; & ob ordinem diuinæ ſuæ prouidentiæ ſeruandum. Nam etſi multa nobis minimè petentibus ſponte donet, præſertim cum multis egeamus, quibus noſtra vel ignorantia, vel ſocordia, ne an egeamus quidem ſcimus, qualia ſunt quæ ad animæ ſalutem ſpectant: multa tamen niſi rogatus & obſecratus dare non vult, quia niſi apti, & idonei vt exaudiamur, reddamur per orationem, indigni ſumus, qui dona Dei obtineamus. Neque iuſtum eſt apud Deum eiſdem beneficiis dignos atq; indignos afficere: alioqui tollenda eſſet de medio gehenna. Qui enim ad Deum per precationes adit, perinde facit, ac ſi Soli ſe oſtenderet: de quo quamuis ſcriptum ſit. *Nec eſt qui ſe abſcondit à calore eius*, vt vix eius efficax, & in omnia penetrans declaretur, minùs tamen illius virtutis participes fiunt, qui illum fugiunt, & ſeſe tenebris abdunt, vel vmbraculum Deo opponunt, tanquam nubem de quo ait Propheta, *Opposuiſti nubem ne tranſiret oratio.* Quos imitantur illi qui peccatorum tenebris gaudent, de quibus Eſaias ait, *Ecce, non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum: & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.*

Orantes qui minùs alus participēt de Sole iuſtitiæ. Pſalm. 18.

Quales illi, & eorum ſimiles. Eſai. 59.

Oratio qualis, Magno Dionyſio. Lib. de Diu. nomin. cap. 3 in princip.

Eſt ergo oratio, quemadmodum magnus ait Dionyſius, veluti catena aurea è cœlo demiſſa, per quam qui aſcendunt, videntur quidem catenam ad ſe trahere, ſed reuera ipſi potiùs ab ea retrahuntur in cœlum: ſed dum precamur Deum, non ipſe ſit aptior & paratior ad nos audiendum, ſed nos capiendis illius beneficiis præparationes. Ideò crebris, breuibus, & quas vocant, iaculatoriis orationibus ad Deum in noſtris neceſſitatibus inuocandum vtamur, quæ & facili negotio à nobis fundi poſſunt,& tædium non generant, & Dei dona à diuina benignitate facilè impetrare ſolent, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto ſemper viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Preces quas vocant iaculatorias, cur nobis frequentandæ.

TRACTATVS XLVI.

In illa verba: *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis.*

Peculiarem Chriſtus precandi rationem cur tradere debuerit.

TRADVNT ſapientes, in his quæ ad mores, & praxim vitæ humanæ ſpectant, non ſatis eſſe in genere, & in vniuerſum loqui, maximè apud ſimplices, & idiotas, ſed opus eſt ad ſingula deſcendere, quemadmodum etiam in medicina non ſatis eſt medico dicere ægrotanti: Sume quæ medicina præſcribit, vel vtere tenuiore victus ratione; niſi ſpeciatim pharmaca præſcribat ſumenda, & quæ in ſpecie victus ratio ſeruanda ſit: ad hunc propè modum Dominus Ieſus poſtquam inſtituit Apoſtolos de vitiis in orando cauendis, maximè verò battologia, & multiloquio, nunc breuem formam, & modum orandi peculiarem præſcribit dicens: *Sic ergo vos orabitis.* Nam cùm illud præceſſiſſet: *Scit enim Pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum*, ne quis inferret, non ergo opus eſt orare: infert cum particula illatiua illa, Sic ergo vos orabitis.

Secunda ratio Orationis Dominicæ tradendæ. Luc. 11.

Summè autem decuit diuinam prouidentiam, vt Filius Dei precandi rationem nos edoceret, non ſolum vt ſatis petitioni diſcipulorum faceret, quorum vnus Luc. 11. motus exemplo Chriſti, qui eum in quodam loco orantem aſpexerat, dixit ad eum: *Domine, doce nos orare, ſicut docuit, & Ioannes diſcipulos ſuos, & ait illis. Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum:* & reliqua; ac vt tolleret errorem Gentilium, qui in multiloquio putabant exaudire Deum: verùm etiam vt doceret quid in cubiculo vtiliter ſit orandum, quæ ſint etiam nobis expetenda, petendaque in precatione, in quibus error eſſe poterat. Nam vt Apoſtolus ait: *Quid oremus ſicut oportet, neſcimus*: & qui apud Ethnicos plus aliquid videbantur conſpexiſſe, cùm ignorarent quæ ſigillatim petenda eſſent, ſolebant poſtulare, vt eis bona darentur à Diis, quæ tamen bona neſcirentur ab illis. Vnde Socrates, humanæ ſapientiæ, quaſi quoddam terreſtre oraculum (vt teſtatur Valerius Maximus libr. 7. cap. 2.) nihil vltra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent: quia ij demùm ſcirent, quid vnicuique eſſet vtile: nos autem plerunque id votis expetere, quod non impetraſſe melius foret. Seneca etiam lib. 2. epi. 10. ad Luciliũ: *Tunc ſcito*, inquit, *eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum, cùm eò perueneris, vt nihil Deum roges, niſi quod*

Rom. 8.

A diis bona tantum petenda cur Socrates arbitraretur. Valer. Max.

Senecæ magus illius Chriſtiana penè documenta Lucilio tradita.

reg. repoſſu palam Non enim quanta dementia eſt hominum Turpiſſima vota Dijs inſuſurrant; ſi quis admouerit aurem, conticeſcent; & quod ſcire homines nolunt, Deo narrant. Vide ergo, ne hoc præcipi ſalubriter poſſit: ſic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. Hæc ille. Voluit inſuper ſpem noſtram erigere, & certam reddere de exauditione Dei, ipſe præſcribens formam orandi. Etenim ſi princeps ipſe libellum ſupplicem formaret ſibi porrigendum, & à ſe expediendum, profectò magna fiducia erectus & animatus accederet de felici expeditione, qui libellum illum principi exhiberet: ita ſanè Chriſtus Dominus aduocatus noſter ſimul, & iudex, orandi formam ipſe, qui exauditurus eſt, formauit, & Pater Aeternus Filij ſui vocem non poteſt non audire, qui nobis, vt ipſum audiamus, præcepit. Nam ſi quicunque orauerit in nomine Domini, iuxta eius promiſſa exauditur: quanto magis nõ ſolùm in nomine eius, ſed etiam qui in forma, & verbis ab eo præſcriptis petit? Quis enim magis nouit defectus figmenti ſui, quàm ipſe autor figmenti, cui verè dicimus: *Imperfectum meum viderunt oculi tui?* Quis etiam magis perſpectum habuit quæ ſint illa, quæ cùm petimus, maximè Deo placemus; quàm ipſe Deus, qui quod petendum eſt in hac oratione explicat? Quis rurſus rectiùs cognouit propria, & accommodata verba, quibus aut affectus orantis exprimendus eſt, aut quibus nobis eſt placandus Deus, quàm ipſemet Dei filius, doctor, & ſaluator noſter?

Tertia ratio.

Zacha. 13. & alibi paſſim.

Pſalm. 138.

Dicendo ergo, *Sic*, innuit, primum, optimam eſſe formam etiam circa modum, & verba, & res ipſas petendas, & earum ordinem. Et dicendo, *Vos*, dirigit ſermonem ad Apoſtolos, & in eis ad omnes Chriſtianos. Vos, inquit, qui non eſtis Iudæi hypocritæ, nec Gentiles multiloqui. Nam precatio, quæ contemplationis pars eſt, maximè Nouo competit Teſtamento: non ita Veteri, in quo non datur modus orandi, ſic autem benè dicendi, quem ſacerdotes obſeruare debebant Numer. 6. & modus profitendi, ſeu profeſſionis faciendę, Deuteron. 26. raroque hortatur ad orandum: quod in precibus plerunque oporteat petere promiſſa, quæ cùm eſſent temporaria homines cupidi, & auari fierent: nam Deus aſſuefaciendo Iudæos per legem ad perfectionem paulatim trahebat, ideo initio imperfectis terrena bona promittere debuit. Imò iubentur legiſlatores, vt docet Ariſtoteles, huiuſmodi præmia proponere ſecus in Nouo Teſtamento, vbi ſpiritualia bona proponuntur. Cùm verò ait, Orabitis, præſcribit certum modum expetendorum bonorum, nam petenda determinata ſunt; non autem præfigitur modus laudis, quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: vnde ſcriptum eſt: *Exaltate illum quantum poteſtis, maior enim eſt omni laude.*

Expenduntur hæ particulæ. Sic vos ſolicet orabitis.

Precatio cur Noui, quàm Veteris magis Teſtamenti propria.

Num. 6.

Deut. 26.

Ariſtot.

Hoc verbo, Sic orabitis, quid Dominus præſcribat.

Eccleſ. 43.

Præſtat autem hæc oratio (quæ & Dominica, & quotidiana, & à B. Auguſtino fraterna, & à Tertulliano in libro de fuga in perſecutione legitima dicitur) omnibus aliis, quæ tam in Scripturis, quàm extra eas habentur, tùm in primis in autore, & inſtitutore eius; vnde, & Dominica vocatur (vt diximus) nam illam non Patriarcha, aut Propheta ſanctus aliquis, non Apoſtolus, aut Euangeliſta, non ipſe Ioannes Baptiſta, non Angelus, aut Archangelus, ſed ipſe Dei Filius per ſeipſum tradidit: atque ob eam cauſſam ſic orantes faciliùs exaudimur. Et præter fructum impetrandi quæ petimus, ſemper illam comitatur remiſſio venialium delictorum, vt ſæpè docet B. Auguſtinus: quod tamen de aliis non conſtat precationibus. Deinde dicitur oratio quotidiana, teſte Auguſtino libr. 21. de Ciuit. Dei, cap. 27. initio propter vltimas quatuor petitiones in ea contentas (quibus quotidie egemus) nempe panis quotidiani, remiſſionis delictorum, quæ quotidie committimus; victoriæ tentationum, quæ quotidie nos oppugnant; atque liberationis ab illo malo, quod ſemper nobis impendet. Dicitur etiam quotidiana, eodem Auguſtino teſte, homil. 42. libr. 50. humiliarum, quia quotidie ad altare ſancti ſacrificij profertur: cùm tamen ſymbolum Fidei, diebus tantum ſolennibus, de more, recitetur, quod inde fortaſſis profectum eſt, quòd orare quotidie ſit neceſſarium: ſed publicè fidem profiteri non eſt neceſſarium, niſi quando res poſtulat, ad quod vt prompti ſimus atque parati, Eccleſia nos illud certis diebus cantando excitat, & adhortatur. Dicitur prætereà oratio fraterna ab Auguſt. ſerm. 182. quia in ea Chriſtiani agnoſcunt, & profitentur inter ſe eſſe fratres: quia nihil quiſquam in hac oratione poſtulat, quod non etiam pro aliis tanquam fratribus ſuis petat. Deberent igitur magni Reges, & Principes meminiſſe, quòd populi ſibi ſubiecti, fratres ſunt, & nobiles, quòd qui infimo genere nati ſunt fratres habent: quemadmodùm diuites, eos qui ſunt pauperes; liberi, eos qui ſeruitute premuntur, & captiuitate, & qui proſpera valetudine vtuntur, infirmos; & qui

Precatio Dominica alijs cur præſtet vniuerſis.

B. Aug. in ſerm. citidem.

Tertull.

Dominica oratio cur dicitur quotidiana.

B. Aug. 10. 5.

Alia ratio huius appellationis.

Idem, 10. 10.

Idem ibidem.

Fraterna cur etiam appelletur.

ſapien-

ſapientia, & doctrina præpollent, ignaros, & indoctos fratres habent.

Secunda ratio, cur ſcilicet Oratio Dominica ſit omnium præſtantiſſima.

Deinde excellit breuitate, non ſolùm vt deſtruat Gentilium errorem, putantium quòd Deus verborum multitudine delectetur, demulceaturve, ſed etiam vt facilè addiſci, & memoriæ commendari poſſit: vtque eſſet fiducia quòd citò vult poſtulata præſtare, & quo breuior eſt, eo magis frequentetur, ac ſine faſtidio repetatur: denique ne quis de eius ignorantia excuſetur, quia quod breue eſt, & facilè diſcitur, non ſine culpa ignoratur.

Matth. 6.

III. Ratio.

Tertiò, excellit in vniuerſitate, & comprehenſione omnium quæ peti debent: & eorum ordine, & euidentia, quia bona tantùm petimus, & omnibus conuenientia, quod non eſt de aliis, quas ſancti per ſe compoſuerunt.

Septenarius numerus quid denotet.

Vnde in numero ſeptenario continentur iſtæ petitiones, qui numerus vniuerſitatem ſignificat & Spiritui ſancto accommodatur; vt intelligamus vniuerſitatem donorum ſpiritualium nos poſtulare.

Aug. epi. 121. ad Probam, ca 12. tom 2.

Hinc Auguſtin. epiſtola quadam aſſerit, hanc orationem eſſe breuiſſimum compendium omnium Pſalmorum, quia quicquid in illis dicitur, ſiue per modum deprecationis, ſiue per modum doctrinæ, omne illud in hac oratione comprehenditur.

Oratio Dominica Auguſtino quàm breuis, & compendioſa.

In eadem epiſtola ait, quòd cùm rectè, & congruenter oramus, nihil aliud petere poſſumus, quàm quod in oratione Dominica poſitum eſt. Et infra: *Si omnia ſanctarum precationum verba diſcurras, quantum exiſtimo, non inuenies quod non iſta Dominica contineat, & includat oratio.* Hæc ille.

IV. Ratio.

Quartò, ſuperat in modo, hoc eſt, in familiaritate, & fiducia ad Patrem; in excitanda deuotione ex breuitate, & charitate erga Patrem, & proximum, pro quo oramus; in humilitate fatente debita, & remedio, contra peccata: *Dimitte*, inquit, *nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Matth. 6.

Vnde ſcriptum eſt: *Pro hac* (ſcilicet remiſſione) *orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.*

Pſalm. 31.

Remedium etiam contra tentationes, & tribulationes omnes, vt Ezechias in infirmitate orauit, Helias contra famem, & Ioſaphat contra hoſtes.

4. Reg. 20. & Eſai. 38. 3 Reg. 17. & Iacob. 5. 2. Paral. 20. & ſeq.

Dominicæ orationis congruentia.

Quadrat etiam hæc oratio omni tempori: nam conceſſa ſemel, debent ſemper peti, & iterum concedi. Quadrat doctis, & indoctis, iuſtis & peccatoribus, afflictis, & in proſperitate, & quiete agentibus: vnde ſicut incenſi odor gratus eſt nobis, ita eſt Deo grata hæc oratio, vt docet Autor Operis Imperf. in Matthæum.

Autor Oper. Imperfect. in Matt. ho. 13. to 2. operum B. Chryſoſt.

Et tres primæ petitiones hic tantùm incipiunt, quatuor verò ſequentes etiam complentur. Per hanc tamen precationem Chriſtus non tollit alios orandi modos, in quibus non ſit error, modò in petitis non erremus:

An præter illam Dominicam alias quoque liceat precandi formulis vti.

vnde Eccleſia multis aliis orandi formulis vtitur, quas à Patribus acceptas in Miſſæ ſacrificio, & diuino vſurpat Officio. Sancti etiam variis modis preces fuderunt, vt Eſa. cap. 64. pulchram orationem docet; Daniel cap. 9. aliam proponit, Iacob Geneſ. 32. aliam Anna mater Samuelis 1. Reg. 1. Dauid multas præſcripſit in Pſalmis; Publicanus breuiter orauit, cùm dixit: *Deus propitius eſto mihi peccatori*: & Latro: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* & Iacobus frater Domini: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo.* Paulus vult orari pro Regib. & pro omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt vt quietam & tranquillam vitam agant.

Eſai. 64. Dan. 9. & ſeq. Geneſ. 32. 4. Reg. 1. Luc. 18. Infrà 23. Iacob. 1. 1. Tim. 2.

Placetque Deo oratio noſtra, etiamſi ruſticis verbis ſit inornata, modò ex corde proficiſcatur, vt illa Chananææ: *Fili Dauid, miſerere mei: filia mea malè à dæmonio vexatur*: & filius Prodigus: *Pater, peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus.*

Matth. 15. Luc. 15.

Chriſtus cur non ait: His verbis, ſed, ſic orabitis, teſte Auguſtino.

Aug. vbi ſupra productus fuit.

Non dixit Dominus, His verbis orabitis, ſed, *Sic*, id eſt, ad hunc modum: liberum enim eſt, vt Auguſtinus ad Probam ſcribit, aliis atque aliis verbis, eadem tamen, quæ hæc oratio continet, in orando dicere: ſed non debet eſſe liberum alia petere quæcunque. Modò ergo hæc precatio Dominica quandoque dicatur (nam ad hoc etiam laici adſtringuntur, quod non habet locum in aliis, niſi ex conſuetudine) licitum eſt, imò expedit aliis precandi formulis vti; tùm vt vitetur tædium, tùm vt deuotio excitetur: quia non eſt dandus melior cibus ſimpliciter, ſed qui melior eſt huic: & omnis bona oratio nihil eſt aliud, quàm hæc Dominica, quia quæ in ea continentur, petit: quemadmodum omnis bona lectio non eſt aliud, quàm Scripturæ panis, ſed fractus, & expoſitus à Patribus.

Alij etiã modi orandi fidelibus interdum cur expediant.

Dominicæ orationis partes.

Diuiditur autem Dominica hæc oratio in procœmium, & petitiones. Procœmium eſt: *Pater noſter, qui es in cœlis*, quod in hoc tractatu venit explicandum: in quo more oratorum captatur beneuolentia, & attentio, non iam à Deo, cui ſupplicamus cùm ille prior nos dilexerit, & noſtri beneuolentiſſimus exiſtat, & noſtris neceſſitatibus intentiſſimus ſit, pluſquam nos nobis ipſis precantibus.

1. Ioan. 4.

Quàm plenũ fiduciæ, & virtutis hoc procœmium: Pater noſter.

Quippe his verbis erigitur fides, & in Deum ſpes noſtra; accenditur charitas, tùm in Deum, tùm in proximum excitatur in nobis attentio, dum Deum patrem noſtrum, eumq; in cœlis exiſtẽtem inuocamus. Vnde iſtam audaciam,

ſiue

B. Hier. lib. 3. aduer. Pelag. tom. 2.

Præceptũ eſſe, non conſilium Chriſti vt oremus: Pater noſter, &c.

ſiue arrogantiam vocandi Deum, patrem tollit Chriſti præceptum. Nam Hier. libr. aduerſ. Pelagian. docet, Chriſtum docuiſſe Apoſtolos ſuos, vt quotidie in ſacrificio corporis ſui magno animo dicerent: *Pater noſter*. Ad hæc Eccleſia, peracta conſecratione corporis & ſanguinis Domini, & ante communionem ſacerdos eius nomine populum circunſtantem inuitans ad orandum, ait: *Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere, Pater noſter*: quibus verbis agnoſcimus, hãc orationem inter præcepta Chriſti connumerandam. Dominus enim præcepit: *Sic ergo vos orabitis*, & apud Lucam: *Cùm oratis, dicite, Pater, ſanctificetur nomen tuum.* Eiuſmodi autẽ præfatione docet Eccleſia, hanc orationẽ principium habere audacia plenum, vt niſi ex præcepto & mandato Chriſti Filij Dei illam diceremus, iuſtè poſſet, vel impudentiæ & temeritati vel arrogantiæ noſtræ adſcribi.

Luc. 11.

Niſi eſſet diuinitus inſtituta, qualis hæc tandem oratio videretur.

Petrus Chryſolo ſer. 70.

Quare Petrus Rauen. B. Aug. diſcipulus ſcribens; ita ferè ait: *Ad verbũ hoc expaueſcit vniuerſa creatura. Seruus Dominum patrem vocare audet, iudicem ſuum reus nuncupat genitorem: conditio terrena ſua ſe voce adoptat in filium: qui terrena perdidit, æſtimat ſe diuinitatis hæredem. Sed audemus, quia præſumptio dicentis non eſt, vbi autoritas eſt iubentis.* Et Ambr. lib. 5. de Sacram. ca. 4. initio: *O homo*, inquit, *faciem tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas. & ſubitò accepiſti gratiam Chriſti. Omnia tibi peccata dimiſſa ſunt. Ex malo ſeruo factus es bonus filius. Ideò præſume non de operatione tua, ſed de Chriſti gratia. Gratia enim ſaluati eſtis, Apoſtolus ait. Non ergo hic arrogantia eſt, ſed fides prædicare quod acceperis, non eſt ſuperbia, ſed deuotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lauacrum genuit: ad Patrem, qui te per Filium redemit, & dic, Pater noſter. Bona præſumptio, ſed moderata. Patrem dicis, quaſi filius: ſed noli tibi ſpecialiter aliquid vẽdicare. Solius Chriſti ſpecialis eſt pater, nobis omnibus in commune eſt pater, quia illum ſolum genuit, nos creauit. Dic ergo, & tu per gratiam, Pater noſter, vt filius eſſe merearis Eccleſiæ.*

Ambr. 10. 4.

Epheſ. 2.

Pater cœleſtis aliter Chriſti, aliter noſter eſt pater.

Dicendo Pater noſter, quomodo diuinam capiemus beneuolentiã nobis.

Hactenus ille. Captatur autem Dei beneuolentia per laudem eius, ad quem precatio dirigitur. Nam illis paucis verbis prædicatur bonitas, & potẽtia eius. Bonitas quidem in eo quod Pater noſter & eſſe, & dici voluit: in quo, & creationis, & regenerationis, & adoptionis filiorum Dei, & ad cœleſtem hæreditatem vocationis beneficia continentur. Potentia verò in eo exprimitur quod in cœlis eſſe dicitur: quod indicat ipſum habere omniũ dominium, & poteſtatem. Atq; hoc breui prooemio complectimur duo illa epitheta quæ Deo tribuimus, vocantes eum Opt. Maxim. Et cùm orationem, vt ſit efficax, præcedere habeat gratiarum actio, hoc principio nos ad gratiarum actionem excitare voluit, dum cogitamus, eum qui cœlum & terram implet, dignatum eſſe ſua gratia, & eſſe, & vocari Patrem noſtrum.

Ita etiam verbis, qualem Deo gratiarum actionẽ præſtemus.

Ierem. 23.

Primum igitur verbum eſt Pater: quo mẽs erigitur ad cogitãdum eum, ad quem verba fundit. Et in primis videri poſſet verbum ſuperbiæ, & arrogantiæ Deum patrem noſtrum appellare: quemadmodum multi dum ſuos parentes magnos nominant, qui non ſine quodam ſenſu ſuperbiæ & arrogantiæ illud faciunt. Superbia autem minimè eos decet, qui ad orandum accedunt: nam & Phariſæi oratio repudiata fuit propter ſuperbiam, & humilis Publicani acceptata: & vt fortiſſima mulier dixit: *Humilium & manſuetorum tibi ſemper placuit deprecatio.* Sed hoc facilè diſſoluitur, ſi conſideremus ſtatum Noui Teſtamenti, in quo ad dignitatem filiorum Dei aſſumpti ſumus, & accepimus ſpiritum adoptionis, in quo clamamus Abba (Pater) in Veteri verò Teſtamento Dominus, & Rex omnipotens vocatur; at minimè præceptum eſt dicere Pater, licèt id dicat Eſai. *Et nunc Domine*, inquit, *Pater noſter es tu, nos verò lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos*; & Moyſes: *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* ac Ieremias: *Patrem vocabis me*: ac rurſus: *Factus ſum Iſraëli Pater*: & apud Malachiam ait Dominus: *Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus?* Sed fortaſſis creatione tantùm ita tunc Pater vocabatur, vel adoptione quadam typica, & vmbratili, qua ad terrena illa bona illos dirigebat, nõ adoptione ſpiritali. Vnde in textu Deutero. dicitur: *Qui poſſedit te, & fecit, & creauit*: & Eſaias ſubdidit: *Nos verò lutũ: & fictor noſter tu*, &c. Verbum autem Ieremiæ: *Ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es*, promiſſio eſt futurorum in Nouo Teſtamento, vbi datur remiſſio peccatorum, & & hæc tanta gloria inuocandi Deum Patrem noſtrum: nobis verò pater eſt per Spiritus S. adoptionem nos regenerando, de quo Chriſtus: *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.* Eſt autem incomprehenſa Dei charitas equidem, & benignitas, qui velit appellari à nobis Pater, qui ſumus puluis, & cinis, atque adeò vt Eſaias ait, minus quam nihil: cùm interea homines etſi natura pares inter ſe ſint, & ab vno omnes profecti, ob id ſolum, quod opibus, vel magiſtratu, aut viribus alter alteri antecellat,

Quæ iſthæc animi ſummiſſio noſtri Deum Patrẽ noſtrum appellare.

Luc. 18.

Iudith 9.

Rom. 8. & Galat. 4.

Deum Iudæi qualem tantummodo cõpellarent.

Eſai. 64.

Deut. 32.

Ierem. 3.

Infrà 31.

Malach. 1.

Chriſtiani multò dignius ac veriùs quàm Iudæi, Deum Patrẽ appellant.

Ierem. 3.

Id quomodo accipiendũ: Ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus, &c. tu es.

Matth. 23.

Quanto nos Chriſtus honore dignetur, dũ ſuum Patrem, noſtrum iubet appellari.

Eſai. 40. & ſeq. Actor. 17.

domi-

domini ab hominibus interdum, & dij velint appellari. Significat enim Deus ſe potiùs amari velle, quàm timeri: & in Euangelio abiecto timore ſeruili, oportet nos ſpiritum adoptionis induere.

Tribus primò tetectis quarta producitur propria atque legitima, Deū, patrem noſtrum vocandi, & inuocandi ratio.

Cùm ergo dicimus, Pater, in primis debemus intelligere, nos eum non natura patrem appellare: quia ea ratione vnum tantum filium habet, qui eſt Chriſtus, & vnigenitus dicitur: non creatione, nam Pater eſt ea ratione vniuerſæ naturæ. Vnde apud Iob legitur: *Quis eſt pluuiæ pater, ipſe genuit ſtellas roris.* Non etiam propter quod ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt homo, ſecundum illam triplicem facultatem, Intellectus, Memoriæ, & Voluntatis: & quia Dei erga illum peculiaris eſt prouidentia: quę omnia h[...] cauſſa condidit. Vnde Gentes patre[m] dicabant Iouem, Deum, hominumque satorem: hinc frequens illa vox Homeri: Πατὴρ ἀνδρῶν, θεῶν τε. Sed hoc conueniret etiam infidelibus. Hæc autem appellatio, Pater noſter, eſt propria fidelium: cęteri enim homines non dicuntur filij, nos autem ſoli, qui ſecundum ſupereminentem ſpiritum adoptionis, & pactum nouum ex fide meritò dicimur filij. Hinc Ioannes ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Et (pro quia) *Verbum caro factum eſt*: quibus verbis declaratur adoptionis ratio in recipiendo Chriſtum verum, & naturalem filium, conſiſtere. Quia enim Filius Dei ſecundum carnem factus eſt ſimilis noſtri, decuit vt & nos illi ſimiles efficeremur ſecundum ſpiritum. quod fit per donum Spiritus ſancti, & charitatem, quæ ſimul cum eo infunditur, de qua idem Ioannes: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Sed ſunt quidam qui cum Philippo dicunt: *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*: cui non poſſunt confidenter orare in Spiritu, & dicere: *Abba (Pater)* ſed audiant Chriſtum dicentem: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Quia enim pater, & filius non tantum dicuntur, ſed ſunt ad aliquid, & impoſſibile eſt determinatè vnum relatiuum cognoſcere ſine altero, ideò qui nouit Filium, & Patrem nouit. Nunc verò agnoſci non poteſt Pater, niſi per Filium: ipſe enim dixit: *Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus*, quod fecit, declarando ſe ipſum Dei filium, atque Deum eſſe, per ſigna, vitam, & ſcripturas: & tamen cùm eſ-

Ioan. 1.
Iob 38.
Gen. 1.

Ethnici & Iudæi Deum patrem ſuum cur nequeant appellare.

Rom. 8. & Gal. 4.
Ioan. 1.

Fideles vnde ſint filij Dei adoptiui.

1. Ioan. 3.
Ioan. 14.

Deum quem non videmus, quam verè patrem noſtrum appellemus.

Rom. 8. & Gal. 4.
Ioan. 14.

Infrà 17.

Chriſti Patris nomen, vt ait, quando manifeſtauit.

ſet Deus, inuocabat Deum Patrem, in quo oſtendit diuerſitatem perſonæ. Nam impoſſibile eſt, eſſe vnum, & eundem patrem ſimul, & filium, niſi reſpectu diuerſorum: & quia non poteſt eſſe niſi vnus Deus, neceſſe eſt dicere, has perſonas eſſe vnius ſubſtantiæ. Et ſic verum eſt, quòd qui nouit Filium, nouit & Patrem. Via ergo videndi Patrem, factus eſt Filius, qui veniens in carne, oſtendit in ſe eſſe Patrem, cùm opera Patris faceret, & ipſe erat in Patre, quia totam diuinam eſſentiam, quæ indiuidua eſt, & impartibilis, quiſque eorum complectitur. Si ergo via noſcendi Patrem eſt ipſe Filius; nemo poteſt dicere in Spiritu ſancto, Pater noſter, intellectu, niſi admiſceat ipſum Filium. Tùm quia à notitia Filij venit notitia Patris; tùm quia per Filium aduentu Spiritus ſancti adoptio noſtra facta eſt, & in ipſo Filio ſuſtentatur. Vt ergo DOMINVS cùm memorabat Patrem ſuum, memorabat DEVM, & noſtrum, vt cum dixit: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*, ſcilicet per gratiam, ita & nos multo magis cùm patrem noſtrum dicimus, meminiſſe debemus, etiam CHRISTI eſſe Patrem: cum ob hoc, ſcilicet quia ipſius eſt pater, factus ſit etiam omnium noſtrum pater, per ſpiritum vtriuſque, qui nos ipſis coniungit atque connectit. Ideò hoc primo verbo intellectus totius Trinitatis, & Incarnationis CHRISTI, & commemoratio tanti beneficij erga, & ſupra naturam noſtram continetur. Vnde in hac meditatione exardeſcit ignis charitatis in corde fidelium: hinc & gloriatio in ſpe gloriæ filiorum Dei: hinc exultatio in DOMINO, & deuotio ingens erga Patrem excitatur; præſertim cùm hoc nulla noſtra merita præceſſerint beneficium, ſed cum inimici eſſemus, nobiſcum factum ſit: vnde a Paulo dicitur: *Pater miſericordiarum & Deus totius* (hoc eſt integræ) *conſolationis*. Hinc & conſurgit certa à Deo impetrandi fiducia. Nam ſi ipſe eſt pater, quid eſt quod non ſperemus ab eo, aut non poſſimus obtinere, niſi fortè id quod non ſit nobis profuturum? Si enim nos cum ſimus mali, nouimus bona data dare filijs noſtris: quanto magis Pater cœleſtis, bonitas ipſa, dabit multo meliora petentibus ſe? Tanta ducitur charitate erga nos hic pater, vt capillos capitis noſtri numeratos habeat, quod neminem vnquam inter homines ex ijs, qui amore hominum inſanierunt, ne ſomnio aliquidem reperies. Iacta ergo curam tuam in DOMINVM, & ipſe te enutriet. Quod ſi

In Patre Filium quoque neceſſario comprehendi.

Ioan. 20.

Patris hæc appellatio quid primum nos doceat.

Rom. 5.

Ibidem.

2. Cor. 1.

De Deo quantum poteſt, inos nobis merito polliceri.

Luc 11.

Parentis erga nos cœleſtis charitas quanta.

Matth. 10.

Pſalm. 45 & 1. Pet. 5.

al. quo

abſque meritis noſtris fecit, vt eſſemus filij, quomodo factis filijs quicquam denegabit? Et ſi hæreditatem iubemur ſperare, quomodo cuncta ad hæreditatem capeſſendam ſpectantia non donabit? Conſurgit etiam confidentia, vt bona omnia, quæ Patris ſunt, ad nos tanquam filios pertinere intelligamus, doceamurque viuere tanquam filij Dei, qui profitentur ſe Dei potentia creatos, eiuſque ſapientia ex filijs Adæ, & dæmonis, in filios Dei regenitos, bonitateque eius, & prouidentia rectos.

Secundum documentū.

Adhęc docemur, vt amoris, & honoris debiti tanto parenti frequenter recordemur. Quòd ſi negligentes ſumus, paterna flagella patienter ſuſtineamus: nam qui extra diſciplinam ſunt, adulteri ſunt, non filij, vt Paulus docet.

Heb. 12.
Tertium documentum.

Inſuper magna fiducia inſtruimur confugere ad petendum digna tanto patre, & tales decentia filios, hoc eſt, bona immobilia & fixa, ac perpetua, qualia in typum dedit Abraham filio ſuo Iſaac; cùm cæteris filijs concubinarum tradiderit munera, in quibus ſignificantur filij huius ſeculi, qui ſuo vitio degenerarunt, qui ſaltem bonis terrenis à DOMINO non deſtituuntur.

Deum, Patrē eur noſtrum non meum, appellemus.

Adiungit autem, *noſter*; vt doceat in primis, orationem hanc non eſſe priuatam, ſed communem pro cunctis, ideò dixit, *Pater noſter*, & non, pater mi; & *Panem noſtrum*, non, Panem meum; &, *Dimitte nobis debita noſtra*, non, debita mea; item, *Libera nos à malo*, non, Libera me à malo.

Eccleſ. 17.

Vnicuique enim mandauit de proximo ſuo: vnus pro omnibus orat, quia in ſe vno omnes ipſe portauit.

Quid inde, ſi Patrem meū diceremus, abſurdi!

Arrogans verò videretur, qui diceret, Pater mi: quia eſſet arripere quod proprium eſt CHRISTI ſolius, qui ſolus in ſingulari dicit, Pater mi, quia ſingulari modo, nempe naturali, pater eſt eius.

Luc. 18.
Infrà 23.
Pſalm. 118.
Secunda ratio.
Deut. 6. & alibi.
Leuit. 19. & alibi.

Poteſt tamen quis priuatim, & ſingulariter pro ſe orare, vt Publicanus & Latro fecerunt; & Dauid, qui dicebat, *Da mihi intellectum, &c.* Hoc etiam verbo admonemur charitatis fraternæ, quę perinde inter Chriſtianos eſſe debet, atque inter fratres eiuſdem patris filios. Vt enim primo verbo, *Pater*, recordari debemus primi mandati diligendi Deum; ita ſecundo verbo, noſter, dilectionis proximi, qui continet ſecundum mandatum. Vnde docemur, vt ad orationem, charitatem & vinculum dilectionis cum fratribus adferamus. Inquit enim Dominus: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quācunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt.*

Matth. 18.
In hac ſententia: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, quatuor conſiderantur.

Dixit: *Si duo ex vobis*, & non ſi vnus orauerit: quia non loquitur de oratione priuata, quam quiſque facit, ſed de illa, quæ fit à duobus vel pluribus ſimul, inter quos niſi coaleſcat charitas, nihil impetrabunt. Et inquit, Si duo, qui eſt minimus numerus; vt oſtendat, quòd ſi fuerint plures, tanto magis exaudientur. Aitque, De omni re quamcunque petierint: quia omnia ſiue ſpiritualia, ſiue temporaria dona obtinent, qui inuicem charitate colligantur. Dicit poſtremò, *Fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt*, & non inquit, à Patre veſtro; vt intelligamus nos propter gratiam Chriſti, & non propter nos exaudiri.

Ex eo quod Deus omniū noſtrum communis eſt pater, quæ nos diſcere debeamus.

Et ita docemur gloriari in Chriſto, & neminem contemnere, cùm iſta gloria communis ſit & præſtantior, quàm eſſe filium Regis vel Imperatoris: neque ſuperbire de nobilitate in eos, qui obſcuro genere nati ſunt, quia eſſet credere, ſe nobiliores carne, quàm ſpiritu: diuites etiam non contemnant pauperes, quoniam ad eadem æterna bona poſſidenda vocati ſunt.

Malach. 2.
Epheſ. 2.

Hinc Malachias cap. 2. rectè increpat, *Nunquid non pater vnus omnium noſtrum? nunquid non DEVS vnus creauit nos? quare ergo deſpicit vnuſquiſque veſtrûm fratrem ſuum, violans pactū patrum noſtrorum?*

Qui ſint indigni dicere, Pater noſter.
Luc. 18.

Ignorat autem Phariſaicum ſupercilium illam gloriam: Phariſæus enim ait, *Non ſum ſicut cæteri hominum*: ideò nihil petit pro ſe, cùm non indigeat; nec pro alijs, quia indigni ſunt, nec ſenſentit aliquem ſibi proximum eſſe nec fratrem.

Ezech. 34.

Principes etiam huius ſeculi, qui ſe aliorum dominos arbitrantur, & imperant eis cum auſteritate, & potentia, profectò non orant ſalubriter pro ſe ipſis, qui nō ſeſe aliorum fratres conſiderant.

Gen. 25.
Heb. 12.

Non eſt etiam ſic orare, vel Iudæorum, qui primogenituram filiorum pro vili lentis edulio cū Eſau vendiderunt; vel Infidelium, vel Hæreticorum, quia extra Eccleſiam ſunt, qui patrem ſuum recuſarunt Deum: cùm non in Fide, & Spiritu ſancto credant, ſed frigidiſſimè opinentur. Excommunicati inſuper huius orationis fructu, beneficioque priuantur, cùm ſint à cœtu fidelium ſegregati.

Congruè, ſic orent qui peccatores, & quatenus.

Peccatores autem qui manent in Eccleſia, poſſunt ſic orare, & dicere, Pater noſter: quia vt Eccleſiæ membra, & in eius perſona dicunt, & non ſine fructu pro alijs: videant etiam quomodo pro ſe vtiliter dicant, & ſi ſunt in peccato, quo modo congruit illis dicere, Pater noſter, qui adoptionis donum amiſerunt, & Spiritum ſanctum incolam à cordibus ſuis expulerunt?

Cur dicimus Deo, Qui es in cœlis.

Qui es in cælis. Hoc verbo diſtinguitur Deus Pater à cæteris parentibus carnalibus,

quo-

quorum filij eos inter ſe vocant parentes ſuos: quemadmodum Iudæi dicebant, *Patrem habemus Abraham*; & filij Iacob dicebant Ioſepho, *Pater tuus præcepit nobis, &c.* Sed hic pater à cęteris diſtinguitur per hoc quod eſt in cœlo: itaque cùm oramus, deberemus omnium rerum terrenarum obliuiſci, atque adeò ipſius patris & matris, qui nos ſecundùm carnem genuerunt, etiamſi illos honorare lege Dei, & pro eis preces fundere iubeamur.

Matth. 3. *Geneſ. vlt.*

II. Ratio.

Inſtruimur etiam hoc verbo, vt quemadmodum à cœlo ad nos non tantùm bona cęleſtia, vt ſunt lux, calor, & alij influxus, ſed etiam bona terrena, vt frumentum, vinum, oleum, & ſimilia, quæ ad noſtra alimenta ſpectant, deſcendunt: ita etiam ab hoc patre cœlos inhabitante, omnia bona, tùm interna, tùm externa, expectare, & poſtulare, iuxta illud Dauidis: *Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore*: &, *Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione*: & B. Iacob. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.*

Pſalm. 103. *Pſalm. 144.* *Iacob. 1.*

Quanta circa nos cœle... Patris prouidentia.

Et quanquàm in cœlis ſit Deus, non propterea minus noſtri curam gerit, quia pater noſter eſt, & quæ noſtra ſunt, curat: ait quippe Propheta: *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit, ſicut in cœlo, & in terra?* Hoc eſt, etſi Deus ſupremum inhabitet locum, & rebus ſupereminеat omnibus; nihil tamen eſt tam humile & abiectum in mundo, quod non videat, ac ſua prouidentia gubernet ac regat.

Pſalm. 112.

Primus modus mãſionis in cœlo, ſeu in loco excluditur De... minimè conueniens.

Quòd verò dicitur eſſe in cœlis, ſapienter & piè intelligendum eſt. Non enim ita Deus eſt in cœlo, vt non ſit etiam in terra, & in mari, & in omnibus abyſſis, atq; adeò in nobis ipſis: nam cùm Deus non ſit corpus, nec habeat partes diſtinctas circa ſitũ, non eſt ita circumſcriptus & concluſus in vno loco, quemadmodum corpus, cuius partes occupant partes loci ſibi æquales, & vna pars corporis non occupat locum alterius.

Pſalm. 34.

Alter mod⁹ Angelorum proprius, ac ſpirituũ humanorum.

Ad hæc, Deus minimè eſt in loco, eo modo quo ſpiritus creati & finiti, vt ſunt Angeli & animæ noſtræ, quæ locum ità definiunt, & determinant, vt extra illum non ſint; nam cùm conſtent virtute finita, non niſi in loco ſuo definito operari queunt: Deus verò omnia loca occupat, atque implet, iuxta illud: *Cœlum & terram ego impleo.* Vt ergo cõcipimus, animum noſtrum eſſe totum in toto corpore, & totum in qualibet eius parte, ſed pręcipuè eſt in corde, & in capite, vbi excellentius anima operatur: ita Deum adeſſe cogitamus toti mundo, ac cuilibet vel minimæ parti eius, ſed præcipuè in cœlis, vbi nobiliores exercet operationes.

Ierem. 23.

Tertius modus diuinę in mundo manſionis incongruus.

Neque eſt etiam ita Deus concipiendus adeſſe toti mundo, vt illo concludatur & circumſcribatur: nam ita totus eſt in mundo, vt totus ſit in ſeipſo: nõ enim eſt in cœlis, vel in alia parte mundi, quaſi illa contineatur & ſuſtentetur, quaſi nequeat eſſe ſine illis: nam quemadmodum ab æterno, antequam mundum crearet, in ſe ipſo erat, ita poſſet mundum deſtruere, & in ſe ipſo tantùm permanere.

Cœlũ & terram Deus, vt impleat teſte Ieremia.

Cum ergo dicitur Deus cœlum & terram implere, nõ ea ratione, qua aqua vas ſuum, implet, imò prorſus contrario modo: quia vas aquam continet ne diffluat; Deus verò continet cœlos, & terram in ſtatu naturali ſuo: alioqui in nihilum redirent; quemadmodum docet Dauid, cùm ait: *Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.*

Pſalm. 103.

Verè & propriè ſit in mũdo quomodo Deus.

Dicimus igitur, Deum eſſe in hoc mundo, non tanquam corpus, aut creatum ſpiritum; aut tanquam mundo circumſcriptum & cõcluſum; ſed vt implentem omnia, & ſuſtentantem. Ipſe tamen extra omnia, & ſuper omnia exiſtit in ſemetipſo ineffabili modo. Quod Dauid expreſſit his verbis: *Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, tu ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Et filius eius Salomon: *Ergo ne putãdum eſt quod verè Deus habitet ſuper terram? Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quãtò magis domus hæc quam ædificaui*: Et Paulus: *Quamuis non longè ſit ab vnoquoq; noſtrum. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus*; & iterum: *Qui omnia in omnibus adimplet, & in ipſo omnia conſiſtunt.*

Pſalm. 138. *3. Reg. 8.* *Actor. 17.* *Epheſ. 1.*

Et quanquam eſſentia ſua & virtute vbiq; ſit, & omnia attingat, & pręſentiam ſui omnibus exhibeat, plerunque tamen dicitur eſſe in cœlo, vt hic, & in Pſal. 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*; item, *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum*; Et, *Qui habitat in cœlis, irridebit eos*; Et, *Cœlum, mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedũ meorum.*

Pſalm. 113. *Pſalm. 13.* *Pſalm 2.*

Cùm vbique ſit Deus, cũ in cœlo eſſe Scripturæ eur dictitant.

Hæc autem propterea ſæpè dicta, & inculcata ſunt in Scripturis, tùm vt conſuleret rudibus & ſimplicibus, putantibus Deum in loco eſſe; vt in cœlo eum magis cogitent, quàm in terra, vbi carnalis eſt pater; tùm vt remoueret opinionem turbæ, Deum tantùm eſſe in templo exiſtimãtis, & ibi tantùm orandum, cùm tamen Deus in omnibus creaturis, & maximè in cœlis exiſtat; & ita mentes noſtras ad cęleſtia cogitanda, & expetenda erigat: tùm denique ad communicandam notitiam ſui; quali-

Cœleſtium dignitates corporum.

bet enim res ex ſuis actibus agnoſcitur: cõſtat autem Deum in cœlis maiora & ſublimiora opera efficere, propter cęlorũ multitudinem, pulchritudinem, ordinem, & motum: ſunt enim cœleſtia corpora magnæ altitudinis, incomprehenſæ latitudinis, miri ſplendoris, motu vniformia, ſyderibus ornata, & diſtincta, ſimplicis naturæ, virtute ſtabilia, temporis progreſſu incorruptibilia, vitali prædita influxu: quorum ex magnitudine, Dei potentia; ex pulchritudine & ordine, Dei ſapientia; ex virtute & influxu, Dei bonitas; ex eorum incorruptione, Dei perpetuitas, æternitasq́; relucet: tùm denique in cœlis eſſe commemoratur Deus, quia ibi ſolùm ſe conſpici facie ad faciem voluit, qui alioqui lucem habitat inacceſſam. Ibi ergo videtur, & completur adopţionis noſtræ finis, & perfectio: & commemorat hoc animus orans, & ſuſpirans ad eos cęlos, & tacito quodam modo ac verecundo petens ibi admitti: quia ipſe dixit: *Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.*

1. Cor. 13.

1. Tim. 6.

Ioan. 12. & Infrà 17.

Cœlum cœli quod nam ſit: cur huius nominis.

Psalm. 113.

3 Reg. 8.

2. Cor. 12.

Inter hos autem cœlos ſupremũ quoddam & eminentiſſimum eſt, quod dicitur Empyreum, à Propheta cœlum cœli, ſiue cœli cœlorum: ſicut etiam à Salomone: à Paulo verò tertium appellatur cęlum, ſiue paradiſus. Eſt autem hoc cœlum ſingulare & luminoſum, ac immobile, cuius comparatione firmamentum poteſt dici terra, & propterea dicitur cœlum cœli: nam vt dicere, vanitas vanitatum, & Sanctum Sanctorum, & Canticum Canticorum, idem eſt, ac ſi dicatur vaniſſimũ, ſanctiſſimum, & canticum excellentiſſimum: ita cœlum cœli dicitur Empyreum, quia excedit in perfectionibus cœleſtibus alios omnes cęlos altitudine, ſplendore, pulchritudine & immobilitate, vbi Deus ſe in humanitate Chriſti ſpectandum exhibet: de quo cœlo Empyreo, locutus eſt Propheta, cũ Chriſti aſcenſum deſcribens, dixit: *Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli, ad Orientem* Et ait: *ad Orientem*; quoniam non deeſt clariſſimum lumen, & dicitur omni ex parte æquale: & ibidem Propheta de eodem myſterio ait: *Iter facite ei, qui aſcendit ſuper Occaſum: Dominus nomen illi*: Et dicit *ſuper Occaſum*, quia illud cœlum habet lumen indeficiens, & inuariabile, quod tam gratum ſe præbet ad videndum beatis, quàm ſolet eſſe nobis grata & dulcis lux ipſius ſolis mane Orientis. Hoc igitur cœlum Deus maximè dicitur inbabitare, quia in eo tot mirabilia operatus eſt, & adhuc operatur, beando ſpiritus cęleſtes, & ſe ſumma cum felicitate animis beatis ſpectandũ exhibẽdo.

Pſalm. 67.

Quare Chriſtus ad Oriẽtem, poſteà ad Occaſum dicitur aſcendiſſe.

Ibidem.

3 Reg 8.

Vbi Scripturarũ, & quare de cœlo dicitur Deus exaudire precantes.

Dicitur etiam de cœlo Deus exaudire orantes, vt 3. Regum 8. Salomon orabat Dominum, vt quicunque preces funderet ad Deum conuerſus ad ciuitatẽ Ieruſalem, & ad templũ ſanctum, exaudiretur à Deo de cœlo: quod etiam Dauid pater eius docuit, cùm ait Pſalm. 19. *Exaudiet illam de cœlo ſancto ſuo*, & rurſus: *Exaudiuit me de monte ſancto eius.* Pſal. 3. ac iterum Pſalm. 17. *Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam.* Dicitur autem Deus in cœlo, vel de cœlo exaudire, quia in cœlo illo Empyreo Ieſus mediator noſter inhabitat, cuius meritis preces noſtræ exaudiuntur, & ipſe aduocatus eſt noſter, qui ſemper viuit ad interpellandum pro nobis, vt ait Apoſtolus. Vt enim Chriſtus, quatenus Deus eſt, ex quo mundus eſt conditus, in eo erat, & tamen vt homo poſt tot annorum millia ab orbe condito venit in mundum: ita tanquam Deus vbique eſt, tanquam homo verò in cœlo Empyreo. Ad hæc in cœlo verſantur Angeli, qui vt legimus in libro Tobiæ, & in Actis Apoſtolis, preces noſtras Deo offerunt, & ſecretè in animis nobis enuntiant voluntatem diuinam, atque eius reſponſa. In eodem etiam cœlo ſancti & beati, qui pro nobis orare non ceſſant, maximè ſi à nobis ſint inuocati, manſionem ſuam habent, quorum meritis & deprecatione plerumque exaudimur. Rectè itaque his de cauſſis de cœlo exaudiri dicimur. Hinc Chriſtus cùm orabat, leuabat oculos in cęlum, vt habes Ioan. 17. Luc. 9. Marc. 7. & Dauid: *Ad te leuaui*, inquit, *oculos meos, qui habitas in cœlis.*

Pſalm. 19.

Pſalm 3.

Pſal. 17.

Hebr. 7.

Angeli nobis, & Sancti à cœlo quid proſint.

Tob. 12.

Act. 10.

Ioan. 17.

Luc. 8.

Marc. 7.

Pſalm. 24.

In quib᷒ cœlis ſit Deus.

Pſalm. 8. & alibi paſſim.

Pſalm. 146.

Amb in Lucam, tom 5.

Aug. lib. 2. de ſer. Dom. in monte, c. 9. tom. 4.

Nomine ergo cœlorum hoc loco ad literam intelligere poſſumus omnes eminẽtiores creaturas, ab aëre ſcilicet, & ſuprà; nam & illæ cœlum in Scripturis vocantur, cùm dicitur; *Volucres cœli*: &, *Qui operit cœlum nubibus, & parat terra pluuiam*: nomine autem terrę intelligitur, quicquid eſt infra aërem. Ambroſius autem & Auguſtinus, per hos cœlos, in quibus Deus inhabitat, ſecundùm ſpiritum Angelos & beatas animas intelligunt, maximè verò illam Chriſti, virginis & electorum: atque hi ſunt illi cœli, qui dicuntur enarrare gloriam Dei, à quibus tãtùm diſtamus, quantùm terra diſtat à cœlo, de quibus illud poteſt intelligi, *Cœlum mihi ſedes eſt*, de qua ait Salomon; *Anima iuſti, ſedes eſt ſapientia.* Hæc autem anima tantum differt ab anima impij, quantũ cœlum à terra. Hinc Adæ peccatori dixit; *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, & de tali peccatore poſtquam inquit, *Cœlum mihi ſedes eſt*, ſubdit; *terra autem ſcabellum pedum meorum.* Nam vt anima Chriſti eſt in quiete

Pſalm. 10.

Eſai. vlt.

Sap 7. vt citatur à quibuſdam.

Geneſ. 3.

Cœli cœlorum myſticè qui nam ſint & quare ſic dicti.

& in honore; ita anima impij conculcatur, & deſpicitur. Excellẽtiores autem & præſtãtiores animę, vt ſunt illa Chriſti, & Virginis, & Ioannis Baptiſtę, Apoſtolorumq́;, ſiue præſtantiſſimorum Angelorum, dici poſſunt cęli cęlorum propter eminentiam ad cæteras animas beatas, ac ſpiritus, qui cœli nominantur. Atq; hos cœlos fortaſſis reſpiciebat Dauid, cùm dicebat: *Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate*: nam inhabitat animas ſanctas, à quibus perpetuò inuocatur. Hos ad cœlos ſpectabat, cùm diceret: *Laudate eum cœli cœlorum.* Nam confugiendum nobis ad ſanctos eſt, vt eorum precibus, & deprecationibus exaudiri mereamur. Dixerat namq; Oſeas; *Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram: & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrael.* Significat; Ego exaudiam beatos ad me orantes; qui exaudient terram, id eſt, peccatores eorũ auxilium apud Deum implorantes: terra autem exaudiet frumentum, vinum, & oleum: quãdo ſcilicet peccator doctrina verbi Dei impletur, & vino charitatis, & oleo miſericordiæ. Hæc verò exaudiunt Iezraël; quia reſpondent votis, & deſideriis filiorum Dei: nam Iezraël, ſemẽ Dei interpretatur. Rupertus Tuitienſis has quatuor exauditiones referẽdas eſſe cenſet ad illa verba Apoſtoli ad Rom. 10. *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Gradatio enim,* inquit, *verbis diuerſa, ſed ſenſu eadem eſt: niſi quòd hic deſcendendo, Apoſtolus autem quaſi aſcẽdendo gradus diſponit. Deus ergo exaudit cœlos, quia Apoſtolos implet Spiritu ſancto; & mittit ad prædicandum, quia iſti cœli enarrant gloriam Dei, quod ab Apoſtolo dicitur; Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Cœli exaudiunt terram, hoc eſt, inhabitantes terrã: quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Et hoc ait Apoſtolus; Quomodo enim audient ſine prædicante? Terra exaudit triticum & vinum, & oleum: id eſt, terreni homines credendo ſuſcipiunt bonum Dei verbum, vt fructum edant ſuum in tempore: quemadmodùm terra inanimata ſuſcipit ſemen, ſiue plantalia, vt edat triticum, & vinum, & oleum. Et hoc ait Apoſtolus; Quomodo credent ei, quem non audierunt? Hæc autem exaudiunt Iezraël; hoc eſt, Eorum credulitas inuocabit ſemen Dei, quem, niſi credant, inuocare non poterunt. Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderũt?* Hæc ille lib. 1. in Oſeam. Audi quid Greg. Nyſſenus in adhortatione ad orationem,

Pſalm. 144.

Pſalm. 148.

Oſea 2.

Quid illud Oſeæ: In die illa exaudiã cœlos, & illi exaudient terram, &c.

Iezrael quid.

Ruperti Tuitienſis alter ſenſus illorũ verborum.

Rom. 10.

Actor. 2.

Pſalm. 18.

Ibidem.

Greg. Nyſſen. … oris ſui … ad … (marginal note partly cut off)

& Dominicæ orationis expoſitionem inſcribit: *Etenim ſtultiſſimum fuerit, ſi quis accedens ad Deum, à ſempiterno temporaria roget, à cœleſti terrena, à ſublimi humilia, atq; abiecta, ab eo qui regnum cœlorum largitur, & ea quæ eripi non poſſunt, ad exiguum tempus alienarum rerum vſum: quarum neceſſaria quidem ademptio, temporarius verò fructus periculoſa adminiſtratio eſt.* Sic ille. Poſtquam ergo Deus eſt in cœlis, agnoſcamus ibi eſſe originem noſtram, vnde profecti ſumus: ibi eſſe patriam noſtram, & hæreditatem illam incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſsibilem, conſeruatam in cœlis, & paratam reuelari in tempore nouiſſimo, vt Petrus inquit. Propterea oculos erigamus in cœlum ad paternam ſedem, ne fruſtra erectam figurã aſſecuti eſſe videamur. Relinquamus brutis aſpectum in terram, & ventrem, & ea, quę ſub ventre ſunt. Meminerimus nos nõ amplius aduenas, & peregrinos, ſed ciues Sanctorum, & domeſticos Dei: & vitam agamus cœleſti reipublicæ conſentaneam: atque dum hic viuimus, contendamus ad terram illam viuentium aſpirare, ardenti deſiderio ad conſpiciendum vultum Patris noſtri anhelantes, & cum Dauide dicentes: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus?* Nam ſi illi, qui in Babylonico exilio detinebantur, deſiderio Terræ promiſſæ, & templi Domini ſpectandi tanti ſtudio tenebãtur, vt in ea prorumperent verba; quibus nos deſideriis, & quàm ardentibus votis ad capeſſendam, ac poſſidendam cęleſtem illam hæreditatem, & veram patriam noſtram aſpirare cõueniet? maximè poſtquam Deus redditus eſt nobis beneuolentiſſimus pater, gratia, & meritis Ieſu Chriſti Filij eius, qui cum Patre, & Spiritu S. omni laude, gloria, imperioq́; potitur in ſecula ſeculorum, Amen.

A Deo Opt. Max. quę niſi ſtultiſſimè rogemus, teſte Nyſſeno.

Ex eo quod Deus in cœlis eſt, quid ſalubriter cogitemus.

1. Petr. 1.

Epheſ. 2.

Pſalm. 41.

Quantum o… Ieruſalem debemus aſpirare cœleſtẽ.

TRACTATVS XLVII.

In illa verba: *Sanctificetur nomen tuum.*

PAVLVS Apoſtolus Philippenſes ad orandum his verbis exhortatur: *Nihil,* inquit, *ſoliciti ſitis; ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum.* Vbi in primis omni ſolicitudine nos eſſe vacuos vult, ſcientes nos habere patrem noſtri amantiſſimum,

Philip. 4.

Solicitudinẽ … nam ſolam nos habere hortetur Apoſtolus.

1. Pet. 5.

& Pſalm. 54.

mum, in quem omnem ſolicitudinem noſtram proiicere debemus, quia ipſi eſt cura de nobis: ita tamen nos à ſolicitudine, & anxietate liberat, vt velit nos eſſe ſolicitos in omni oratione, & deprecatione apud Deum. Quam non ſine cauſſa vult eſſe cum gratiarum actione coniunctam. Nec enim dignus eſt nouis beneficiis, qui de pręteritis inueniatur ingratus. Vult quoq; vt in precibus petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum, hoc eſt, deſideria, & vota noſtra: nam quæ iuſtè expetimus, plè quoque, & iuſtè perere licet. Quæ ſint autem petitiones iſtæ, non exprimit: neque meritò alias eſſe ab his ſeptem quæ continentur in precatione Dominica, aliquis exponere, aut poteſt, aut debet. Chriſtus enim ſapientia Patris, hæc tantùm nobis neceſſaria, & ſtatum filiorum Dei decentia eſſe exiſtimauit, quæ orantes & ſupplicantes coram Maieſtate diuina proponeremus: de quibus etiam Propheta videtur locutus, cùm dixit: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.* Nam etſi dies tribulationis pręſens hæc vita poſſit intelligi, in qua ne vnum quidem diem ſine tribulatione traducimus, iuxta illud: *Sufficit diei malitia ſua*, nimirùm labor & afflictio: maximè tamen dum inſtat tribulatio, ad precationis aſylum confugiendum eſt. Quòd verò Deus exaudiat ſuppliciter deprecantes, explicat in eodem Pſalmo Propheta, cùm ait: *Impleat Dominus omnes petitiones tuas.*

Oratio cur debeat eſſe cum gratiarum actione coniuncta.

Petitiones noſtræ quæ innoteſcere debeant apud Deum. 1. Cor. 1.

Pſalm. 19.

Quo magis tempore nobis orãdum.

Matth. 6.

Pſalm. 19.

Noſtræ ergo omnes petitiones ſi honeſtæ, iuſtæ, atque vtiles ſint, in his ſeptem continentur, quarum hic eſt ordo: vt tribus prioribus petamus quæ Dei ſunt: vnde dicitur nomen tuum, regnum tuum, volũtas tua. Quatuor verò poſterioribus precamur, aut deprecamur quæ noſtra ſunt: hinc dicimus, *Panem noſtrum; Debita noſtra, Ne nos inducas in tentationem; Libera nos à malo.* Poteſt etiam commodè hæc oratio diuidi in precationem, & deprecationem. Primò ergo precamur ante omnia Deo tribui, quòd illi ſolùm optare poſſumus, gloriam ſcilicet & honorem ei ab omnibus impendi. Deinde nobis optamus ſummum bonum, hoc eſt, vitam æternam, dicentes, *Adueniat regnum tuum.* Tertiò, directam viam ad obtinendum regnum poſtulamus; dum voluntatem Dei à nobis, & in nobis fieri per eius gratiam efflagitamus, cùm dicimus; *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.* Quartò, viam, & rationem annexam honoris, corporis, & fortunæ poſtulamus, dicendo; *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Sequitur deprecatio malorum. Quintò, petimus amoueri à nobis impedimentum illuſtrandi, atque ſanctificandi per nos nominis Dei, regnique conſequendi, nempe peccatum præteritum, dum dicimus; *Dimitte nobis debita noſtra, &c.* Sextò, poſcimus à tentatione, per quam in nouum peccatum incidamus, præſeruari, cùm hæc verba vſurpamus: Et ne nos inducas in tentationem. Septimò, flagitamus ab omni pœna, & labore eripi, quatenus poſſet nos à diuino cultu auocare, diuinique amoris feruorem extinguere, dum dicimus; *Sed libera nos à malo.*

Septem Domini petitiones, quemor dinem inter ſe habeant.

Alter ordo earundem.

Huic autem orationi non addit Eccleſia, quod in cæteris facere aſſueuit: nempe: *Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum:* quoniam, teſte Cypriano, ſtylum orationis Filij ſui, & verba agnoſcit Pater. ¶ Eſt autem pietati, & rationi valde conſonum, Chriſtum Dominum hac precandi ratione, vt aliqui ſentiunt, etiam voce vſum, quam non tam in ſua, quàm in Apoſtolorum perſona recitabat: à quo Apoſtoli primi eam didicerunt, eaque frequenter vſi ſunt. Quoniam verò plerumque contingit, vt affectus noſter magis ſit ad vnum, quàm ad aliud propenſus & inclinatus, & vno magis interdum indigeat, quàm altero: ideò in illa parte eſt magis immorandum, atque ea plus repetenda, atque inculcanda particula. Quare qui Dei honorem, & puram gloriam zelant, debent pluries primam repetere petitionem: Qui deſiderant diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ſecundam. Qui percipiunt ſenſum ſuum pronum ad iudicia vana, & temeraria, & ad diuina iudicia reprehendenda, ſępè repetant: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra*; hoc eſt, non ſolùm in ratione quæ cœlum noſtrum eſt, ſed in carne etiam, quæ eſt terra noſtra. Rurſus qui egent diuina conſolatione, aut ad menſam Dominicam accedunt, aut bonis ad vitam tuendam neceſſariis deſtituuntur, dicant; *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Qui peccata admiſerunt, non ceſſent dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Qui tentationes ad noua vitia, & peccata ſolicitantes ſentiunt, dicant confidenter: *Et ne nos inducas in tentationem.* Qui cum morbis, aut doloribus conflictantur, & abſorberi ſe præ triſtitia, & impatientia verentur, dicant intrepidè; *Sed libera nos à malo.* Amen. Quatuor ergo prioribus petitionibus precamur nobis bona; tribus poſtremis deprecamur malo.

His verbis Eccleſia: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Dominicã [illegible] non [illegible] Cy[illegible] [illegible]tionem D[illegible]ncam. An Chriſtus hanc [illegible]tionem vſurpauerit.

Dominicæ petitiones ſingulæ quæ quibus ſint excitandis affectibus aptiores.

Philip. 1.

Habet etiam hæc rogatio Dominica remedia peccatorum omnium: hinc ſuperbi, qui laborant vt illuſtrent nomen ſuum, & producant fines ditionis ſuę, dictitent: *San-*

Dominica etiam oratio quàm potens & efficax vitiorũ ſeptem

capitalium medicina.
Matth. 5.

ctificetur nomen tuum. Auari, qui trahuntur concupiſcentia oculorum, repetant: *Adueniat regnum tuum:* quod iis qui pauperes ſpiritu ſunt, eſt promiſſum. Inuidi, quos cruciant bona aliena, inculcent: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo* (hoc eſt, in hominibus iuſtis & Dei amicis, qui cœlum dicuntur) *& in terra:* quæ ſuapte natura ſicca eſt, id eſt, in hominibus, qui merito gratię Dei deſtituuntur; & in inimicis: vt ita imitemur Deum, qui pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.

Ibidem.

Qui oppugnatur à delectatione & cócupiſcentia carnis, dicat; *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; hoc eſt, delectationem, & conſolationem ſpiritualem, qua tanquam clauum clauo, delectationem carnis trudimus. Nam guſtato ſpiritu deſipit omnis caro.

B. Bernard.

Qui iracundia laborant, & vindictæ ſunt appetentes; vtantur hoc verbo; *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Qui de gula, ciboque ſuperfluo tentantur, dicant; *Ne nos inducas in tentationem,* illam ſcilicet, de qua Adam tentatus ſuit, & Chriſtus Dominus à Satana.

Geneſ. 3.
Matth. 4.
Qui ſint in omnia vitia procliues.

Nam qui gulæ vitio cedit, facilè in omnia alia peccata prolabitur: vnde ſancti Patres ſobrietatem, & victus temperantiam, tanquam fundamétum virtutum omnium iaciebant. Qui verò tædio diuinorum officiorum ſiue charitatis operum afficiuntur, pigritiaque & inertia laborant, dicant; *Libera nos à malo*, ſcilicet otij, quod omne malum eſt. Quia vt ait Spiritus ſanctus: *Multam malitiam docuit otioſitas.*

Ecleſ. 33.

Eadé oratio Dominica etiam viris ſpiritualibus atque perfectis accommodatur.

Rurſus exhibere volumus guſtú quendam his, qui perfectiorem iuſtitiæ conſectantur viam, & contemplationi ſuauiter & iocundè incumbunt, vt Dei amore magis ac magis incaleſcant, & dicere poſſint cum Propheta; *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Nam hęc omnia & ſingula orationis Dominicæ verba ignita ſunt, & ad ignem diuini amoris incendendum & excitandum in nobis excogitata eſſe videntur.

Pſalm. 38.

Nam qui dicit, Pater, teſtatur, ſe ſuauem & iocundum amorem tanquam filium patri debere rependere. Qui verò dicit, *Pater noſter*, oſtendit, ſe omnes alios, loco fratrum habere, eoſque amore fraterno complecti.

Dicentes, Pater noſter, qui es in cœlis, quid profiteantur.
Pſal. 18.

Qui dicit, *Qui es in cœlis*, profitetur Deum eſſe in cęlis illis, qui enarrant gloriam Dei, id eſt, Angelis, & hominibus iuſtis, quorú conuerſatio & politia in cœlis eſt: atque in his cœlis requieſcit Dominus, ſicut dixit: *Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Ioan. 14.

Hos cœlos amatorum DEI ornauit Spiritus S. donis & virtutibus, quaſi ſtellis, ſola ſui manſione in illis, & vt altiſſima, primaq; intelligentia regis hos cœlos, dando eis motum vertiginis in circulum, vt per dilectionem ad Deum redeát à quo per amorem egreſſi ſunt.

Nomen Dei ſanctificari poſtulao es qui dicit...
1. Ioan. 4.

Qui petit ſanctificari nomen Dei, quid aliud, quàm charitatem Dei in nobis purificari poſtulat? Nam Deus charitas eſt, vt Ioannes dixit: nec niſi purgato amore noſtro ab omnibus terrenis cupiditatibus nomen Dei per nos illuſtrari, aut ſanctificari poteſt. Quoniam verò hæc puritas amoris diuini vix in terris inueniri poteſt: rectè poſtulamus; *Adueniat regnum tuum:* quia in eo regno puriſſimus, & conſummatus erit diuinus amor. Hinc ille dicebat, *Cupio diſſolui: & eſſe cum Chriſto,* perfectiſſimo dilectore, penes quem nemo eſſe poteſt conſors eius regni & glorię, niſi ſit perfectus & conſummatus in charitate.

Philip. 1.

¶ Quia verò tale ac tantum deſiderium propriæ diſſolutionis, ac manſionis cum Chriſto, verum eſt martyrium crucians, & ad mortem perfectos quoſque perducens, cùm ad hunc amorem pertingere minimè hic valeamus: addit tertiò: *Fiat voluntas tua:* illi nos per omnia conformes exhibendo, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis; ſiue exaudiat, ſiue non exaudiat; ſiue contingat peruenire ad hunc ſummum amorem, ſiue non; ſiue ſit beatus in cœlo, ſiue viator in terra; atque dicere poteſt cum Propheta; *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum:* id eſt, paratum ad vitam, paratum ad mortem.

Cur diuina oremus fieri voluntatem.
Pſalm. 107.

Panem quotidianũ quis poſtulat date ſibi à Deo.

Qui verò dicit, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; quid aliud petit, quam incrementum amoris, qui tanquam panis quidam vitæ, & intellectus animam Deo viuentem, & intelligentem quæ diuina ſunt, efficit? Poſſumus etiam nomine panis intelligere diuina beneficia, quæ huius diuinę charitatis fomentum ſunt.

Iacob. 3.

¶ Quia verò per humanam imbecillitatem in multis offendimus omnes: petimus peccata nobis dimitti, vt, illis dimiſſis, diuino amore poſſimus accendi, & tanquàm ligna aridiora citiùs inflammari. Et quia amor Dei coniunctum habet amorem proximi: proptereà rectè ſubiungit; *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Quare dimitti nobis debita noſtra poſtulemus: & quorſum ...
Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

¶ Neq; admireris perfectos, viros remiſſionem peccatorum poſtulare. Nam parua quæ admittunt, propter vehementem Dei amorem, quo remittuntur, magna iudicant, & ſibi non ſolùm dimitti ſentiunt quæ admiſerunt delicta, ſed etiam quæ diuina gratia præſeruati non admiſerunt.

Quid petere ne nos Deus in tentationem inducat.

¶ Porrò qui dicunt; *Et ne nos inducas in tentationem,* aliud nihil petunt, quàm fortitudinem amoris ad reſiſtẽdum in fide dęmoni tentanti, qui maximè amo-

rem diuinum in nobis extinguere, vel ſaltem debilitare molitur. ¶ Illud verò; *Sed libera nos à malo*, non tam petit, à tribulationibus, & doloribus quibus grauamur, atq; opprimimur indies, liberari; quàm vt animo infracto, & amore conſtanti perſeramus propter dilectum. Nam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum: qui etiam in tribulationibus non ſolùm non putrefiunt, ſed etiam in illis gloriantur, vt docet Apoſtolus.

Quid etiam, vt liberemur à malo.

Rom. 8.

Suprà 5.

Sed iam tempus poſtulat, vt ad hanc primam petitionem explicandam accedamus. De qua dicẽdum, cur primum locum obtineat; deinde quale ſit nomen Dei, & quid eſt illud ſanctificari; denique cur per verbum imperſonale, inquit, *Sanctificetur*, & non dixit, Sanctifica nomen tuum, vel, Sanctificemus nomen tuum, quomodò in aliis Scripturæ locis habetur interdum: dicitur enim; *Non nobis, Domine, nõ nobis, ſed nomini tuo da gloriam*; & Chriſtus apud Ioannem, *Pater, clarifica nomen tuum*; rurſus Dauid, *Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipſum*; & Salomon, *Laudabo nomen tuũ aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione*. Ad primũ igitur reſpondemus, potiſſimùm & præcipuũ quod cordi noſtro fixum eſſe deberet, fuiſſe à nobis primo loco poſtulandum: conſtat autem diuini nominis gloria nihil eſſe ipſi Deo auguſtius, antiquiuſve: nã propter illam illuſtrãdam omnia quæ extrinſecus operatur, efficere voluit, vnde de eo dicitur: *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Mentes illæ cœleſtes, & Angelicæ ad decantandas Dei laudes conditæ ſunt, vnde in Apocalypſi ſcriptum eſt; *Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum*. Homines etiam ob eandem cauſſam conditi ſunt, iuxta illud: *Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, vt nomen ſanctificationis collaudent*: Ob eũdem finem redempti, *Vt virtutes*, inquit Petrus, *annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumẽ ſuum*: Ob eundem denique beandi, & æternæ gloriæ præmio conſummandi, vt facie ad faciem magis notum, omni honore & gloria proſequamur. Voluit autem, omnes creaturas ſummo quodam modo gloriam Dei præcinere, vt earum exemplo homines incitati, Dei gloriam illuſtrarent. *Cœli*, inquit diuinus Vates, *enarrant gloriam Dei; & opera manuum eius annuntiat firmamentum*: vnde Daniel creaturarum contemplatione delectatos, tres pueros in fornacem cõiectos, introducit Deum benedicẽtes, & diuinam gloriam decantantes. Scriptura etiam ad id frequẽter nos adhortatur. *Soli*, inquit, *Deo honor & gloria, in ſecula ſeculorum*: & Dauid, *Afferte Domino patria Gentium, gloriam & honorem; Afferte Domino gloriam nomini eius*; & Chriſtus, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus; vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*. Magna igitur ratione illud primo loco expetimus, quod ſummum eſt, & maximè à Deo quæritur, & ad quod pręſtandum omnis creatura rationalis condita eſt. Et nè grauatè feramus Deo gloriam dare, priùs vocauit illum Patrem noſtrum; vt intelligamus, omnem eius gloriam, & honorem in nos ipſos, qui filij Dei nominamur & ſumus, recinere: neq; quicquam eſſe debet charius, aut magis pretioſum filio, quàm honor patris, & illius gloriam propriis commodis, ac vitæ etiã ipſi anteponere. Vnde per Prophetam ait: *Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus?*

Proponuntur in oratione Dominicam quęſtiones, atque ſoluuntur.

Pſalm. 113.

Ioan. 12.

Pſalm. 33.

Cur hæc prima omnium petitio: Sanctificetur nomen tuum.

Prouerb 16.

Angeli, homines q; cur conditi, atq; redempti.

Cap. 5.

Eccleſ. 17.

1. Pet. 2.

1. Cor. 13.

Inanimes creaturæ cur Deum laudare finguntur.

Pſalm. 18.

Dan. 3.

Pſalm. 95.

Matth. 5.

Quo verbo nos Chriſtus ad alacrem diuini nominis ſanctificationem præmuniat.

1 Ioan. 3.

Malach. 1.

Ad ſecundum: Cùm multa nomina Deus habeat, & nullum hic nominatim expreſſerit, videtur de vniuerſis eius nominibus non incongruè accipi poſſe. Nomen enim, rei eſt imago qualiſcunque, ſimilitudoq; illam repręſentans. Inde nomine Dei honorato, Deus honoratur, cuius ſuauitas nomen etiam ſuaue, & maieſtas honorabile, & poteſtas terribile, & gloria benedictũ efficit. Ideò cum Dei honore ponitur nominis ſui honor, iuxta illud Ierem. 14. *Tu autem in nobis es, Domine, & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos*: & rurſus, *Benedic, anima mea, Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius*: &, *Afferte Domino patria Gentium, gloriam & honorem; Afferte gloriam nomini eius*: & cum Chriſti honore ponitur honor ſui nominis, iuxta illud: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c.* Et poſt primum præceptum honoris latrię Deo exhibendæ, locatur ſecundum præceptum de nõ aſſumendo nomine Dei in vanum. Sunt autem decem nomina apud Hebræos, quibus Deus deſignatur, vt teſtatur Hierony. in epiſt. ad Marcellam: nẽpe El, quod Septuaginta Θεὸν, & Aquila vertit Ἰσχυρὸν, hoc eſt, Fortẽ. Deinde Eloim & Eloè, quod & ipſum Deus dicitur. Quartũ Sabaoth, quod virtutum, iuxta Septuaginta, ſecũdùm Aquilam autem, exercituum transfertur. Quintum Heelijon, quod Excellum interpretatur. Sextum, Eſer, Eheie, vt in Exodo dicitur: *Qui eſt, miſit me ad te*. Septimum, Adonai, quem nos generaliter Dominum appellamus. Octauum, Iah, quod tantùm in Deo ponitur, & in alleluia extrema quoq; ſyllaba ſumitur. Nouum, Tetragrammaton, quod ἀνεκφώνητον, id eſt, Ineffabile nomen

Quo ſit nomen Dei.

Ierem 14.

Pſalm. 102.

Pſalm. 95.

Decem Dei explicantur nomina.

B. Hier. epiſt. 136. tom. 3.

Exod. 3.

Triplex hoc loco nominis Dei interpretatio.

men, quod dicitur Iehouah. Decimum Saddai, quod robuſtum, & ſufficientem ſignificat: de quibus hic non eſt fuſius diſſerendum. Quibuſdam autem videtur, quòd hic ſit ſermo de nomine Patris, de quo dixit. *Pater noſter*, de quo alibi Chriſtus; *Manifeſtaui*, inquit, *nomen tuum hominibus*: nam et ſi nomen Patris prius fuiſſet memoratum, non tamen plane intellectum, vel manifeſtum redditum erat, de quo Iſaias cap. 52. *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa*: & Zacharias cap. 13. *Ipſe vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum.* Alij per nomen intelligunt ipſum Dei, vel Domini nomẽ, iuxta illud: *Dominus nomen illi*: quod ipſam Dei ſubſtantiam, potentiam, ſapientiam, bonitatem, atque prouidentiam complectitur: hinc Prophetæ gloriã, maieſtatemque ſiue fortitudinem Dei ea voce deſignantes, dicunt; *Adiutorium noſtrum in nomine Domini*: *Nos autem in nomine Dei inuocabimus*: *Et nomẽ tuum inuocatum eſt ſuper nos.* Dicitur etiam nomen Dei ipſe Chriſtus filius eius, quo cognito, cognitus fuit & Pater, & quo ſanctificato: ſanctificatur & Pater. Ipſe eſt enim ſplendor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, in quo reſultat Patris imago, quemadmodũ ipſe dixit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.*

Ioan. 17.
Eſai 52.
Zach 13.
Pſalm. 67.
Pſalm 123.
Pſal. 19.
Ierem 14.
Sap. 7. & Hebr. 1.
Ioan. 14.

Sanctificare in Scripturis, multa ſignificat.

Verbum autem ſanctificandi in Scripturis nõ vno modo accipitur. Nam ſignificat, mundare, ſiue purificare. Cùm enim iubetur, vt qui tetigerit immundum, vel morticinum, ſanctificetur; præcipitur vt mundus ac purus ſit: vnde ſcriptum eſt: *Sanctificamini* (ſiue ſancti eſtote) *quia ego ſanctus ſum*; Et, *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Deinde ſignificat, dedicare, ſiue Deo conſecrare, & ad eius vſus accommodare, qua ratione dicitur Dominus ſanctificaſſe die Sabbati, id eſt, voluiſſe, vt præ alijs hęc dies applicaretur cultui diuino. In eum ſenſum ſcribitur ſanctificaſſe templum, altaria, Sacerdotes, & Leuitas; quia diuino cultui & miniſterio applicantur. Eadem ratione ait Dominus in Deuteronom. *Quicquid eſt ſexus maſculini, ſanctificabis Domino Deo tuo*: & in Exodo, *Sanctifica mihi omne primogenitum*: ac in libro Leuitici, *Sanctificabiſq; annum quinquageſimum.* Tertiò ſignificat, præparare, vnde per Ieremiam dicit, *Sanctificabo ſuper te interficientem virum & arma eius*, hoc eſt, præparabo contra te; & alio loco ſanctificatos ſuos appellat Deus eos, quos præparauerat ad perdendam Ieruſalem, accepta ſimilitudine à rebus ſacris, quas paratas eſſe oportet ad eum vſum, ad quem ſunt dedicata. Sic dicitur: *Surge, & ſanctifica populum*, videlicet præpara. Ad hæc, ſanctificare, confirmare eſt, vnde Dominus Ioan. 17. dicebat, *Sanctifica eos in veritate*: & Apoſtolus: *Ipſe autem Deus ſanctificet vos per omnia*: &, *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Quintò, ſignificat, innoteſcere, ſiue ſanctũ haberi, & oſtendi, iuxta illud Deutero. 32. *Nõ ſanctificaſtis me inter filios Iſrael*: & Eſai. 5. *Deus ſanctus ſanctificabitur in iuſtitia*: ac rurſus, *Sanctificabor in eis coram Gentibus*: & Petrus, *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris*, id eſt, ſanctum habere, & celebrate. Eodem ſenſu, dictum eſt Leuit. 10. de Nadab & Abiu, filiis Aaron, deuoratis ab igne; *Hoc eſt quod locutus eſt Dominus, Sanctificabor in ijs qui appropinquant mihi*, nẽpè ſignis declarabo, oportere eos, qui mihi miniſtrant, me venerari, oſtendamque in eos potentiam meam: vnde adiecit, *Et in conſpectu omnis populi glorificabor.* Cùm igitur nomen Dei per ſe ſit ſanctum, imò fons totius ſanctitatis, iuxta illud; *Sanctum, & terribile nomen eius*: & iterum, *Benedic anima mea Domino; & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius*; cumque illud in prima ſignificatione ſanctificari non poſsit, ſanctitatem aliquam, quaſi prius eſſet immundũ, acquirendo, aut eius incrementum comparando, cùm infinitæ eius ſanctitati additio repugnet, diuinæque maieſtatis perfectionibus ſignificandis ſit accommodatum & dedicatum; ſitque firmum & fortiſsimum, iuxta illud, *Turris fortiſsima nomen Domini: ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur*; ſupereſt, vt hoc loco ſanctificari, idẽ ſit quod ſanctum haberi, ſanctum cognoſci, ſanctitatemque in nobis operari, ſiue ad illud adhibeat ſigna, vt interdum ſacere conſueuit, ſiue non. Hinc petunt ſancti precibus ſuis, Deum, vel eius nomen magnificari, iuxta illud Dauidis: *Dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius.* Quod verbum à nobis eſt frequẽter in ore habendum, cùm conſpicimus creaturas, vel cùm audimus magna & ingentia miracula, quæ Deus per ſanctos ſuos eſt operatus. Magnificatur autem Dominus, vel eius nomen ſanctum, quando cognoſcitur, & prædicatur à nobis eius magnitudo, quæ non in vna tantùm perfectione, ſed in omnibus, quæ in cognitionem cadere poſſunt, & indiuiſim ſunt coniunctæ, & finitæ non ſunt, ſed quælibet illarum per ſe ipſam infinita & immenſa: cuius rei gratia mirabilia & ſtupenda operatur. Nam qualis quiſque eſt, talia & operatur. Ita Dauid magnificabat Deum cum eo loquens; *Magnus, inquit, es tu, & faciẽs mirabilia: tu es Deus ſolus*: & cum hominibus loquens aiebat, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitu-*

Exod. 19. & ſæpè deinceps alibi.
Leuit. 19.
Apoc vlt.
Verbi ſignificandi alter ſignificatus.
Geneſ. 2.
Deut. 15.
Exod. 13.
Leuit. 25.
Tertius ſignificatus.
Ierem. 22.
Ioſu. 7.

Quartus ſignificatus.
Ioan. 17.
Apoc. 22.
Quintus ſignificatus.
Deut. 32.
Eſai. 5.
Ezec. 28.
1. Petr. 3.
Leuit 10.
Nomen Dei quã ſanctum ac firmum.
Pſalm. 111.
Pſalm. 102.
Prouerb. 18.
Quid hoc loco, Nomen Dei ſanctificari.
Pſalm. 34.
Vt Deus, eiuſq; nomen magnificetur à nobis.
Pſalm 185.
Pſal. 144.

dinis eius non eſt finis: & B. Virgo æſtimans Dei apud ſe magnitudinem, dicebat; *Magnificat anima mea Dominum*; & plebs illa admirabunda propter ſuſcitationem filij viduæ in ciuitate Naim, dixit, *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis; & quia Deus viſitauit plebem ſuam*: & Samaritanus à lepra purgatus, reuerſus eſt magnificans Deum: inſtruēs ſuo exemplo, ne in donis, quæ à Deo accipimus, ſiſtamus, ſed vt per illa ad Deū largitorem magnificandum erigamur. Petunt etiam ſancti, nomen Dei exaltari, maximè cùm à periculo aliquo liberantur, vt Dauid, qui dicebat; *Et exaltetur Deus ſalutis meæ*: & ad vtrumque exhortans aiebat in alio loco; *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.* Nam etſi Deus altiſsimus ſit, ac in altiſsimis habitet, vt paſsim Scripturæ loquuntur, exaltatur tamen eius nomen, quando corda & ora noſtra eius altitudinem prædicant, quam ipſe alibi prædicabat, cùm diceret: *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cœlo & in terra?* Hinc Chriſtus promiſſus eſt ab Angelo, filius Altiſsimi vocandus; & Zacharias filium alloquēs, dixit: *Et tu puer Propheta Altiſsimi vocaberis.* Eſt aūt Deus excelſus altiſsimusq́; ad quē tamen contingendum non opus eſt eleuari vel exaltari, ſed potiùs oportet deprimi atque humiliari, adeò vt illi ſit vicinior, qui plus deprimitur: illi remotior, qui plus erigitur: vnde Petrus cum dixiſſet: *Superbis Deus reſiſtit; humilibus autem dat gratiam*: ſubiunxit, *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis.* Tertiò, dicitur Deus, ſiue nomen eius glorificari, dum agnoſcitur & prædicatur glorioſum, daturque illi gloria propter magnitudinem operum ſuorum: vt, quòd mundum ex nulla re condiderit; quòd illum ſua prouidētia gubernet, quòd per Apoſtolos, & Prophetas admiranda opera ediderit. Tum denique vt prædicetur eius gloria, quam occultam & intimam in ſe ipſo habet, quæ æterna eſt, & creaturæ communicari nequit, niſi quantum ipſe voluerit; in qua conſiſtit felicitas, & perfecta electorum ſatietas, de qua Propheta; *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et quanquàm illa gloria nobis occulta ſit, ac impenetrabilis, dum viuimus: tamen ex operibus, quæ tantam eius maieſtatem decent, agnoſci ex parte poteſt. Hinc Salomon ait; *Sicut qui comedit vel multum, nō eſt ei bonum: ita qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Et ſatis hanc gloriam illi damus, ſi ſeruemus preceptum Apoſtolicum; *Siue manducatis ſiue bibitis, vel aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* Et cùm alia voce dicimus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio, & nūc & ſemper, &c.* Inſuper cenſetur Deus, ſiue nomē eius laudari, quādo eius perfectiones, & opera admiranda non ſine laude enarrantur. Ad quod non ſolùm Dauid alios inuitabat dicendo; *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis*, ſed ipſe etiam faciebat, cùm ait; *Septies in die laude dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ*: quod hodie Eccleſia per Sacerdotes & miniſtros in ſeptem Horis canonicis præſtare contendit. Ad hunc modum Angeli in natiuitate Ieſu Chriſti laudabant Dominum, & pueri ac ſimplices in ingreſſu, quē fecit in die Palmarum in Ieruſalem, quando accuſatus à Iudæis, quòd illi acclamarent, *Hoſanna filio Dauid*, quibus verbis ſalutem ab eo quaſi à Deo poſcere videbantur; reſpondit, *Vtique, nunquàm legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudē.* Rurſus benedicitur Deus, & nomen eius, ſecundùm id: *Benedic anima mea Domino; & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius*: quod aliud non eſt, quàm de omnibus quæ operari dignatur, gratias agere. Hinc Ioſaphat, obtenta de hoſtibus victoria, ait: *Etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocauerunt locum illum Vallis benedictionis, vſq; in præſentem diem*: nimirum gratias egerūt de victoria, & ſalute populi. Dauid etiā vbi paulò antè recitatis verbis ſe ipſum inuitaſſet ad benedicendum Deo, & nomini ſancto eius, ſubiungens cuius rei gratia ſit illi benedicendum, aut gratiæ agendæ, enarrat ſigillatim Dei beneficia, dicēdo: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum, &c.* Daniel quoque egit gratias Deo de myſterio reuelato ſomnij; inquit enim: *Tunc Danieli myſterium per viſionem nocte reuelatū eſt; & benedixit Daniel Deū cœli, & locutus ait; Sit nomen Domini benedictum à ſeculo & vſq; in ſeculū: quia ſapientia, & fortitudo eius ſunt.* Ananias pariter cum duobus ſocijs in fornacē ignis ardentis proiectus, nec ab eo læſus, nō eſt oblitus Deum benedicere, ac inuitare omnes creaturas ad benedictionem Dei illo pulchro hymno in Eccleſia decantato, qui incipit: *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, &c.* Idem fecit Zacharias pater Præcurſoris, qui recepto vſu linguæ amiſſo, prorumpens in verba gratiarum actionis, dixit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, &c.* Et enumerans cauſſas dictę benedictionis, ſubdit: *quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Simeon & Anna, viſo Chriſto à

matre

Luc. 1.

Infrà 7.

Infrà 17.

Dei nomen exaltari, quādo ſancti poſtulant, petant.

Pſalm. 17.

Pſal. 33.

Pſalm. 112.

Luc. 1.

Diuina ab humana humilitate exaltari qui valeat celſitudo.

1. Petr. 5.

Tertia nomē Dei ſanctificandi ratio.

Geneſ. 1.

Pſal. 16.

Cū ſit gloria Dei inuiſa, & incomprehēſibilis, quomodo à nobis glorificatur.

Prouerb. 25.

1. Cor. 10.

Quarta diuini nominis ſanctificatio.

Pſalm. 148.

Pſalm. 118.

Luc. 2.

Matth. 21.

Pſalm 8.

Quintus modus nomen Dei ſanctificandi.

Pſalm. 102.

2. Paral. 20.

Cur Deo benedicendum teſte Dauide.

Dan. 2.

Dan. 3.

Luc 1.

Infra. 2.

Matth. 14. & infrà 15. Infra 26.

nıatre in templum oblato, benedixerunt Deum. Ipſe Dominus volens ſacrare, & benedicere panem, priùs gratias egit Patri, à quo tantam poteſtatem multiplicandi recepit: & in vltima cœna cùm panem conuerteret in ſuum corpus, & vinum in ſanguinē, benedixit, ſiue gratias egit Patri ſuo. Vnde cùm quidam ex Euangeliſtis dicant, *Benedixit*, alij inquiunt, *gratias egit*: quòd vna, & eadem ſit benedicendi, & gratias agendi ſignificatio. In omnibus ergo operibus, ſiue proſperis, ſiue aduerſis, dicamus cum Dauide: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus: & benedictum nomen maieſtatis eius in æternū.* Poſtremò dicitur Deus, & nomen eius à nobis ſanctificari, vt traditur in hac oratione Dominica: de qua ſanctificatione loquitur Eſaias cap. 8. cùm ait: *Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter: & erit vobis in ſanctificationem.* Quibus verbis innuit, tum Deum à nobis ſanctificari; dum nos nomine ſancto ſuo ſancti, ſiue magis efficimur ſancti, dumque alium nullum, præter ipſum ſolum, aut ipſius cauſſa alios, vel in cœlo, vel in terra timemus, & veneramur, ſiue cùm Dei ſanctitas à nobis cognita, & prædicatur, & celebratur. Vnde Moſes in Cantico prædicauit eius ſanctitatē, cùm dixit: *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atq; laudabilis, faciens mirabilia;* Cùm ait: *magnificus in ſanctitate*, perinde eſt ac ſi dixiſſet; Excellens, & ſingularis in ſanctitate, ſcilicet in munditia, & firmitate ab omni prorſus defectu, & impotētia aliena. Eandem ſanctitatē celebrabat B. Virgo, cùm diceret: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctū nomen eius.* Ita ſanctificabant Deum Seraphini in viſione quam vidit Eſaias, dum clamabāt: *Sanctus, Sanctus, Sāctus Dominus Deus Sabaoth.* Facit autem abundantia amoris, vt bonum ſanctitatis, à qua Deus neq; cadere poteſt, nec in ea augeri, illi exoptemus. Ita Cyprianus ſermone de oratione Dominica interpretatur, vt nomē eius ſanctificetur in nobis, ſic, vt ſanctificatio eius, qua in nomine eius ſanctificati ſumus in baptiſmo, & perſeueret in nobis, & quotidiè in nobis renouetur. Opus enim eſt nobis quotidiè peccantibus continua ſanctificatione purgari. Ita etiam Ambroſius libro de Sacramentis exponit: *Sanctificetur (ait) in nobis, vt ad nos eius poſſit ſanctificatio peruenire.* Sic ille.

Matth. 26. Luca. 22.

Benedicere, & gratias agere quod ſit idem, vnde conſtet.

Pſal. 17. Eſai. 6. & Pet. 3.

Exod. 15.

Deus vt ſit magnific⁹ in ſanctitate.

Luc. 1.

Eſai. 6.

Cyprian.

Ambroſ. lib. 4. de Sacramentis, c. 4. tom. 4.

Sed hic locus ſcrupulis non caret. Primus eſt, quia opus eſſet ſupplere, in nobis, cùm ſimpliciter ſit dictum: Sanctificetur nomen tuum. Deinde incideret hæc prima petitio cum terra: *Fiat voluntas tua: Hæc eſt autem voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*, vt dixit Apoſtolus. Tertiò, videtur Dominus his verbis nos docere voluiſſe, vt ante omnia Dei gloriam quæramus, vt quæ præcip. ſit optāda. Rectiùs interpretatur Chryſoſtomus. Sanctificetur, hoc eſt, glorificetur nomen Dei per nos: id eſt, eam da nobis agere vitam, per quam id obtineamus, vt per nos nomen tuum glorioſum & ſanctum habeatur apud omnes homines. Generalior eſt, & commodior beati Auguſtini enarratio: Da vt nomen tuum ſanctum habeatur ab hominibus, nec illo quicquam putent eſſe ſanctius, auguſtius, & gloria & veneratione magis dignum: qui ſenſus priores omnes complectitur. Nam, & per nos ipſos, & per alios deſideramus nomen eius illuſtrari apud Gentes, & Iudæos per Euangelij prædicationem, & apud fideles per honeſtam & condignam ſanctæ vitæ conuerſationem. Dicitur enim interdum Deus ſanctificari à ſeipſo, vt Ezechiel. 20. *Sanctificabor in vobis in oculis nationum.* Et cap. 39. *Et nomen ſanctum meum notum faciam in medio populi mei Iſraël*; videlicet per miſericordiæ, potentiæ, & ſapientiæ ſuæ declarationem. Aliquando verò homines dicuntur illum ſanctificare, vt ex Eſaia accepit Petrus: *Dominum Ieſum Chriſtum, ipſum ſanctificate in cordibus veſtris: vita, moribusq; colendo, & lingua prædicando.* Qui ergo Deum, ſiue nomen eius, vt par eſt, ſanctificat, reuera eius magnitudinem agnoſcit, & benedicendo confitetur; eius denique potentiam, atq; munditiam magnificis vocibus deprædicat. Neque poſſet vllus Deum, aut nomen eius magnificare, vel exaltare, vel illuſtrare, vel laudare, vel deniq; benedicere, talem eum agnoſcendo, & prædicando, atque ab omnibus cognoſci, & prædicari optando, niſi priùs Deus eum propriè magnificaret, magnis ſcilicet donis gratiæ ſuæ, & exaltaret in ſtatum filiorum Dei, & ſpiritu illuſtraret ſuo, laudeq; dignum efficeret, ſuaque dextera illi benediceret, eumq; ab omnibus peccati ſordibus ſanctificaret. *Si nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto:* & vt ait Dauid, *Rectos decet collaudatio.* Et ita dicere, *Sanctificetur nomen tuum*, aliud non eſt, quàm petere, vt in cordibus noſtris, linguis, & operib⁹ ſanctitas nominis ſui, & gloria reſplendeat, vtq; paullatim cognitio nominis ſui, per omnes Iudæos, ſiue Paganos dilatetur, atque inclareſcat, vt omnes vnanimes, vno ore honorificemus Deū, & Patrē Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et cùm cor noſtrum ſuapte natura infirmū ſit, & immundum,

Hic ſenſus: ſanctificetur, ſanctificetur in nobis, nomen tuum, tua pa[...]

titur incommoda.

1. Theſſ. 4.

Alius ſenſus probabilior, & aptior.

Chryſo. hom. 20 in Matth. tom. 2.

Tertius omnium aptiſſimus, Auguſtini.

Aug. li. 2 ſer. Domi. in monte c 10. to. 4.

Vt Deus ſanctificet ſeipſum.

Ezech. 20. Infrà 39.

Quo Deum etiam modo homines ſanctificent.

Eſai. 8. 1. Pet 3.

Vnde hæc homini ſit Deum poteſtas ſanctificandi.

1. Cor. 12.

Pſalm 32.

Rom 5.

Cor noſtrū quid in diu[...]

nis laudibus conſ boret, atque confir met.

.. petimus deſuper mundanis aliquid ſanctum, per quod emundetur, & corroboretur in Dei gloria illuſtranda, vt quaſi fermentum quoddam fide, ſpe, dilectione, & gratiarum actione ſanctitatē ad ſe trahat, ne alioqui cor ad naturam ſuæ impuritatis & imbecillitatis redeat. Et quemadmodu turpi vita noſtra, vitioſiſque actionibus Dei nomen, vel ignoratur à quibuſdā, vel polluitur, vel etiam ore blaſphematur inter Gentes: ita ſanctiſsimæ vitæ exemplis, & honeſtis charitatis officiis illuſtratur, & ſanctificatur. Polluebant olim Gentes nomen Dei per idolorum cultum, ligno, & lapidi quod diuinū eſt tribuentes: Iudæi, Filium Dei pernegantes, & gloriam miraculorū eius obſcurantes: hæretici, per falſam doctrinam tunicam Domini inconſutilem ſcindētes: hypocritæ verò, falſiq; Chriſtiani, impuris, & ſceleratis actionibus. Iā verò cùm dicimus, Sanctificetur nomen tuū, rogamus vt verus Dei Patris cultus in nobis vigeat: Filij Dei pro noſtra gloria incarnati, atque pro noſtris delictis extinguendis mortui agnitio, & confeſsio nobis ſalutaris exiſtat, vt Fidem Catholicam, & orthodoxam in vera Chriſti Eccleſia inuiolatam, integram, ſartamq; tectam teneamus: denique doctrinam Domini bonis operibus ornemus, ſanctaq; vita illuſtremus. Nomen etiā quod hîc ſanctificari petimus, illud eſt quod inuocatum eſt ſuper nos, dum per lauacrum baptiſmi regenerati, & ſanctificati fuimus: id eſt, non ſolùm ab omni peccati ſorde purgati, ſed etiam Deo dedicati, & tanquam templum eius ſanctum conſecrati. Nomen autem fuit Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, in quo baptizamur. Et hæc oratio ad totam Trinitatem funditur: nam illa nos adoptat in filios & regenerat. Et licèt nominemus tres perſonas; vna tamē eſt earū ſubſtantia, & vnū nomē Deus. Dicitur enim: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Hoc ergo nomē nobis eſt piè colendum, & inuocandum religioſè, & virtutum officiis ſanctificandum, atq; illuſtrandum. Quanquàm hodie minimè deſint, qui nomen Patris Dei cæleſtis polluāt, eius potentiæ detrahendo, opera eius caſui, aut fato aſcribendo, aut à moribus tanti Patris cœleſtis degenerando. Polluunt deinde nomen Filij eius, qui ſapientia derogant, aut dictis eius indubitatam non habent fidem; aut qui eius morti, & ſanguini ingrati exiſtunt. Polluunt & nomen Spiritus ſancti, quia gratiam eius nō eſſe neceſſariam ad ſalutem, vt Pelagius, docent; aut qui de Dei miſericordia nimium ſibi arrogantes, & pollicentes, omnibus ſe flagitiis contaminant atq; dedecorant, vel deniq; qui cum gratia Dei præceptis eius non poſſe nos facere ſatis, dogmatizant.

Rom. 2.

Quadruplex hominū pollutio nominis Dei, eiuſdemq; ſanctificatio.

A Deo quod petimus ſanctificari, quod ſit illud nomen.

Ierem. 9.
Tit. 2.

Matth. vlt.

Oratio Dominica cur ad totam dirigitur Trinitatem.

Patris, Filijque atq; Spiritus ſancti nomen qui polluant.

Ad poſtremū verò, *Sanctificetur*, ait impersonaliter, *nomen tuum*, vt intelligamus, omnia quę petuntur, nequaquàm omninò ex ſolo Deo, nec ex nobis ſolis pēdere, ſed ex vtroque, ac vt dixit Apoſtolus: *Non ego* (ſcilicet ſolus) *ſed gratia Dei mecū, cuius ſumus adminiſtri, cuius virtute fulti poſſumus, & in nobis, & in alijs nomen Dei ſanctificare.* Et vt culpa nō caret, qui nō facit quod iubetur, per ſe ipſum, vel per amicos: ita reprehenſioni eſt obnoxius, qui nō facit per Deum ad adiuuandum nos paratū, quod per nos ipſos præſtare nō poſſumus. Hinc in Apoca. ait: *Ecce ſto ad oſtiū, & pulſo. Si quis audierit vocem meā, & aperuerit mihi ianuā, intrabo ad illū, & cœnabo cū illo, & ipſe mecum.* Pulſat Chriſtus, dum cor noſtrū ad bonū inclinat, vt illud diligat, quod antè non diligebat. Cœnat cū illo, qui eum habet gratum, & amicū. Atq; hæc conſideratio non tantùm huic petitioni, ſed etiā duabus ſequētibus ſeruire debet, in quibus impersonaliter dicitur: *Adueniat regnum tuū: Fiat voluntas tua*: non n. dicimus, Faciamus volūtatē, vel, Adueniamus in regnum tuum, vt hæc ſanctificatio diuini nominis, & regni aduentus, & impletio diuinę voluntatis, liberi quidē nō ſit arbitrij, niſi adiuti diuina gratia, operum ex ſpiritu Dei in nobis prodeuntium. Et ita dicere: *Fiat voluntas tua*, eſt tantundē ac dicere, Fac vt fiat; iuxta illud Ezechielis: *Et faciā vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis.* Vel, vt prudētiſsimè Aug. dixit: *Domine, da quod iubes, & iube quod vis.* Deinde abſolute dixit: *Sanctificetur, Adueniat, Fiat*; vt generalior eſſet horum bonorum petitio, ne videlicet in horum petitione noſtrum tantum bonū quærere videremur, & nō magis ipſius Dei gloriā. Ad hæc eiuſmodi impersonales locutiones magis noſtrorum deſideriorum vehementiam explicant. Eſt enim dicere: *Sanctificetur*, id eſt, vtinam ſanctificaretur: vtinam adueniret, & fieret: vt Baſil. in Pſal. 45. diligenter annotauit, tradens, Imperatiuum pro Optatiuo frequenter in Scriptura poni, cùm tractat illa verba: *Intende proſperè, procede, & regna.*

Quare Chriſtus impersonaliter dixerit: Sanctificetur nomen tuum.

1. Cor. 15.

Apoc. 3.

Pulſet Chriſtus quando: et pulſanti quis aperiat. Quis cœnet cum Chriſto.

Eodem quoque modo cur dicatur: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, &c.

Ezec. 36.

Augu. lib 10. Confeſ. c. 29. & 10. 1 ſuo i. c.

Secunda ratio vſus eorūdem impersonaliū: Sanctificetur, Adueniat, Fiat, &c.

Tertia ratio.

Baſil. tom. 2.

Demus igitur operam, vt per nos nomē Dei ſanctificetur: & cū ille tot modos ſanctificādi hominem inſtituerit, indignum prorſus eſt, ſi nos vitam immundam agentes Dei gloriā obſcuremus, nomenq; eius, quod ad nos attinet, contaminemus ac polluamus, cùm Paulus ſcribat: *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.*

Ad ſanctificandum Dei nomen exhortatio.

1. Cor. 6.

Verè, perfeꝿ&q; abluti, & iuſtificati quando enimus,atq; ſanꝿificati.

2. Cor. 7.

noſtri. Sed profectò non ſatis eſt ſemel ablui, ſemel iuſtificari, & ſanctificari, niſi iuſtitiam ſemel partam conſeruemus, atq; in illa indies perficiamur: ad quod hortatur Apoſtolus: *Has ergo*, inquit, *habentes promiſſiones, chariſſimi, mũdemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationẽ in timore Dei.* Et quia *Non minor eſt virtus quàm quærere parta tueri*, vt quidam Ethnicus dixit; ideo adnitendũ, omniq; ſtudio contendendũ nobis eſt, vt Dei gloriam, & nominis ſui ſanctitatẽ in omnibus noſtris actionib. quæramus, illamq; omnibus noſtris votis etiã vitæ ipſi anteponamus, nullam eſſe mortẽ glorioſiorem ducentes, quá illã, qua illuſtratur gloria Dei. Dicamus ergo ſemper: *Sit nomen Domini benedictũ ex hoc nunc, & vſq; in ſeculum*, & ad hoc debitum illuſtrãdi nominis Dei perficiendũ inſtituit Eccleſia, vt toties in diuinis officiis, & Pſalmis, & canticis diceremus: *Gloria Patri; & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.*

Ouid. li. 2. de Arte.

Pſalm. 112 & Pſal. 71.

TRACTATVS XLVIII.

In illa verba: *Adueniat regnum tuum.*

Dubia reſoluenda,

AD huius ſecundæ petitionis intellectũ, in primis de ordine eius ad præcedentem nonnihil dicetur: Deinde cùm regnum Dei multis modis in ſacris literis accipiatur, atq; hîc accipi poſſit, videndum eſt, ecquis illorũ huic loco magis cohærere videatur, & quis ſit legitimus huius verbi ſenſus: Tertiò, diſſerendum eſt, cur potiùs dixit: *Adueniat regnũ tuum*, quàm, adueniamus nos in regnũ tuum, vel, Admitte, & introduc nos ad regnum tuum.

Cur ſecundũ hæc petitio [illegible] obtineat.

Quod ad primũ igitur attinet, poſt nominis diuini ſanctificationem, ſcilicet poſt Diuinæ gloriȩ illuſtrationem, germani filij Dei nihil magis in votis habent, quàm regni cœleſtis aduentum, ſiue ingreſſum in illud, vbi ſumma votorum omnium in Deo ad ſatietatem completur: nam ita perfecti quiq; deſiderant diſſolui, & eſſe cum Chriſto; & qui hîc Chriſto commortui ſunt, illi corregnare deſiderant: & vt proprium fuit Patrum Veteris Teſtamenti, primum Chriſti aduentum ſummis votis expetere, vnde & Deſiderium collium æternorum, & Deſideratus cunctis Gentibus à Prophetis Meſſias vocatur: ita ad ſanctos Noui Teſtamenti ſpectat, aduentum eius in maieſtate & gloria futurorum expetere, ſummisq; deſideriis diligere, ſecundùm illud Apoſtoli verbum: *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius.* In illo namq; aduentu non ſolùm Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nomẽ, gloria, & maieſtas detegetur atq; illuſtrabitur, verùm etiam Chriſti mediatoris cum toto corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cuius ipſe eſt caput, regniq; eius fructus ad conſummationem, & perfectionẽ perueniet, pulſis, & deturbatis de regno ſuo cunctis ſcandalis, vniuerſisq; eius inimicis poſitis ſub ſcabello pedum ſuorum, & ſub pedib⁹ ſanctorum ſuorum. Ideo meritò eius aduentum expetunt, eius regnum conſummari exoptant. Nam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderũt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, ſiue vt Propheta ait Eſaias, expectantibus ſe. Hinc Dominus in Euangelio volens nos eſſe præcinctos & paratos ad hunc aduentum eius regium excipiendum, dicebat: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs: vt quum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.* Et hęc de primo propoſito ſint ſatis, vbi aduerte Gręcè legi ἐλθέτω, id eſt, veniat, non adueniat.

Geneſ. 49.

Agge 2.

Qualem Veteris, qualem Noui Teſtamenti Patres Domini prę̨ſtolentur aduentum.

2. Tim. 4.

Coloſ. 1.

Ephe. 1.

Matth. 13.

Pſalm. 109.

1. Cor. 15.

Hebr. 2.

1. Cor. 2.

Eſai. 64.

Luc. 12.

Ad ſecundum aduertendum eſt, & accuratè expendendum, Dominum dixiſſe: *Adueniat regnum tuum*: & dicendo, *Tuum*, diſtinxit hoc regnum quod expectare debemus, ab aliis regnis, quę non ſunt Dei, inter quæ principem locum habet regnum dæmonis, qui dicitur Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, id eſt, eos, q ſuo vitio per ſuperbiam illũ imitantur. Dicitur etiã princeps huius mundi, id eſt, omnium eorum, qui mũdi huius bona ardẽter diligunt. Eſt & regnũ peccati, quod per vnum hominẽ in mundum intrauit, & omnes miſerabili ſeruitute oppreſſit, ac paullatim progreſſum eſt etiam id eos, qui non peccauerunt, vt ait Apoſtol⁹, hoc eſt, in pueros, & infantes, qui voluntario aliquo, aut perſonali delicto non ſunt maculati, ſed tantũ originalis labis à primo parẽte in totã poſteritatem tranſmiſſæ vitio, & culpa cõtaminati. De regno huius peccati inquit Apoſtolus: *Vt ſicut regnauit peccatũ in mortem: ita & gratia regnet per iuſtitiam, in vitã æternã*, Rom. 5. Erat etiam mortis regnum, quod peccatũ conſecutum eſt, de qua Apoſtolus: *Sed regnauit mors ab Adam vſq; ad Moyſen*: & Salomon: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Quartò, erat regnũ ſapientię, ſiue rationis, a Philoſophis, & ſapiẽtibus huius mundi adinuentum, de quo Cicero libr. 3. Tuſculanarũ quæſt. loquitur. Nam menti noſtrę, ſiue rationi, tanquã Reginæ cuidã,

Regnum in Scripturis multiplex inuenitur.

Iob. 41.

Ioan. 12.

Geneſ. 3.

Rom. 5.

Ibidem.

In quos etiã vel minimè peccantes mors regnauit, ſecũdùm Apoſtolum.

Ibidem.

Ibidem,

Sap 2.

Ecquod tandem regnũ ſapientiæ, vel rationis Philoſophis.

M. Tull.

datum

datum à natura eſſe ferunt regnum mode randi omnes partes animi noſtri, atq; eius eſſe, regere omnes appetitiones animi con cupiſcētis, & moderari omnes iras, & furores partis iraſcentis, deniq; omnes motus hominis rectè gubernare, non ſecùs quàm Rex omnem populum ſibi cõmiſſum iuſtè gubernat; atque in hac recta gubernatione cõſiſtit iuſtitia huius regni, vt teſtatur Plato lib. 6. de Repub. quemadmodum iuſtitia rectè conſtitutæ ciuitatis in hoc ſita eſt, vt omnes Regi tanquàm capiti ſubſint, & obſequantur. Quam ſententiam amplexus videtur Auguſt. lib. 2. contra Academicos, vbi definiens quid ſit feliciter viuere, dixit non eſſe aliud, quam viuere ſecundùm hominis optam partem, quam rationem ſiue mentem vocat, cuius eſt cæteris præeſſe. ¶Sed cùm Dominus hìc dicat: *Adueniat regnum tuum*, profectò de nullo horum eſt ſermo, imò adueniente Chriſti regno in nos, regnum dæmonis deſtruitur: & princeps mundi huius eiicitur foras. Nam cùm fortis armatus cuſtodiret atrium ſuum, & in pace poſsideret quæ ſua erãt, ſuperuenit illo fortior, & vniuerſa eius arma abſtulit, & ſpolia diſtribuit. Deſtructum eſt etiam regnũ peccati, quod baptiſmo tãquàm Pharao cũ exercitu ſuo in aquis ſubmergitur, & euadit homo noua creatura iuſtificata, & ſanctificata: vires etiam fomitis, ſiue cõcupiſcentiæ carnis, quam Apoſtolus peccatum, & legem peccati vocauit, ita debilitantur, vt intrepidè idẽ ipſe dicant: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcẽtijs eius*: & rurſus: *Peccatũ enim vobis non dominabitur, non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*. Non obſcurè igitur dominium, & regnum fomitis, quem peccatum appellat, ante Chriſti aduẽtum ſtetiſſe docet, ſed iam nunc non ſtat. Rurſus mortis regnũ eatenus eſt per Chriſtum euerſum atque deſtructum, quatenus eſt ab ea metus fidelium depulſus: vt pulchrè dixerit Apoſtolus: *Vt per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperiũ*, id eſt, diabolum: *& liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti*. Imò eò progreſſus eſt Chriſtus, vt optabilem, & amabilem rem omnium maximè horrendam, & terribilem, hoc eſt mortem reddiderit, & de illa ſanctos ſuos fecerit triumphatores. Vnde ſcriptum eſt: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, &, *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*. Vides igitur, beatam & pretioſam vocari mortem.

Plato.

Quid ſit feliciter viuere, Auguſtino.
Augu. tom. 2.

Omnes illæ excluduntur regni acceptiones. Dæmonis, Peccati ac mortis regna Chriſtus vti deſtruxit.
Ioan. 12.
Luc. 11.
Exod. 14. & ſeq.
Gal. vlt. & alibi.
Rom. 7.
Suprà 6.
Ibidem.
Hebr. 2.
Mors quibus reddita per Chriſtum amabilis.
Apoc. 14.
Pſalm. 115.

Regnum autem rationis humanæ omnes motus & actiones moderantes ita à lumine fidei, & doctrinæ Chriſti offuſcatum eſt quemadmodum ſtellę in meridiano Sole nobis abſcondũtur. Nam ratio cognita eſt ad pauca, & illa quidem parua, & ſenſibilia huius mundi ſe porrigere, ad maiora autem, & felicitatem ſuam, ſiue viam ad illã aſſequendã infirma, & cęca. Erat ergo periculoſum hoc regnum: quia ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. Eius autem regnum debiliſsimum eſt, cùm cæteræ partes in homine in illam inſurgãt, & rebellionẽ excitent; imò etiam Reginam ipſam redigant in captiuitatem. Quod Socrates apud Platonem lib. 4. de Repub. prudenter coniectauit, vocans hoc regnum ſeditioſum: & in illo eos præeſſe, quorũ ſubeſſe, & imperare quorũ erat obedire. Ariſtoteles etiam hoc non omninò ignorauit, etſi cauſa omninò eum latuerit, nam conferens rationem cum appetitu, dixit; ἡ μὲν λέγει ἡ δ᾽ ἄγει. Id eſt, Ratio eſt, quæ dictat, & præſcribit: appetitus verò ducit, ſiue imperat quid ſit agendũ. Vnde Paulus hoc vitiũ huius regni detegens in ſe ipſo, dixit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*. Vides ſeditionem in hoc regno? & Reginam ipſam rationem in captiuitatem abduci? Dominus & rationis debilitatem, & cæcitatem exprimens, inquit: *Si lumẽ quod in te eſt, tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Dicere vult. Si lumẽ naturale nõ ſatis eſt ad ducatũ prę́ſtandum, vt bona opera præſtemus, quæ ad ſalutem nos conducant; ipſa opera, quæ ex ſe lumine deſtituta ſunt, & non niſi lumine rationis illuſtrãtur, quàm profundis, & craſsis tenebris erunt obſita? Atq; harum tenebrarum teſtimonium nobis reddere poſſunt facta impia, & deteſtanda, omniq; ſpurcitia atq; immanitate referta, eorum, qui ſola ratione duce & magiſtra, vitam traduxerunt. Eſt ergo lumen ipſum rationis ad vitam æternam comparandam, & opera bona, Deoq; placentia edenda, meræ tenebræ: ſecùs vbi fide cœlitùs illuſtratur. Hinc Auguſt. in 1. lib. Retract. recognouit errorem ſuum, dicens, verum eſſe, in homine nihil eſſe melius mente, aut ratione: ſed volẽti pergere ad felicitatem cæleſtẽ, non ſatis eſſe lumen rationis, vel mẽtis humanæ, niſi diuinitùs illuſtretur. Non eſt igitur hoc loco ſermo de rationis regno, vel dæmonis principis huius mundi, vel peccati, vel mortis: & dicendo Tuum, ab omnibus iſtis diſtinxit.

Quàm tenue & obſcurum regnũ rationis, ac debile.
Matth. 15.
De hoc regno quid magnus ille ſenſerit Socrates.
Philoſoph. lib. 6. Ethic. c. 2. tom. 3.
Rom. 7.
Matth. 6.
Explicatur id: Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt.
B. Au. c. 1. & alibi. tom. 1. tract.

Sed poſſet quis meritò obiicere, qua ratione petimus aduenire regnum Dei, quod ille ab æterno habuit, & ab initio ſeculorũ poſſedit? Ait quippe Dauid: *Regnum tuũ regnũ omnium ſeculorũ; & dominatio tua in omni*

Dei quod ille ſemper habuit regnum quod petimus aduenire.
Pſalm. 144.

genera-

Pſalm. 78.
Pſal. 5. & 83.
Pſalm. 95.
1. Tim. 1.

generatione, & generationem: rurſus, *Deus autem Rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ:* vnde Dauid Dominum, Regem ſuum vocat: *Rex,* inquit, *meus, & Deus meus,* & ad eum adorandum omnes inuitãs ait: *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnem terram:* & Paulus ad Timotheum, vocat illum Regem ſeculorũ, dum ait: *Regi ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.*

Si Deus eſt Rex noſter ante ſecula, quomodo Rex dicitur ſeculorum?

Neque pugnat hæc petitio cum ſententia Dauidis dicentis, Deum eſſe Regem noſtrum ante ſecula, & dicere, Regem ſeculorum: Reſpondendum eſt enim, Deum fuiſſe Deũ ante omnia ſecula, & antequam mundum conderet: ſed non potuit, vel vocari, vel eſſe dominus aut Rex, quia nondũ erant populi ſibi ſubditi, in quos regnaret, niſi fortè in Dei prædeſtinatione. Si verò rem ipſam reſpiciamus, non niſi à ſeculis Rex eſſe cœpit, vt Paulus ait. Quod ergo ait Dauid: *Deus noſter Rex ante ſecula,* illud, ante ſecula, referendum eſt ad verbũ Deus, & non ad, Rex noſter, vt ſit ſenſus ſuauis: Deus qui eſt ante ſecula, & qui ex tempore cœpit eſſe Rex noſter, operatus eſt ſalutem, &c. Non poſſumus etiam petere illis verbis Regem, quia à principio mundi Rex, & Dominus fuit: nec vt poteſtatem illi nouam conferat, quàm à ſeipſo ab æterno habuit, & quam Nabuchodonoſor, viſo miraculo trium puerorum in fornacem ignis cõiectorum, prædicauit: vnde edicto omnibus populis, & gentibus, & linguis ſcripſit hæc verba; Signa, & miracula fecit apud me Deus excelſus. Placuit ergo mihi prædicare ſigna eius, quia magna ſunt: & mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius, quia regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generatione, & generationem. Idem poſteà confeſſus eſt, quando vitio ſuperbiæ ſuæ iuſtè Deo humiliatus fuit: & in beſtiã mutatus, & miſericordia ſua regno ſuo reſtitutus. Nam benedixit Deũ cœli, & confeſſus eſt potentiam æternam, & regnum eius extendi per omnes generationes. Et quemadmodum Rex, & poteſtas eius ſunt ab æterno, ita etiam ſolium eius, & ſceptrũ ab æterno exiſtit. Quam ſedem corporaliter deſcribit Propheta in cœlo, quod metaphoricè ſedes eius regia dicitur: *Cœlũ mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorũ.* Vt videas quã parui ſint Reges, qui terræ partes occupant, ſi conferantur cum Deo, cuius ampliſsimum regnum ex eius ſede, & ſcabello licet coniectare. De ſceptro etiam huius Regis loquitur Dauid, cũ ait: *Virga directionis virga regni tui.* & declarãs hanc directionẽ, ſubdit: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatẽ.* Amor enim iuſtitiæ, in quo eſt remuneratio, & odiũ peccati, in quo eſt eius punitio, rectum conſtituunt regnum Dei.

Regnum eſſe æternũ eiuſque poteſtatem æternũ.
Dan. 3.

Daniel. 4.

Dei quoque ſolium & ſceptrum probatur æternum.

Eſai. vlt.
Matth. 5.

Pſalm 44.

Regni Dei directio qualis.

Non etiam petimus, vt hic Rex habeat nouos militũ exercitus, qui à ſeculo Dominus exercituũ dicitur, & de quibus ait Chriſtus: *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?* Neq; deſunt huic magno Regi Deo ſubditi, qui ab initio in vniuerſis mundi nationibus per inditũ rationis lumen, & legem naturæ, & magnos, & ſapiẽtes viros, quos ad eas deſtinauit, regnauit & regnat, vt paſsim dicunt Scripturæ. Si ergo Deus Rex eſt ſeculorum, & poteſtatẽ ab æterno habet, & ſoliũ, & ſceptrũ, & exercitus, & populos ſubditos, quid eſt ergo quod petimus: *Aduenit regnum tuum?* Reſpondent quidam nihil horum nos à Deo petere, ſed tantùm vt regnum Dei adueniat nobis, id eſt, vt mundo ignaro, & rudi perſpectum, & manifeſtum fiat regnũ Dei. Nam ſicut lux etſi præſens ſit cæcis, eis tamen eſt abſens, quòd nil lucis illis confe-rat: ita regnum Dei etſi vbique adſit, cæcis tamen, aut volentibus oculos claudere, ignotum eſt. Et quemadmodum petimus ſanctificari nomen Dei, optando ſanctitatem nominis ſui omnibus innoteſcere, & apud omnes illuſtrari, ita expetimus aduenire cognitionem huius ſempiterni regni Dei, & in omnes diffundi. Hæc reſponſio etſi piè excogitata ſit, poſſet tamen in illam obiici, per multos olim extitiſſe, qui hoc regnum Dei ſempiternum non ignorarũt: nam ſemper ſignis, & miraculis, & horrendis pœnis de impiis ſũptis ſatis declarauit Deus ſe Regem eſſe, vt cùm puniuit turris Babylonicæ ſtructores, & infames illas quinque ciuitates, & Aegyptios affligentes populum Dei. Conſtat etiam, Regem Nabuchodonoſor bis confeſſum fuiſſe Dei regnum. Multi etiam Græci & Philoſophi Romaniq; de regno Dei cognouerunt, & philoſophati ſunt, ſcriptiſq; tradiderunt: omnes etiam præter paucos, Dei prouidentiam aſſeruerunt, mundũ hunc vniuerſum, & præſertim res humanas, tanquàm regnũ quoddam ſuauiſsimè à Deo tanquàm à Rege, atque ſapientiſsimè diſponi & gubernari cognouerunt.

3. Reg. 19. & alibi paſſim.
Matth. 26.

Eiuſdem robur, & potentia.

Propoſitæ de aduentu regni Dei aliorum æternæ dubitationis prima ſolutio quorundam.

Ea quid incõmodi habeat

Geneſ. 11.
Infrà 19
Exod. 7. 8. 9. 10. 12. & 14.
Dan. 4.

Quare, meo iudicio, plenius & certius huic dubitationi ſatisfaciemus, ſi dixerimus, hîc non eſſe ſermonem de regno illo vniuerſali, quo Deus vniuerſis nationibus imperat, ſed de regno quodam peculiari & ſingulari, quo Meſsias Rex promittitur regnum nouum inſtituturus, in quod non ſolum Iudæi, ſed Gentes etiam ſint conuo-

Altera commodior ſolutio, ac certior.

candæ ex vniuerſis mundi partibus; quos tanquàm Dei filios & ſibi chariſsimos fratres ſit gubernaturus, & per Euangelium inſtructurus, & per Sacramenta ſanctificaturus, & æterna vita, id eſt, ſui viſione etiam in corporibus ſuſcitatis, & glorificatis remuneraturus, hoc eſt, regnum Dei, ſiue regnum cœlorum toties in Euangeliis decantatum & celebratum, totque parabolarum ſimilitudinibus inculcatum. Atque hoc regnum initium habuit à Chriſto, & Apoſtolis, & finem habebit, cùm Chriſtus tradiderit Deo & Patri regnum, & euacuauerit omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, vt ait Apoſtolus: quòd quomodo ſit intelligendum, infrà explicabitur. Atq; hic ſenſus mirificè congruit cum his quæ præcedunt, & quæ ſequuntur. Etenim dicere, *Pater noſter qui es in cœlis*, tantū filiorum eſt, & in gratiā Dei receptorum. Dicere, *Sanctificetur nomen tuum*, non eſt, Pagani, aut Iudæi, ſed eius qui nouit quanti ſit gloria Dei facienda, & nomen eius illuſtrandum. Idem oſtēdit quod ſequitur, *Fiat voluntas tua. ſicut in cœlo & in terra*: nam facere voluntatem Dei vtcunq;, omnium eſt: at facere, quomodo fit in cœlo, eorum tantùm eſt, qui hoc Dei regnum ſpirituale agnouerunt.

Regni Dei quod petimus, quod initium, & finis.

1. Cor. 15.

Ille poſterior ſenſus quam congruus, ac probabilis ſit

¶Iam verò, ſicut non ſemel dictum eſt, pluribꝰ modis dicitur regnum Dei, ſiue regnum cœlorum. Namque inprimis accipitur pro ipſo Chriſto, Rege & autore huius regni. Ideò cùm à Iudæis audiſſet, *In Beelzebub Principe dæmoniorum eÿcit dæmonia*, dixit, *Si ego in digito Dei eÿcio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum Dei*, vocans ſe ipſum regnum Dei, tanquàm ille qui debellando dæmonia, comparabat ſibi regnū Dei. Se ipſum etiam liberè confeſſus eſt Regem coram Pilato, & Pilatus titulo illum Regem eſſe declarauit. Turbæ etiam in ingreſſu eius ſolenni in die Palmarum clamabant, *Benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid*, hoc eſt, Meſsias filius Dauid, & in eius regno adumbratus. Idē interrogatus à Phariſæis, vel ſeriò, vel ex deriſione, vel curioſitate, *Quādo venit regnum Dei?* quaſi dicerent, Te iamdudū, multumq; de regno Dei diſſerentē audiuimus; & populo quaſi perſuaſum eſt, te eſſe Meſſiam: ſi regno tu is es quē expectamus; quādo tandem incipies regnare? nihil enim in te Regium præfers: reſpondens eis dixit, *Non veniet regnum Dei cum obſeruatione: neq; dicent, Ecce hic, aut Ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt*: ſignificans Dominus. Non veniet more regni mundani cum pompa, & faſtu, & ſatellitibus, vt vos cogitatis: & aliquando Apoſtoli cogitabant; & Herodes nato Rege Iudæornm commotus eſt. Non veniet, vt poſsit obſeruari vel tempus, vel locꝰ, vel vt verè poſſit dici, Ecce hîc habet aulam, Illic habet exercitū, huic aut illi ciuitati dominatur. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt, quaſi dicat, Animas potiùs fide, ſpe, & charitate regit Meſsias, quàm corpora: aula eius ſunt corda humana, in quibus per fidem habitat, ſicut regnū peccati & dæmonis, cui opponitur in cordibus eſt: aut certè is, de quo vos quæritis, in medio veſtrum eſt. Quibus verbis apertè ſe regnum Dei vocauit, quod & conteſtantur illa verba ſequentia, cùm ait: *Venient dies quando deſideretis videre vnum diem Filÿ hominis: & non videbitis.* Ioſeph etiam ab Arimathia dicitur vir bonus & iuſtus, qui expectabat & ipſe regnum Dei, id eſt, aduētum Meſſiæ, cuius expectatione omnes iuſti tūc tenebantur.

Regni Dei variæ acceptiones.

Luc. 11.

Ioan. 18.
Infrà 19.
Marc. 11.

Luc. 17.

Quid illud: Non veniet regnum Dei cum obſeruatione, Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.

Matth. 2.

Luca. 17.

Infrà 23.

Secundò, regnum Dei accipitur pro ipſa Dei Eccleſia, quæ tanquàm populus ſubditus huius tāti Regis eſt, & in ea regnat per Fidem; & Euangelium, de quo Dominus; *Regnum meum*, inquit, *non eſt de hoc mūdo*. Nam qui Chriſtum profitentur, renuntiant Satanæ & mundo, & ſpectant regnum Dei; quod quia de cœlo venit, ait, *Regnum meum non eſt hinc*: de quo regno aiebat Dominus, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, nō poteſt introire in regnū Dei*, id eſt effici membrū Chriſti, & pars Eccleſiæ; & Paulus ad Coloſſen. 1. Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ; & Dilectus in Apocalypſi, *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram*; & Angelus, *Regnabit in domo Iacob*, ſcilicet in Eccleſia. De hoc dixerūt Iudæi, *Nolumus hunc regnare ſuper nos*, quaſi dicerent, Nolumus eſſe huius regnū. In hunc ſenſum ait Dñs, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*: quod etſi de Chriſto ab illis ablato, ſiue de Euangelio, quod illis eſt abſcōditū, intelligi valeat, propriè tamen regnū Dei vocat gubernationem vineæ, ſiue Eccleſię Dei, quæ ab illis ſublata eſt, & aliis miniſtris, id eſt, Apoſtolis, commiſſa. Habet hoc regnum ſuam legem, ſuos miniſtros, ſupplicia ſua, quibus rebelles afficit, tum in pręſenti per excommunicationem, tum in futuro per gehennam ignis: Habet ſuū tribunal, in quo cauſſæ ſpirituales animarum aguntur, nimirum Sacramentum Pœnitentiæ. Habet ſua priuilegia & immunitates. Habet ſuam menſam Regiam, quæ in Sacramento Euchariſtiæ proponitur. Habet ſuam libertatem, & præmia æterna; ita vt veri regni imaginem & ſimilitu-

Secunda regni Dei acceptio.

Ioan. 18.

Suprà 3.

Coloſ. 1.

Apoc. 5.

Luc. 1.
Infrà 19.

Matth. 21.

Quod propriè regnum Dei fuerit Iudæis ablatum.

Eius regni partes.

dinem

diuem gerat. Habet etiam ſuos hoſtes, quibus cum perpetuò belligeratur, Dæmonē, Carnem, & Mundum, Habet ſuos rebelles & contumaces, Hæreticos & excommunicatos omnes. Habet deniq; ſubditos, quorum eſt pendere Regi tributū per fidem, ſpem & charitatem, & bonorum operum

Tertia regni Dei ſignificatio.

ſtudium. Tertiò accipitur pro ipſo Euangelio, & fide ſiue gratia, quæ per illud porrigitur: & in hunc ſenſum Apoſtolus dixit;

Rom. 14.

Non eſt regnum Dei eſca & potus; ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto; & iterum;

1. Cor. 4. Actor. 19. Infra. 28.

Non enim in ſermone eſt regnum Dei; ſed in virtute. Eodem ſenſu dicitu Act. 19. Paulū diſputaſſe & ſuaſiſſe de regno Dei: & c. 28. exponebat, teſtificans regnū Dei, nempè Euangelium; & ad Coloſſ. 4. eos qui erant ex

Coloſſ. 4.

circumciſione, dicit eſſe adiutores ſuos in regno Dei, id eſt, Euangelico miniſterio, Eodem ſignificatu dictum eſt à Domino,

Marc. 10. Ibidem.

Quiſquis non acceperit regnum DEI velut paruulus, non intrabit in illud; &, *Sinite paruulos venire ad me: & ne prohibueritis eos: talium enim eſt regnum Dei*; *Nemo mittens manū ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno*

Luc. 9.

Dei, & Mar. 12. *Videns quendam Scribam quòd ſapienter reſpondiſſet, dixit illi, Non es longè à regno Dei*, id eſt, ab Euangelio, & doctrina

Quarta & vltima.

eius. Quartò accipitur regnum Dei pro mercede vitæ æternæ, ſiue gloria cœleſti: de qua, *Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*; &, *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnū cœlorum*;

Matth. 5. Matth. 7. Actor. 14.

&, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; & Dominus in die iudicij dicturus eſt; *Venite benedicti Patris mei, poßidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*: &

Matth. 25 Matth. 13. 1. Cor. 6.

iterum, *Tunc iſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum*: & Apoſtolus; *Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, &c. regnum Dei poßidebunt*: ac Petrus, *Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti*: & ſexcenta

2. Pet. 1.

huiuſmodi ſunt loca: & Latro in Cruce Chriſtum agnouit Regem, cùm dixit, *Domine, memento mei; cùm veneris in regnū tuum*,

Luc. 23.

In regnum ſuum quādo venerit Chriſtus.

Nam intrauit Chriſtus in regnū ſuū (quod ad corpus attinet) in die reſurrectiōis, quēadmodum cùm oſtēdit corpus glorioſum in monte transfiguratus, dixit; *Sunt quidam de hic ſtantibus qui nō guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo*.

Matth. 16.

Latroni Chriſtus in Cruce regnū cur promiſerit & Paradiſum.

Quanquàm latroni Dominus illo eodē die promiſerit regnū, quo indicaret, ſe regnū in ſeipſo, etiam crucifixo, habere, quod ad animam attinet, & poteſtatem habere illud communicandi cum aliis, quos ſua gloria detecta & declarata reddidit beatos. Tamen hoc regnum tunc perfectum erit, vt Apoſtolus teſtatur, quando nouiſsimè inimica eius deſtruetur mors; & totum hominem ſecundùm vtramque partem beabit.

1. Cor. 15.

Ait enim Paulus, *Deinde finis, quum tradiderit regnū Deo & Patri, quum euacuauerit omnem principatum & poteſtatē, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouißimè autē inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Quum autē dicat, Omnia ſubiecta ſunt ei: ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Quū autem ſubiecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ſibi omnia, Vt ſit Deus omnia in omnibus.*

Pſalm. 109.

Hæc Paulus. Vbi notandum eſt, in primis Chriſtū regnare vſq; ad diem reſurrectionis: ſed tamen eius regnum non eſſe pacificum aut quietum, ſed plenū bello & contentione. Regnat enim pugnando, & debellando hoſtes, donec ponat illos ſub pedibus Patris ſui. Hoc autem tunc erit, quādo euacuauerit omnem principatum & poteſtatem: per quæ non intelliguntur ſoli Dæmones, qui Principes mūdi dicuntur & poteſtates, qui non ceſſant bellū indicere regno Deo, ſed etiam Principes infideles & pagani, qui poteſtate & copiis abutuntur, & regnum Dei, atque adeò nomen Chriſtianum, nituntur extinguere, & regnum dæmonis, quantum poſſunt, amplificare conā[illegible]. Enumeratur inter inimicos regni Dei mors ipſa, Deus enim mortem non fecit: ſed inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: Chriſti autem poteſtas ſupra mortē, probatur ex verbo Dauidis, qui dixit; *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Et quia dixit omnia, nihil excludendo, etiam ipſam mortem ſubiecit pedibus Filij: qua deſtructa in Filio Dei, & in omnibus membris eius, regnum Dei erit perfectum.

Regnet nunc quomodo Chriſtus.

Epheſ. vlt.

Quos Chriſtus inimicos ponet ſub pedibus ſuis.

Sap. 2.

Pſalm. 8.

1. Cor. 15.

Dicitur autem Filius tradere regnum à ſe comparatum, Deo, & Patri: quia ſeipſum in omnibus membris ſuis, & fidelibus, in quibus regnum Dei ſitum eſt, Patri tradet, & ſeipſum cum illis ſubiiciet pedibus eius. Quaſi dicat Filius; Pater, complacuit tibi ponere omnia ſub pedibus meis: & ego ſubdo me ipſum tuis cum omnibus his, qui fidem in me habendo in te crediderunt, & per me, tanquàm per oſtium, ingreſsi ſunt in regnum tuum. Quod ideo perfectum eſt, quia non habet ampliùs inimicos vel rebelles; non eſt ſubiectum inſidiis, aut periculis; non habet bella aperta, aut ſeditiones occultas; extra illud iam ſunt omnes impij, & hypocritæ: non ſunt in eo vlla peccata, aut ſcandala. Intellige autem hanc ſubiectionem Filij, quod ad Humanitatem attinet: nam quantum ad diuinitatem,

Quomodo Chriſtus regnum tradat Deo, & Patri.

Ioan. 10.

Vnde regnū erit Chriſti perfectum.

Chriſtus etiā vt Patri ſubiciatur.

par eſt per omnia, & æqualis Patri, & Spiritui ſancto Filius, & toti Trinitati Humanitas ſubditur. Quod ait, Filiũ tradere Patri regnum, nõ ita intelligas, vt ſe ipſum illo ſpoliaturus ſit: nam quemadmodum Pater Filio contulit vitam, & ſapientiam, neque tamen ſe illis ſpoliauit; ita Filius tradit regnũ Patri, nequaquàm illud à ſe alienãdo, ſed vt Imperator Romanus, qui prouincias bello, & ſanguine comparatas, atq; adeò ſe ipſum, Reipublicę ſubiiciebat, atq; ſubmittebat: Ita Chriſtus Patri.

Quomodo id accipiendum: Cùm tradiderit Chriſtus regnum Deo & Patri. *Ioan. 5.*

Cùm verò dixit: *Erit Deus omnia in omnibus*, eum habet ſenſum, quòd in nulla re cernentur affectus niſi diuini: neque peccata niſi punita. Videbitur mors mortua, vita immortalis, lætitia ſempiterna, lumen ſine tenebris, ſpectabuntur Angeli, Patriarchæ, & Prophetæ, & Apoſtoli, & denique omne bonum, excluſo omni malo.

Deus vt erit omnia in omnibus. *Eſai 61.*

Cùm igitur tot modis accepi poſsit regnum Dei, iam ſupereſt inueſtigare, quæ ſit germanior huius vocis in hoc loco acceptio, cùm dicimus: *Adueniat regnum tuum.* Quibus verbis non eſt veriſimile nos poſtulare regni Dei aduentum in primo ſignificatu, quia, velimus nolimus, & venit hactenùs, & veniet: etſi illo modo interpretentur Ambroſius, Hieronymus, & Caietanus; qui volunt, illam particulam poſitã in tertia petitione, *Sicut in cœlo, & in terra*, extendi ad duas priores: ſed ita hæc ſecunda petitio aduentus regni non eſſet diuerſa à priori de ſanctificatione nominis, aut à tertia, *Fiat voluntas tua.*

Regnum Dei hoc loco quomimè intelligitur.

Ambroſ. li. 5. de Sacra c. 4. circa med. tomo. 4. *Hieronym. in Matth. lib. 1 tom. 9.* *Caiet. ibid.*

Alter ſenſus etiam incongruus.

Rurſus, non eſt probabile, quòd petamus Chriſti aduentum iam factum, vel aduentum doctrinæ Euangelicæ, quæ iam per totum orbem diſſeminata eſt: nam *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, vt Cyprianus interpretatur.

Pſal. 18 & Rom 10. *B. Cypria. ſer. 6. de orat. Dom.*

Illud igitur reliquum eſt, vt regnum Dei pro militanti Eccleſia accipiatur, vel pro mercede vitæ æternæ, & cœleſtis gloriæ, ad quam aſpiramus, vt Auguſtinus, & Chryſoſt. & Theophylactus teſtantur. Nã etſi Dei Eccleſia, quæ regnum eius eſt, à tempore Chriſti cœperit, & per Apoſtolos fuerit propagata; vult tamen Deus, vt noſtris precibus & votis huius regni perpetuitatem, atque amplificatonem expetamus. Nam vt regna terrena armis comparantur, ita regnum hoc cœlorum armis ſpiritualibus orationum, & lacrymarum, ſanctorumq; deſideriorum cõſeruatur, augetur, & perficitur. Poſt diuini ergo nominis ſanctificationem, quæ primũ locum in cordibus noſtris habere debet, ſecundus, & illi proximus eſt eſuries & ſitis ſalutis animarum, neque tantùm propriæ animæ, ſed omnium. Vt nihil ſit aliud dicere, Adueniat regnum tuum, quã petere vt Eccleſia Dei propagetur, numero, & meritis fidelium augeatur; Iudæi atque Pagani diſcuſſis ignorantiæ tenebris in hoc regnum ſe recipiant; peccatores ad cor redeant, iuſti maiores progreſſus in iuſtitię operibus faciant; paſtores & miniſtri verbi Dei, tanquàm veri operarij, qui opere, & ſermone potentes ſint, ad eam deſtinentur. Nihil aliud petimus his verbis, quàm vt dæmones, huius regni hoſtes capitaliſsimi, deſtruantur, eorumque inſidiæ, & impij conatus Angelorum ope conſringantur; Turcarum, & Paganorum, qui nobis moleſti exiſtunt, imperium imminuatur, atque debilitetur; hæreticorum, & ſchiſmaticorum artes & machinamenta nobis detegantur, & in eorum capita recidant. Denique poſtulamus, vt quicquid promouere poteſt regnum Dei, nobis donetur; quicquid verò impedire, aut infeſtare illud poteſt, ſummoueatur.

Tertius ſenſus cõgruus, & accommodatus. *Aug lib. 2 de ſerm. Dom. in mon. cap. 10. cir. finem.* *Chryſoſt. ho. 20. in Matth. tom 2.* *Theophy. ibi.*

Quomodo regnum cœlorum comparetur.

Quid ſit dicere, Adueniat regnum tuũ. *Eſai. 46.*

Si verò regnum Dei pro ſtatu Eccleſiæ triumphantis, in qua regnãt omnes, qui ad illam admittuntur, & à Chriſto Rege ad regnum paratũ à conſtitutione mundi vocantur, quod recipiunt tanquàm mercedẽ & coronam ſuorum meritorum, accipiamus; rectè poſt diuini nominis gloriam illud expetimus: tum quia regnum illud abſolutè perfectum eſt, omnique ex parte beatum, & quod maximè vox regni Dei ſignificat. Deinde quia hoc conſonat cum præcepto Chriſti dicentis: *Primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis:* & cum votis & deſideriis Sanctorum, quorum eſt dicere, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, quorumque eſt per multas tribulationes in illud intrare. Nam etſi Sancti & fideles tales ſint, in quibus Deus modò regnet, & ipſi per liberum arbitrium illi operantes atque deſeruientes quodammodò in ſeipſis regnent, iuxta illud Eccleſiæ, *Seruire Deo, regnare eſt:* non ignorantes tamen, hoc regnum coniunctum eſſe cum bello contra mundum, & Satanam, atque adeò contra carnem propriam, & cum multis periculis & laboribus eſſe annexum; meritò qui ciues ſunt Sanctorum, & domeſtici Dei, ad aliud cœleſte regnum ſuſpirant, illud affectant & amant, omnique ſtudio ante omnia diligunt & requirunt; cùm intelligant, illud omni ex parte eſſe pacatum atque tranquillum, & potius regnum Dei, quàm regnum Chriſti, quod cum bello & ſeditione coniunctum eſt: vt diximus ex

Quàm aptè regni Dei, id eſt glorię cœleſtis aduentus poſt Diuini nominis ſanctificatione poſtulamus. *Matth. 25.*

Philip 1. *Actor. 14.*

Ephe. 2.

Regnũ Dei, & regnum

Chriſti in q. bus duobus regnis fuerunt adumbrata.

Paulo. Regum autem Dei delineatum fuit in illo Salomonis quieto & pacato, ſicut regnum Dauidis turbulentum & inquietum, Chriſti regnum adumbrat. Eſt autem perinde dicere, *Adueniat regnum tuum*, ac petere Fidei, Spei, & Charitatis augmentum, bonorum operum cumulum, victoriam tentationum, patiẽtiam in perſerendis malis, in bonis perſeuerantiam, iugemque & aſsiduam ad Deum deprecationem, tum pro nobis, tum pro aliis expoſcere, quo tãdem ad illud cæleſte regnum poſsidendum perfruendumq; peruenire mereamur; vt eius rei gratia quam primùm animi qui in Purgatorio detinentur, liberati, ad illud euolent, Hæc de ſecunda quæſtione.

Cur potius orem⁹ regnũ Dei vt adueniat, quam vt nos in regnũ Dei adueniamus.

Luc. 12.

Supereſt breuibus tertiam explicare, quorſum ſcilicet Dominus dixit, *Adueniat regnum tuum*, & non potiùs, Adueniamus in regnum tuum, vel, Introduc nos in regnũ tuum, vel, Da nobis regnum tuum, velut ipſe Chriſt⁹ dixit, *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum?* Dicendum eſt; nõ poſſe nos in regnum Dei introire, niſi prius regnum Dei venerit ad nos: neque in aliud aſcendere, niſi prius ad nus deſcenderit; neque poſſe nos regnum Dei apprehendere, niſi prius illud nos apprehenderit. Nec enim, v.g. accipiendo regnum in prima ſignificatione, pro Chriſto, ad illud nos peruenire poſſemus, niſi ipſe prius homo factus ad nos deſcendiſſet, ſeque ipſum expectandum, fideque adipiſcendum propoſuiſſet. Ideo ipſe dicebat; *Appropinquauit in vos regnum Dei*: nõ inquit: Vos appropinquaſtis regno Dei. Neq; rurſus quiſq; in hoc regnum admitti, & eius pars effici poſſet, niſi anteà Chriſtus tanquã Paſtor bonus quęreret nos vt errãtes oues, & in ouile regni ſui reduceret. Neq; etiam in vitam æternam, in qua eſt perfectio regni Dei, nos poſſemus quouis modo aſcendere, niſi prior gratia Dei in nos deſcenderit. Vnde Paulus dixit, *Gratia Dei, vita aterna*. Quoniam igitur Deus præuenit vos in benedictionibus dulcedinis, neq; nos priores fuimus in diligendo, ſed ipſe prior dilexit nos, & prior quæſiuit nos, & ob hoc ipſum Apoſtolos miſit in vniuerſum orbem ad diſſeminandũ Euangelium, & participandam Dei gratiam, & porrigendum Chriſti lumen: meritò dicimus; *Adueniat regnum tuum*. Et hac humili confeſsione, qua Dei gratiam nos peruenire profitemur, meritò digni efficimur, quos Deus ſic precantes exaudiat, & vt regnet modò in nobis per gratiam, quæ gloria eſt inchoata: & poſteà regnet per gloriam, quæ gratia eſt conſummata, nos electos & vocatos, & iuſtificatos ad ſui regni conſortium admittendo, per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt cum Patre, & Spiritu ſancto par gloria, honor, maieſtas & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Suprà 10.

Ioan. 10.
Luc. 15.

Rom. 6.
Pſalm. 20.
1. Ioan. 4.
Marc. vlt. & Matth. vlt.

TRACTATVS XLIX.

In illa verba: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.*

PETITIO Hæc non omninò eſt eadem cum præcedenti, ſed aliquid ab ea diſtinctum, imò potiùs illam cõſequens. Nam tunc dicitur aliquis regnare in aliqua prouincia, cùm eius dicto & voluntati obediunt omnes. Cùm igitur Deus in Eccleſia regnet: par eſt, vt in ea Dei voluntas fiat. Ad hæc, nulli in Eccleſiam Dei, quę regnũ Dei eſt, aditus patet: vel eius pars vel membrum effici poteſt, niſi illa quæ præſcripſit Deus ad ingreſſum in regnũ & cæremonias ſacras, quas ipſe ſua voluntate cõſtituit, vt Baptiſmum & catechiſmum, qui illum præcedit, obſeruet. Rurſus ad æternum gloriæ regnum nemo poteſt perueni re, niſi mandata Dei & Eccleſiæ, in quibus pateſacta eſt Dei voluntas, & cętera omnia quæ ad pacem, & Eccleſiaſticam ſpectant diſciplinam, ſeruare contendat. Ideo iure factum eſt, vt precationem illam, *Adueniat regnum tuum*, conſequatur petitio hæc: *Fiat volũtas tua, ſicut in cælo, & in terra*. Hinc Chryſoſt. *Vides ne optimam conſequentiam? Nam cùm deſiderium imperauit futurorum, atque ad perfectionẽ illã nos iuſſerit ſemper vrgeri: quandiu tamen illuc non pergimus, etiam hic degẽtes iubet cõuerſationem cum cæli habitatoribus habere communem. Nam deſiderari quidem conuenit cælos; & ea, qua habentur in cælis: tamen & antequàm ſuperna illa praſtetur habitatio, cælũ quodammodò fieri iuſſit è terra, vt ſcilicet tales ſint etiã dum in ea degunt, ita & omnia faciant, loquantur, quaſi qui prorſus cõuerſentur in cælo.* Ita ille magnus Pater. Huic autem poſtulationi poſſet aliquis obiicere; qua ratione id precamur, quod ſiue petamus, ſiue nõ, omninò futurum eſt? Etenim Dei volũtatem fieri sẽper, quis valeat ignorare, qui ſacros codices legerit? Scriptum eſt enim: *Omnia quacunq; voluit Dominus fecit in cælo & terra, in mari, & in omnibus abyſsis.* Et iterum; *Deus autẽ noſter in cælo omnia quacunq; voluit, & fecit*; & Salomon eius filius: *Multa cogitationes in corde viri; voluntas autem Domini in aternũ permanebit*: & Apoſtolus. *Voluntati eius quis reſiſtit?* & ad Epheſ. *Operatur omnia ſecũdum conſilium voluntatis ſua*: & Mardochæus piè

Hanc petitionẽ à ſuperiori eſſe diſtinctam oſtẽditur.

Illã hæc proximè cur ſequatur ſecũdùm Chryſoſtomum.

Chryſo hom. 20 in Matth. ſub init. to. 2.

Dei ſine nobis facienda alioqui, cur petimus fieri voluntatem?
Pſalm. 134.
Pſalm. 113.
Prouerb. 19.

Rom. 9.
Epheſ. 1.

Eſther.13.

dixit: *Domine Rex Omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poßit tua reſiſtere voluntati.* Et Eſaias, *Conſilium meũ ſtabit & omnis volũtas mea fiet.*

Eſai. 40.

Quàm efficax ſit voluntas Dei.

Quid igitur eſt ꝙ petamus, *Fiat voluntas tua?* num vt Deus noſter quod vult faciat? Nihil minus. Volũtas enim Dei ſemper fit, etſi nos, vt fiat, nũquàm poſcamus. Non ergo petimus Dei voluntatem perfici, quæ omnipotens eſt, & omnium quicunque illi rebellarunt, victrix, & vltrix: vt Angeli primi peccantis, quem cœlo deturbauit, & præcipitauit in profundum inferni; vt primorum parentum, quos vt contumaces de paradiſo expulit; vt Pharaonis, quem reſiſtentem cum toto exercitu ſuo in mari rubro ſubmerſit; vt Nabuchodonoſor, quem rebellem, & ſuperbũ omni ſenſu priuauit humano, & in feram commutauit. Denique vt Iob ait: *Quis reſtitit ei, & pacẽ habuit?* quaſi dicat; Poteſt quis Deo reſiſtere, ſed magno cum ſuo malo: nam pacis nomine Hebræi omnia bona complectuntur. Hinc Dominus reſiſtentes ſuæ volũtati deplorans Iudęos, ait; *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti?* quia nimirum præſciebat futura mala quæ illis imminebãt, eo quòd voluntati diuinę repugnaſſent. Propterea ſubdit; *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

Eſai.14.

Geneſ 3.
Exod. 14.

Dan 4.

Iob 9.

Pacis nomine omnia bona cõplectuntur Hebræi.

Matth. 23.

Dei quoque volũtas quã potens.
Sap.12.

Eſt autem Dei voluntas omnipotens, quia vt dicitur in libro Sapiẽtiæ, *Subeſt tibi cùm volueris, poſſe:* id eſt, Tam promptũ eſt tibi poſſe, quã velle: quod nullo potentiſsimo Regi, aut Monarchę contigit. Multa enim volunt, quæ non aſſequũtur: vellent enim ditionem ſuam amplificare, hoſtes ſubigere; & plerunque non poſſunt. Aliud ergo per hæc verba petimus, nempè vt nos facere poſsimus, quod à nobis fieri vult Deus. Vnde Cyprianus; *Dicimus, Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra: non vt Deus faciat quod vult, ſed vt nos facere poßimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obſiſtit; quo minus quòd velit, faciat? Sed quia nobis à diabolo obſiſtitur, quominùs per omnia noſter animus, atq; actus Deo obſequatur; oramus, & petimus vt fiat in nobis voluntas Dei: quæ vt fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ope eius, & protectione; quia nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed Dei indulgentia, & miſericordia tutus eſt.* Talia Cyprianus.

Cùm dicim⁹: Fiat voluntas tua, quid poſtulemus.
Cypria ſer. 6. de orat. Dominica.

Dei voluntas beneplaciti, Theologis quænam.

Quæ vt magis explicentur, conſtituẽdum eſt, duplicem à Theologis aſsignari Dei voluntatem: alteram quidem, quam vocant abſolutam, ſiue beneplaciti, quia Deus vult aliqua omninò euenire: quot vt commodiùs fiat, applicat cauſas determinatas, quæ huiuſmodi determinatum, & neceſſarium euentum producant, tam in vniuerſo mundo gubernando, quàm in electis, ſiue prædeſtinatis, quibus neceſſaria, & idonea adiumenta & præſidia ad ſalutem comparandam præparauit, vt certò determinatam ſalutem aſſequantur. Hæc autem voluntas ſemper fit, & quod ad vniuerſum gubernandum ſpectat, ſemper fiet ſine noſtra precatione: & quantum ad electos idem cõtingeret, niſi precatio, vt via, & ratio conſequendæ ſalutis eſſet pręſtituta, & ordinata. Nam tunc omninò eſt neceſſaria, & ſemper fiet, quia Deus de his ita conſtituit: Quia volo his certum finẽ gloriæ concedere; volo & rationes, & inſtrumenta opportuna adhibere. Nam ſine his neminem ſaluat, etiam abſolutè electum. Quòd ſi eiuſmodi precatio nõ eſſet in eum finem à Deo inſtituta; poſſemus tamen ex amore & beneplacito eum orare ad finem ſalutis commodiùs aſſequendum.

Hæc quomodo voluntas Dei fiat.

Cõditio prędeſtinationis requiſita.

Voluntas ſigni, ſeu antecedens quænam illa.

Præter hanc eſt alia Dei voluntas, quæ dicitur Signi, ſiue voluntas Antecedens, qua, nondum in oculis ſuis meritis vel demeritis hominum præuiſis, benignè, & ſub conditione voluit illos in CHRISTO à peccatis mundare, & in ſalutem prouehere æternam: ſi quidem nos gratia eius, & fide præuenti mandata eius cuſtodiamus, & alia ad hunc finem cõſtituta pręſidia acceptemus, neque aliter ſalutem æternam conferre decreuit. Nam hac voluntate dicit, Volo tibi dare vitam æternam, ſi velis mea gratia adiutus ſeruare mandata. Et ponit in noſtra voluntate hoc ſitum eſſe: itemque ponit, Deum prouidiſſe creaturam rationalem, & finem gloriæ, & adiumenta ad illum præfixa; nondum tamen videre pro illo temporis puncto, an viam à ſe præfixam ambulet, nec ne. Et quomodocunque hîc accipiatur voluntas, opus eſt per Hebræam phraſim intelligere id ꝙ Deus vult: nam propriè voluntas Dei, cùm ſit æterna, & ipſemet Deus, non fit. Ergo fiat voluntas tua, id eſt, id quod vis, ſiue voluntate antecedenti, ſiue conſequenti, ſiue ſigni, ſiue beneplaciti. Hanc igitur Dei voluntatem bonam antecedentem ita petimus fieri, vt noſtra mala voluntas, quam non niſi liberè ſaluare decreuit, diuinam illam ſuam ac bonam nõ impediat, quæ vt talis, id eſt, vt cognita tantùm natura à ſe condita, cognitiſque fine & ſubſidiis ad illum neceſſariis, non poteſt velle pœnam vllam, ſicut nec culpam, quia alioqui placeret ei malum per ſe, id eſt, quatenùs malum eſt: quod longè alienum eſt à Diuina voluntate, de qua dicitur; *Non Deus volens iniquitatem tu es*; & rurſus, *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione*

Hebraiſmus.

Dei quoque antecedẽs voluntas quomodo fiat.

Pſalm. 5.
Sap. 1.

viuo-

B. Damaſ. li. de Orth. fide, cap. 29. in fin.
Eadem volūtas qualis Damaſceno.

viuorum. Hæc autem, quam hactenus aſſignauimus, voluntas, anrecedens à Damaſceno dicitur, qua aliquid vult Deus nō comparādo ad alterum; qua ratione Deus vult creaturæ ſuæ bonum, eique illud præparat, & non vult ei malum, nec velle poteſt: quanquam voluntate conſequente, qua volumus aliquid ad aliud conferendo, velit effectum gloriæ æternæ iuſtè promerēti conſerre, vel pœnæ æternæ demerenti. Docet autem Epiſcopus Abulenſis, voluntatem Dei antecedentem nunquam impleri, niſi quādo incidit cū conſequenti: quod verum eſt, modò intelligat, Deum abſolutè velle quæ vult per comparationem.

Toſtatus in Matth. ca. 6. q. 103.

Tertia eiuſdem voluntatis explicatio.

Quod ſic diſtinctius explicare poſſumus. Antecedens volūtas eſt, quæ vult bonum in ſe, nullo ordine ad finem, vel inſtrumentum, nec ad meritum, nec ad demeritum: qua ratione vult omne quod bonum eſt, & deteſtatur omne quod malum eſt. Conſequens verò eſt, qua vult reſpectu finis, meriti, vel demeriti præuiſi, atq; hoc modo vult aliqua ad gloriam ſuā eſſe perfecta atq; completa; alia verò non vult eſſe ita perfecta, quia in eo gloria Dei ſplendet, & pulchritudo rerum in diſparitate conſiſtit. Nihil enim æqualitate inæqualius, vt quidam externus dixit. Hac igitur voluntate conſtituit Deus pœnas, vel temporales, vel æternas. Cùm etiam Theologi diſtinguant inter voluntatem beneplaciti; & voluntatem ſigni: precamur vt fiat voluntas ſigni, qua per præceptum, vel ſignum ſignificat, ſe velle bonum; per prohibitionem ſe velle, malum non eſſe: voluntas beneplaciti etiam, qua determinatè vult aliquid, quod benè placeat ei, ſiue per operationem boni, ad quod iuuat, ſiue per permiſſionem vult non impedire malum, quod ex libero arbitrio ſequi poſſet; licèt ad illud non inclinet, & ad id, quatenus malum eſt, non adiuuet. Quoniam verò in Deo nihil eſt repugnans, & voluntas antecedens, ac conſequens; beneplaciti, ac ſigni; abſoluta, & ſub conditione, inter ſe pugnare videntur: ideò dicendum eſt, antecedentem iſtam; & ſigni, ſiue conditionis, non eſſe verè voluntatem Dei: nec eſſe determinatam, quæ non impletur, niſi quatenus in aliam incidit; ceu voluntas iudicis, qua vellet ſupplicia nulla eſſe, determinata non eſt, quia eam impleret. Voluntas autem conſequens, ac beneplaciti, ſemper impletur, quia eſt determinata. Videtur tamen, quòd vera, licèt non determinata, ſit volūtas Dei antecedens: nec repugnat Deum velle diuerſa de eodem ſecundùm rationes diuerſas: ſicut nec iudicis voluntati repugnat, nolle de aliquo, quatenus innocens eſt, ſumere pœnas: at quatenus peccator aliquis inuenitur, & pacem communem offendit, vellet eum punire.

Plinius Nouo comen. in epi.

Hæ inter ſe voluntates, Beneplaciti, & ſigni, vti conueniant, nec ſibi contradicant.

B. Bonauent.

Vnde B. Bonauentura in primo ſententiarum voluntatem antecedentem, ſiue illam, quæ conditinnis dicitur, ſub voluntate beneplaciti claudit, & diſtinguit illam à voluntate ſigni. Sed vt hæc fiat, oportet orare, quia Deus inſtituit illam, vt alia multa adiumenta, tanquam rationem & viam conſequendi finis, quia tantùm per nos ſtat quin compleatur, & concordet cum alia. Oramus etiam, voluntatem hanc Dei effici, ne illam impediamus, ſed per omnia ſequamur, contenti eius ſanctiſſima diſpoſitione, inuocatione in proſperis & aduerſis, iudiciorum diuinorū nulla murmuratione, ſed veneratione potiùs, cuſtodia diuinorum mandatorum, per quæ ad gloriam contendimus, eo gradiente nobiſcum, & per gratiam vt Deo obediamus, & hoſti repugnemus, efficiendo. Graditur autem nobiſcum Deus, tùm lumen intellectus conferendo, Propheta teſtante, *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*; tùm propenſionem voluntati ſuppeditando, iuxta illud: *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & nō in auaritiam*: tùm demū vires communicādo, vt non ſolùm velle adiaceat nobis, ſed etiam perficere, bonum inueniamus, & dicere poſſimus; *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea*. Rogamuſque his verbis, vt noſtra voluntas penitus intereat, quæ nimirùm mala eſt, radixque malorū omnium; qua nihil magis à nobis diligitur, & nihil difficiliùs relinquitur: de qua ſcriptum eſt; *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*; & Sapiens admonebat: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si praſtes animæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Et ſemper inuenies in Scripturis propriam hominis voluntatem damnari. Vnde per Eſaiam dicitur: *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce, ad lites, & contentiones ieiunatis*. Et infrà: *Si auerteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & non inuenietur volūtas tua, &c*. Si enim diligenter expendas, inuenies, voluntatem propriam eſſe, quæ omnia diuina, & humana iura confundit, atque peruertit, dum volumus appetitionibus eius facere ſatis, neque illam voluntati Dei ſubiicere ſtudemus. Hinc enim odia, inimicitiæ, cædes, bella, atq; adeò ipſa gehenna. Voco autem propriam voluntatem cum Bernardo, quę non eſt communis

Voluntatis ſigni faciēdæ conditio neceſſaria.

Quemadmodum gradiatur Deus nobiſcum.

Pſal. 118.

Ibidem.

Rom. 7.

Pſalm. 16.

Propriæ volūtatis quanta pernicies.

Geneſ. 8.

Eccleſ. 18.

Scripturæ propriam voluntatē quā damnent.

Eſai. 58.

Propriæ voluntatis incommoda.

Quænam ſit propria volūtas, eiq; quid repugnet.

Bern. ſerm. 3. de Reſurrect.

cum Deo & hominibus, ſed noſtra tãtùm, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, ſed propter noſmetipſos facimus, non intendentes placere Deo, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere propriis motibus animorum. Huic cõtraria eſt recta fronte charitas, quę Deus eſt. Hęc enim aduerſus Deum inimicitias exercẽs eſt, & guerram crudeliſſimã: quid enim odit, aut punit Deus pręter propriam voluntatem? Ceſſet propria voluntas, & infernus non erit. Ita Bernar. in ſenſu. Hinc eſt, vt nunquam ſimus quieti, ſed per totàm vitã quibuſdam quaſi fluctibus agamur; hinc inſatiabilis habendi cupiditas, honorũ appetitio infinita, voluptatum animus inexplebilis. Cũ verò omnia, quæcunque noſtris his appetitionibus optari poſſunt, aſſecuti fuerimus, tunc nihilo minoribus quã antea perſecutionibus agitamur, & de nobis iratus Dominus ait: *Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Cùm tamen Dei volũtas, ſit ſanctificatio noſtra, vt docet Apoſt. & ipſe ſit qui operatur in nobis, & velle, & perficere, pro bona volũtate. Hortatur etiam Romanos: *Nolite conformari huic ſeculo; ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei, bona, & beneplacens, & perfecta.* Id eſt, vt guſtu, & experientia agnoſcere poſſitis voluntatẽ Dei erga vos: Bonum quidem, quæ ex malo veſtro eruit bonum veſtrum; Beneplacentem verò, & benignam, quia diſponit omnia ſuauiter & patienter tempus expectat; Perfectam verò, quia miris artibus omnia perducit ad ſuos fines, & peculiariter homines ad vitam æternam, & gloriam immortalem.

Quam Deo odioſa, ac deteſtabilis propria volũtas.

Pſalm. 80.

Quæ ſit voluntas Dei.

1. Theſſ. 4.

Philip. 2.

Rom. 12.

Quænam ſit voluntas Dei bona, & beneplacens; & perfecta, ſecundùm Apoſtolum.

Sap. 8.

Docuit autem nos Chriſtus ſuo exẽplo omnem noſtram volũtatem diuinæ ſubiicere, cùm dixit: *Pater, ſi vis*, vel, vt Matthęus ait; *Pater, ſi poſſibile eſt* (cuius verbi ſenſus ſimilis eſt ei Poëtæ dicto: *Si conceſſa peto*, id eſt, ſi quid cõceſſione dignum, ac tuam diuinam decens prouidentiam peto) *transfer calicem hunc à me: veruntamen*, inquit, *nõ mea voluntas, ſed tua fiat.* Eſaias quoq; prædixerat, *Non vocaberis vltra Derelicta: & terra tua non vocabitur amplius Deſolata; ſed vocaberis Voluntas mea in ea; & terra tua inhabitabitur: quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur.* Quibus verbis ſignificat, Eccleſiã Catholicam ab omnibus fore agnoſcendã, quòd in ea voluntas Dei impleretur: in cuius rei ſignũ tota per miniſtros ſuos in diuinis Officiis, & quiuis priuatim rogat, *Fiat voluntas tua.* Rurſus eorum, qui Dei voluntatem faciũt, priuilegium eſt, vt ſint Chriſti fratres, ſorores, & matres: *Quicunque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* Frater quidem, quia fiet particeps regni cœleſtis, & æternæ hæreditatis: Soror, quia dotabitur à Chriſto, vt in propriã ſponſam à Deo aſſumi valeat. Dos verò animæ ſanctæ deſcribitur ab Oſea, cùm ait: *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſpõſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus.* Ecce dotem Sponſæ Chriſti deſcriptã iuſtitia, facit animam iuſtam: iudicio, diſcernit quid ſit amplectendum, vt bonũ: & quid ſit fugiendũ vt malum: Miſericordia condonat peccata quotidiana, ſine quibus vita etiam Sanctorum non traducitur: Miſerationibus, quæ ſunt effectus diuinæ miſericordiæ, ab infinitis periculis eripimur, quibus vita hæc humana plena eſt: Fide, coniungitur anima ſuo ſponſo tali vinculo, vt nulla creatura eam inuitam ab illo diuellere poſſit: Scientia, quæ cognoſcit Deũ, exhibetur certus vitæ æternæ guſtus, quo cognoſcitur ſolus verus Deus, & ille, quem ipſe miſit, Ieſus Chriſtus. Deniq; anima faciens Dei voluntatem, efficitur mater Chriſti, quẽ in vtero cordis magna cũ ſuauitate, & ſine vlla grauitate geſtat, quẽadmodum beata Virgo in vẽtre Chriſtum geſtauit: & impletur illud Apoſtoli: *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Alibi etiam oſtendit Dominus, quãtæ dignitatis ſit Dei voluntatem implere, cùm rogatus ab Apoſtolis, vt cibum ederet, dixit: *Meus cibus eſt, vt faciam volũtatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius*; id eſt, vt ad perfectam Dei voluntatem deducam: rurſus cùm inquit; *Non poſſum ego à me ipſo facere quicquã. Sicut audio, iudico: & iudicium meum iuſtũ eſt: quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.* Ac rurſus cum admirarentur Iudæi, quòd tam facilè peccatores ad ſe venientes reciperet, neque tamen homines, qui ſpeciem haberent iuſtitiæ & ſanctitatis, ita facilè ſuſciperet; reſpondit: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras. Quia deſcendi de cœlo, nõ vt faciam voluntatem meam, ſed volũtatem eius qui miſit me.* Deinde explicans quæ ſit illa voluntas Dei, ſubiunxit: *Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.* Id eſt, vt nulla anima, nullumq́ue corpus pereat. Ad hæc, quãtæ ſit vtilitatis voluntatem Dei facere, declarat Ioannes in Canonica ſua, cùm ait: *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.*

Cuius exemplo potiſſimũ propriã debeamus diuinæ volũtati ſubiicere.

Matth. 26.

Eſai. 62.

Primus fructus voluntatem Dei facientium.

Alter.

Matth. 12.

Faciens quis Dei voluntatem, vt fiat Chriſti frater, & ſoror.

Dos quoque qualis animę ſanctæ.

Oſea. 2.

Ioan. 17.

Quomodo etiam qui facit Dei volũtatẽ, fiat mater Chriſti.

1. Cor. 6.

Tertius fructus diuinam faciendi voluntatem.

Ioan. 4.

Ioan. 5.

Luc. 15.

Ioan. 6.

Quarta facientium Dei voluntatem vtilitas.

1. Ioan. 2.

Cypr. ſerm. 6. de oratione Dominica.

æternum. Vnde Cyprian. in hæc verba ſcribit: *Quomodò & Deus manet in æternum. Qui in æternum manere volumus, Dei, qui æternus eſt, voluntatem facere debemus.*

Quænam ſit volũtas Dei Cypriano.

Vides igitur quantis priuilegiis ac prærogatiuis inſigniantur, qui diuinæ voluntati obſequuntur? B. rurſus Cyprianus in eadem verba, explicans quę hæc ſit voluntas Dei, in hũc modum ſcribit: *Voluntas autem Dei eſt,* inquit, *quam Chriſtus & fecit, & docuit. Humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide, verecũdia in verbis, in factis iuſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, iniuriã facere non noſſe, & factam poſſe tolerare, cũ fratribus pacem tenere; Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater eſt, timere quod Deus eſt: Chriſto nihil omninò præponere, quia nec nobis quicquam ille præpoſuit; charitati eius inſeparabiliter adhærere; Cruci eius fortiter ac fidenter aſſiſtere: quando de eius nomine & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam, qua confitemur: in quæſtione fiduciã, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur: hoc eſt cohæredem Chriſti eſſe velle, hoc eſt, præceptũ Dei facere, hoc eſt, voluntatem Patris adimplere.* Hæc Cyprianus pulchrè & eleganter.

Deut. 6. & Matth. 22.

Dei volũtas incognita, quã benè petitur vt fiat? *Matth. 20.*

Ac ne fortè, ignota Dei volũtate, & dicendo, *Fiat voluntas tua,* reprobetur precatio tua, quemadmodum filiis Zebedæi dixit; *Neſcitis quid petatis*; propterea aduertendum eſt, quòd etſi maximè ignoremus quę ſit voluntas Dei, non poteſt tamen dãnari hæc precandi ratio, *Fiat voluntas tua*; quia omnium gentium & nationũ, quæ de Deo aliquid cognouerunt, ſummus eſt cõſenſus, voluntatem Dei ſemper eſſe bonã, etiamſi ad correctionem noſtram, vel punitionem, ſæpè bella & aduerſa inducat. Dei enim voluntas aut ſemper bona eſt, aut ſemper mala; aut interdũ quidem bona, interdum verò mala. Non poſſumus aſſerere, illam ſemper malam, de qua teſtatur in prima ſua ſententia Salomon; *Sentite de Domino in bonitate*; & Paulus præcipit, vt probemus quę ſit voluntas Dei bona. Non poteſt etiam dici quòd interdum ſit bona, & interdum ſit mala: quia vt eſſe Dei trãſmutationi non eſt ſubiectum, nec valet tranſire in non eſſe; ita neque voluntas Dei poteſt à bono mutari in malum. Ex quo immutabilem Dei voluntatem contẽplans Dauid, dicebat: *Bonus es tu; & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas*: & rurſus Dominus, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*: qui à bonitate excidere nequit, ſicut nec malus effici. Hęc Dei voluntas, lex eſt immaculata, & ſancta, qua Reſpublica Angelorum gubernatur: de qua Dauid; *Benedicite Domino omnes virtutes eius: miniſtri eius qui facitis voluntatem eius*; & Raphael Angelus dixit Tobiæ, *Quum eſſem vobiſcum, per volũtatem Dei eram: ipſum benedicite, & cãtate illi. Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* Sic Angelus, vocans cibum inuiſibilem, qui in vita beata Angelos ſuſtinet, ipſam effectionem voluntas Dei, quam etiam Dominus Ioan. 4. cibum ſuum vocauit: vt diximus. Cùm autem voluntas Dei ſemper ſit iuſta & recta, & non vt noſtra interdum recta, appetens id quod iuſtum eſt, ſæpè verò obliqua iniuſta deſiderans: hinc voluntas Dei eſt regula ſui ipſius, & nõ eget alia regula, per quam recta efficiatur, quemadmodum noſtra voluntas eget. Et quanquam iuſta ſit volũtas noſtra, cum rectum appetit, iniuſta verò, cùm ea, quæ non cõueniunt, exoptat: non ſic tamen eſt de voluntate Dei dicendum. Nec enim rectè dixeris, Deum ideò aliquid velle quod in ſe iuſtũ ſit, ſed per oppoſitum. Ideò res iuſtæ ſunt, quia Deus vult illas, quia volũtas Dei eſt ſemper recta, & regula ſui ipſius. Hinc Saul reprobatus eſt, quod, cognita Dei voluntate, ne in expugnatione Amalech cuiquã viuenti parceret, voluit tamen ad volũtatem propriam, voluntatem diuinam adducere: & pepercit Regi Amalech: quod videretur honeſtum, & ad magnanimum ſpectare, ſeruare vitam Regis: ſeruauit etiã ad ſacrificium multa animalia quæ Deo offerret. Cui meritò dictum eſt à Samuele; *Melior eſt obedientia, quam victima.* Velut è conuersò, fraudes, & furta Hebręorum ſpoliantium Aegyptios auro, argento, & veſte pretioſa, celebrãtur in Scripturis, quia ſciebant, illam eſſe voluntatem Dei, & iuſtam, & quæ nulla indiget regula ſuperiori. Nec tantùm voluntas Dei ſemper eſt bona, & recta, vt dictum eſt, ſed optima etiã atq; rectiſſima; quoniã eius opera optima ſunt, & omni defectu carentia; ac proinde reprehendi nequeunt: & tamen eſt volũtas Dei, etiamſi ab homine animali qui tantùm ratione humana conſtat, minimè agnoſcatur: at ab homine ſpirituali, hoc eſt, ſpiritu Dei prædito, facilè agnoſcitur. Ac dicendo, *Fiat voluntas tua,* ponit volũtatem propriam, quę modò vult vitam, modò mortem; modò pacem, modò bellum; modò bonum, modò malum; diuinæ bonitati, in qua ſemper eſt vita, pax, & omne bonum. Studet etiã homo ſpiritualis, propriam volũtatem corrigere, & ad diuinam voluntatem accommodare, non ſecus atq; illi, qui virgam obliquam ac curuã dirigere volunt; nam quærunt lignum rectum & ſolidum, & illi alligant virgam tortuoſam

Semper bonam & iuſtã Dei voluntatem eſſe. *Sap. 1.* *Rom. 12.*

Pſalm. 118. *Luc. 18.*

Pſalm. 102.

Tob. 12.

Quo cibo Raphael Angelus, vt ipſe ait, inuiſibili vteretur. *Ioan. 4.*

Aliter Dei, aliter hominis voluntas eſt bona, atque iuſta.

1. Reg. 15. & ſeq. Saul cur reprobatus à Domino.

Ibidem.

Exod. 12.

Dei voluntas cur optima atque rectiſſima.

1. Cor. 2.

Dei & nõ noſtra cur ſit facienda volũtas, & quomodò.

vt ita obliquitatem eius corrigant. Debemus igitur voluntatem noſtram, ſua natura obliquam, Diuinæ voluntati, quę recta, & ſolida exiſtit, alligare, & dicere cum Dauide; *Doce me facere voluntatem tuam*: non inquit, Doce me cognoſcere vnluntatem tuam, quia ſciebat præſtantius eſſe, facere voluntatem Dei, quàm cognoſcere: & quia ſciebat, ſeruum ſcientem voluntatem domini ſui, & non facientem, plagis vapulaturum multis: ſciebat etiam, facientibus Dei voluntatem, diuina conſilia detegi, & aperiri: hinc ipſe dixit; *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*; & Dominus: *Si quis voluerit voluntatem eius facere; cognoſcet de doctrina mea, vtrùm ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar*. Abraham ignorabat quæ eſſet Dei voluntas, cùm ei præceptum eſt, vt filium ſibi immolaret: ſed quia ſimpliciter obediuit, meruit cognoſcere vnluntatem Dei, nimirùm ſe tam rarum obedientiæ exemplum mundo exhibere voluiſſe. Præcepit Ieremiæ, vt in collo geſtaret catenas publicè coram omnibus: qui paruit continuò, & declarauit illi, voluntatem ſuam eſſe, vt multi populi, etiam ipſi Iudæi, populus electus, Regi Babyloniæ ſubiicerentur. Præcepit Oſeæ, vt ſumeret vxorem fornicariam, & faceret filios fornicationum. Id vbi ille perfecit, declarauit ſe voluiſſe illo actu ſignificare fornicationem ſpiritualem terræ, nempè idolorum, quæ cõſequi debebat cultum. Ignorabat etiam Ionas miſſus ad prædicandum in ciuitatem Niniue, quid vellet facere Deus; ideò tantopere illi repugnauit: ſed poſteà cognouit, quando ad prędicationem eius Niniuitis pęnitẽtibus, & ad cor reuerſis, pepercit.

Pſalm. 142.
Regius Pſaltes Dei cur peteret non cognoſcere, ſed facere voluntatem.
Luc. 12.
Pſal. 110.
Ioan. 7.
Geneſ. 22.
Ignotam ſimpliciter faciẽtes qui noſſe meruerunt voluntatẽ Dei.
Ierem. 27.
Oſeæ 1.
Iona 3.

Vt igitur ex parte diuinam voluntatem ac nutum agnoſcamus, in primis ad ſacras literas oculi mentis cõuertendi ſunt. Nam in eis quid nolit, quid velit Deus, manifeſtò declaratur. In eis autem apertè continetur, Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & rurſus; *Nunquid voluntatis mea eſt mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat?* Quoniam verò huic diuinæ voluntati ſalutis noſtræ ſitibundæ nos repugnare poſſumus, propterea rogamus, *Fiat voluntas tua*. Deinde cognoſcimus voluntatem Dei ex his, quæ aut præcepit à nobis fieri, aut vetuit, aut denique ſuaſit. Nam cùm obſeruantibus præcepta, æternam vitam polliceatur; & conſilia ſeruantibus magnum theſaurum in cęlo ſeruatum promiſerit; contra verò tranſgreſſoribus, æternæ gehennæ ſupplicia comminetur: ſatis apertè declarauit quæ ſit voluntas ſua. Sed quoniam hæc voluntas noſtro vitio, aut tentatione dæmonis impediri poteſt, & ſæpè impeditur: rogamus Deum, vt illam non impediamus. Præterea voluntas Dei agnoſcenda eſt ex his, quæ Eccleſia Catholica nobis aut credenda, aut agenda tradit: ita vt Chriſtus dixerit; *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Dixit etiam; *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Et eleganter Cyprianus Epiſcopus & Martyr inquit, *Habere non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem*. Habet autem illam pro matre, qui ei obtemperat, eiusq; decretis, & mandatis ſe ipſum ſubiicit. Nam ab Eccleſia Scripturas ipſas accepimus, & vbi controuerſia eſt de illarum ſenſu, ab ea nullo modo eſt diſcedendum. Ab ea etiam habemus Traditiones Apoſtolicas, Eccleſiaſticasque, integrum numerum, & legitimum vſum Sacramentorum, totamq; Eccleſiaſticæ hierarchiæ diſpoſitionem, & diſciplinam. Adeò, vt qui Eccleſiæ repugnet, diuinæ voluntati palam aduerſetur, vt miſeri, & infelices hæretici faciunt; qui cùm ore dicant, *Fiat voluntas tua*, factis tamen illi pertinaciſſimè reluctantur. Quoniam ergo huic diuinę voluntati per Eccleſiam ſignificatæ, ſuadente diabolo, repugnare poſſumus, ideò precamur, *Fiat voluntas tua*.

Diuina volũtas ex tribus agnoſcitur.
1. Tim. 2.
Ezech 18.
II. Argum.
Matth. 19.
Ibidem.
III. Argum.
Luc. 10.
Matth. 18.
B. Cypr. li. de vnitate Eccleſiæ, nõ procul à princip.
Eccleſiã matrem non habens, nec patrem Deũ habere poteſt.
Eccleſiã quis habeat matrem.
Dininæ voluntati qui videantur aduerſari.

Sequitur in textu: *Sicut in cœlo, & in terra*. In primis, vt Autor oper. imperfect. in Matth. & Caietanus annotarunt, hæc particula non tantum huic petitioni accommodari debet, ſed etiam extendi ad duas petitiones præcedentes, vt ſit ſenſus: Sanctificetur nomen tuum in terra, ſicut ſanctificatur in cœlo: Adueniat regnum tuum in terra, ſicut aduenit in cœlo: Fiat voluntas tua in terra, quemadmodum fit in cęlo. Nam vt ibi tantùm voluntas beneplaciti Dei fit, neque vlla eſt ibi voluntas permittens; ita rogamus voluntatem hanc bonam à nobis in terris fieri, ita vt nullus locus, vel minimus, ſit permiſſioni, vt hac ratione nulla, vel patica peccata fiant.

Hęc particula: Sicut in cęlo, & in terra, cur ſuperioribus etiã duabus petitionibus reſpondeat.
Autor oper. imperf. in Matth. hom. 14. to. 2. oper. B. Chryſoſt.
Caietan.

Deinde aduertendum, plures interpretationes habere poſſe hunc locum. Prima eſt B. Auguſtini, id eſt, Fiat in terra ab hominibus voluntas, quemadmodùm fit in cœlo ab Angelis, qui ſponte, & ex charitate per omnia Deo obſequuntur, neque vnquam vllo, vel minimo peccato Deum offendunt, de quibus Dauid: *Potentes virtute, facientes verbum illius ad audiẽdum vocem ſermonum eius*. Quod ſi nos impetrare poſſemus, haud dubiè vitam Angelicam charitate, & puritate pleniſſimam in terris ageremus. Idem eſt ſenſus, ſi per cœlũ intelligas

Huius ſentẽtiæ: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra; 1. ſenſus.
Aug. ho. 42. de ver. Aug. tom 10.
Pſal. 102. & Hebr. 1.

ſanctos beatos in cœlo poſitos, vt teſtatur Auguſt. de ſerm. Domini in monte. Altera interpretatio eſt, vt fiat voluntas Dei tunta conſtantia, & perſeuerantia in hominibus, quanta fit in corporibus cęleſtibus Sole, Luna, & Stellis, quibus ab initio præceptum poſuit, quod non præteribit: ſiquidem perpetuo tenore, & inuicta firmitate cęli enarrant gloriam Dei. Quam conſtantiam ſi nos in ſeruandis Dei mandatis obtineremus, nunquam diuinæ per nos contradiceretur voluntati. Tertia, petimus vt fiat voluntas Dei in Iudæis, & Paganis, qui nihil aliud quam terra ſunt à natiuitate ſua, & nihil cœleſte ſapiunt; ſicut fit in cœlo, hoc eſt, in regeneratis, & in filios Dei adoptatis. Sic Cypr. de Oratione Dominica, & Cyrillus. Et ita charitas in proximos, pro quibus precamur, porrigitur. Ad idem ſpectat ſenſus, qui ab aliis aſſignatur: vt in hominibus iniuſtis, & peccatoribus, qui terrenis affectibus dicuntur, & terram tantùm ſapiunt, fiat vnlũtas Dei, quemadmodùm fit in hominibus iuſtis: qui etſi corpore in terra exiſtã, mente tamen verſantur in cœlis, & cęli dicuntur. Quartus ſenſus eſt eiuſdem Auguſt. lib. de ſer. Domini in monte. Vt fiat voluntas DEI in Eccleſia, quę Deo, vt terra cœlo, ſubiecta eſt, quemadmodum ſacta eſt à Chriſto, qui de cœlo venit, & cœleſtis homo à Paulo dicitur. Fecit autem Chriſtus voluntatem Patris ſumma charitate, & per omnia, & magna conſtantia, & perſeuerantia, ſactus obediens vſque ad mortem; mortem autem Crucis: ita vt ſactus ſit exẽplum omnium, qui diuinam voluntatem implere debent. Et vt Paulus ait ad Hebr. *Et quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit ex ijs, qui paſſus eſt, obedientiam: & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperãtibus ſibi, cauſſa ſalutis æternæ.* Quintus exponendi modus eſt, vt fiat voluntas Dei in carne noſtra, quæ terra noſtra eſt, quemadmodum fit in ſpiritu, qui cœlum noſtrum eſt, & de cœlo venit: quod eſt cõfiteri manere reliquias in carne noſtrà, impedientes plenam Dei obedientiam, qualis fit in cœlo. Quia nihil ita vexat ſeruos Dei in hac miſera vita, quã pugna illa carnis in ſpiritum, propter quam Apoſtol. ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis:* ac rurſus: *Non quod volo, bonum, hoc facio; ſed quod nolo, malum, hoc ago.* Iterum: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Atque hanc expoſitionem ſequitur Auguſt. hom. 42. & ante eum Cyprianus allegato loco: *Cùm corpus,* inquit, *è terra, & ſpiritum poſſideamus è cœlo, ipſi terra, & cœlum ſumus, & in vtroque, id eſt, in corpore, & ſpiritu, vt Dei voluntas fiat, oramus.* Sic ille. Ex cuius verbis ſenſus non erit, Sicut fit In cęlo, ſic quoq; fiat in terra; ſed hoc modo æquè in cęlo, & in terra fiat. Præter dictas expoſitiones addit Auguſtinus, per cœlum, accipiendũ Chriſtum, per terram, Eccleſiam. Cùm igitur omnes iſti ſenſus veri in ſe ipſis exiſtant, nec inter ſe pugnent, & literæ congruere poſſint, iuxta regulam à B. Auguſt. aſſignatam, recipiendi ſunt, maximè cum charitatem foueant.

Idem lib. 2. de ſerm. Dom. in monte, ca. 10. in fine, to. 4. circa finem.
Secundus ſenſus.
Pſalm. 148.
Pſalm. 18.
Tertius ſenſus.
Cypr. ſerm. 6 de oratione Dominica.
Cyril. Catecheſi 5. myſtagog.
Quartus ſenſus.
Aug. vbi ſupra productus eſt.
Ioan. 3.
1. Cor. 15.
Quàm perfectè voluntatem Patris fecerit Chriſt⁹.
Philip. 2.
Hebr. 5.
Quintus ſenſus eius dicti: Sicut in cęlo & in terra.
Piorum quęnã maxima Crux nunc viuentium.
Rom. 7.
Ibidem.
Ibidem.
Aug. tom. 10.
Cyprian.
Aug. prædictu locu.
Idem lib. 1 de doctr. Chriſt. c. 36 tom. 3.

Nos igitur tanquam filij tanti parentis, ſtudeamus eius mandatis, nutibusq; parere: nam tunc omnia pro voluntate noſtra ab illo aſſequemur, ſi plenè illius voluntati nos ipſos ſubiecerimus, ſicut per Prophetam pollicitus eſt; *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.* Sancto ergo timore & pietate Deum proſequamur, eiuſque monitis pareamus, vt aliquando contingat noſtras omnes voluntates impleri, namq; illa ſumma cẽletur felicitas, cùm alicui omnia pro voto cedunt. Id quod vt eueniat nobis, præſtet nobis Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu ſancto omni gloria, imperio, ac felicitate potitur in ſempiternis ſeculis, Amen.

Quid nos potiſſimùm ad faciendam mouere debeat Dei voluntatem.
Pſalm. 144.
Summa felicitas quæ.

TRACTATVS I.

In illa verba: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

MVTATVR iam forma loquendi in quatuor ſequentibus petitionibus: tres enim priores abſolutè, & ſine perſonis expreſſæ ſunt, nobis non nominatis, neque tamen excluſis, ſed implicitè quodammodò incluſis: quoniam in precanda ſanctificatione nominis Dei, & aduẽtu regni eius, & perfectione volũtatis, nihil debemus de nobis ipſis cogitare, ſed totos nos in Dei gloriam exoptandam conuertere: & ideò priores tres petitiones proficiſci debent à præcepto dilectionis Dei ſuper omnia: in reliquis verò quatuor ſequẽtibus licitum eſt cogitare de nobis, & de Deo: de nobis quidem, vt indigentibus pane quotidiano; de Deo autem, vt illo, à quo ſit hic panis expetendus. Et ad nos quidem, vt peccatores, conuerti debemus: ad Deum autem, vt qui ſolus præcipuè poteſt remittere peccata. Ad nos etiam ſpectare conuenit, tanquam ad fragiles creaturas in hoc mundo poſitas, tanquam in fornace quadam plena periculorum, & tentationũ: ad Deum autem tanquã ad eum, à quo ſolo

Quid prioribus tribus, quid verò poſterioribus quatuor petitionibus doceamus à Domino.
De Deo qd, de nobis ſentire debeamus.
Matth. 9. & Luc. 7.

poſſumus

poſſumus opem impetrare ad ſuperandas omnes tentationes, & machinationes carnis, & inſidias Satanæ. Poſtremò, nos ipſos cogitare debemus tanquam circundatos, & oppreſſos innumeris laboribus, & malis infinitis: ad Deum verò, vt Redemptorem ac liberatorem omnium malorum: atque ita hæ quatuor poſteriores petitiones ex charitate, qua nos ipſos propter Deum, & proximos ſicut nos ipſos diligere debemus, proficiſci debent.

Deũ patrem noſtrum vocandi, ab eoque panẽ noſtrum quotidianum poſtulandi neceſſitas.

Quoniam verò naturale eſt, vt parentes, qui filiis vitam dederunt, etiam alimenta, quibus vitam ſuſtinere valeant, præſtent; vnde vel infantes in lucem editi vbera matris, quibus lactentur, naturali inſtinctu poſtulant, nec ad alienas, ſpretis propriis parentibus confugiunt: ita filij Dei, qui in principio huius precationis dicunt: *Pater noſter, qui es in cælis*, ad eum tanquam ad parentem confugiunt, vt neceſſaria ad vitam ab eo poſtulent ſuſtinendam. Quoniam verò homo corpore & animo conſtat, & per ſe quælibet pars ſuo pane & alimento egere videtur: propterea tam panem communem, ad tuendum corpus; quàm ſpiritalem ad tuendam animam in vita ſpirituali, hac petitione poſtulamus.

Quem panẽ dari nobis à Deo quotidie petamus. *Aug lib. 2. de ſerm Dom. in monte, cap. 7. tom. 4.*

Dubium autem eſt apud Patres, & præſertim B. Auguſtinum, an de pane corporeo, an verò de ſpiritali hic locus ſit exponendus. Sed certè dubium hoc euacuatum penitùs eſt, & diſſolutum. Etenim conſtat, de vtroque eſſe pane intelligendum: quoniam filius Dei vtroque indiget, & vtrumque Deus Pater ſolus præcipuè præſtare poteſt.

Vnde cõſtet de pane hic corporeo potiſſimùm nõ eſſe ſermonem ſed de ſpirituali.

Si verò ſecundò dubium ſit, quo de præcipuè, & maximè ſit interpretanda petitio hæc: nam poſſet quibuſdam videri de pane corporis potiſſimum ſermonem eſſe, quia illum homo magis agnoſcit; & cùm deeſt, illum hac precatione poſtulamus: dicendum eſt, haud propterea euinci, de pane corporis principaliter hunc locum intelligendum. Nam vt infirmi ac puſilli illum magis agnoſcunt, & poſcunt: ita magni filij Dei, & perfecti illius ſpiritalis panis deſiderio magis tenentur, atque ad illum poſtulandum amplius excitantur. Cùm igitur anima longè corpori antecellat, & ſpiritus carni: proculdubiò ſtatuendum eſt, potiſſimùm hũc ſpiritalem panem his verbis efflagitari, cui tãquam additamentum quoddã hic corporis panis adiicitur; quemadmodum Dominus dixit: *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia* (ſcilicet quæ ad victum, & veſtitum ſpectant, de quibus erat ſermo) *adiicientur vobis*. Atq;

Matth. 6.

hæc temporaria bona ſatis petuntur ab eo, qui benè operatur: ſicut pauper porrecta manu, licèt nil loquatur, ſatis petit. Quod quidẽ his rationibus euincitur. Tùm quia eſt prima petitio eorum quæ ſpectant ad nos, & in Nouo Teſtamento ſpiritualia præſertim, & promittũtur, & petenda ſunt, & quæ poſteà in hac precatione petuntur, reliqua omnia ſpiritualia ſunt.

I. Argum.

Deinde quia Patres, vt Cyprianus, Hieronymus, & Ambroſius, quos alij permulti ſequuntur, de pane ſpiritus, atque adeò de ſacroſancta Euchariſtia, qui cibus eſt animæ, exponũt. Hinc Hieronymus ſcribens in 2. cap. epiſtolæ ad Titum, ait: *Illud, quod in Euangelio ſecundùm Latinos interpretes ſcriptum eſt: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, meliùs in Græco habetur, panem noſtrum ἐπιούσιον, id eſt præcipuum, egregium, peculiarem; eum videlicet, qui de cælo deſcendens, ait; Ego ſum panis, qui de cælo deſcendi. Abſit quippe, vt nos qui in craſtinum cogitare prohibemur: de pane iſto, qui poſt paullulum concoquendus, & abiiciendus eſt in ſeceſſum, in prece Dominica rogare iubeamur.* Caſſian. collat. 9. c. 21. *Panem*, inquit, *noſtrũ ἐπιούσιον, id eſt, ſuperſubſtantialem, da nobis hodie. Quod alius Euangeliſta quotidianũ dixit: illud nobilitatis, ac ſubſtantia eius ſignificat qualitatem, qua ſcilicet ſuper omnes ſubſtantias ſit, atq; omnes creaturas ſublimitas magnificentia, ac ſanctificationis excedat.* Et c. 24. *Videtis ergo, qualis nobis ab ipſo, qui per illam exorandus eſt iudice, orationis ſit modulus, & forma propoſita, in qua nulla diuitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus, ac fortitudinis poſtulatio, nulla corporea ſanitatis, ſeu temporalis vitæ mentio continetur. Nihil enim caducum vult à ſe, niſi vile, nihil temporale æternitatum cõditor implorari.* Et Cyrillus catecheſi myſtagogica 5. *Panem noſtrum, ἐπιούσιον*, inquit, *id eſt, ſuperſubſtantialem, da nobis hodie. Panis hic communis non eſt ἐπιούσιος, id eſt, ſuperſubſtãtialis. Panis verò iſte ſanctus ſuperſubſtantialis dicitur eo quòd ſubſtantiam animæ confirmet. Panis hic non in ventrem deſcẽdit, & in ſeceſſum emittitur, ſed per totum, ad corporis, & animæ vtilitatem diſtribuitur.* Et Auguſtinus in prædicto loco cũ propoſuiſſet duplicem ſenſum, videlicet panem corporeum, & panẽ Euchariſtiæ, & priorem excluſiſſet, quòd Dominus dixerit: *Nolite ſoliciti eſſe quid edatis, vel quid induamini. Nec poteſt quiſquam de ea re pro qua adipiſcenda orat, non eſſe ſolicitus: & quia dixit: Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiã eius, & hæc omnia apponentur vobis: Non ait, vtique, Quærite primùm regnum Dei, & deinde iſta quærite: Sed hæc omnia, inquit, apponentur vobis, ſcilicet etiam non quærentibus.* Poſteriorẽ ſenſum excludit, quod plurimi in

II. Argum. *Cypr prædicto ſer 5 de orat. Dominica. Ambr. libr. 5. de Sacramẽtis, c. 4. 50. 4. Hier. tom 9.*

Ioan. 6.

Matth. 6.

Caſſianus.

Idem.

Cyrillus Ieroſolymitanus.

Euchariſtia panis ſuperſubſtantialis Græcè ἐπιούσιος, cur dicatur. *Aug. li. 2. ſer. Dom. in mõte cap 7. citato. Matth. 6.*

Ibidem.

Eccleſię mos Orientalis.

Oriente non quotidie communicant cœnæ Dominicæ, quod ſine ſcandalo Eccleſiæ faciunt: quoniam illud non reprehendit, & illis excluſis, ſubdit: *Reſtat igitur, vt quotidianum panem accipiamus ſpiritalem, præcepta ſcilicet diuina, quæ quotidie oportet meditari, & operari. Nam de ipſis Dominus dicit: Operamini eſcam quæ non corrumpitur.*

Ioan. 6.
Cypr. ſerm. 6.

Cyprian. ſerm. de Oratione Dominica primo loco de corpore Chriſti interpretatur hunc panem, quod tunc à fidelibus quotidie frequentabatur, quemadmodum tempore Ambroſij, & Auguſtini in Occidentali Eccleſia; ſecundariò verò adiicit poſſe intelligi de corporis pane. Hæc illi Patres.

Tertium argumentũ ad probandum panem quotidianũ quẽ petimus eſſe ſpiritualem.

Item, quia à tempore Apoſtolorum, imò ab ipſo Chriſto inſtitutũ eſt, vt ante ſumptionem corporis Chriſti precatio hæc Dominica recitetur, ſicut ex Hieron. lib. 3 aduerſus Pelagianos paullò antè produximus.

Hier. tom. 2.

Et ſicut ipſa Eccleſia cantat, quæ ait: *Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter.* Quæ verba non tantùm referenda ſunt ad hoc, vt diuina autoritate, & præcepto imbuti, audeamus dicere, Pater noſter, ſed quod diuinis monitis & præceptis adſtringamur in ſacrificio Miſſæ ante Communionem dicere orationem Dominicam, ne videatur Chriſtum agnoſcere, quotidie ſecundùm carnem panem petentes.

2. Cor. 5.
IV. Argum.

Idem præterea euincitur ex ipſis verbis: nam dicimus: *Panem noſtrum*, quaſi dicat, peculiarem & ſelectum filiorum Dei panem, in quo infideles non communicant; at pane corporeo vniuerſi, tam fideles quàm infideles, communicamus. Et panis noſter non eſt, ſed iumenti noſtri, id eſt, corporis: Tum quia vocat illum, panem quotidianũ, ſiue, vt Græcè dicitur, ἐπιούσιον, hoc eſt, non tantùm panem quotidianum, ſed etiam ſuperſubſtantialem: at communis panis vix ſubſtantialis eſt, cùm ad tempus ſuſtineat vitam, nedum ſuperſubſtantialis.

Eorum qui panem quotidianũ, corporeum, non ſpiritualẽ accipiendũ eſſe contendunt, argumenta ſoluuntur.

Deinde quia ſequitur: *Dimitte nobis debita noſtra*: præpoſterum autem eſt, magis eſſe ſolicitos filios Dei de pane corporis quàm de remiſſione peccatorum. Ad hæc ſi panis eſſet quotidianus, minimè opus eſſet ſubiungere: *Da nobis hodie*: Et ſi dixit, *hodie*, non opus eſſet dicere quotidianum, ſed ſuperſubſtantialem, & peculiarem.

I. Argum.

Nec obſtant argumenta, quæ à quibuſdam fiunt in contrarium. Primò, quia ſi de ſpirituali acciperetur pane eadem eſſet tertia petitio: *Fiat voluntas tua*, atque quarta, *Panem noſtrum*: quia Dominus dixit:

Ioan. 4.

Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me. Sed non vident iſti, metaphoricè dici præceptorum Dei obſeruantiam cibum, eo quòd delectat ſeruantem, ad illa verò obſeruanda panem Euchariſtiæ tanquam verum animæ panem vires porrigere, & confirmare.

Secundum.

Secundò, ſi de ſpirituali accipias, non erat dicendum: *Da nobis hodie*, ſed, da in æternum, vt diſputantes cum Domino Ioan. 6. dixerunt: *Domine, ſemper da nobis Panem hunc.*

Exod. 16.

Sed iſti non conſiderant, quòd vt manna datum eſt patribus vſque ad ingreſſum Terræ promiſſæ, ita panis Euchariſticus ſub accidentibus panis non datur niſi vſque ad mortem, per quam ingredimur in Terram viuentium.

Tertium.

Tertiò agunt, quia nondum erat inſtituta Euchariſtia, quando Chriſtus docuit precationem hanc, & Apoſtoli non intellexiſſent. Reſpondeo, Ioan. 6. quando diſputauit de Pane vitæ dando cum Capharnaitis Dominus, nondum inſtituerat Euchariſtiam vſque ad cœnam, nec illi verba Domini intelligebant eo tempore.

Matth. 20.
Quartum.

Quartò, non eſt panis quotidianus, quia fideles in Oriente Euchariſtiæ quotidie non communicabant, vt docuit Auguſtinus.

Aug. loco ſuperiori.

Verùm hoc nihil euincit; ſatis eſt talem panem quotidie cum fructu ſumi poſſe, vt de primitiuæ Eccleſiæ fidelibus dicitur Actor. 2. Et ſatis eſt quotidie ſumi ſpiritualiter, vel etiam Sacramentaliter à miniſtris Eccleſiæ quotidie pro omnibus ſacrificantibus.

Actor. 2.
Quintum.

Quintò, Patres petebant olim panem corporis à Deo, vt Iacob Geneſ. 28. & Salomon 3. Reg. 8. & Prouerb. 30. Sed illi ſpectabant ad Vetus Teſtamentum, nos verò ad Nouum.

Geneſ. 28.
3 Reg 8.
Prouerb. 30.

Et nos non excludimus ſenſum de corporeo pane, vt intelligunt multi Patres, Cyprianus, Chryſoſt. & Auguſtin. ad Probam. Ideò etſi vterque panis hac petitione poſtuletur, potiſſimùm tamen, & principaliter panis ſpiritualis. Atque ita hunc ordinem exponendi ſeruabimus: vt præſentem locum accuratè primùm quidem de ſpiritus pane, dein verò de cibo corporis exponamus.

Cyprian. iam citatus.
Chryſoſt in Matt. ho. 20. tom. 2.
Aug. epi 121. ca. 12. tom. 2.

Chriſtus verbum Dei æternum panis quàm verè dicatur.

Eſt igitur in primis panis ſpiritualis animæ verbum Dei æternum, quod & ſe ipſum, Angelos, & beatos paſcit, & cibat, & de quo ſecundum diuinitatem inquit: *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi*: quod poſtea, ſiue voce veſtitum, ſiue ſcriptura expreſſum, ſiue humanitate noſtra incorporatum, & auribus fidei, acceptum, panis fuit hominem iuſtificans, & ſuſtentans, de quo Dominus: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

Matth. 4. & Deut. 8.

Quod Dei verbum in Nouo Teſtamento dicitur Euangelium, & per Apoſtolos à

Chriſto deſtinatos prædicatum eſt omni creaturæ. Denique hoc verbum, vt magis Dei voluntatem, ſapientiam, atque potentiam agnoſceremus, incomprehenſa arte, & mirabili magiſterio ſub ſpeciebus panis & vini ad perpetuam rei memoriam vſq; ad ſecundum aduentum ſe edendum & bibendum porrexit. Verbum igitur æternum, ſiue in ſeipſo conſideretur, ſiue in voce, ſiue in ſcriptura, ſiue in carne, quia Verbum caro factum eſt, ſiue in accidentibus panis & vini poſitum, de quo dixit Dominus: *Panis quem ego dabo caro mea eſt, pro mundi vita*, verè panis eſt Angelorum, nam illo ipſi in cœlo veſcuntur: verè panis eſt viuus, qui vitam ſpiritalem quæ in fide, ſpe, & charitate ſita eſt, ſuſtinet, & ſpiritum noſtrum ad æternam vitam, corporiſque immortalitatem perducit: Verè panis qui de cœlo deſcendit, & non è terra, vt panis communis, aſcendit: & qui poteſtate à Chriſto cum ſacerdotibus communicata conficitur cœleſti: quique cœleſtibus moribus credentes imbuit, & cœli ciues facit. Hic eſt verè panis filiorum, vt Eccleſia cantat, non mittendus canibus: nam filij Dei tantùm hoc benedicto, & myſtico vtuntur pane. Hic eſt panis multis figuris, ſed præſertim in manna adumbratus, qui peregrinantes Hebræos per quadraginta annos ſuſtentauit, donec ingreſſi ſunt in Terram promiſſam: ita hic panis, in quo Deus memoriam fecit mirabilium ſuorum, peregrinantes in hoc ſeculo Dei filios cibat, donec per mortem Terram viuentium ingrediantur.

Marc. vlt.

Verbum Dei æternũ quot modis ſit panis.
Ioan. 1.
Infrà 6.
Matth. 15.
Eucharistia, vt Eccleſia canit, cur panis filiorum tantummodo: vbi præfiguratus.
Exod. 16.
Pſalm. 100.

Nec obſtat, cùm Chriſtus inſtituit Orationem Dominicam, necdum inſtitutam fuiſſe Euchariſtiam, quia ſemper verbum æternum, ſiue in ſe ipſo, vt diximus, ſiue in Scripturis, ſiue in carne poſitum, cibus, & panis ſpiritualis fuit: & facilè fuit Spiritui ſancto declarare, hanc precatiunculam ad Chriſtum vbicunque poſitum, ſed maximè in Euchariſtia eſſe referendam: quemadmodum per Doctores, & Eccleſiæ vſum hanc precem in myſterio Euchariſtiæ recitantis fecit.

Panem quotidianũ Chriſtus quã aptè & verè Euchariſtiã tũc minimè inſtitutam potuerit intelligere.

Hic panis dicitur noſter: quia paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Et verbum Dei temporale in voce non loquitur, niſi in nobis, id eſt, cum Patriarchis, & Prophetis, & filiis Dei, ac nouiſſime per ſe ipſum. Verbum etiam in Scripturis conſtitutum noſtrum eſt: quoniam quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Hic panis cibus eſt in obſcuris, & figuris, potus in claris & manifeſtis. Deinde panis dicitur quotidianus, quia quotidie manducandus eſt: nam non minus anima verbo Dei ad ſe tuendam eget, quàm corpus pane communi: quem qui non comedit, percutitur vt fœnum, & areſcit cor eius: *Percuſſus ſum*, inquit Dauid, *vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.* Græca voce dicitur ἐπιούσιον, quam vocem interpretari poſſumus ſubſtantialem, quemadmodum eruditiſſimi Græcorum Theologi interpretantur, hoc eſt, vnicuique noſtrum ſubſtantiæ congruentem, vel ad quotidianum victum ſubſtantiæ noſtræ neceſſarium. Ita Theophylact. & Baſil. in regul. Breuiorib. ἄρτον ἐπιούσιον, eum qui ad quotidianam eſſentiæ, ſiue naturæ noſtræ ſuſtentationem neceſſarius eſt. Atque hoc intellexit interpres, qui vertit, *Quotidianum.* Luc. 11. etiam ante Hieron. & Matth. 6. ſuperſubſtantialem. Codex Syriacus vocem habet, quæ ſignificat panem ſufficientiæ noſtræ, vel indigentiæ noſtræ: quo verbo innuitur, nos panem quotidianum qui ſufficiat, petere, non ſuperfluum, vel abundantem. Et quemadmodum ἐπιοῦσαν, ſignificat craſtinum diem, vt Actor. 7. accipitur τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ ὤφθη: ſequenti verò die apparuit, ita ἐπιούσιος, pro craſtino. Ita quidam verterunt: Panem noſtrum craſtinum da nobis hodie, vt notauit Ambroſius libr. de Sacramentis, & ad hanc ſignificationem reſpexiſſe interpretem noſtrum, qui vertit, *Quotidianum*: & Hieronymus hoc loco refert ſe inueniſſe in Euangelio ſecundùm Hebræos loco ἐπιούσιον, מחר machar, hoc eſt craſtinum. Vt ſit ſenſus; vt Patres terreni proſpiciunt de pane, quo filiorum corpus alatur, etiam in craſtinum; ita tu nobis panem cœleſtem animi cibum non ſolùm in hodiernum proſpice, ſed etiam in craſtinum diem. Hic ſenſus placuit Eraſmo. Sed certè iuxta linguæ Græcæ Grammaticam nomina Græca terminata in ούσιος, non deſcendunt à participiis fœmininis, ἐπιών, id eſt, accedens, & ἐπιοῦσα, in fœminino, ſed potius à nomine οὐσία, vt ὑπερούσιος, ἐπιούσιος, περιούσιος, præcipuus, &, ὁμοούσιος, & ὁμοιούσιος. Deinde hæc expoſitio non tam congruit huic loco, quàm prior illa, quotidianum, cùm Dominus dixit: *Nolite ſoliciti eſſe de craſtino.*

Cur panis noſter, Euchariſtia.
Eſai. 9.
Hebr. 1.
Rom. 15.
Euchariſtia cur panis quotidianus.
Pſalm. 101.
Ἐπιούσιος, panis quid Græcis.
Theophylact. Baſil. in reg. breu. interrogat. 252. to. 2.
Panis ſufficientiæ, vel indigentiæ noſtræ Syriace cur dicatur.
Luc. 11.
Actor. 7.
Ambr. li. 5. de Sacramẽtis, cap. 4. to. 4.
B Hieron. in Matt. 6. to. 9.
Hæc lectio: Panem craſtinũ da nobis hodie, quem ſenſum habeat.
Improbatur dupliciter.
Matth. 6.

Qui verò ſuperſubſtantialem interpretati ſunt, vel ſupereſſentialem, videntur legiſſe ὑπερούσιον, vel in eum ſenſum accepiſſe ἐπιούσιον, & de ſanctiſſimo Chriſti corpore expoſuerunt: quod reuera panis eſt ſuper eſſentiam omnem, & ſubſtan-

Euchariſtia cur panis ſuperſubſtantialis.

Hieronym.

tiam animæ. B. Hieronymus hoc loco admonet, pro voce Hebræa סגלה Symmachum vertiſſe ἐξαίρετον, id eſt, præcipuum, vel egregium, licet in quodam loco Peculiare interpretatus ſit. Quæ omnia verbo Dei in ſeipſo, ſiue in voce, vel ſcriptura, vel carne, vel in Euchariſtiæ Sacramento conſtituto mirificè quadrant. Et Euchariſtia panis eſt ſuper omnem eſſentiam, & ſubſtantiam mundi, quia verè cœleſtis panis eſt ſuper omnem eſſentiam, & ſubſtantiam mundi, quia verè cœleſtis panis eſt, & viuus, dans vitam mundo, non quidem animalem, & corporalem, ſed ſpiritualem, & æternam. Verè eſt ſuperſubſtantialis, quia non mutatur in noſtram ſubſtantiam, ſed potiùs nos in ſuam conuertit, diuinosque efficit; & cœleſtes, cùm ſit panis diuinus, & cœleſtis. Ideò verè eſt præcipuus, quia non corporis cibus, ſed animæ beatam, & perennem vitam præſtans, & non vt manna, quod edentes moriebantur. Vnde & eximius dici poteſt, quo nimirum nullus dulcior, & quia omne delectamentum in ſe habet, & vniuſcuiuſque deſeruit voluntati, præſtans illud quo eget. Eſt etiam peculiaris, quia filiis Dei, qui peculium Domini ſunt, peculiariter datus eſt. Rurſus quotidianus appellatur, quia quotidie paratur, & ſumitur in menſa Domini, & deberet quiſque quotidie ſumere, ſaltem in voto. Vnde Ambroſius exponens hanc particulam Orationis Dominicæ, increpat laicos ſuæ ætatis, quòd more Græcorum ſemel tantùm in anno communicarent. Et ſubdit: *Si quotidianus eſt cibus, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Idem prorſus dicit Auguſtin. ſerm. 28. de verbis Domini, vbi ſubdit: *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* Quaſi diceret Auguſtinus:

Euchariſtia vnde etiã panis ſit ſuper eſſentiã omnem atq; ſubſtantiam, ſeu ſuperſubſtantialis.
Ioan. 6.
Quare item panis præcipuus nominetur.
Ibidem.
Sap. 10.
Peculiaris etiam cur panis dicatur, & quotidianus.
Ambroſ. loco dicto.
Græci ſemel tã ùm in anno communicabant.
Aug. tom. 10.
Martial. lib. Carm.

Qui non eſt hodie; cras minus aptus erit. Vnde in primitiua Eccleſia quotidie perſeuerabant in communicatione fractionis panis. Poteſt etiam aliquo modo exponi panis craſtinus, quia cras, id eſt, adueniente luce gloriæ in ſua ſpecie apparebit nobis: nunc enim quaſi manna velatum exiſtit. Meritò igitur hic tantus panis tot nominibus exprimitur, ad explicandam eius nobilitatem, & excellentiam, quæ vna voce deſignari non poterat.

Actor. 2.
Euchariſtia quomodo panis craſtinus dici poſſit.

Ac meritò equidem dicitur noſter, quia non tantùm Dei munere donatus eſt nobis, ſed etiam quia ad filios ſpectat, & vſibus eſt noſtris accommodatus; itaque paratus, vt horrorem ſumentibus auferat, & fidem conciliet, nos etiam ad ſe edendum inuitet. Nec enim hic conficitur hic panis, vt ſub accidentibus tritici, viniquе delitescat; ſed vt cum auiditate à nobis deſumatur: ſed tamen illum de integro petimus, cùm dicimus, Da nobis hodie: id eſt, redde nos dignos menſa tua & pane tuo, vt ad ſalutem illum ſumamus. Qui verò illum in Sacramentum non accipit, petit ſibi dari panem Euchariſtiæ in ſacrificium; quatenus pro eis peccatis extinguendis, aut pro virtutibus comparandis à Sacerdotibus in Euchariſtia quotidie offertur. Sed præſtat ille, pro quo non tantùm offertur, ſed etiam dignè illum accipit ad ſalutem: dignè verò ad illum accidit, qui ſeipſum priùs probauit, & illum cum pane lachrymarum comedit: quemadmodum olim agnus edebatur cum lactucis amaris. De hoc pane dicitur; *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?* Subdit, *Da nobis*, Gratis ſcilicet. & ſine pretio, quia nullo pretio comparari poteſt: imò deſpicitur, ſi in pretij rationem à nobis veniat. Et addit, *hodie*: quia craſtino die Sabbati non poſſumus colligere manna, niſi dum viuimus: da ergo, pro curſu huius vitæ: Neque fidelis eſt ſponſa, qui quotidiana ſponſi præſentia non gaudet: nam dicit ille Chriſtus, *Hoſpes eram* (ſcilicet in Hoſtia) *& non collegiſtis me.* Da etiam hodie, id eſt, in die gratiæ, non in nocte peccati: ne indignè accipientes, corporis Domini communione indigni reddamur. Hactenus ergo de pane ſpirituali expoſitus ſit præſens locus.

Cur noſter panis appelletur.
Dignè quis eum panem manducet.
1. Cor. 11.
Exod. 12.
Pſal. 41.
Cur hodie petendus ille panis.
Exod. 16.
Matth. 25.

Iam ſecundò explicandus eſt de pane corporis. Et in primis dubitare quis poſſet, qua ratione, cùm tot rebus aliis indigeamus, etiam ad victum, vt oleribus, piſcibus, carnibus; & præter hæc opus habeamus veſtimento, habitationeque: cur ſola hic mentio panis fiat. Reſpondemus, eſſe Hebrææ linguæ morem, lechem, ſiue panem appellare, id omne, quod ſuſtentandæ vitæ eſt neceſſarium; fortaſſis ea de cauſſa, quòd prior hominum ætas ſimplici victu contenta eſſet; necdum artifex gula tam multa ciborum genera, & ſuffocandi potius, quàm nutriendi hominis inſtrumenta excogitarat: & eadem ratio erat de veſtitu & habitatione. Quod Sapiens comprobat Eccleſiaſtici 29. *Initium vitæ hominis, aqua & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem*: ne ſci-

Panem deinde corporeũ potius quàm alium cibum etiam neceſſarium cur petamus à Domino.
Lechis Hebraicè quid.
Eccleſ. 9.

Vbi Scripturarum omnis cibus nomine panis exprimitur. *Geneſ. 3.*

licet, ſerarum more, nudi, & vagi homines agerent. Neceſſaria ergo poſtulanda ſunt; ſuperuacua etiam recuſanda. Quòd verò panis nomine veniat omnis cibus, ex eo conſtat quod dictum eſt à Domino Adæ; *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo:* quod non minus intelligitur de vino & cultu arborum frugiferarum, & cura animalium, quàm de frumento: nam horum omnium fructum nonniſi cum ſudore & labore comparamus. Conſtat etiam ex alio loco Scripturæ, 4. Regum 6. quando Heliſæus latrunculos Syriæ ad ſe capiendum miſſos, acriſia percuſſos, introduxit in ciuitatem Samariæ: *Quos cùm vidiſſet Rex Iſraël, dixit ad Heliſæum; Nunquid percutiam eos, pater mi? Et ille ait, Non percuties: neque enim cepiſti eos gladio, & arcu tuo, vt percutias: ſed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant ad Dominum ſuum.* Et ſubditur, *Appoſitaq; eſt eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt.* Et Geneſ. 39. dicitur: *Inuenitque Ioſeph gratiam coram domino ſuo, & miniſtrabat ei: à quo præpoſitus omnibus, gubernabat creditam ſibi domum, & vniuerſa quæ ei tradita fuerant, &c. Nec quicquam aliud nouerat, niſi panem quo veſcebatur:* Cùm tamen multis aliis ferculis admixtus panis edi ſoleat, maximè à Rege. Ex nouo verò Teſtamento habes Luc. 14. ingreſſum eſſe Ieſum in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum Sabbato manducare panem. Ex eo igitur quod dicit, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie:* intelligimus, neceſſaria ad vitam corporalem ſuſtinendam eſſe à Deo expetenda & expectanda: quia ipſe eſt, qui aperit manum ſuam; & implet omne animal benedictione. Deinde diſcimus, non eſſe curam corporis noſtri, & vitæ temporalis omninò negligendam. Item, non eſſe amplificandas neceſſitates humanas, ſed vt ſimplici victui & veſtitui aſſueſiamus, vt Apoſtolus admonet, dicens, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Nam videas hodie in immenſum penè excreuiſſe ea, quæ ad vitam tuendam præparantur: vt verum ſit illud Prouerbium: *Plures occidit gula, quàm gladius.*

4. Reg. 6. — *Geneſ. 39.* — *Luc. 14.* — Tria Chriſti documẽta panis noſtri quotidiani petitione contenta. *Pſalm. 144.* — *1. Tim. 6.*

Sed hoc loco duplex dubium euacuandum eſt. Primum quidem proponit Auguſtinus lib. 2. de ſermo. Domini in mon. cap. 7. his verbis ferè; *Si nomine panis intelligimus neceſſaria ad vitam ſuſtinendam, quæ in victu & veſtitu, & habitatione conſiſtit, quare paullo poſt hanc precationem præcepit Dominus, Nolite ſoliciti eſſe quid edatis, vel quid induamini;* Reſpondemus; non omnem ſolicitudinem eſſe à Domino prohibitam, ſed illam tantùm, quæ cum anxietate animi & mentis perturbatione diffidentiam habet coniunctam, & timorem, & quæ diuidit animum in varias partes, vt verbum Græcum indicat μεριμνᾶν. Nam hæc ſolicitudo contraria eſt tranquillitati, & conſtantiæ animi. Alia verò ſolicitudo eſt, diligentia quædam, ſiue ſtudium, quod ad omnem actionem honeſtam eſt neceſſarium: & opponitur pigritiæ, negligentiæve: atq; hæc ſolicitudo, ſiue cura, colligit & vnit facultates omnes hominis in vnum, vt acriter ac ſeriò alicui rei incumbat, vt docet Dionyſius; ſicut prior ſolicitudo animum diuidit, & in partes rapit varias, de qua Dominus, *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima.* De poſteriori ſolicitudine, quæ cum virtute coniuncta eſt, loquitur Apoſtolus, cùm ait; *Solicitudine non pigri: ſpiritu feruentes:* & ad Epheſios, *Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis:* atq; hęc voce diſtinguitur à priori; dicitur enim σπουδάζειν. Chriſtus igitur illam priorem vetat, hanc poſteriorem commendat, docens nos orare pro pane quotidiano, imò pro eo conſequendo laborare, iuxta illud, *Labores manuum tuarum quia manducabis. beatus es, &c.* & Paulus, *Si quis,* inquit, *non vult operari; nec manducet.* Appetere namque & petere bona corporis, & de illis ſolicitari, quatenus neceſſaria vitæ noſtræ ſunt, vt per eam vitam æternam comparemus, & vt inſtrumenta virtutum ſunt, bonum eſt, & honeſtum: nam hæc ſolicitudo cùm ad cognitionem gloriæ referatur, vnum efficitur cum ea: ſecus anxia cura in ſuperfluis, vel de bonis externis propter ſe ipſa, quia hæc turbaret, & tranquillitatem adimeret: ideò non propter ſe, ſed vt adiacentia bona ſunt expetenda.

Cur panem quotidianũ nos iubet petere Chriſtus ſi victus & veſtitus non vult nos eſſe ſolicitos. *B. Aug. to. 4* *Matth. 6.* — Duplex ſolicitudo mala, atque bona. — *B. Dionyſ.* — *Luc. 10.* — *Rom. 12.* *Epheſ. 4.* — *Pſalm. 127.* *2. Theſſ. 3.* — Bona victus ſolicitudo quàm vtilis; mala verò quàm perniciosa.

Alterum dubium eſt ab eodem Auguſtino in dicto loco propoſitum; *Quomodo ſcilicet poſt communionem acceptam poſſumus illo die dicere; Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: quid opus eſt petere quod iam obtinuimus?* Reſpondet Auguſtinus, quòd poſt communionem Sacramentalem petimus ſpiritualem, nempè vt perſeueremus in memoria paſſionis Chriſti & beneficiorum, quæ per illam accepimus, amorem in Deum, & in proximum recolendo. Cyprianus in ſermone De oratione Dominica; *Hunc autem panem,* inquit, *dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Eucharistiam quotidie cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abſtenti & non communicantes, à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.*

Cęleſti pane refecti, quàm rectè orare valeant: Panẽ noſtrũ quotidianum da nobis hodie, teſte Auguſtino. — *Cypr ſer. 6 de orat. Dom.*

Hæc

Hæc Cypriani ſunt verba. Parum igitur prodeſſet, ſi poſt communionem acceptam, per peccatum fructum eius amitteremus: quem ne amittamus, dicere poſſimus; *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

Nobis pranſis, aut cœnatis eadẽ petitio panis quotidiani quomodo conueniat.

Simile dubium formari poteſt de eo qui pranſus eſt, aut iam cœnauit; quomodo ſcilicet valet dicere, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; aut quomodo ille, qui in cellario habet panem, non ſolùm in illum diem, ſed etiam in totum annum, quo ſibi, ſuæque familiæ proſpiciat; quomodo, inquam petit id quod iam habet? Dicimus; panem, aut vinum, aut carnes, ex ſe ipſis vim non habere paſcendi & alendi hominem, niſi ex Dei inſtitutione & concurſu: nam niſi ille per miſericordiam ſimul agendo concurrat, vim illis paſcendi ſuppeditando, nequaquam hominem alerent. Et quemadmodum igni fornacis Regis Chaldæorum virtus ſuſpenſa fuit per hoc quòd Dominus illius actionem non iuuit: ita panis & cibi iam ſumpti, ſi Deus illius virtutem ſuſpenderet (vt pro voluntate ſua ſuſpendere poteſt) proculdubio nos non alerent, imò miſer fames nos abſumeret. Atque ita hac ratione non ſolùm impranſi, & incœnati, ſed etiam poſt prandium & cœnam dicere poſſumus; *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Similiter etiam dicendum eſt de bis, qui in horreis repoſitum habent frumentum in totum annum, vel pecunias in plures annos ad comparandum victum: nam iſti quod habent, à Deo ſe accepiſſe debent agnoſcere; & niſi Deus pro ſua prouidentia illa ſeruet, & frumentum interire poteſt, vel marceſcere, & pecunia ſurripi, vel deficere, ac ni Dominus illa cuſtodierit, in vanum laborant, qui frumenta recondunt, vel cenſus emunt. Profitemur igitur hac voce, omnia noſtra bona, quæ ad corpus ſuſtinendum ſpectant, tametſi magnis ſudoribus noſtris, atque induſtria illa comparauerimus, à Deo nobis donari, cùm non habemus: quippe induſtria, & facultas laborandi, ac ſudandi nobis tributa eſt à Deo: & cùm donata ſunt, à Deo nobis ſeruantur: & cùm manducauimus, & bibimus; diuinæ bonitatis eſſe vim alendi, paſcendique illis tribuere.

Dan. 3.

Qua ratione diuites quoque, & copioſi panem à Deo quotidianum petere poſſint, ac debeant.

Qui non rectè à Deo petant panem quotidianũ: atq; illo indignos ſe præbeant.

Hoc autem loco duo extremi errores tanquam Scylla, & Charybdis à nauigantibus, vitandi ſunt. Primus eſt quorundam fidelium, Deum exiſtimantium cunctis viuentibus, & belluis abundè proſpecturum de cibo; ideò ſatis eſſe à Deo petere, & interim nolunt laborare, ſed viuere in otio. Verùm profectò ille ſua liberalitate noluit labores noſtros iuſtos auferre: quia perinde inſitum eſt homini laborare, atque aui volare, & præcepit, vt in ſudore vultus noſtri veſcamur pane noſtro. Hac ergo petitione voluit, ne fideremus laboribus noſtris, vel induſtriæ, quia niſi Deus illis benedicat, nil fructus habebimus. Vt experientia ſæpè docet, quòd vbi plus laboramus, & colimus terram, minus fructus accipimus; ſiquidem Deus impedit, ne meſſes fructum parem laboribus reddant: & ſæpè minus laboranti maior fructus conceditur. Quia ergo frui non reſpondent menſuræ laborum noſtrorum, ſed voluntati Dei; ideò toti à Deo pendere debemus, & cogitare illud Apoſtoli: *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus.* Eſtque ſenſus; Oportet quidem plantare, & rigare; ſed fructus gloriæ Deo, tanquam primæ cauſſæ dandus eſt; atque ideò ſperare fructum ſine illis, eſſe Deum tentare. Alter error extremus eorum eſt, qui ſemper laborant & ſoliciti ſunt, anxiè quærendo bona temporaria per ſuam induſtriam, cui maximè fidunt: iſti minimè petunt panem quotidianum, nec pro habito gratias agunt, niſi ſibi ipſis. Etenim ſi mendicus fruſtum panis accipiens, Deo benedicit; quanto magis diuites, qui integrum panem, & tot bona à Deo acceperunt, expedit gratias agere omnium remuneratori? Iſtis ergo obiicienda eſt hæc ſententia Domini; *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; & verbum Prophetæ: *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Voluit itaque Dominus, vt poſt labores noſtros petamus in oratione, quæ auibus ſine labore, & infidelibus abſque precatione tribuit, vt filij Dei ab aliis gentibus diſtinguamur, qui corporis ſuſtentationem ſuis artibus, & ingenio tribuũt: filios autem Dei voluit, vt quaſi ſub tutela parentis cum magna fiducia viuant, inuocantes quidem Patrem, & ab eo panem, & veſtem petentes; ſed quid edant, vel bibant, vel quomodo induantur, minimè ſint ſoliciti. Porrò hic dicitur panis noſter, quia nos illo vti debemus ad ſuſtinendam vitam temporalem: ſed non eſt noſter, quaſi habeamus illum ex nobis, cùm à Patre illum poſtulemus: quod commune eſt nobis cum omnibus animantibus, quæ etiam à Deo cibum ſuum habent: *Oculi omnium*, inquit Pſaltes, *in te ſperant, Domine: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum*

Iob 5. *Geneſ. 3.*

Homo natus ad laborem, vt auis ad volatum.

1. Cor. 3.

Panem qui etiam quotidianum non videntur à Domino poſtulare.

Pſalm. 126.

Quomodo Deus fideles de pane ſuo quotidiano velit eſſe ſolicitos.

Corporeus panis vt ſit, vt verò non ſit noſter.

Pſalm. 144.

Quomodo etiã panis ille ſit noſter.

tuam; & imple omne animal benedictione. Bona ergo externa, panis noſter non ſunt, quia noſtra non ſunt, quæ nobiſcum portare non poſſumus. Dicitur etiam panis noſter noſtro iuſto labore partus, de quo Apoſtol. Theſſalonicenſes alloquens hortatur, vt cum ſilentio operantes panem ſuum manducent. Et Auguſtinus libr. 50. Homiliarum, ponderans illud verbum *Noſtrum*, &, *da nobis*, inquit: *Quotidie dicimus, Panem noſtrum quotidianum. Iam dixiſti, noſtrum, & dicis, Da nobis. Quid ergo tibi aſſignas, quod non tibi ipſe dediſti? Quid enim habes, quod non accepiſti? Dicis noſtrum, & da nobis. Agnoſce largitorem, confitere te accipere, vt libenter ille dignetur dare. Quid ſi non egeres, quis mendicas, & ſuperbus es? An non mendicas, qui panem petis?* Hactenus Auguſtinus. Iuſto ergo labore comparari debet panis, vt noſter dicatur, non vſuris, furto, vel rapina, quia ſic alienum panem comederemus, nec poſſemus de illo indigentibus conferre, iuxta illud Apoſtoli; *Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret operando manibus ſuis: quod bonum eſt, vt habeat, vnde tribuat neceſſitatem patienti.* Petimus etiam panem noſtrum, id eſt, illum, qui victui noſtro ſecundùm gradum, & conditionem noſtram eſt neceſſarius. Neque enim expetere debemus panem ſuperfluum, aut immoderatum, quemadmodum illi, de quibus ait Propheta: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci: nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Contra hos loquitur Magnus Baſilius: *Panis qui tibi eſt ſuperfluus, eſurientium eſt; ſicut veſtis, quam recondis, nudorum; argentum & aurum quod poſſides, eorum qui egent in terra.*

2. Theſſ. 3.

Aug lib. 50. hom. ho. 14. initio, to. 10.

1. Cor. 4.

Panem quo veſcimur, quando non noſtrum dicere poſſimus.

Epheſ 4.

Quid rurſus noſtrum panem petere à Deo nobis dari.

Eſai 5.

Baſil. ho. 6. 7 & 8 in Diuites, tom. 1. circa med.

Quotidianũ cur panem à Deo nobis dari poſtulemus.

Rurſus vocat hunc panem quotidianum, quia eo quotidie indigemus, donec veniat infinitus ille, & perpetuus dies, cui nox non ſuccedet. Ad hæc quotidianum, vt petamus victum, & veſtitum moderatum, tanquam res quotidianas, de quibus non eſt neceſſe in longum tempus proſpicere, ſed vt dicitur, in diem viuere, & quotidie à Domino panem mendicare. Ob id Dominus dixit; *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.* Inſuper quotidianum, & non craſtinum, vel multorum dierum; vt intelligamus non eſſe vno die edendum per profuſam intemperantiam, quæ ſobriè ſumpta centum diebus ſufficerent. Adiungit *hodie*, vt ea fide ad Deum cras confugias, qua vides tibi hodie eſſe proſpectum. Nam qui hodie pauit, craſtina die etiam paſcet; ſi in fide petas, & non facias, vt ille diues, qui dicebat; *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* Cui tamen dictum eſt: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues. Hodie etiam, ſicut mãna dabatur quotidie his, qui ſecuti erant Deum. *Da nobis*, inquit. Ne ſuperbiamus, quotidie mendicamus à Deo eleëmoſynam, vt pauperes faciunt nobiſcum, agnoſcentes quanta eſſet noſtra paupertas, niſi à Deo ſubleuaretur. Et pauper petit vt habeat; diues, vt conſeruetur; & vel ditiſſimus, ac opulentus Rex dicere poteſt; *Ego autem mendicus ſum, & pauper*, Rurſus dicitur, *Da nobis*; ne ſimus ingrati, quia profitemur ab eius libera manu accipere. *Nobis*, inquit, non mihi, vel tibi, ſed nobis omnibus; vt nemo ſibi temporaria tanquam propria arroget, quæ ea lege à Deo accepimus, vt aliis, cùm opus eſt, impertiamur. Sicut enim natura cibum per ſtomachum aſſumptum, omnibus membris communicat: ita nos, qui multa membra ſumus vnius corporis in Chriſto, debemus non ſolùm pro nobis, ſed etiam pro aliis petere hunc panem. Nam ſi olim amicorum erant omnia communia; quanto magis Chriſtianorum, qui fratres ſunt ſpiritu, quo arctius, quàm ſi fratres eſſent corpore, adſtringuntur, communia omnia debent eſſe? Nobis etiam, quia ſumus tui filij; & propterea te vt Patrem interpellamus, vt præſtes. Nobis, inquam, indigentibus, & ipſum à nobis habere haud valentib. Cùm ergo innumeris tùm corporis, tùm animi neceſſitatibus obruamur: congruum eſt, vt ad hunc amantiſſimum noſtri Patrem, & prætereà potentiſſimum, ac ſapientiſſimum cum fiducia confugiamus. Nam ſi illi ne paſſerculi quidem in obliuione ſunt, & flores ac lilia tam magnificè veſtit: nos, quorum gratia omnia fecit, multo magis curabit. Incipiamus iam huic tanto Patri fidere, & toti ab eo pendere: nam fidelis eſt, & quod pollicitus eſt, non poteſt non præſtare: quippè facilius eſt cœlum, & terram interire: quàm quicquam de Dei pollicitationibus cadere.

Matth. 6.

Expenditur illud: Da nobis hodie.

Luc. 12.

Exod. 16.

Enim panem cur petimus dari nobis.

Pſalm. 39.

Secũda ratio.

Rom. 12. & 1. Cor. 12. & Epheſ. 4.

Actor. 4.

Tertia ratio.

Matth. 10.

Supra 6.

Quanta in Deo nobis fiducia collocanda.

Infra. 24.

Supra 6.

Pollicitus eſt ſe omnia nobis ſubminiſtraturum, modò regnum Dei, & iuſtitiam eius quæramus: quod nihil eſt aliud, quàm vt faciamus Dei voluntatem. Paſtor eſt hic, qui nihil ouibus ſuis deeſſe facit, vt teſtatus eſt ille inſignis, & Regius Propheta, qui dixit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit:* De aliis verò iuſtis profitetur: *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Nam vbi cætera omnia deſunt, nouit

Pſalm. 22.

Pſalm. 36.

Deo hominē paſcēdi quot ſuppetant rationes.
3. Reg. 7.
Matth. 4.
3. Reg. 19.

per animalia immitia, & rapacia, vt fecit cum Helia per coruum, vel per Angelorum miniſterium, vt fecit cum Chriſto in deſerto; vel denique ſine vllo cibo, aut potu vitam noſtram ſuſtinere, ſed ſua tantum præſentia panis noſtri virtutem augendo, vt per quadraginta dies fecit cum Helia, & in æternum præſtabit electis omnibus & beatis in gloria cœleſti, ope & adminiculo Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto beata fruitur immortalitate in ſempiternis ſeculis Amen.

TRACTATVS LI.

In illa verba: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Ordo iſtius petitionis huius ad præcedentes.
Sap. 14.
Coloſſ. 2.

MIRARI hic facilè poſſemus huius diuinæ precationis artificium, niſi ſciremus, ab eo eſſe compoſitum, qui Deus eſt omnium artifex, & illæ, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Poſtquam igitur in ſuperioribus ab eo precati ſumus omnia ea bona, quæ à Deo peti poſſunt, & in primis æterna, ac ſpiritualia, ac proinde etiam corporea: nunc docet nos omnia mala, tùm animi, tùm corporis deprecari: neq; tantùm ea, quæ præſenti ſeculo poſſent offendere, quam quæ in futurum, & in perpetuú: & prius pro malis præteritis quæ commiſimus, poſteà pro malis quib. detinemur, vel occupari metuimus, præſentibus ſcilicet, & futuris. In primis igitur remiſsionem peccatorum petere admonet: nã peccatum maximè Deo contrarium exiſtit, illique inuiſum, nobis verò maximè noxium eſt & pernicioſum: neque Deus aut in dæmonibus, aut in damnatis hominibus quicquam aliud ita odit, atque peccatum. Cùm autem vix fiat, vt ſine proximorum offenſione viuatur, quando in multis offendimus omnes; cumque magis commoueri ſoleamus, cùm à proximis iniuriam accipimus, quàm cum Deum ipſi offendimus: neceſsitatis quadã lege nos conſtrinxit, vt cùm petimus dimitti nobis peccata noſtra, mox eorum meminerimus dimittendorum, quæ proximi nobis debent. Quod ad voces attinet, *dimitte*, dixit, cùm potius, remitte, vt volunt eruditi, fuiſſet dicendum: nam propriè Latinis dimittere, eſt in diuerſas partes mittere ſeu abeundi poteſtatem facere, ſiue derelinquere, & omittere. Sed iam hæc vox Eccleſiaſtico vſu recepta eſt in ea ſignificatione, vt accipiatur pro, remittere. Hinc Mar. 2. ait Dominus; *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Et rurſus apud Luc. cap. 6. *Dimittite & dimittemini.* Et cap. 6. *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Et Dominus in Cruce; *Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt.*

Quare iubeamur noſtrorum petere veniam peccatorũ à Domino.
Iacob. 3.
Dimittere propriè quid ſit.
Marc. 2.
Luc. 23.

Verbum illud, *debita*, vox obſcura eſt, & æquiuoca: nam ſignificat debita pecuniaria, quæ proximo debemus, vel ratione mutui accepti, vel ratione venditionis alicuius, vel denique ratione promiſsionis. Ad tollendam ambiguitatem omnem, quod Matthæus dixit, debita, Lucas cap. 11. explicauit peccata; vt intelligamus de his tantùm debitis, quæ cum Deo habemus ratione peccati, hic eſſe ſermonem, non autem de debitis, quæ rationibus prædictis cum proximo habemus: quæ niſi ſuo tempore, & loco, cùm facultas dabitur, proximo exoluerimus, procul dubio in peccatum labimur, contrectantes rem alienam inuito domino. Habemus autem multa debita cum Deo, quorum maximum eſt, vt Deum toto corde diligamus, proximos vt nos ipſos. Debitum etiam eſt gratiarum actio, quam aſſiduè debemus Deo: nam continuis beneficiis illius fruimur, & debitum obedientiæ ſeruandæ legis eius. Ab his autem debitis minimè liberari poſtulemus; quia ratione naturali quiuis iubetur hæc Deo rependere, eo quòd creatura eius ſit. Vnde Paulus volens perpetuò manere vinculum dilectionis mutuæ, dixit, *Nemini quicquam debeatis; niſi vt inuicem diligatis.* Quoniam verò his debitis, vt par eſt, minimè ſatisfacimus, & ingrati inuenimur: rurſus debitores alia ratione, nempè per peccatũ commiſſum inuenimur. Eſt ergo hoc loco ſermo de debitis, quæ ratione tantum peccati cum Deo contraximus: quia propter ea obligamur ſatisfacere diuinæ iuſtitiæ. Quemadmodum qui peccat in legem humanam, contrahit debitum pœnæ interminatæ, & ſtatutæ per legem: & qui lædit proximum tanquam debitor, cogitur iure illi ſatisfacere. Conſilium autem Spiritus ſancti fuit, per Matthæum peccata ipſa vocare debita, vt teſtatur Auguſtinus; vt innueret, homines peccando debitores Deo conſtitui. Vnde ſuperiori cap. idem Dominus dixit; *Non exies inde, donec reddas nouiſsimum quadrantem.* Et de illis decem & octo, ſuper quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos, dicitur; *Putatis quia & ipſi debitores*

A Deo nobis dimitti quæ debita poſtulemus.
Suprà 11.
Quæ nos Deo debeamus, & quandiu.
Lucæ 10 & Deut. 6.
Leuit. 19.
Rom. 13.
Alia noſtri ratio debiti cum Deo.
Peccata in Scripturis interdum cur debita nuncupentur.
Auguſt. li. 2. de ſer. Dom. in mon. c. 13. tom. 4.
Luc. 13.

fuerint præter omnes homines habitantes in Ieruſalem? Id eſt, peccatores, ob reatum, & noxam, quam contrahunt. In hoc ſenſu propoſuit Dominus parabolam apud Simonem Phariſæum Lucæ. c. 7. *Duo debitores erant cuidam fœneratori*, & quæ ſequuntur: & in parabola conſerui Matthæ. 18. Tollit autem qui peccat, Deo tùm timorem, qui debetur eius potentiæ, ita vt dicat: *Metuant eum omnes fines terræ*: tùm amorem, qui ei, qui ſummum eſt bonum, & ſolus bonus redditur: tum ſeruitutem, quæ tanto Principi ratione dominij ſupremi & & vniuerſalis illi pendi debet, de qua ſcriptum eſt: *Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*: tùm obedientiam, quæ illi præcipienti, & legem ferenti exoluenda eſt: nam obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Hæc autem omnia, cùm in gratiam redimus, illi rependere debemus, timore ſancto, & amore grato illum proſequentes, cultum latriæ, obedientiamque præſtantes.

Luc. 7. *Matth. 18.* *Pſalm. 66.* Deo quę eripiant peccantes, quomodo eademq; reſtituant. *Deut. 6. & Matth. 4. Actor. 5.*

Hoc autem loco in primis diſcimus verum eſſe quod quidam dixit; *Nemo ſine crimine viuit*: nemo namque mortalium ſine aliquo crimine hanc vitam poteſt traducere, ita vt opus habeat vnuſquiſque quotidie dicere, *Dimitte nobis debita noſtra*: ac proinde agnoſcere verè debitorem, contra Pelagianos: & non tam ex humilitate, quàm ex veritate pronuntiare: *Dimitte nobis debita noſtra*. Nam vt Auguſtinus docet libro de Natura & Gratia, humilitas debet eſſe coniuncta cum veritate, & nemo debet propter humilitatem mentiri: vt faceret qui peteret remiſsionem debitorum, nec ſe agnoſceret debitorem.

Omnibus etiam ſanctis hanc petitionem: Dimitte nobis debita noſtra, neceſſariò conuenire.

Augu. lib. de natura & gratia, ca. 36. to. 7. circa med.

Secũda ratio. Ad hæc Dominus hanc orationem docuit Apoſtolos ſanctos, & iuſtos, paſtores gregis Dominici, atque inſtituit, vt per totam vitam hanc precationem recitarent. Cognouit ergo ita vitam acturos, vt aliquo modo eſſent debitores. Nam ſi prænouiſſet in Eccleſia poſt Apoſtolos, futuros viros meliores, & vitæ ſanctitate magis conſpicuos: aliam fortaſsis precandi rationem, ſine hac petione remiſsionis peccatorum inſtituiſſet: vt egregiè Auguſtinus annotauit epiſtola 89. ad Hilarium. Prætereà, completa hac precatione, ſubiunxit Dominus; *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra, Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*. Ecquid eſt dicere, *peccata veſtra*, ſine quibus vita etiam iuſtificatorum, ſanctificatorumque non traducitur: vt exponit Auguſtinus lib. 21. De ciuitate Dei cap. vltimo. Quiſquis ergo dixerit, hanc petitionem non eſſe neceſſariam viris ſanctis, qui agnoſcunt, faciuntque Dei voluntatem; grauiter errat: quemadmodum docet lib. 3. cap. vlt. de peccato. meri. & remiſ. *Si enim dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & non tantùm humilitas, ſed etiam veritas in nobis non eſt.*

B. Aug. to. 7. Tertia ratio. *Idem. tom. 5* *Idem. tom. 7.* *1. Pet. 1.*

Dubium eſt hoc loco, an quiſquã mortalium, vel naturæ puritate, vel gratiæ diuinæ excellentia, ita liber & immunis extiterit ab omni peccato, vt ei minimè opus fuerit precari, Dimitte nobis debita noſtra. Huic dubio, quod attinet ad naturam, Paulus ex Dauide reſpondit: *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum; vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Vbi notandum eſt, Paulum non loqui de notitia humana, quam quiſque de bonitate, vel malitia alterius habet, quæ falli poteſt, & ſæpè fallitur, ob id quòd intima hominis non penetrat; ſed loquitur de diuina cognitione, quæ falli nequit. Et cùm ait, Deum proſpexiſſe ſuper filios hominum; non loquitur de natura noſtra, quatenus ab eo condita fuit in iuſtitia & ſanctitate; nam hoc modo non opus erat de integro illam reſpicere, quam ipſe benè nouerat qui condiderat: ſed loquitur de natura humana Satanæ inſidiis, & in obedientia parentis primi in ſordidam & impuram per peccatum commutata. Rurſus ait ſuper filios hominum; quo innuat, voluiſſe videre naturam humanam, quatenus illam Pater donat Filio, & Filius recipit illam à Patre, id eſt, homo ab homine. Subdit; *Omnes declinauerunt*, A via ſcilicet, quæ conducit ad finem, cognoſcendi, & quærendi Deum. *Simul inutiles facti ſunt*: Significat, Nemo ſibi vtilis eſſe poteſt ad redeundum in viam agnoſcendi, & quærendi Deum. *Non eſt qui faciat bonum.* quod Sapiens explicauit, dicens; Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet; vult dicere, Nemo eſt adeò iuſtus, qui aliquando in peccatum non prolabatur; & *Septies in die cadit iuſtus, & reſurget*. Subdit, *Non eſt vſque ad vnum*: prophetans fortaſsis de Chriſto, teſte Auguſtino, qui naturam humanam ex Virgine ſanctificata non deprauatam & contaminatã accepit: atq; huic tantum ob puritatem naturæ non conueniret confiteri ſe debitorem, nec dicere, Dimitte nobis debita noſtra. Qui cùm ſe à Patre ſanctificatũ dixit; non intelligas ab vlla immunditia illum fuiſſe purificatum; ſed quòd

Neminẽ mortalium omninò præter vnum Chriſtũ natura impeccabilem extitiſſe. *Rom. 3.* *Pſalm. 13.*

Explicatur hęc ſententia Dauidis: Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum. Omnes declinauerunt. & c. *Eccleſ. 17.*

Illud: Nõ eſt qui facit bonũ, quomodo accipiendum *Eccleſ. 7.* *Prouerb. 24.* *B. Auguſt. in Pſal. 13. to. 8.* *Ioan. 10.* Vt C[illegible] Deus Pater ſanctificauerit.

Suprà.r.

cùm creatus eſt, ab initio ſanctus fuit, & ab omni ſorde & macula alienus, cùm plenus eſſet gratia & veritate, & deputatus, vt eſſet hoſtia munda, & grata Patri, quam pro nobis offerret ſanctificandis, de qua Apoſtolus: *Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus. Qui non habet neceſsitatem quotidie* (quemadmodum ſacerdotes) *prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.* Fuit ergo Chriſtus ſanctus natura ſua, imò ſanctificator omnium, innocens, ſine malitia, qua poſſet excitari ad nocendum alteri; imò ad omnibus ferendam opem. Erat impollutus, ſiue immaculatus, quia nulla erat peccati macula, quæ impediret illum, vt gratum eſſet Deo ſacrificium; quemadmodum agnus offerendus carere debebat prorſus omni macula. Erat ſegregatus à peccatoribus, id eſt, ab omnibus hominibus, qui aliquo modo ſunt peccatores: ipſe autem ſolus homo eſt, ſed non peccator. Fuit & cœlis ipſis excelſior, quia in cælis, hoc eſt, in Angelis, inuenit peccatum: at in Chriſto Deus nullum inuenit peccatum, neque defectum. Hic Pontifex multum differt à reliquis Pontificibus, qui quotidie offerebant priùs pro propriis delictis, deinde verò pro peccatis populi: cùm tamen Chriſto ſatis fuerit ſemel ſe obtuliſſe ad expianda peccata totius mundi. Et ita reſpondimus, neminem, præter vnum Chriſtum, puritate naturæ mundum fuiſſe ab omni peccato, & cui non erat neceſſum dicere, *Dimitte nobis debita noſtra.*

Hebr. 7.
Chriſtus Pontifex cur ſanctus, Innocens, Impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus teſte Apoſtolo.
Exod. 12.

Iob. 4.

Aliud Chriſti Pontificis à legalibus Pontificibus diſcrimen à Paulo aſſignatum.

Quod verò ad excellentiam diuinæ gratiæ ſpectat, ſi talis ab omni peccato mundus exiſteret, veritati vlli Catholicæ fidei non repugnaret, neque B. Auguſtinus magnopere contendendum eſſe exiſtimat, ſi quiſquam aſſerat, ſingulari Dei gratia cuiquam hoc contigiſſe, vt ſcribit lib. De ſpiritu & litera, capit. 1. & 2. quanquam ipſe, tùm ibi, tùm in vltimo cap. lib. 3. De peccato. meri. & remiſs. magis credat fuiſſe neminem, Ait enim; *Illud autem quod dicunt, ſine vllo peccato aliquos homines, iam ratione propriæ voluntatis vtentes, in hoc ſeculo vixiſſe, vel viuere; optandum eſt vt fiat, conandum eſt vt fiat, ſupplicandum eſt vt fiat; non tamen quaſi factum fuerit, confidendum eſt: his enim optantibus, & conantibus, & digna ſupplicatione deprecantibus, quicquid remanſerit peccatorum, per hæc quotidie ſoluitur, quod veraciter in illa oratione dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hæc Auguſtini eſt ſententia. De B.

Aliquē poſſe ſingulari gratiæ Dei priuilegio ab omni peccato immunem exiſtere.
B. Aug to. 3.

An talis quiſpiam extiterit ſecundum Auguſtinū.

Virgine illud intrepide affirmamus, illam, ſingulariſsimo Dei munere, vitam hanc ſine ſpecie vllius peccati traduxiſſe: & vt vnus homo liber extitit ab omni peccato naturæ puritate, & iure ſuo, ita & excellētia gratiæ vnam habemus Virginem, quæ vitam ab omni labe peccati immunem traduxit, & omnium vitiorum extitit victrix & triumphatrix. Si qui tamen alij præter illam extiterint, nobis non eſt adeò certum; illis tamen, ſi extitiſſent, cum Beata Virgine dicendum erat, *Dimitte nobis debita noſtra*: nam quis dubitet, illam plerumque hanc precationem recitaſſe: quia ſic erat natura, & peccato deberet adſtringi, niſi per excellentem gratiam Dei eſſet ſeruata? Nam omnia deputantur dimiſſa, quæ ſingulari fauore non ſunt admiſſa, teſte Beato Auguſtino, quoniam per huius orationis vigorem non committuntur. Adde, quòd hæc oratio communis eſt totius Eccleſiæ, & pro ſe tantùm orat nullus, ſed & pro omnibus, ob commune vinculum charitatis: ideò etſi immunis quis ſit à peccato, verè dicit, *Dimitte nobis debita noſtra*, quia charitas non facit eum immunem, quæ cuncta mala & bona totius Eccleſiæ facit communia: Chriſtus enim omnia noſtra debita in ſe ſuſcepit, & orabat, Dimitte nobis debita noſtra. Si ergo ille, qui natura purus erat, & in quem peccatum cadere non poterat, ſic orabat, cur non & B. Virgo, & quiuis alius (ſi vnquam tamen talis extitit) ſingulari gratiæ præſeruatus, faciant aliena peccata propria, vt & ea in ſe ipſis puniant, iuxta illud Apoſtoli; *Alter alterius onera portate* atq; ita qui minus, aut qui rariſsimè, & in leuiſsimis peccant, debent in hac oratione recitanda oculos mentis ad aliena flagitia & ſcelera expianda ex charitate conuertere.

Hoc tantum priuilegiū in Dei Matre, Eccleſia & agnoſcit, & prædicat.

Cur etiam illa precari debuerit: Dimitte nobis debita noſtra.

B August. li. de Virg c 48. & ſeq. tom. 6. & alibi.

Secūda ratio.

Idem quomodo Chriſtus orare potuerit.

Galat. 6.

Deinde his paucis verbis duæ antiquæ hæreſes & contrariæ confutantur. Altera eſt, eorum, qui aſſerunt, baptizatos, qui Spiritum ſanctum in Sacramento regenerationis acceperunt, non peccare amplius neque poſſe peccare; quòd ſi peccent, ſignum eſſe Spiritum ſanctum in Baptiſmo non accepiſſe. Sed hunc errorem conuincunt hæc verba, quibus baptizati, à Chriſto inſtruuntur petere remiſsionem peccatorum, vt Cyprianus annouauit. Nam etſi per baptiſmum remittantur peccata omnia ante illum admiſſa: tamen quia vita ſpiritualis poſt baptiſmum, ſine peccatis quotidianis haud traducitur; ideò precamur, *Dimitte nobis debita noſtra.*

Contra Iouinianum & ſimiles, Chriſtianum negantes à Baptiſmo amplius poſſe peccare.

B Cypria ſer. 6. in oration. Dominicam.

Quod verò ait Ioannes in epiſtola ſua,

1 Ioan 3.

Omnis

Illud Ioãnis: Omnis q natus eſt ex Deo, peccatũ non facit, &c. quo modo verum ſit.

Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt: haud negat, ſimpliciter à baptizatis peccari non poſſe, cùm paullò ante dixerit, *Hæc ſcribo vobis, vt non peccetis: ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, &c.* ac rurſus, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: ſed de illis loquitur, in quibus permanet ſemen Dei, hoc eſt, verbum Dei, vt expoſuit Chriſtus, & Petrus: & pro eodem accipit natum eſſe ex Deo; & habere ſemen Dei in ſeipſo; quod in cauſſa eſt, vt baptizati, quandiu ſeruant illud ſemen diuinæ regenerationis & gratiæ, neque peccent, neque peccare poſsint, quod attinet ad peccata grauia & mortiſera, quæ cum diuina gratia & regeneratione ſtare nequeunt: ſecus autem de leuibus & venialibus, quotidianiſque delictis & noxis, quæ diuinæ gratiæ, aut perfectioni iuſtitiæ non repugnant. Idem paullò antè explicauit Ioannes aliis verbis: Nam cùm dixiſſet: *Scitis quia ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt*; ſubdit: *Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum.* Omnis, inquit, id eſt, qui Chriſto coniungitur, tanquam palmes viti, aut membrum capiti: ac ſubiungit qui ſint hi coniuncti cum Chriſto, dicendo: *Et omnis qui peccat, non vidit, nec cognouit eum.* Illi ergo qui cum Chriſto vniuntur, antequam quicquam operentur, viderunt & cognouerunt Chriſtum; ideò qui peccat, non omninò conſiderauit, an illud quod vult, facere, conforme ſit fidei, per quam videt; & charitati, per quam cognouit Chriſtum.

1. Ioan. 2.

Suprà. 1.

Matth. 13.

Ecquod nam ſemen Dei in regeneratis manens illos ſeruet à peccato, & quatenus.

Ioan. 15.

Vnde quis peccet.

Contra Nouatum, qui lapſis poſt baptiſmum pœnitentiç locũ negaba vllũ eſſe poſſe.

Deſtruitur ſecundò alter Nouati error, damnatus à Cornelio Papa, & à Cypriano, aſſerens, baptizatos, non ſolũ poſſe peccare: ſed etiam vbi peccauerint, non eſſe locum pœnitentiæ, aut remiſsionis: quem errorem hæc precatio falſitatis damnat. Fruſtra enim edocti eſſemus dicere, *Dimitte nobis debita noſtra*, ſi non eſſet locus veræ pœnitentiæ, & remiſsioni peccatorum conſequendæ. Nec obſtat verbum Apoſtolicum ad Hebræos 6. cui niti Nouatos poſſe videbatur: *Impoſsibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati* (loquitur enim de adultis, qui fidem acceperunt, quales in primitiua omnes baptizabantur) *guſtauerunt etiã donum cæleſte* (ſcilicet diuinæ gratiæ) *& participes facti ſunt Spiritus ſancti, Guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum* (etſi omnia verba Dei bona ſint, nullum illo melius, aut ſuauius, quàm quo promittitur remiſsio peccati) *virtuteſq; ſeculi venturi* (id eſt, dona ſine gloriam iuſtorum in alia vita, vbi neque peccare contingit, & immortalitate cum perpetua pace perfruentur) *& prolapſi ſunt; rurſus renouare ad pœnitentiam.* Sed his verbis Apoſtolus non negat Sacramentum Pœnitentiæ, aut baptizatos peccantes à Deo non poſſe conuerti: cùm ipſe, tùm in hac, tùm in aliis epiſtolis ad pœnitentiam adhortetur: ſed tantùm impoſsibile eſſe docet, vt illi, qui poſt Baptiſmum peccarunt, ad eam gratiam, & diuinorum donorũ participationem perueniant, quam in baptiſmo acceperunt: nec enim in Sacramento Pœnitentiæ tanta gratiæ plenitudo, quanta in Baptiſmo confertur, in qua omnia peccata, & ſecundùm culpam, & ſecundùm pœnam dimittuntur. In pœnitentiæ Sacramento demùm ferè ſemper remanet reatus pœnæ temporalis à nobis perſoluendus, vnde & ſatisfactionis loco ſemper aliquæ pœnæ à Sacerdote pœnitenti imponuntur; quod in Baptiſmo nequaquam fit. Deinde etiam illud cum ratione coniunctum videtur; vt qui per ignorantiam deliquit, & fragilitatem, mitiorem, & ad dona gratiæ præſtanda propenſiorem inueniat Deum; quàm ille, qui poſtquam eſt illuminatus, & nouit Chriſtum, & guſtauit donum cœleſte gratię, & per Spiritum ſanctum corroboratus eſt, vt omnibus dæmonis inſidiis, atq; carnis tentationibus poſſet reſiſtere, ſciens tamen ac volens peccauit: nam hic durius tractandus eſt, neq; ad illam primam renouationem, quam baptiſmus contulit, peruenire poterit, quamuis pœnitentiam agendo, & peccatum deteſtando, à Deo non obiiciatur. Quem ſenſum tertiò confirmant verba ſequentia, cùm ſubdit: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*: quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet; Horum qui Chriſtum nouerunt, & eius myſteriis ſunt imbuti & initiati, & Spiritu ſancto roborati atq; cõfirmati; peccata grauiſsima ſunt, & ferè eorum, qui Dominũ crucifixerunt, crimen æquiparant, aut ſuperant. Meminit etiã crucis & mortis, quia in myſterio baptiſmi, mortis & ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti Sacramenta repræſentantur, quemadmodum idem Apoſtol. docet ad Rom. 6. Poſtremò idem ſenſus confirmatur ex eo, quòd inter Hebræos, ad quos Paulus ſcribit, erant multi Sacris literis eruditi, ex quibus Chriſtum agnouerant, & eius baptiſmo initiati erant: ſed retinebant opinionem falſam, qua putabant, Chriſtianos poſt baptiſmum peccantes, ad eorum

B. Cyprian.

Hebr. 6.

Quo ſenſu dictũ ſit à Paulo, Impoſſibile eſſe eos qui ſemel ſunt illuminati, id eſt, baptizati & prolapſi ſunt, iterum renouari ad pœnitentiá.

Baptiſmus cur dignior ſit Pœnitentiæ Sacramẽto.

Secũda ratio pro ſenſu eius loci Pauli.

Tertia ratio.

Rom 6. & ſeq.

Quarta & vltima ratio.

remiſ-

Hebr. 5.

remiſsionem debere iterum baptizari quos Paulus ſuauiter admonens, ait: *Etenim quum deberetis magiſtri eſſe propter tempus* (erant enim Sacris literis inſtructi, exercitatiq́ue) *rurſum indigetis, vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei: & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo*: (& declarans quod ſit illud lac, ſubdit) *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectionem feramur* (vide quomodo doctrinæ gratia, & ad alliciendum eos vti propoſitam ſuſciperēt doctrinam, ſe inter imperfectos enumerat, ac declarans ea, quæ ſpectant ad doctrinam infantium, ſubdit) *non rurſum iacentes fundamentum pœnitentia ab operibus mortuis, & fides ad Deum, Baptiſmatum doctrinę, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorū, & iudicij æterni. Et hoc faciemus, ſiquidem permiſerit Deus Impoßibile enim eſt eos*: & quę ſequûtur.

Cap. 6. Quo lacte potum quàm ſolido cibo, vt Apoſtol⁹ ait, opus haberēt Iudæi.

Opera Iudęorū quo mortua.

Primò ergo enumerat pænitentiam ab operibus mortuis, quæ facta ſunt tempore infidelitatis, quæ mors eſt; quemadmodū iuſti vita eſt, fides ad Deum. Deinde enumerat doctrinam baptiſmatum, quaſi ad remiſsionem peccatorum opus ſit deintegro baptizari; quod hic impugnat Apoſtolus: niſi velis intelligere, in multis Græcorum Patrum ſententiis duplicem eſſe baptiſmum, alterum in qua & facilem, alterū in lacrymis, & laborioſum. Tertiò loco meminit impoſitionis manuū; quæ vel ſecundùm Sacramentū Confirmationis, ſignificat, quod baptizatis mox conferebatur, vt habes Act. 8. & 19. Vel intelligimus per impoſitionem manuū, qua baptizati adiurabantur, & ab eis dæmones pellebantur. Quartò tradebant doctrinam reſurrectionis mortuorū, & iudicij æterni, vt vitā quam inchoant baptizati, intelligant non terminari morte. Nam mortui ſuſcitantur & iudicantur à Deo, & impij ibunt in ſupplicium æternū: iuſti autem in vitam æternam. Atq; hæc eſt doctrina illa lactis, quæ infantibus conuenit, & prima elementa, quæ baptizandis inſtillabantur. His dictis ſubiungit, *Impoßibile eſt, eos, qui peccauerunt, &c. iterum reuocari ad pœnitentiam*, ſcilicet illam, quam dixit ab operibus mortuis, & baptiſmum præcedere. Atq; ita remanet expoſitus hic locus.

Duplex baptiſmus apud Græcos.

Act. 8 & 19. Quid manuū impoſitio apud Apoſtolū ad Heb. 6.

Matth. 25.

Solius Dei eſſe peccata remittere.

Matth. 9.

Quartò dicendo, *Dimitte nobis debita noſtra*, accipimus, ſolum Deum eſſe, ad quem ſpectat remittere peccata: nam illi dicimus, *Dimitte nobis*, & cum Matth. 9. Phariſæi obmurmuraſſent; dixiſſentq́;, *Hic blaſphemat*, quod remiſiſſet peccata: ſtatim Ieſus, edito miraculo, oſtendit ſe Deum, & peccatorum remiſſorem. Quod ſi obiicias; Sacerdotes habere poteſtatem dimittendi peccata: intellige illos habere miniſterium reconciliationis, ſiue poteſtatem adminiſtram: ſed Deus ſolus habet poteſtatē principalē, & independentem. Cùm igitur Deus, vt principalis dominus remittat, Sacerdos & miniſter; certè ſacerdote abſoluēte, De⁹, vt principalis ignoſcit: atque id quidem conſuetū eſt & ordinariū. Nam interdum Deus ignoſcit ſine Sacerdote, quia non habet virtutem remittendi alligatam Sacramento; & interdum Sacerdos, vel ignorantia, vel alia de cauſa remittit, vel abſoluit, quæ tamen Deus non remittit: quia tunc rectè claue vtitur, quādo eos abſoluit, quos iudicat veram pœnitentiam agere: & ideò cùm ab eo abſoluuntur, credit Deum idem facere in cœlo, animam pœnitentis obſoluendo tanquam principalem dominum. Qui propterea poteſtatem ligandi, atque ſoluendi dedit Sacerdotibus: & cum abſoluunt, dicunt; Ego te abſoluo; vt intelligamus, non eſſe ſibi proprium peccatis ignoſcere, vel illa ex ſeipſis remittere, ſed tantummodò tanquam miniſtros abſoluere. Vnde Dominus de Lazaro à morte ſuſcitato Apoſtolis dixit in typum huius rei; *Soluite eum, & ſinite abire*. Nec tantùm ex hoc loco habemus, Deum ignoſcere peccatis noſtris, cùm oramus, ſed etiam Deum gratis parcere: vt conſtat in parabola illa, in qua ſeruus dixit, *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; id eſt, decem millia talenta, ob quam promiſsionem debitum non fuit remiſſum, quia promittebat impoßibile: ſed miſericordia motus, omnia illi gratis relaxauit. Habemus etiam Deum non tantùm remittere nobis gratis delicta, ſed etiam promiſiſſe remiſsionem, non tantùm per Prophetas, ſed etiam per vnigenitum Filium ſuum hanc precandi formam tradentem, & per ora Apoſtolorum, ac in Symbolo Fidei tanquam res maxima ad ſalutem ſpectans, ponitur remiſsio peccatorum. Et cùm tres petitiones ſuperiores per ſe diſiunctæ poſitæ ſint, ita vt vna ab altera non pendeat: iſta tamen, quæ quinto loco ponitur, coniuncta eſt cum quarta, & illi per copulam. Et, coniungitur, dicendo, Et dimitte. Neque hoc ſine cauſſa factum eſt: nam cùm in quarta petamus beneficia ſpiritualia, vel temporalia, nomine panis expreſſa; atque in illis poſsit homo peccare, vel illis abutēdo, vel de ijs ſæpè per ſuperbiam ſe offerendo, vel alio modo etiam leuiter per vanam gloriam delinquendo: ideò meritò quartæ cōiungitur quinta petitio, Dimitte nobis

Sacerdotes peccata remittēdi quatem poteſtatem habeant.

Matth. 18. Hoc verbo: Ego te abſoluo, quid profitentur Sacerdotes.

Ioan. 11.

Gratuita peccatorum remiſſio, atq; à Deo, & olim promiſſa. Matth. 18.

Hæc petitio cur ſola remiſſionis peccatorum, nō reliquæ, per copulam & fuerit expreſſa.

debi-

debita noſtra ; quod in tribus prioribus, in quibus nihil aliud quã dei gloria quæritur, neceſſarium non fuit.

Debita cur noſtra vocentur.
B. Aug. to. 5.

Vocat autem debita noſtra : quia peccata non ſunt contracta per vllam neceſsitatẽ, ſed tantùm mera noſtra voluntate : quod Auguſtin. lib. 12. de Ciuit. Dei capit. 6. pulchra ſimilitudine explicauit ; ait enim: *Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant vnius corporis pulchritudinẽ. qua viſa, vnus eorum ad illicitè perfruendum moueatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeueret, quid putamus eſſe cauſſa, vt in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala, quæ illam res fecit, in quo facta eſt ? Neque enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in ambobus : quandoquidem amborum non diſpariliter occurrit aſpectibus. An caro intuentis in cauſa eſt? Cur non & illius? An verò animus? Cur non vtriuſque? Ambos enim & animo, & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus. An dicendum eſt, alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione tentatum, quaſi non eidem ſuggeſtioni; & quali cunq; ſuaſioni propria voluntate conſenſerint? Hanc igitur conſenſionem, hanc malam quàm malè ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus.* Hæc Auguſtinus. Concludit tandem, ſoli meræ voluntati imputandum eſſe peccatum : quòd ab illa ſola proficiſcatur. Subiungit Dominus: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Hæc conditio : Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, cui fuerit adiuncta.

Nulli petioni conceſſum eſt priuilegium hoc, quo poſsimus cognoſcere, ſimus exauditi, nec ne, quia nulli affixi pactum, aut conditionem, vt exaudiamur ex parte noſtra, niſi huic tantùm. Et primas quidem tres petitiones quibus poſtulamus ſanctificari nomen Dei, & aduentum regni, & fieri Dei voluntatem, ſine vllo alio ſigno exiſtimamus impleri, ſiue noſtra oratio accepta ſit Deo, ſiue non : quartæ autem petioni de pane edendo, opus minimè fuit aliquo ſigno, cùm quotidie experiamur Dei beneficia interna, & externa, quæ petiuimus. Sed ad hanc quintam ſignum, & conditionem applicauit, quia ſine illo ſemper remaneret animus dubius & incertus, ad eſſemus exauditi. Et propterea non ſolum in hoc loco, ſed etiam in multis aliis, vbi fit mentio de remiſsione peccatorum, ſemper additur aliquod ſignum, quo poſsit homo cum probabilitate & conſolatione agnoſcere, atque confidere condonatum ſibi eſſe peccatum, ac per conſequens metum temperare quem habet de peccatis, & ſpem remiſsionis concipere & augere. Atque

Remiſſionis peccatoris obtentæ pri-

inter hæc ſigna primum locum habet fides : de qua ſæpè dixit peccatoribus Dominus, *Fides tua te ſaluum fecit* ; vbi fides

...mum ſignum fides quænam illa.
Matth. 9.
Luc. 7.
Infrà 18.

non pro Catholica illa, cui non poteſt ſubeſſe falſum, & quæ dubitationem vllam ac formidinem non admittit, & per illam tantùm tradit in genere remiſsionem eſſe peccatorum in Eccleſia Dei, non tantùm priuatim iſti, vel illi; ſed accipitur pro fiducia, quæ ſine Catholica illa non eſt, cui contraria eſt differentia, qua accedentes ad Chriſtum remiſsionem peccatorum conſequuntur, de qua ait Apoſtolus ad Epheſ. 3. *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia, per fidem eius* : vnde prima vox Græcè dicitur Παῤῥησία, quæ ſignificat audaciam accedendi ad Deum, & dicendi, *Dimitte nobis debita noſtra.* Altera vox eſt, Πεποίθησις, & ſignificat confidentiam obtinendi quæ petimus, quanquam omnimodam aſſenſionem non habeat : ſed cùm illa efficax eſt, ſignum remiſsionis peccatorum obtentæ exiſtit. Tertia vox eſt, Πίστις, & ſignificat fidem, ſiue aſſenſum firmiſsimum, & ab omni dubitatione remotum : & ab hac proficiſcitur omnis bona ſpes ſalutis noſtræ, & audacia accedendi ad Deum, & confidentia.

Epheſ. 3.

Secundum ſignum.

Alterum ſignum remiſsionis peccatorum, eſt Dei & proximi dilectio, de qua Dominus : In hoc cognoſcent vos quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. *Dimiſſa ſunt*, inquit, *ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Ioel. 2.

Tertium ſignum, quartum, & quintum.

Tertium eſt, pœnitentia, & conuerſio à peccatis, de qua; *Conuertimini ad me in toto corde veſtro* : & infrà, *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus?* Quartum argumentum eſt, fletus & lacrymæ, quibus peccatrix cœpit pœnitere, & de quibus, Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & planctu.

Ibidem.

Quintum indicium exiſtit, cùm animus ſentit, ſe ex corde remittere, iniurias fratri ſuo, atque ob eam cauſſam dixit, Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris : atque hoc ſignum nititur alteri loco, cùm dicitur, *Dimittite & dimittemini.*

Luc. 6.

Conditio dicta : Sicut & nos dimittimus, &c. duo in ſe comprehendit.

Itaque hoc verbum, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, non tantùm indicat remiſsionem peccatorum ; ſed etiam certa quædam exiſtit conditio, imò pactum quoddam inter Deum & hominem, veluti publico inſtrumento per verba Chriſti in hac oratione ſtipulatum, vt docet Auguſt. in lib. Enchiridij ad Laurentium, cap. 73.

B. Aug. to. 3. ſub initium.
Idem. tom. 2.

An dimittere nolentes proximis ſuis debita, eam particulam remittere poſſint, ac debeant.

Sed iam hoc loco dubiũ oritur, quod proponit etiam Auguſtinus epiſt. 121. ad Probam, an illis, qui neglecta hac doctrina quærunt remiſsionem peccatorum, ipſis non remittentibus fratri ſuo, an inquam expediat illis ſuadere, vt abſtineant ab hac particula ; Sicut & nos dimittimus

debi-

debitoribus noſtris, ne videantur contra ſe orare, vt quidam faciebant, de quibus Abbas Iſaac in collocationib. ſuis: *Tantum* (ait) *enim remittetur nobis, quantum nos remiſerimus eis, qui nobis quacunque malignitate nocuerunt.* Quod formidantes nonnulli, cùm in Eccleſia hęc oratio ab vniuerſa plebe concinitur; hunc locum prætermittunt, ne ſcilicet ſemetipſos obligare potius, quàm excuſare, ſua profeſsione videantur: non intelligentes, quòd fruſtra cauillationes has iudici omnium prętendere moliantur, qui quemadmodum iudicaturus ſit, ſupplicibus ſuis voluit demonſtrare. Dum enim erga eos non vult immitis, atque in exorabilis inueniri, formam ſui iudicij deſignauit: vt quemadmodum nos ab illo iudicari cupimus, ita noſtros fratres, ſi quid in nobis deliquerint, iudicemus: *Quia iudicium ſine miſericordia fiat ei, qui non fecerit miſericordiam.* Hæc ibi. B. Thomas Opuſc. 9. hoc dubium tractans, ait: *Chriſtus, qui hanc orationem inſtituit, rectè ipſius meminit. Nemo ergo putet ſe Deum poſſe decipere, omittendo eius vel minimam aliquam partem.* Sic ferè Thomas. Non dimittens ergo proximo ſuo, non debet omittere illam particulam, quia non eſt decurtanda Chriſti oratio: tùm quia ea decurtata, non remittenti non remittitur, cùm ſit in peccato mortifero, vt docet Auguſt. Chryſ. & Greg. nec debet omninò omittere, ſicut nec alia pia opera, quia eſſet ſpecies deſperationis. Ad hæc, quia in perſona Eccleſiæ dicit: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* neq; peccat, neq; mentitur, quia aliqui remittunt: ſecùs ſi diceret, Sicut ego remitto. Quòd ſi peccatum lethale eſſet, non remittentem hac vti oratione, Chriſtus nobis laqueũ inieciſſet. Malus ergo affectus nõ particula hæc, tollendus eſt. Et qui vellet habere animum ad remittendum, iuuabitur ad habendum, ſi illam frequentet: at qui nõ habet eiuſmodi affectũ, habere tamen poteſt; ideò nouo peccato non peccat hanc orationem frequentans. Fortè etiam antiqua durities aggrauatur, quæ nõ molleſcit quotidiana iſta oratione. Et vt olim qui in ciuitatem refugij ſe recipiebat, tutus erat, & ſecurus homicida: ita in Nouo Teſtamento, vt docet Rupertus, ciuitas refugij eſt remittere proximis, vt remittatur nobis. Non poteſt ergo, niſi infructuosè rogare Deum, vti ſua ſibi peccata remittat, qui prius ipſe promptus nõ ſit animo dimittere proximo. Qui ergo non remittit, nec animo paratus eſt, indignũ ſe oſtendit cui à Deo remittatur, ſuæq; damnationis eſt pronuntiator, ſignificans apertè ſibi à Deo iuſtè non remitti peccatum: & inutiliter, quod ad ſe attinet, orat, recipitur tamẽ eius precatio quaſi à miniſtro Eccleſiæ, ad aliorum vtilitatem. Poſſet tamẽ, vt diximus, ſibi prodeſſe, vt mentem mutet, cùm precans actu illud ſpectet, quod Eccleſia intendit: præſertim ſi adeò durus non ſit, vt nolit ſibi mentem mutari, ſed potiùs vellet illam deponere; diſplicens ſibi in peccato. Sic enim ſe ſe diſponit ad remittendum, ac quodammodò videtur remittere. Quod ſi eſſet obſtinatus, oratio, vti diximus, inutilis eſſet, non tamen eſſet peccatum, niſi actu illam dum diceret, vindictam experteret. Duplici enim de cauſſa par eſt nos fratri ignoſcere: tum quod minor ſit fratris offenſa quæuis in nos, quàm noſtra in Deum: tùm quod illius etiam indulgentia nòs viciſsim egeamus. Hinc odium fraternum diligenter eſt nobis cauẽdum, quoniam per id ſingulariter id amittitur, vnde pro cæteris delictis veniam accepturi eramus. Quare Auguſtinus inquit: *Si quid alijs ſenſibus, alijs cupiditatibus peccaneras, hinc erat ſanandum, quo dicturus eras, Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus. Qui te inſtigat, vt vindiceris, perdet tibi quod dicturus eras: Sicut & nos dimittimus. Illo perdito, cuncta tenebuntur, omninò nihil dimittet.* Sic ille. Contra hunc rectè dicitur à Salomone: *Relinque proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* Ex quo loco collige, primùm eſſe remittendum proximo, deinde orandum: ſed vtrumque ſimul eſſe faciendum, Gregorius docet. Et ſequitur Sapiẽs: *Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe dum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?* Quaſi dicat, nullus. Ita concluſit in parabola debitoris decem millium talentorum: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* In qua parabola aduerte, quòd priùs remittit nobis Deus debita, quàm nos proximis remittamus: & remiſsio noſtra propter Deum proximo impenſa, ſignum eſt euidentiſsimũ remiſsionis Dei, ſi proximus à cæteris alioqnin peccatis abſtineat. Et cùm non remittimus proximis, ſignum eſt quòd Deus nobis non remittit. Aliàs ſi noſtra remiſsio præcederet illam Dei, contra dilectum Diſcipulum eſſet, qui ait: *In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Et Chriſtus hîc non per modum cauſſæ dixit, ſed per ſimilitudinem: *Sicut & nos, &c.* Nec opus eſt ad remiſsionem iniuriæ præſtandam, vt is qui iniuriam intulit, ſupplex

Ioan. Caſſ. collat. 9. c. 22.

Iacob. 2.

B. Thom. in 5 petitionẽ, in fine, tom. 17.

Quibus de cauſis etiã minimè parcentes dicere habeant: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Aug. li. 2. ſer. Dom. in mõt. cap. 13 tom. 2. Chryſ. ho. 20 in Matt. to. 2. Grego. lib. 10. Moral. ca. 10 cir. med. to. 1

Parcere volẽtes quid ea oratione iuuentur.

Num. 35. & Deut. 4. & Ioſu. 21. Ruper. Tuit. in Matthæũ.

Parcere omninò nolentes proximo ſuo, quid pro mereantur miſeri.

Illi qua ratio ne tantũ vtiliter dicẽt. Dimitte nobis debita noſtrà

Ad ignoſcendum inimico duę cauſſę hominem impellunt.

Au. in quodã ſermone de oratione Dominica.

Eccleſ. 28.

Quid Sapiẽs de orantibus inimicorum obſtinatis pronuntiet.

Greg. lib. 10. Moral. c. 10. tom. 1.

Matth. 18.

Dei remiſſio prius homini collata qd efficiat.

1. Ioan. 4.

Quando tantũ offendens pro venia ſupplicare debet offenſo.

Matth. 18.

veniam petat, niſi remiſsio, quam homo deberet præſtare fratri ſuo, eſſet Sacramétalis, qua ita peccata remittuntur in cælo, ſicut & à ſacerdote in terra, & gratia Dei infunditur: quia hæc non deberet offerri, niſi petendi veniam, & dimittendi. Quæ verò ſacramentalis non eſt, ſed fraterna, efficit quidem mundum cor, & proximo bonum deſiderat, hæc ſæpè fit, & fieri debet impœnitentibus, & obſtinatis: quemadmodum Deus gratiam ſuam offert ijs, qui neque petunt, neque de peccatis reſipiſcunt.

Aug. lib. Enchiridion. cap. 73. tom. 3 ſub initium.

Cautè proinde legédus eſt Auguſtinus, qui in Enchiridio ait: *Quia hoc tam magnum bonum tanta multitudinis non eſt, quantam credimus exaudiri, cùm in Oratione Dominica dicitur: Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris; procul dubiò verba ſponſionis huius implentur, ſi homo, qui nondum ita profecit, vt iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ex corde: qui etiam ſibi roganti vult vtiq; dimitti, cùm orat, & dicit: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, id eſt: Sic dimitte nobis debita noſtra rogantibus nobis, ſicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus noſtris.*

Idem lib. 2. ſerm. Dom. in monte. cap. 13 tom. 4.

Dimittere debitoribus qd ſit.

Sic Auguſtinus: qui intelligendus eſt de externa remiſsionis ſignificatione, vel ſigno externo dilectionis, aut de peculiari inimicorum dilectione. Et ipſemet Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte, aliter definit, nimirum omnia ſimpliciter peccata quæ in nos admittuntur, dimittenda eſſe, ſi volumus nobis à Patre dimitti quæ admiſimus. Eſt autem dimittere debitorib⁹, iniuriam illatam ex corde remittere, ſic, vt pro ea nó cupiamus ex ira aliqua vindictã inferre, aut ab alio, aut ab ipſo Deo. Et prudens dixi, Ex ira aliqua: quia fraterna charitas, aut ordo iuſtitiæ aliquando requirit, vt vindicta requiratur, maximè à iudicib⁹, & Prælatis Eccleſiæ. Aduerbium autem *Sicut*, non dicit ęqualem ſimilitudinem: neque enim petimus æqualem miſericordiã Dei cum ea quam fratri exhibemus; cùm hæc parua ſit, & centum denariorum, illa verò longè maior, & decem millium talentorum. Ideò ſimplex eſt ſimilitudo, quòd vt nos debita fratrum dimittimus, ita Deus debita noſtra, quæ cum illo contraximus.

Matth. 18.

Quod explicauit Dominus, dum dixit: *Si enim demiſeritis hominibus, &c.* & Lucas: *Dimitte nobis peccata, ſi quidem & nos dimittimus omni debenti nobis.* Concludit ergo in parabola, nulli eſſe à Deo præſtandam miſericordiam, qui illam proximo ſuo non præſtiterit, iuxta illud Iacobi: *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam.* Et quanquam ſcriptum ſit: *Vniuerſa via Domini miſericordia & veritas*, hoc eſt, iuſtitia, dicuntur tamen damnati ſine miſericordia, quod ad damnationem attinet: nam ad pœnam ſuis meritis minorem cum miſericordia iudicantur. Timeant ergo qui obſtinato animo proximis non remittunt, & tamen dicunt Chriſtum præcepiſſe illis quicquam contra honorem ſuum: nam tales contra ſe ipſos ſententiam pronuntiant, cùm dicunt, Dimitte nobis, &c. ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Luc. 11.

Iacob. 2.

Pſalm. 24.

Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas, quid impios plectit ſine, miſericordia Deus?

Neque minus hoc præceptum remittendi ex animo fratribus, ad Reges, aut Principes, aut Eccleſiaſticos ſpectat Prælatos, quàm ad priuatos quoſque. Nam quatenus priuatæ perſonæ ſunt, debent & ipſi ex animo fratribus ſe offendentibus iram remittere, & odium, & animi acerbitatem deponere: quia tamen miniſtri Dei ſunt, & non ſine cauſſa gladium, ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem portant, debent peccata publica zelo gloriæ Dei, & boni communis non relinquere impunita. Quod cum faciunt, gloriæ Dei ſeruiunt, & vtilitati Reipublicæ, & officium ſuum præſtant: quod ni facerent, in eorum capita publica reciderent delicta, atq; peccata. Modò in puniédo ſeruetur iuris ordo, modusq́;, vt peccata maiori pœna quàm ſint digna, non puniãtur; & modo abſit animus vindictam appetens propter iniuriam propriam acceptam. Et propterea non prohibentur dicere: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: nam in his verbis ſermo eſt de remittéda iniuria, quá quiſque priuatim accipit, non autem quæ Dei gloriam obſcurat, vel pacem Reipublicæ perturbat.

Omnes homines cuiuſcunq; illi gradus, ordinis, atq; conditionis exiſtant, ſuis parcendi inimicis etiã lege teneti.

Rom. 13.

Iudices plectentes maleficos, vt huic Diuinæ legi ſatisfaciant.

Verè & ex animo, inimico qui parcant.

Remittit autem fratribus ex corde ſuo, qui iram & inimicitiam, atq; acerbitatem animi, quaſi carné rancidam, & malè apud proximos olentem deponit, & qui odium, hoc eſt, inueteratam iram, quæ hominem facit homicidam, antequam ſol occúbat, dimittit. Præterea qui ob damnum illatú ſatisfactionem non quærit, & ſi quærit, nó niſi per viam iudicis, aut pacificè tráſactionis conſuetam, & ſine animo vindictæ poſtulat: & qui à nouis iniuriis ab inimico ſuſcipiendis diligenter cauet, & pro offenſa Deo facta preces ad Deum fundit, iuxta Domini ſententiam: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Et externa, ac communia ſigna beneuolentiæ, vt ſalutationem, & beneficentiam, ſi opus ſit, non denegat.

Epheſ. 4.

Matth. 5.

Princeps ergo cogitatio ſit, paternæ imitationis gratia, cuiq; remittere iniuriã: qui verò minus ſunt generoſi, ſaltem pollicitationis ſpe prouocentur, nam dixit:

Rationes proximis iniurias cõdonãdi grauiſſimæ.

Dimit-

Luc. 6. Ibidem. Marc. 11.

Dimittite, & dimittemini: &, *Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Et, *Quum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt Pater veſter qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.* Quod ſi quemquã nec hoc permouere poteſt, certè pertimeſcat minas illas, quibus dicitur: *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Si ſeruus es, time interminata ſupplicia: ſi mercenarius, reſpice ad tantã remunerationem: ſi filius, imitare patrẽ tuum, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & ex corde remitte centum denarios conſeruo, fratri tuo, vt tibi decem millia talenta remittantur, munere Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto in omni honore, & gloria regnat per omne æuum, Amen.

Matth. 6. Suprà. 5. Infrà 10.

TRACTATVS LII.

In illa verba: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Recidiua peccata quã grauia ſint, & horrenda. *Ioan. 5. Ierem. 2.*

QVAM ſit deteſtandum, recidere in eadem peccata ſemel condonata, oſtendit Dominus, qui paralytico à ſe ſanato in piſcina dixit: *Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: & Ieremias capite 2. dum ait: *Quàm vilis facta es, rurſus iterans vias tuas?* Etenim qui in peccata delabitur, magis in Deum ingratus, ſibique magis nocet, cùm malum comparat habitum, quo difficiliùs poſsit à peccato reſipiſcere. Vnde Propheta ait: *Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum.* Rurſus qui in peccata relabitur, eſt ſicut canis reuerſus ad vomitum, & vt ſus lota reuerſa ad volutabrum luti. Reddit ſe etiam homo magis dęmoni obnoxium, qui aſſumens alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, reuertitur in domum vnde exierat. Ex quo medicus non tantùm curat morbos contractos, ſed etiam à futuris pręſeruat. Nec ſatis fuit populo Dei egreſſo de AEgypto, Pharaonem cum exercitu ſuo videre ſubmerſum, ſed opus habuit armis ad expugnandum inimicos, vt Amalechitas, qui illi ſe in via oppoſuerunt, & ad expellendum Chananæos vt pacificè Terram promiſsionis poſsiderent: ita nobis non ſatis eſt obtinere remiſſionem delictorum, quæ à baptiſmo perpetrauimus, dicendo: *Dimitte nobis debita noſtra*, ſed etiam opus eſt armis & viribus ad imminentes tentationes ſuperãdas, quibuſcum filij Dei conflictantur: Propterea dicere debent: *Et ne nos inducas in tentationem.* Vbi Auguſtinus legit, inferas, pro, inducas; annotans dictionem Græcam vtrumque ſignificare, magis tamen inferre, quàm inducere: nam amicus etiam volens in aliquid inducitur, *εἰσφέρειν* verò magis eſt vi inducere in aliquid, quod Latinis dicitur inferre. Annotat etiam pro his verbis Cyprianum legiſſe: *Et ne patiaris nos induci in tentationem.* Atq; ex his verbis in primis diſcimus, militiam, ſiue tentationem eſſe, vitam hominis ſuper terram, quia quocunque homo ſe conuertat, hoſtibus ſe circundatum inueniet: atque ex eo grauior redditur tentatio, quòd hoſtes non ſub ſpecie inimicorum, ſed ſub ſpecie amicorum nos impugnant. Nam & dæmones transfigurant ſe in Angelos lucis. Atq; ob hanc cauſſam tam Dauid, quàm Ieremias, vocant tẽtationes, laqueos in via abſconditos: & Salomon vocat meretricem, cuius guttur nitidius oleo, & labia eius fauum diſtillantem: ſed nouiſsima eius amara ſicut abſynthium, & linguam eius ſicut gladium bicipitem. Sed contra hęc mala ingruentia muniẽdi ſumus hac precatione: *Et ne nos inducas in tentationem*: quæ vt populum egreſſum e Mari Rubro, & Chriſtum poſt baptiſmum ſtatim aggreſſa eſt, ita ſolet baptizatos omnes inuadere. Dæmon enim ante baptiſmum non pugnat cum ſuis, quamdiu ſui ſunt, ſed poſtquam per baptiſmum euaſerunt manus eius. Durat autem hęc pugna à baptiſmo, quo renaſcimur, ad mortẽ vſq;. Vnde dilectos Diſcipulus inquit: *Eſto fidelis vſq; ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.* Et Propheta: *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum*: vt ſignificarent totam vitã tentationibus plenam. Corona autẽ, vt alio loco ait Apoſtolus, non redditur niſi legitimè certanti. Petimus prætereà non induci in tentationem: nam quoniam tentatio neceſſaria eſt homini, vt perfectior reddatur, ſuiq; ipſius notitiam acquirat, & coronam vitæ æternæ promereatur, hic opus eſt rogare, ne inducatur homo in illã, ita vt præcipitetur, ac fructum propoſitũ perdat. Hinc videmus ſanctos vniuerſos variis fuiſſe expoſitos tentationibus: hinc Abraham iuſſus eſt exire de terra ſua, & cognatione ſua, in locum quem neſciebat; & proprium filium immolare. B. Iob. non tãtùm in diuitiis, & bonis externis, & in filiis occiſis tentatus fuit, ſed etiam in corpore, quod plagis grauibus percuſſũ fuit: acceſſit etiam tentatio trium amicorum, qui illum afflictum inuiſerunt: nam de ſecretis diuinę prouidentię diu diſputarunt: & Iob quidem defendens veritatem, videbatur

Ierem. 13. Relapſi peccatores quales. *Prouerb. 26. 2. Pet. 2. Matth. 12. Exod. 17.* Semel iuſtificatis quid elaborãdum.

Aug. lib. 2 de ſer. Do. in mõ. cap. 14 inter tom 4. Cypria. ſer. 6 de ora. Dominica. Prima ratio, cur nobis orandũ ſit, ne in tentatione inducamur. *Iob. 7. 2. Cor. 11.* Tentationes huius vitæ quales. *Pſalm. 90. & ſæpius infrà. Ierem. 5. Infrà 10. Infrà 40.* Illæ quomodo à nobis ſuperari valeãt. *Exo. 15. & 17. Matth. 4.* Quandiu tẽtationibus ſimus obnoxij. *Apoca. 2. Pſalm. 120. 2. Tim. 2.* Secunda ratio petitionis huius: Et ne nos inducas in tentationem. Abraham, & Iob quales paſſi tentationes. *Geneſ. 12. & Actor. 7. & Hebr. 11. Geneſ. 22. & Hebr. 11. Iacob. 2. Iob 1. Infra. 2. Infra 4. & 8.*

blaſphemus,&contumelioſus in Deum, amici verò ſui, qui defendebant mendaciũ, & loquebantur iniquè, videbantur zelatores diuinæ gloriæ, & laudatores Dei plus quàm Iob. Atque hæc tentatio grauiter affligebat eum, cùm non poſſet veritatem, Deique honorem tueri, ſine hoc quod videretur extranea, & inaudita auribus humanis ingerere. Vnde opus fuit, vt ipſe Deus apertis verbis tribueret victoriam ipſi Iob, & indignationem oſtenderet amicis eius, quibus dixit: *Non eſtis locuti coram me rectum, ſicut Iob ſeruus meus.* De Tobia dicitur: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tẽtatio probaret te.* Et de Apoſtolis ait Dominus: *Simõ, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Ex quibus verbis licet colligere, Dominum non immediatè operari confirmationem in Apoſtolis ſine capite illorum, quod tanquam inſtrumentũ elegit ad eos confirmandos: docẽs nos vt per omnia ſubditi ſimus Vicario eius in terris, pro cuius fide ad aliorum confirmationem rogauit. Multis etiã tentationibus expoſitus fuit B. Paulus, & tentationem vocat ſtimulum carnis; & tentatorem angelum Satanæ; & ſe Dominum ter rogaſſe: dictũq; illi fuiſſe; *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*; atq; hoc, ne magnitudine reuelationum extolleretur. Nobis igitur, cùm tẽtamur, frequenter dicẽtum eſt: *Et ne nos inducas in tentationem*: quã Deus iuſto iudicio nobis immittit, vt agnoſcamus gratiam Dei potentem ad liberandũ, ac vt tandẽ in illa gloriemur, & in nobis inhabitet virtus Chriſti. Deniq; Chriſtus Dominus à natiuitate ſua paſſus eſt perſecutionẽ ab Herode, & coactus fugere in Aegyptũ: & etiã dum vixit, & maximè quãdo prædicauit, innumerabiles perſecutiões ab Scribis & Phariſæis ſuſtinuit: & tandem in crucem actus, magnitudine charitatis ſuæ omnia dæmonũ, Iudæorumq; machinamẽta peruicit, & vt Apoſtolus ait: *Tẽtatus fuit per omnia pro ſimilitudine* (id eſt, quemadmodũ nos tentamur) *abſq; peccato*, ſcilicet ſuo, non tamen ſine peccato Scribarũ, & Phariſæorum, & eorum, qui maligno animo ad eum tentandum accedebant. Adeamus ergo cũ fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno, dum ſcilicet ingruunt tentationes. Conuenit etiã nos frequenter iterare hanc petitionem, vt agnoſcamus, dum in tentationes, & concupiſcẽtias pugnamus, etiãſi adſit voluntas noſtra victoriã tamen à nobis non oriri, ſed à gratia Dei: quorſum enim aliàs diceremus: *Et ne nos inducas in tentationẽ*, ſi, dum oramus, fingimus, & putamus illud ex nobis ipſis nos poſſe, quod non niſi Dei fauore præſtare poſſumus? vt docet Auguſt. epiſt. ad Bonifacium contra Pelagianos.

Iob. 42. *Tob. 12.* *Luc. 22.*

Quare Chriſt⁹ infirmos Apoſtolos per Petrum voluerit confirmari.

Quid ſtimulus carnis ſuę & Angelus Satanæ Paulo datus. *2. Cor. 12.*

Deus cur nos tentari permittat.

Ibidem.

Matth. 2. & ſeq.

Chriſtus quã grauiter fuerit tentatus, & quandiu.

Hebr. 4.

Quid illud Apoſtoli de Chriſto: Tentatus per omnia pro ſimilitudine, &c.

Tertia ratio petitionis eiuſdem frequentandæ: Et ne nos inducas, &c.

Aug. epi. 106. tom. 2.

Sed iam verba textus expendamus: primũ tamẽ de ordine huius petitionis aliquid eſt dicendum. Tribus ergo poſtremis precib⁹ tria mala deprecamur ſecundùm Auguſtinum, præterita, futura, & præſentia, de quibus in diuino Miſſæ officio poſt Orationẽ Dominicam dicitur: *Libera nos, quæſumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris.* Et piè admodum B. Auguſtinus has tres petiones ad tres illas differentias accõmodas, ait: *Si ergo his deſiderijs concupiſcentiæ carnis illicita voluntatis inclinatione conſenſerimus; ad hoc ſanandum dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, ſic. & nos dim. deb. noſtris. Vt autem non ei conſentiamus, deprecamur adiutoriũ dicentes; Et ne nos inferas in tentationem. Deinde addimus, quod perficietur in fine, cùm abſorbebitur mortale à vita: Sed libera nos à malo: Tũc enim nulla erit talis concupiſcentia, cum qua certare, & cui non conſentire iubeamur. Sic ergo totum hoc in tribus beneficijs poſitum breuiter peti poteſt: Ignoſce nobis ea, in quibus ſumus abſtracti à cõcupiſcentia: adiuua ne abſtrahamur à concupiſcentia: aufer à nobis cõcupiſcentiam:* Sic ille.

Huius ordo petitiõis qualis ſecundùm Auguſtinum

Idem lib. 2. de peccat mer. & remiſſ. ca. 4. tom. 7.

2. Cor. 15.

Alij verò poſtremas duas petitiones ſic diſtinguunt; vt priori deprecemur peccandi occaſiones, poſteriori afflictiones. Quãquam alij fortaſſe rectiùs ex his duab⁹ vnã tantùm conficiant petitionẽ, eo quod dicitur per aduerſatiuam particulam: *Sed libera*; & quia malus ille, vel malignus, à quo liberari poſtulamus, diabolus eſt, qui ad peccandum inducit.

Altera ratio ordinis.

His de ordine præmiſſis, verba expendamus. Cùm ergo dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem*: nõ eſt ita accipiendum, quaſi Deus ipſe inducere in tentationem homines ſoleat; ſed iuxta phraſim Hebrçã, Deus dicitur efficere, quod fieri ipſe permittit. In hunc ſenſum ſcribitur Deum induraſſe cor Pharaonis: & Eſaias: *Induraſti cor*, inquit, *noſtrũ, vt ne timeremus te*: & Paulus: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciãt ea quæ non conueniunt*: at item Eſaias: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos ei⁹ claude*: quæ verba ad morẽ linguæ Hebrçæ dicta, Lucas Actor. vlt. recitans mollit: *Incraſſatum eſt*, inquit, *cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos.* Perinde ergo eſt orare: *Et ne nos inducas in tentationem*, ac dicere: Ne permittas, vel

Qua ratione Deus dicatur inducere in tentationem.

Exod. 4. 7. & 9. 10. *Eſai. 63.* *Rom. 1.* *Eſai 6. & Matth. 13. & Ioan. 12. Actor. 28.*

ne patiaris nos (vt ex Cypriano ſuperius annotauimus) induci in tentationem, vt intelligas, aduerſariũ nihil contra nos poſſe, niſi Deꝰ ante permiſerit; ac proindeomnis noſter timor & deuotio conuertatur ad Deũ, vt ait Cyprianus. Et cùm legamus, Deum tentaſſe Abraham, & Dauidem dixiſſe: *Proba me Deus, & tenta me, vre renes meos, & cor meũ:* & Salomonem: *Quoniam Deus tentauit, illos, & inuenit illos dignos ſe:* & Tobiæ dixit Angelus: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te*: ex alia autem parte frater Domini dicat, Deum neminem tentare; & intentatorem malorum eſſe, & hîc de precamur ex Chriſti inſtitutione in tentationem non induci: neceſſariò diſtinguendum eſt inter tentationes. Nam aliæ quidẽ tentationes probationes ſunt ad virtutem adipiſcendam, & animi robur, & dona Dei comparanda: atq; hæc à Deo ſunt, de quibꝰ idem Apoſtolus ait: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tẽtationes varias incideritis, ſciẽtes quod probatio fidei veſtræ patientiã operatur.* Nã vbi fides noſtra exercetur, fit animus perfectior, ac robuſtior; at ſine his homines efficiuntur deteriores. Cùm verò animus, pars vna, & ſola ſit, quæ hominem conſtituat: ea etiam ſola exiſtimanda ſunt bona, quæ illius ſalutis commodis, atque profectibus ſunt accommodata. Harũ tentationum, quæ à Deo fiunt, finis eſt, probare fidem, vel obedientiam noſtram, id eſt, vt nobis innoteſcat quod ipſe Deus iam nouit de nobis. Quia multi ſe ante tentationẽ magnos putant: poſtquã verò tentati ſunt, debiles atq; infirmos ſe agnoſcũt. Quidam verò tentãtur, vt non ſibi ipſis, ſed etiã aliis & toti mũdo innoteſcãt: vt Abrahę obedientia, Iobis patientia, Tobię ſanctitas, & miſericordia, Chriſti Domini in omni heroica virtute perfectio. Alię verò tentationes ſunt cuiq; ex ſua concupiſcentia, & non ſatis domitis affectibus, ſiue à dæmone, aut mala aliqua cauſa, quæ ad peccatum trahit: & harum poſteriorum tentationem negat B. Iacobus Deũ eſſe cauſam: cũ nullis malis tentetur, ne alios quidem tẽtat. Nam vt externus quidã ait: *Natura diuina ac beata neq; ipſa habet quod illam vexet, neq; cuiquam negotium faceſſit, Hæ enim circa mortalem terrenã quę vitam verſantur.* Ergo tentationes, quæ animi conſtantiã turbant, atq; cõfundunt & ad peccatum pertrahunt, à Deo nequaquam proficiſcuntur; quia tentatioquę malum finẽ habet, & vel eſt intendentis malũ, vel non cognoſcẽtis vires tentati (quorum neutrũ à Deo eſſe poteſt) ideò omnis eiuſmodi tentatio cacodæmoni tribui debet, qui ſimpliciter dicitur tentator, ſcilicet ad malum vel vitiũ. Vitandis ergo tentationibus ingens auxilium præbet hęc ipſa precatio. Hinc Dominus paſsionis ſuæ tempore dixit Apoſtolis: *Vigilate, & orate, & nõ intretis in tentationem:* in quam etiam ne laberentur, Dominus precatus eſt, cùm inquit: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Vt ergo tentatio à Deo eſt, bona eſt, & in Scripturis commendata, nec à viro iuſto ſimpliciter deprecanda: quatenus verò à dæmone procedit, mala eſt, & omninò præcauenda. Deinde illud etiam diligẽter ex Auguſtini doctrina aduertendum eſt, aliud eſſe, tentari, aliud in tentationem induci, ſiue in tentationem intrare. Tentatur enim, quicunq; in corpore, vel animo vexatur, vt ad peccatum trahatur; inducitur verò, vel intrat in tentationem, quicunq; malæ ſuggeſtioni conſenſum quaſi oſtium aperit, quod eſt vinci à tentatione. Vnde Auguſtinus epiſt. ad Probam: *Ne nos inducas in tentationẽ: admonemur hoc petere, ne deſerti eius adiutorio, alicui tentationi vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti.* Sic ille. Hîc ergonõ precamur ne tentemur, quod plerunq; neceſſarium eſt, & militiæ noſtræ conforme: nec etiam ne Deus nos tentet, vt cognoſcamus infirmitatem noſtram, vel aliis exemplũ ſimus patientiæ, ſi in ea fortes inueniamur: ſed oramus ne inducamur in tẽtationem; id eſt ne propter peccata noſtra ita auxilium gratiæ ſuæ ſubtrahat, vt illi reſiſtere non queamus. Quemadmodum Iudas inductus eſt in tentationem ob ingrati animi vitium, & Petrus ob ſuperbiam, & de propriis viribꝰ confidentiam, alij ob iudicia temeraria, & immiſericordiã, de quibus Apoſtolus: *Fratres*, inquit, *& ſi præoccupatus fuerit homo ex aliquo delicto, vos qui ſpiritualeseſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis; cõſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Alij verò ob inertiam, & pigritiam: vnde Apoſtolos hortatus eſt Dominus ad vigilandum, & orandum contra ſomnũ, & otium, ne intrarẽt in tentationẽ.

Ne itaq; nos permittas vinci, vel per ignorantiam, dando lumen, de quo Propheta: *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte:* & iterum; *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris*; ne ſcilicet per ignorantiam ingrediaris in tentationẽ. Vel ne ſinas vinci per difficultatem & moleſtiam, dando amorem tui, de quo ſubdit Propheta, *Firmabo ſuper te oculos meos*, id eſt Firmitatem tibi dabo, vt poſsis oculis amoris me reſpicere, & de tentationibus triumphum agere. *Nam aquæ multæ*, vt ait Sapiẽs, *non poſſunt extinguere charitatem.*

Cyprianus tamen & Chryſoſtomus intellexerunt his verbis nos iuſſos precari, ne

Geneſ. 22. Pſalm. 25. Sap. 3. Tob. 12. Iacob. 1.

Quarũ Deus tentationum ſit autor.

Ibidem. Rom. 5.

Quis Domini tentationum finis.

Geneſ. 22. & Iob 1. 2. Tob. 12.

Tentationes quæ minimè à Deo ſint, ſed à dæmone.

Matth. 4.

Aduerſus tẽtationes remedium efficax. *Marc. 14. Luca. 22.*

Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte. ca. 14.

Tentari, & in tentationem induci, differunt, ſecundum Auguſtinum.

Aug. epi. 121. cap. 11. tom. 2.

[Il]lis verbis qd à Domino poſtulemus.

Inducti quinam fuerint in tentationem. *Matth. 27. Suprà 26. Galat. 6. Matth. 26.*

Duobus modis in tentationem inducimur. *Pſalm. 12. Pſalm. 31.*

Quid illud: Firmabo ſuper te oculos meos. *Cant. 8.*

Cyprian. iam citatus.

Chryſ ho. 20. in Matt. to. 2.

Alter eius petitionis intellectus: Et ne nos inducas in tentationem.

Deus ſinat nobis tentationem obuenire, & nõ ſolùm ne ſinat nos à tentatione ſuperari: quę intelligentia quibuſdã ſimplicior videtur, quanquã qui vtrumq; ſenſum complexus diceret, nos poſtulare ne ſinat, vel tentationẽ nobis obuenire, vel ſi venerit, ab illa non vinci, pleniùs & rectiùs verba Dñi interpretabitur. Et notatur ex permiſſione diuina tã certus noſter caſus, ac ſi ipſe Deus induceret. Prætereà ſine Deo, qui ſolus timendus eſt, dęmon nihil poteſt. Cùm aũt totum vitæ noſtræ ſpatium tentatio, & pugna ſit, perniciosè profectò homines falluntur, dum putãt ſe natos ad voluptatẽ, ad parandas opes, & honores adipiſcendos; cũ tamen terra hæc data ſit in manus impij, & Principis huius mundi, qui interrogatus à Deo vnde veniret, dixit: *Circuiui terram, & perambulaui eã*, & Petrus, *Aduerſari⁹*, inquit, *veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Qui ergo huius Tentatoris inſidias euadere vult, terrã relinquat oportet: alioqui dũ in ea moratur, certò ſciat ſe tentationibus exercendũ. Quod intelligens vir quidã ſapiens, dicebat; *Fili, accedens ad ſeruitutẽ Dei, ſta in iuſtitia, & in timore & præpara animã tuam ad tentationem.*

Dæmonis vt vitare poſſimus inſidias.

Iob. 9.

1. Petr. 5.

Eccleſ. 2.

Quos dæmõ videatur imitari veteratoꝛ ille.

Nã diabolus athletarũ morem ſeruat, qui luctãdo & certando nõ dignantur quemlibet ad luctam, & certamen admittere, ſed pares ſibi viribus quærunt, quo victorię gloriam ferant, quã non aſſequerentur, ſi cum obuio quoq; ac vulgari viro vellẽt decertare: ita dæmon vbi videt quẽquam viam Dei ſtrenuè velle ingredi, illũ confeſtim aggreditur: cũ cæteris luctari non eſt admodũ neceſſariũ, quos vno digiro ſcit ſe poſſe proſternere: quin etiã huiuſmodi homines nõ egent diaboli tentationibus, cũ ipſi plerunque ſe ſpõte in eas præcipitent. Cernere n. eſt magnam hominũ partẽ ea quęrere, quę manifeſtũ eſt eſſe diaboli laqueos, in quos ſe ſponte inducunt. At enim Salomon: *Qui feſtinat ditari, non erit innocens*, & Paulus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationẽ, & in laqueum diaboli, & deſideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergũt homines in interitum, & perditionem*: & tñ hodie præſtantiores exiſtimantur, qui generoſiùs ſe laqueis inuoluunt. Rurſus admonet Saluator in Euangelio, infidelitatis genus eſſe honorũ appetitionem: *Quomodo*, inquit, *vos poteſtis credere, qui gloriã ab inuicem accipitis; & gloriã, quæ à ſolo Deo eſt, nõ quæritis?* Quòd ſi accipere honorem oblatum, tam res eſt pernicioſa; hi, qui honores tam auidè expetunt, vt nullũ non lapidem moueãt, quo optati honoris compotes fiant, quo in gradu ſunt collocãdi? at apud mortales nihil celebri⁹, nihil laudabilius his negotiis. Ad hęc quis neſciat fœminarũ ſpectacula, laſciuoſq; cõſpect⁹, & colloquia minus honeſta, & intemperantẽ mulierũ ornatum, & fucũ, magnũ eſſe fomentum peccatorũ, manifeſtaſq; diaboli tentationes? Et tamẽ homines non animaduertunt, dũ tentantur à diabolo, & plures ipſi vias excogitant in ſuam perniciem, quàm ipſe diabolus patet. Et volucres quidẽ cernimus, cæteraq; ratione carentia animãlia, quo poſſunt ſtudio accuratè inſidias, quę illis à venatoribus parari ſolent, declinare, vt mirum ſit interdum, quo pacto eas præſagiant: miſeri verò homines, ratione pręditũ animal, data opera in diaboli inſidias, laqueoſq; dare ſe ipſos nõ verentur. Cùm autem vaſa figuli probet fornax, & virũ iuſtum tentatio tribulationis, qua, ſicut aurũ in fornace probatur, ſic per tolerantiam arguitur probitas viri: hinc fit, vt ipſa rerũ, atq; humanorum bonorum copia inſtar ſit tẽtationis. Nam æquè difficilè eſt, & in aduerſis animũ indeflexum ſeruare, & in ſecundis non extolli: quanquam faciliùs eſt proſterni proſperis, quã aduerſis. Cùm ergo vtrumq; horum tentatio ſit, vidẽtur homines non agnoſcere illã quę periculoſior eſt. Voluptas ſiquidem, & bonus corporis habitus, & ingens rerum opulentia, forma, vires, honores, & ſecundæ res, quid ſunt aliud, quam tentationes, quæ pronos ad omnia mala reddũt eos, qui illis vti neſciunt? at iſtas tentationes tantùm abeſt vt homines metuant, vt rem etiam beatã exiſtimẽt in illas incidere: quo fit, vt illis plurimũ capiantur. Vtitur enim illis diabolus tanquã eſca, qua piſcatores hamũ operiunt, vt piſces conſpecta eſca, neq; obſeruato hamo, qui in ea deliteſcit, facilè capiantur: ſed nos illo voluptatis operimento deliniti, faciliùs in illos hamos incidimus, quàm piſces: & tamen turpius eſt ab hoc genere tentationis ſuperari, quàm vbi ea ingruunt, quæ parere moleſtiam ſolent. Faciliùs enim eſt, teſtibus Philoſophis, à voluptatibus abſtinere, quàm perferre dolores.

In quas mũdani homines cæci ſe ipſos dęmone minimè impellente, tentationes inducant.

Prouerb 20.

1. Tim. 6.

Ioan. 5.

Notantur ambitioſi.

In quo videri poſſint belluæ hominib⁹ cautiores.

Eccleſ. 27.

Faciliùs eſt proſterni proſperis, quam aduerſis.

Dæmonis ad capiendũ homines eſca, ſunt mundi proſperitates.

Poſt hos duos tentationum modos generatim deſcriptos, expedit obſeruare etiam quæ ex his oriuntur, qui ſunt, Caro, Mundus, & malus dæmon. Caro enim ſuis multiplicibus blandimentis, infinitiſque appetitionibus ſpiritui aduerſatur: at eius voluntati acquieſcere, mors eſt. *Si enim ſecundùm carnem vixeritis*, vt ait Paulus, *moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quare videat quiſque, quod malit, vitam, an mortẽ; eamque (quod multò magis eſt) ſempiternam. Nam ſi ex corporeis voluptatibus temporaria duntaxit

Caro quomodo tentet.

Galat. 5.

Rom. 8.

mors

Quales etiã mundi tentationes.

mors ſequeretur, benè admodum eſſet præ eo, quod gehenna ſecum adſert. Mundus mare imitatur, quod cùm tranquillum eſt, inuitat homines ad nauigandum: ſed vbi eos in poteſtatem ſuam recepit, exagitat, atque obrutos fluctibus perdit. Sic mundus nihil non pollicetur, maria promittit (quod dicitur) & montes: at cùm poſtremus rerum exitus cernitur, mẽdax deprehenditur atque impoſtor, ac ſi fidentes in exitium rapit ſempiternum. *Quid autẽ prodeſt homini*, ait ipſa Veritas, *ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?*

Matth. 16.

Diabolus itẽ quàm nos vehementer tentet.

Diabolus verò, tertius hoſtis, aut pręcipuus potiùs quàm accuratè eſt à nobis obſeruandus? cuius verſutias ac dolos enumerare difficilius eſt, quàm ſtellas cęli, aut arenam maris: qui ſi cerneretur, vt hoſtes qui aſpectu ſentiuntur, minori poſſet eſſe damno. Sed dum non cernitur, & omnibus tamen horis atque momentis ceruicibus noſtris imminet, res eſt multò moleſtior. Non dies quieſcit, non noctes: non dormit neque dormitat qui impugnat Iſraël: & corporei quidem hoſtes, cùm & ipſi quiete egeant, multa nobis relinquunt quieſcendi interualla, & muniendi etiam noſtri: at hic irrequietus eſt, & nulla interquieſcendi ſpatia nobis permittit. Et quod magis eſt deplorandum, tunc maximè inſidiatur, cùm illum minimè obſeruamus, cùm indulgemus genio, & ſoluti curis, locis ac iocis operam damus, ac profuſa pace frui nos exiſtimamus. Hoc genus certaminis tam periculoſum, tamq; maleficum Apoſtolus contemplans, dixit; *Induite vos armaturam Dei; vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Nec his contentus, repetit, vt vniuerſam armaturam arripiant; circumcingit lumbos balteo, induit thorace, ſcuto, galea, gladio; iubet vt precentur & obſecrent omni tempore in ſpiritu. Nam res eſt profectò, qua nulla maior cogitari poteſt, certamen habere, in quo agitur de æternitate, vt vel vincenti, ſempiterna [illegible] vel victo, ſempiternus paretur inte[illegible]. Quàm ingens eſſet adhibendum ſtudium pro vtraque hac re: cùm vna duntaxat ſatis eſſe poſſet, ad vnumquenque in officio continendum.

Ephe. 6.

Quale ſit nobis certamen cum diabolo ſecundũ Apoſtolũ: quæq; proinde ſint arma nobis neceſſaria.

Strenuè, & fortiter tanto cum hoſte pugnandi neceſſitas.

Nam ſi nulla vnquàm cęli facta eſſet mentio, tantumque dictum eſſet, eum qui peccauiſſet, in ęternos ignes eſſe coniiciendũ, an non ſatis eſſet ab omni ſtudio à peccato abſtinendum? Rurſus ſi nulla eſſet gehenna, ſed tantummodò admoneremur, fore, vt qui bonis operibus incumbãt, hoc breui vitę ſpatio ęterna illa & immenſa cęli bona adipiſcantur, ſin minus, illis bonis priuentur; an non hæc æternorum bonorũ cogitatio inflammare vnumquenq; ad rectè facta deberet? Cùm verò tanta incumbat neceſſitas, vt qui mirificè certare neglexerit; non ſolùm æterna felicitate priuandus ſit, ſed etiam in ſempiternos ignes relegandus: quantus hic ſtupor eſt in tam arduis, tamq; anguſtis conditionibus non expergiſci, & pręparari, & armari, ne in tam periculoſo prælio ſuccumbamus; quòd ſi Dei petamus adiutorium, victoria in noſtra eſt poteſtate; quod in temporaria pugna locum non habet, in qua præſtantiſſimi robore viri, nulla ſua culpa interdum ignauiſſimi gladio militis interficiuntur: at in hac pugna nemo ſuperatur, niſi volens. Tantummodò ergo ſerua animi conſtantiam, & victoria es potitus: tantùm caue, ne ante tempus arma deponas, neve, glorioſi militis inſtar, ante pugnam victoriã tibi pollicearis, ſed metue ſemper, & imbecillitatem tuam ſuſpectam habe. *Homo ſapiens in omnibus metuit*, ait Salomon; & rurſus, *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus*: vnde Adam in ſanctitate & iuſtitia creatum, ſed dæmonis ſeductione peccantem, de paradiſo expulit Deus; Moyſen, virũ ſanctum, quòd peccaſſet ad aquas Contradictionis, non permiſit ingredi in Terrã promiſſam: Saulem à ſe electum, vt regnaret in Iſraël, propter contumaciam reprobauit: Dauid vir ſecundùm cor Dei, vt parùm cautè ſe geſſit, in homicidium & adulteriũ delapſus eſt: filius eius Salomon, omnium hominum ſapientiſſimus, peregrinis ſimulacris immolauit: Petrus, qui amore in Chriſtũ, omnes diſcipulos antecellebat, dum ſibi, ſuæque conſtantiæ nimium fidit, ter Chriſtum abnegauit. Hæc exẽpla vnumquemque noſtrum admonere deberent, vt nemo ſibi confidat, ſed cum metu & tremore, vt Apoſtolus docet, noſtrum operemur ſalutem: memores intereà, per multas & varias tribulationes oportere nos intrare in regnum Dei. Momentaneum enim hoc & leue tribulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt: vt Apoſtolus ad Corinthios ſcribit: quod certè alacriores ad præſtandum in pugna, & perferendas afflictiones omnes efficere poteſt. Accedit prætereà aliud, quod intrepidos nos ad perferendas tentationes ef-

Quomodo victoriã conſequemur.

Humanæ fragilitatis exempla.
Eccleſ. 18.
Prouerb. 28
Geneſ. 3.
Num. 21.
1 Reg. 15. & ſeq.
Supra 13.
2. Reg. 11. & ſeq.
3 Reg. 11.
Matth. 26.
Ibidem.
Philip. 2.
Actor. 14.
2. Cor. 4.

ficere idoneum eſt, quodque in hac mundi militia non contingit, in qua ſæpè milites poſt multa egregia facta, vel ob immaturam mortem, præmia laborum atque certaminum nulla ſequuntur, aut ob Regis cui militant, vel ingratum animum, vel ignorantiam, vel quia fortè reddere mercedem non valet: atqui in hac militia ſoluti hoc metu ſumus. Nemo enim ſuo præmio vnquàm priuatus fuit, eoque locupletiſſimo, neque hoc ſolùm, ſed etiam opitulatur in pugna Rex noſter, & vires addit & animos; quod Reges terræ præſtare nequeunt, qui etiam aduerſariorum vires cohibet, ne ſupra vires laboremus. Fidelis enim Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Quis habens Regem ad dexteram pro ſe pugnantem formidaret, præſertim quem ſciret inuictum? at hoc auxilium deeſſe non poterit, ſi fidamus. *Nullus*, inquit Sapiens, *ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis Domini, & derelictus eſt? Nouit Dominus pios de tentatione eripere*, ait Petrus. Neque dubitandum eſt, eundem tẽtationis noſtræ futurum finem, qui capiti noſtro Chriſto fuit, de quo ſcriptum eſt, conſummata omni tentatione receſſiſſe ab eo diabolum, ac Angelos acceſſiſſe & miniſtraſſe ei. Intereà vtamur hac armatura, quam Dominus nobis demonſtrauit, petendi videlicet à Deo, ne nos inducat in tentationem. Dum enim manus Moyſis ſublatæ in cęlum erant, ſuccumbebant Amalechitę. Ideo maximè curat dæmon ab oratione nos extrahere, tædium in illa ingerens, & blaſphema, & abominanda in ea repræſentans. Sed ſuadet Athanaſius in quęſtione 15. ad Antiochum Principem, vt non recedamus ab oratione, ſed dicamus illi, *Blaſphemia tua ſuper caput tuum: quia ego Dominum meum adorare debeo.* Hac prece ſi ex animo vtamur, carnis laſciuia cohibebitur, cogeturque ſeruire ſpiritui: hac omnes mundi illecebræ concidunt, ne ſua dulcedine pelliciant nos ad peccatum. Mundi verò perſecutiones, & terrores vim vllam non habebunt, vt nos ad impatientiam, vltionemve prouocent: hac denique tela & inſidias maligni Satanæ ſuperabimus: vt ita integrum triumphum de hoſtibus noſtris agentes, in regnum cœleſte introduci mereamur, præſidiis Domini noſtri IESV CHRISTI, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſemper viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

1. Cor. 10.

Eccleſ. 2.

2. Petr. 2.

Luc. 4.

Quantopere orandum nobis ſit, ne in tentationem inducamur.

Exod. 17.

Mag. Athanaſius tom. 3.

Quanta illius orationis efficacia.

TRACTATVS LIII.

In illa verba: *Sed libera nos à malo. Amen. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

NON poterat feliciori coronide oratio dominica terminari, quàm iſta prece, qua petimus liberari ab omni malo. Quoniam enim quandiu ſumus in hoc mundo, aut potiùs in exilio, nunquã poſſumus eſſe quieti, vel tuti, malis variis, multiſq; aduerſitatibus ſibi inuicem ſuccedentibus obruti, neque tamen ſcire poſſumus quæ cuiuſq; tribulationis cauſa exiſtit; ideo Dominum precamur, vt nos ab omni malo præſeruet; quòd nobis peccandi occaſio eſſe poteſt. Nihil magis proprium patri, quàm iuuare filios in neceſſitate conſtitutos: nihil magis decet bonum filium, quàm imminente periculo, confugere ad patrem, ſicut pulli ſub alas gallinæ confugiunt. Tu ergo, Domine, qui etiam inimicos ſępè à malo liberas, & tuos filios interdum non petentes, nec tui in tribulatione memores; libera nos filios tuos fragiles, qui ſine te vincimur, tui memores, & tuam opem implorantes. Sed ad huius particulæ intellectum aduertendum eſt, aliquos eſſe qui ſentiunt, hic non formari nouam & diſtinctam petitionem, ſed partem eſſe præcedẽtis: quod docet in primis illud aduerbium. Sed. Eſt enim ſenſus: Et ne nos inducas in tentationem. Sed liberas nos à malo. Nam ſi noua eſſet petitio, dixiſſet; Et libera nos à malo: quemadmodũ dixit, *Dimitte nobis debita noſtra. Et ne nos inducas*, &c. Cùm ergo dixerit per aduerſatiuam, *Sed libera nos à malo*, & non per coniunctionem, Et libera nos à malo; videtur quòd non noua petitio, ſed pars præcedentis petitionis ſit, & idem petitur affirmatiuè, quod antè negatiuè rog[illegible]. Deinde idem probatur: quoniam [illegible] non dicitur ἀπὸ τοῦ κακοῦ, ſed ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, vox autem πονηρὸς, maximè cũ articulo, ſignificat in Scripturis frequenter malignum illum & veteratorem, ſiue verſipellem dæmonem, qui, iuxta vocis etymon, improbum, ſeu moleſtias & labores exhibẽtem, ſignificat: nam ille vexat in facultatibus, in corpore, & maximè, ſi concedatur, in anima: tanta inuidia ſtimulatus in nos agit. Neq; in his ſiſtit dæmonis

Cur hæc petitio vltimũ locũ habeat.

Matth. 23.

Cur eam petitionem aliqui minimè à ſuperiori diſtinguant.

Secundũ argum. à ſignificatione Græcæ vocis πονηρὸς.

Iob 1. & Infra 2.

mali

mali animus, ſed pergit eò, vt homo præ impatientia & deſperatione in Deum contumelioſus, & blaſphemus exiſtat: dixit enim; *Niſi in faciem benedixerit tibi.* Ita interpretatur Chryſoſtomus & Euthymius. Ita accipitur Matth. 13. *Zizania filij ſunt nequam, vel nequiſſimi*; vbi verbum, Nequiſſimi, Genitiui caſus eſt, & filij Nominatiui; quia dicitur υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, id eſt, filij eius, qui eſt malignus & nequiſſimus; & Paulus ad Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*; vbi eadem vox ponitur; & 1. Ioan. 2. dicitur; *Scribo vobis, adoleſcentes, quia viciſtis malignum*: & in eadem epiſtola dicit, Cain fuiſſe ex Maligno, & Malignus non tangit filios Dei, & totus mundus dicitur poſitus in Maligno. In omnibus enim his locis ponitur cum articulo vox πονηρὸς, & apertè ſignificat Satanam aduerſarium noſtrum, & nos vexantem, etiamſi interpres nunc Malum, nunc Malignum, nunc Nequiſſimum vertat: ipſe eſt enim qui tentat ex officio, & habitu, ſiue arte, & circuit quærens quem deuoret. A quo etſi ſemel erepti ſimus per baptiſmum, debemus tamen precari, vt ab eo ſemper liberemur: quia iterum poſſet nos captiuos efficere, ſi illi nos per ignauiam dedamus. Vnde de Chriſto ait Lucas, quod conſummata omni tentatione diabolus receſſit ab illo vſq; ad tempus. Et ita vltima vox precationis, quæ diabolum deſignat, primæ reſpondet, qua diximus, Pater. Et dæmon dicitur, Malignus per excellentiam: quòd primus mali noſtri ſine cauſa autor extiterit, qui odio capitali nos perſequitur, tum in anima; quod ſi non detur, ſaltem in corpore; tum in facultatibus, vt fecit Iob, quem vt tradunt ſacræ literæ, miſerè in his omnibus afflixit ac vexauit.

B. Chryſoſt. hom. 20. in Matth 10. 2. Euthym. c 5. Matth 13. Epheſ. vlt. 1 Ioan. 2. Infrà 3. Geneſ 4. 1. Ioan. 5.

Cur Satan Malus, ſeu Malignus appelletur antonomaſticè.

1. Pet. 5. Luc. 4. Iob. 1. & 2.

Petitionē illam, ſecundū alios eſſe diuerſam, & nonam.

Sed his rationibus non obſtantibus, contendunt quidam, hanc petitionem diſtinctam eſſe ab aliis, & per eam deprecari omnia mala, quæ poſſet dæmon aduerſus nos moliri ac machinari. Neque dixit, Libera nos à malis, ſcilicet hominibus: quia eiuſmodi homines excitat dæmon, & mouet, illis nocendo in anima, vt quocunque modo poſſit, poſteà noceat nobis. B. Auguſtinus intelligit de malis præſentis tribulationis & afflictionis. Nec obſtat verbū πονηρὸς: nam nō ſolùm ad perſonam, ſed ad rem accommodatur, nam Luc. 6. vbi dicitur; *Malus homo de malo theſauro profert malum*; vbi poſita eſt vox illa πονηρὸς, & ad perſonam & ad rem accommodatur, quemadmodum Matth. 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris*, vbi mala exprimitur πονηρὰ, ſicut Actor. 22. *Locutus eſt quid de te malum*; & Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit nequam*, & Ioan. 3. *Erant enim eorum mala opera*, & Eph. 5. *Quoniam dies mali ſunt*: & ad Theſſ. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*: quibus omnibus in locis vox illa Græca πονηρὸς, etiam ad res ipſas accommodatur. Et ita ſenſus præſtantior huius loci, quo petimus à malo liberari, eſſet; vt omnia in vniuerſum complectatur, à quibus proficiſci ad nos mala poſſent, ſiue res ſint, ſiue homines mali, ſiue mali dæmones, in quorum numero meminerimus noſmetipſos etiam ponere, atque adeò potiùs primos: vt cùm dicit Dauid; *Eripe me, Domine, ab homine malo*: primumq; ad nos animum referamus; nam reuerà nos in culpa ſumus, cùm mala, quæ vera mali appellatione digna ſunt, nos inuadunt: quod B. Petrus illa ſententia explicauit; *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni* (id eſt, bonitatis) *æmulatores fueritis?* Et B. Chryſoſtomus pulchro libro inſcripto, *Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo*, demonſtrauit. Quòd ſi quis dicat, immeritis interdum accidere afflictiones; reſpondet ibidem, hæc, non mala, ſed rem potiùs beatam appellandam eſſe. Vnde ſubdit Petrus, *Sed etſi quid patimini propter iuſtitiam, beati.* Cauendum ergo in primis eſt, ne, quod reprehendit Eſaias, dicamus malum bonum, & bonum malum: hoc eſt, ne, cùm dicimus, Libera nos à malo, petamus ab iis liberari, quæ bona potiùs ſunt vocanda, quàm mala. Nam quo pacto paupertatem deprecemur, quæ regnum cœlorum nobis conciliat? cur eſuriem, & ſitim, & luctum, mala arbitremur, quæ Filius Dei inter beatitudines collocauit? cur perſecutiones & probra, mala opinemur, ob quæ CHRISTVS iubet eſſe gaudendum? An tu malum iudicares, cùm quis per afflictiones, & bella ad totius Italiæ regnum eueheretur Minimè verò, nunquàm enim rem malam eſſe quiſquam exiſtimaret, per quam tantum bonum ſibi conciliauiſſet. Cur ergo ea, quæ ad æternam aſſequendam felicitatem viam ſternunt; mala aut fugienda eſſe audeat quiſquam appellare? Hoc ſi quis diceret, ab ipſis ethnicis ſuperaretur, quorum quidam dixit, Præter peccatum nihil exiſtimandum eſſe horribile, aut pertimeſcendum.

B. Aug lib. 2. ſerm. Dom. in mont. cap 9. tom. 4. Luc. 6. Matth. 9. Actor. 22. Matth. 6. Ioan. 3. Epheſ. 5. 1. Theſſ. 5.

A quo malo petimus à Domino liberari.

Pſalm 139. 1. Pet. 3. B. Chryſ. to. 5. Eſai. 5.

A quibus malis vt liberemur, orare minimè debeamus.

Matth. 5.

Ea mala quā ſint bona.

Quòd ſi pœnas vllas atque afflictiones mala appellare volumus; ſola gehenna hac appellatione digna exiſtit, teſtibus etiam ethnicis, ex quibus qui inter eos præſtantiſſimus eſt habitus, pronunciauit; Multis peccatis refertam animam ad inferos deſcendere, extremum omnium eſt malorum: quare addebant, neque mortem

malum

Cui ſi bona ſunt, eiuſmodi mala, ea peccatoribus Dominus cõminatur.

malum eſſe exiſtimandam. Quod ſi dicas; Deum in Prophetis mortem ſæpè comminari peſtem, famem, gladium, tanquàm res malas: Reſpondemus; Deum ad noſtram imbecillitatem ſeſe demittere, & ea interminari vt mala, quæ nos formidare vt mala ſolemus: in eundem modum temporaria bona Iſraëlitico populo pollicebatur, quę cernebat hiſce dũtaxat rebus eſſe affixum. At vbi Chriſtus veritatis magiſter apparuit, non reperies illum hęc mala fidelibus pertimeſcenda iudicauiſſe, aut temporaria bona expetenda, ſed contra potiùs. Cùm enim mors, omnium terribilium maximũ iudicetur; vide quid ipſe dicat; *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* (*Matth. 10.*) Temporaria verò bona ita ipſe auerſatus eſt, vt non ſolùm ipſe regnum recuſauerit, ſed paupertatem ita ſit amplexus, vt non habuerit, vbi caput ſuum reclinaret. (*Luc. 9.*) Hoc idem alios docuit. Nam huius ſermonis initio hæc iecit huius Philoſophiæ fundamenta: vt quę mundus maxima mala arbitratur, vt paupertatem, famem, ſitim, luctum, perſecutiones, probra, calumnias, hæc omnia inter beatitudines collocarit; nimirum quod iſta & ſint virtutum exercitamenta, & æterna bona nobis concilię̃t.

Mala quæuã Chriſtus beatificauerit, & quomodo.

Huc ſpectauit Apoſtolus, cùm inquit; *Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum:* (*Rom. 8.*) loquebatur enim his, qui in periculis verſabantur, docebatque eos, ne ipſi quæ vtilia putarent, omninò eligerent; vel quæ aduerſa exiſtimarent, ea deprecarentur ac recuſarent: ſed quæ ſpiritus ſuggereret, ea amplexarentur. Nam idcirco ſuperiùs dixerat, neſcire nos quid oraturi ſimus ſicut oportet. Multa quippe nobis, quæ videntur vtilitati fore, magna interdum adferunt damna. Remiſſio enim iniurię, atque à periculis liberatio, atque in ſum̃ma libertate ſine carnis motibus viuere, vtile eſſe Paulo viſum eſt olim, cùm precaretur auferri ſibi ſtimulum carnis, quem arbitrabatur curſum Euangelij impedire: at vbi didicit, quòd his contraria prodeſſent, vbi audiuit, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur; acquieuit, & exultabat deinceps in perſecutionibus: Namque poſt deprecationem ſtimuli carnis, ſubdit: *Placeo mihi in perſecutionibus.* (*2. Cor. 12.*)

Quare, vt Apoſtolus ait, orate ne ſciamus ſicut oportet. ſed Spiritu ſancto egeamus poſtulante pro nobis.

Itaq; cùm dicimus, *Libera nos à malo*; ab eo malo petimus liberari, quod verè malum eſt, quod ad peccatum nos trahit. Petimus nos liberari ab eo malo, in quod Mundus, Caro, Diabolus præcipitare nos momentis omnibus moliuntur, præſertim diabolus, qui odio pluſquàm capitali nos inſequitur, idque, vt nos ab illo regno, & felicitate deiiciat, à qua ſua olim ſuperbia pulſus fuit. (*Eſai. 49.*)

A quo rurſus malo vt nos Deus liberet ab eo poſtulemus.

Quòd ſi per malum, morbos, peſtes, terræ ſterilitates, bella, & omnia, quibus omne hominum genus affligi conſueuit, exponas; ab ſcopo non aberrabis, ſi eo animo petas, ne nos eorum pondere obruamur, & delabamur in peccatũ: Secùs verò, ſi quis ea mente petat, vt nihil in hac vita incommodi ſentiat, quia eſſet contra verbum Apoſtoli, dicentis; *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei:* (*Actor. 14.*) & eſſet contra verbum Euangelicum, quo iubemur abnegare noſmetipſos, & tollere Crucem noſtram poſt Chriſtum. (*Matth. 16.*) Nolumus ergo ab illis malis abſolutè eripi, quia nec expedit; ſed ita mitigari per diuinam ſapientiam, vt cedant in fructum animarum.

Huius petitionis: Libera me, Domine, ab omni malo vitæ præſentis, incommodũ.

Nam & Eccleſia, tum in Miſſæ ſacrificio, tum in Litaniis precatur ab iis malis temporalibus liberari. Et Niniuitæ pœnitentia atque ieiunio intentatam ciuitatis ſubuerſionem euaſerunt. Et ſimpliciter ait Dauid; *Clamauerunt ad Dominum, dum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.* (*Pſalm. 106.*) Petimus igitur vt ab omnibus malis liberemur, extrinſecus. Primò, efficiendo ne veniant mala: hinc dicitur Iob. 5. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum: (*Iob 5.*) hoc eſt, A tribulationibus, quæ per ſex dies huius vię ſeu vitę nos vexant, liberat nos Deus, & in ſeptima, id eſt, in Sabbato gloriæ, nulla eſt tribulatio.

Quatuor modis Deus à malo nos liberat.

Secundò, conſolationem in nobis infundendo, quæ morbo medeatur, & vltra etiam ſpiritum lætificat. Tertiò, quia poſt mala patienter tolerata, bona maiora concedit, quorum poſſeſſione homo omnium laborum obliuiſcitur, iuxta ſentẽtiam Domini, *Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: quum autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundũ.* (*Ioan. 16.*) Sunt enim iocundi antè acti labores, vt habet prouerbiũ. Quartò, patientiæ virtutem, & tolerantiam ſuppeditando, quæ non ſecùs malis vtitur ad bonum, atque aliæ virtutes bonis ipſis. Ait enim Apoſtolus; *Tribulatio patiẽtiam operatur. patientia autem probationem, probatio verò ſpem,* &c. (*Rom. 5.*) Et aduerte primum, bono petito gloriæ Dei, & ſanctificationi nominis ſui nihil opponi: quia etiam ex malis, quos punit, exaltatur, & illuſtratur nomẽ Dei. De tribus vero bonis immediatè poſtulatis, videlicet aduentu regni, voluntate Dei, & pane noſtro loquitur Dominus, cũ inquit; *Primùm quærite regnum Dei* (ſcilicet *Adueniat Regnum tuum*) *& iuſtitiam eius* (nempe *Fiat voluntas*

Illud: Primũ quærite regnũ Dei, & iuſtitiã eius

& hęc omnia adiicientur vobis, quibus Dominicæ orationis petitionibus reſpondeat. *Matth. 6.*

lütas tua) & hæc omnia adiicietur vobis: & hoc eſt quod dixit, *Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie.* Et tribus his petitionibus bonorum, opponũtur in tres deprecationes malorũ. Nam regnũ peccato opponitur, quod remitti nobis precamur. Volũtati Dei opponitur tentatio, in quē ne inducamur, poſtulamus. Pani verò opponitur malum, à quo liberari cõtendimus. Sequitur, *Amen.*

Hæc verba Græcorũ codicum: Quia tuum eſt regnum & gloria in ſecula ſeculorum, Amen, non eſſe de textu. *Clem Rom. Chryſoſt. Theophyl. Euthym.*

Ante quam lectionem Græci codices hodiè habent; *Quia tuum eſt regnum, & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen:* quæ verba etſi à Clemente Rom. lib. 7. conſtit. Apoſt. ca. 25. & à Chryſoſt. Theoph. & Euthym. & legantur, & exponantur, & in codice Syriaco habeantur: non videantur tamen eſſe de textu, ſed addita orationi Dominicæ tanquàm *δοξολογία* quædam, quemadmodum ſalutationi Angelicæ addiderũt in fine; *Quia peperiſti Saluatorem animarũ noſtrarum.* Et Pſalmis omnibus de more additur, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Lucas etiam c. 11. vbi ponit precem Dominicam, hanc additionem non habet. Hieronymus etiam, Ambroſ. Auguſt. aut alius Latinorum, huius appendicis mentionem nullam fecerunt. Neq; tamen videtur, ſapere multiloquium, vt exiſtimat Caietanus: nam eſt confeſſio quædam quatuor attributorum Dei, nempè regni, potentiæ, gloriæ, & æternitatis. Idcirco enim rectè petimus ab eo regnum, quia Dominus eſt regni; rectè petimus voluntatem Dei per nos fieri, & panem nobis dari, quia potens eſt; rurſus poſtulamus remiſſionē peccatorum, quia illi in gloriam Dei cedit: nam per remiſſionem illuſtratur, & per liberationem qua nos ab omni malo eripit. Confitemur etiam illum eſſe æternum: & illum habere regnum & potentiam, in omnia ſecula ſeculorum, vt poſſit nobis æterna bona conferre; & ſempiternis à malis ſeruare. Huius doxologiæ meminit Dauid in quodam loco, dum ait; *Confiteantur, tibi Domine, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi: Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquētur: Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam & gloriam magnificentia regni tui. Regnũ tuum, regnum omnium ſeculorum; & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Atq; his verbis amplitudo diuina, & maieſtas prædicatur, cuius vnius hæ omnes ſunt appellationes. Nam humana regna luſus quidam puerorum ſunt, quæ cùm apparent, mox eſſe deſinunt, & nihil à fabula, quæ in ſcena agatur, differunt: Humana verò potentia quanta eſt, cùm maximum quenque ac potentiſſimum anguis morſus, vel araneę conficere poſſit? quam gloriam aſſequi homo poteſt, cum ſumma quæuis hominũ gloria, nec illa quidem ex veris virtutibus profecta, ſed ex opum, & facultatum copia & exiguis terrarum ſpaciis, & anguſtis æui terminis comprehendatur? æternitas verò quomodo homini conuenire poteſt, qui corpus mortis geſtat, & ceu animal, quod ab Ariſtotele vocatur Ephemeron, vnum diem viuit, & vt ethnicus quidã dixit, *Puluis & vmbra ſumus.* Hæc pauca in coronidis huius expoſitionem adiectæ dicta ſunt, vt imitemur Chryſoſt. qui illam expoſuit.

Hier. tom. 9. B. Ambr. lib. in Luc. D. Aug li. 2. de ſer. Dom. in mont. c. 9. 10. & alibi

Nõ eſſe multiloquium, contra Caietanum.

Pſalm. 144.

Humanũ regnum, & gloria, qualis Diuinæ comparata.

Ariſt. lib. 5. de animal. tom 2.

Horat. lib 4. carminum, Ode 7.

Chryſ. hom. 20. in Matt. tom. 2.

Amen, quænã dictio ſit; & cur minimè ſit interpretata.

Sequitur, *Amen,* Quæ dictio Hebręa eſt, & propter Domini reuerētiam, qui ea voce, tum olim in Veteri Teſtamento, tum in Nouo ſæpè eſt vſus; & propter multa ſignificata quæ complectitur, quæ vna voce non poterant exprimi, & ob honorem linguæ Hebrææ, non eſt in Græcam, vel Latinam linguam interpretata, vt pleræque aliæ, veluti Oſanna, Alleluia, Raca, Mammona, & ſimilia. Significat autem multa, etiamſi ſit aduerbium: interdũ enim vim habet nominis, nam ipſe Dominus Apocalyp. 3. dicitur Amen: *Hæc* (inquit) *dicit; Amē: teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei.* & Eſa. 65. *Qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo Amen: & qui iurat in terra, iurabit in Deo Amen;* id eſt, fideli & veraci. Et vt annotauit B. Hieronymus, ſignaculum hoc eſt orationis Dominicæ. Ideo omnes Orationes ab Eccleſia clauduntur illa adiectione: *Per Dominum noſtrum:* quod tantundem eſt ac dicere, *Amen*, Et hic dicendo, *Amen*, commemoramus, quòd Dominus hanc precationem inſtituit, & iuſſit vt illam recitaremus, & propter illum cõfidamus exaudiri. Deinde habet viçem verbi, atque ita vox eſt ſermonem confirmantis, & ratum fore precantis, perinde atque dicatur. Ita certò fiat. Id eſt, ô Pater cœleſtis, ſi hæc vota filiorum tuorum pia ſunt: ſi iuxta formam à Filio tuo præſcriptam concepta, certa nos habet fiducia, te præſtiturum quod petimus. Ita lex cogebat mulierem adulterij infamatam poſt lectam imprecationem reſpondere, *Amen amen:* & cùm recitabãtur deuotiones, & maledictiones contra trãſgreſſores Legis, populus reſpondebat, *Amen,* Deuteron. 27. & beatus Cyprianus ad mortem damnatus, reſpondit, *Amen,* vt ſcribit Pontius, id eſt, Ita fiat. Et ita LXX. Interpretes & Aquila vertunt hanc vocem Hebræam per verbum Græcum *γένοιτο*. Hinc Pſalm. 40. in fine, & Pſalm. 88. in fine, & Pſalm. 105. dicitur: *Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſeculo, & vſq; in ſeculum: & dicet omnis populus, Fiat, fiat;* quo loco Hebraicè eſt, *Amen, Amen.* &

Matth. 21. Suprà 5. Infrà 7

Dictio Amē, quid primũ ſignificet. *Apoc. 3.*

Eſai. 65.

Hieronym in Matt. tom 9.

Alter ſignificatus vocis Amen.

Num 5.

Pontius in vita B. Cypr

Septua-

Septuaginta Γένοιτο, γένοιτο. Atque hęc particula in hoc ſenſu, referenda eſt ad omnes, & ſingulas petitiones factas: & hic eſt vſus proprius huius vocis in omnibus Orationibus, vt terminentur in Amen.

Quiſnã proprius dictæ vocis Amen vſus ſit.

1. Cor. 14.

Vnde Apoſtolus ait: *Qui ſupplet locum idiota, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem?* Dicimus ergo nos, *Amen*, id eſt, Fiat, deſiderantes quod petimus. Et tu, Domine, dic, Amen, nempè Fiat, concedens petita, & præſtans illa: quemadmodum in creatione dicebas, Fiat hoc, vel Fiat illud.

Geneſ. 1. & ſeq.

Habet etiam hæc vox vim colligendi intentionem noſtram ſuper omnes petitiones factas, ita vt ſi fortè animus diſſipatus, & diſtractus fuit in illis, dicendo, Amen, redeat attentio, in quibus actu non fuimus attenti.

Tertius ſignificatus eiuſdem.

Luc. 21. Marc. 12.

Prętereà ſignificat Amen, verè ſiue fideliter, ſiue ſanè, ſiue certè: atque ita eſt modus aſſeuerandi, & confirmandi quæ dicta ſunt. Vnde, quod apud Lucam dixit Dominus: *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit*; apud Marcum dicitur, *Amen dico vobis*. Et hunc ſenſum aiebat ſæpè Dominus: *Amen amen dico vobis*, quòd non longè diſtat ab ſpecie iuſiurandi, vt ſuperiùs annotauimus, vel à modo quodam aſſeuerationem, & firmitatem dictis dante. Et ita ſenſus eſſet hoc loco; Vera iſta ſunt, & certa quæ petimus: firma igitur, & certa per te reddantur. Nam à radice verbi Hebraici האמין Heemin, quod eſt, credidit, firmauit, aſſeruit, ſiue confiſus eſt, deducitur; tam Amen Hebræum, quod Syri, & Græci dicunt, Amin, quàm Emuna, quæ vox ſignificat veritatem, vel fidem.

Amen vnde ducatur: Emuna Hebræis quid.

Traditum ſuperiùs ſenſũ: Dimitte nobis debita noſtra, id eſt, peccata, confirmet.

Sequitur in textu: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Hinc patet, nomine debiti, quod petimus remitti, intelligi peccata: ergo non intelligebatur de pecuniario debito: quanquàm hoc debitum non valenti ſoluere, etiam nos debemus remittere, ſi modò is dicatur coram Deo debere, quod non valet ſoluere.

Eſai. 58.

Vnde odiosè dictum eſt illud apud Eſai. *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis.*

Debita retinere creditor quando poſſit.

Quòd ſi ſoluere poteſt, minimè obligatur remittere: ſicut nec Deus remittit amorem, cultum, & vota, quę illi debes, cùm illa, ſi velis, pendere valeas. Adiecit autem Dominus iſtud explicationis cauſa, cũ in quinta petitione Dominus dixerit: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, explicando ſimilitudinem de remiſſione peccatorum orantis. Caietanus hæc verba exponens, docet ſe credere, quòd homo, etiamſi perſeuerauerit in peccato fornicationis ſi tamen remittat amore Dei, & ex animo peccata proximo ſuo, aliquando etiã certò miſericordiam conſequetur ex hac Domini promiſſione, ita vt homo hoc pacto certus eſſe valeat ſuæ ſalutis.

Parcere inimico propter Deum, & ſimul manere in peccato quęquam nõ poſſe contra Caietanum.

Iacob. 2.

Séd non vidit, quod id accidere non poteſt, vt quis amore Dei remittat alteri peccata, & ſimul velit in vitio perſiſtere; neque meminit ſententię fratris Domini; *Quicunque*, inquit, *totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.*

II. Ratio.

Non etiam meminit, nõ poſſe ex animo pro peccati remiſſione rogare Deum, niſi de commiſſo doleat, & in poſterum proponat ampliùs non peccare. Nam alioqui Chriſtus peccati miniſter eſſet: ideò qui talis eſt, parcit naturaliter, & non ex gratia, vt multi faciunt ob vanitatem, vel metum, vel pretium, vel ob alium amorem & reſpectum, quàm Dei.

III. Ratio.

Prætereà nõ obſeruauit quod dicitur: Difficilius eſt iniuriam remittere, quàm à voluptate abſtinere, prçſertim ſi frequens eſt iniuria. Quare non videtur fieri poſſe, vt quis parcat ex fide verbi Chriſti, vel propter eum, & velit manere in fornicatione.

Matth. 12.

Cùm autem dicitur; *Omne peccatũ & blaſphemia dimittetur hominibus*, &c. intellige ſi eũ pœniteat. Oportet enim ſubaudire in huiuſmodi generalibus dictis congruas & legitimas circumſtantias. Si ergo dimiſeritis, ſcilicet ex vera charitate, quæ nullum ſecum patitur peccatum, vel ſi dimiſeritis, non habentes aliquod crimen.

Perſeuerãtes in peccato, alioqui etiã remittentes hominibus iniurias, non habẽt remiſſionem à Domino.

Et hinc patet reſpõſio ad cõmune dubium quod proponi ſolet, videlicet, an qui remiſit omnes iniurias, & ex toto corde pepercerit, alia verò peccata non reliquerit, ſed adhuc in perſeueret, nũquid illi condonentur peccata, cùm dicit, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? Dicimus enim, nequaquàm remitti. Eſt enim vniuerſalis & vera regula; Perſeuerantem in quocunq; peccato, non ſolùm iſta Dominica, ſed etiam quacunq; alia oratione, vel eleëmoſyna, vel ieiunio, vel ſacto miſericordiæ obtinere non poſſe peccati remiſſionem.

B. Aug. to. 5.

Lauit. 16. Hebr. 9.

Hinc Aug. lib. 21. de ciuit. Dei, cap. vlt. *Non itaque propterea Dominus ait; Si dimiſeritis peccata hominibus, dimittet vobis & Pater veſter peccata veſtra, vt de hac oratione confiſi, ſecuri quotidiana ſcelera faceremus; vel potentia qua non timeremus hominum leges, vel aſtutia, qua ipſos homines falleremus; ſed vt per illam diſceremus, non putare nos eſſe ſine peccatis, etiam ſi à criminibus eſſemus immunes: ſicut etiam legis veteris Sacerdotes hoc ipſum Deus de ſacrificiis admonuit, quæ iuſſit eos primùm pro ſuis; deinde pro populi offerre peccatis.* Sic Aug.

Cùm

Luc. 6. Illud: Dimittite, & dimittemini, quomodo accipiendum. IV. Ratio.

Cũ ſtaq; ait Dominus, *Remittite, & remittetur vobis*: intelligẽdum eſt prudenter; niſi ſuerit in vobis aliquod impedimentum, vt indigni remiſſione reddamini. Ad hæc, qua ratione petit quis ſibi remitti omnia peccata, ſi in aliquo perſeuerare contendit? alioqui dicetur non verè, ſed ſimulatè orare: & ore quidem vocare Patrem in cœlis; corde verò affectare quæ illud obſcurant, & polluunt. Voce petere aduentum regni cœleſtis; corde regnum dæmonis, & cupiditatis. Ore, fiat volũtas tua; corde, fiat voluntas mea. In lingua, remiſſio peccatorũ, in corde effrẹnis voluntas peccandi. Meritò de hoc dici poteſt illud Eſai. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorũ longè eſt à me.*

Eſai. 29. & Matth. 15.

An metu parcentibus Dominus parcat.

Sed quid de illo, qui ad mortem vulneratus, & vltionis auidus, audiat à medico eſſe ſibi moriendum, vt proſpiciat animo ſuo; atque hic, ne damnetur, parcat metu tantùm æternæ damnationis, vtrùm habiturus ſit remiſſionem? Et videtur non habiturus, quia ſine charitate eſt; ergo nihil eſt, vt dicitur, 1. Cor. 13. Sin verò remiſſionem habeat, videbitur Chriſti verbum falſum, quod non remittenti ex corde proximo ſuo, & ex charitate, peccatum tamen Deus dimittat. Dicendum, quòd etſi id fieri poſſit, debet tamen hoc, & alia remedia tentare, vt experiatur ſi quo modo veniam accipiat, vt Niniuitæ leguntur feciſſe, Ionæ 2. quia fides eſt donum Dei, quæ acceptatur ad iuſtitiam; iuſtitia autem ſine charitate eſſe non poteſt. Sequitur ergo, quod qui in fide verbi Chriſti parcit, exiſtimari debet præuentus eſſe charitate, & non timore ſolo parcere, licèt metu ſolo ductus ſit ad acceptandam charitatem, quæ inſpiratur à Deo. Ille ſolo timore parceret, qui vulneratus ab aliquo, ab eodem, vel ab alio adigeretur vt pacem faceret, niſi vellet grauiora pati, aut occidi. Cùm autem à Deo timore verbi Dei, & fide conſequendæ ſalutis, Iniuriam offendenti ſe ex charitate remittit, Iam non ex puro timore dimittit, quia Deus hunc timorem ad charitatem accipiendam vrgebat; item miſericors eſt Dominus, ita vt interdum parcat etiam his, quorum non erat rectum cor cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius, vt ait Dauid, & 2. Machab. 12. oratur pro mortuis qui interfecti erant ob ipſorum delicta. Dimittit item ex metu tantùm, qui vt ſepeliatur in ſacrario, init pacem, deſtinans animo ſuo, ſi conualuerit, repetere vindictam: hic neque veniam, neque verbum Domini noſtri reſpexit, ſed ſolum honorem mundi huius.

1. Cor. 13. — *Iona 2. Epheſ. 2.* — Qui ſolo metu parcat. — *Pſalm 77. 2. Mach. 12.*

Morti proximus dimiſſa olim dolens iniuria, an veniã à Domino cõſequatur.

Quòd ſi aliquis exoratus, veniam dare noluit, poſt autem accedente morte veniam petit à Deo, etiam huius rei quòd parcere noluerit, & ſe vltus ſuerit; nũquid veniam inueniet? Videtur veniam minimè inuenturus, ſed vindictam, vt qua menſura menſus eſt, remetiatur ei: alioqui dimitteretur ei contra verbum Chriſti. Neq; poteſt dici, quod hic ex fide iuſtificatur, qua ſcilicet fit filius per miſericordiam Dei propter Chriſti mortem: quia cùm Ipſe noluerit Chriſti mortem prodeſſe alteri; fecit vt ſibi minimè prodeſſe valeret. Atque ita non eſt fides infuſa, ſed metus, & fides humana, quæ nõ habet fundamentũ in verbo Chriſti. Reſponſio eſt, Deum poſſe illi fidem viuam infundere, & quod affectu perturbatus proximo non conceſſit, ipſe iam pœnitẽs à Deo nouo ſpiritu afflatus impetret. Potuit etiam offenſus, in quem facta eſt vltio, & à quo petita eſt pœna, pepercisse offendenti, & ita remittatur etiam ei in cœlo à Deo. Illud ſanè eſt formidabile, quòd qui ſe vltus eſt, non audet veniam orare; vt ſeruus ille qui ſuffocabat cõſeruum, Matt. 18. aut ſi petit veniam, metu petit, & nõ fide, vt Prou. 28. dicitur; vnde & oratio eius execrabilis eſt, quia aurem auertit à Lege.

Luc. 12. — *Matth. 18. Prouerb. 28.*

Precantibus quid attendendum, & cauendum diligenter. *1. Cor. 14.*

Precaturi ergo poſthac, mentem adhibeamus iis, quæ lingua proferimus: hoc enim eſt, orare mente. Nam qui aliter faciunt; loquuntur quidem, vel effutiunt verba, non autem precantur, dum mentem in Deum non attollunt: nam hoc vnum eſt orare. Neq; tamen eorum precatio reprehendenda venit, qui propter linguæ Latinæ ignorationem, non ſatis aſſequuntur quæ precantur: nam iſti ſi mentem in Deum erigunt, non minùs orant, quàm qui maximè Intelligũt. Quota enim pars (bone Deus) Pſalmorum, qui in diuino Officio de more recitãtur, etiam à doctis & exercitatis in ſacris literis non intelligitur? & tamen non propterea dicendum eſt, illos minùs orare, quòd non intelligãt. Quemadmodum ergo aurum tanti valoris eſt in manu ruſtici ignorantis pretium eius, quàm in manu periti, & aurificis. Ita oratio, quæ Deo à ſimplici homine bona mente offertur, cæteris paribus, tam grata eſt Deo, quàm quæ ab intelligenti & perito effunditur. Ad hæc, verba vim habent & efficaciam, tametſi minimè percipiantur, modò in genere intelligatur, quod eiuſmodi verbis Deus precandus ſit, & ad nos exaudiendos flectendus. Nam ſicut carmina virtutem habent ſerpentes incantandi, licèt interdum ipſi incãtatores verborum ſignificatus ignorent, & ipſi incantati ſerpentes verba non intelligant: ad

Rudiũ & ſimpliciũ oratio cur minimè ſpernenda.

Secunda ratio, quæ & exemplis illuſtratur.

eum modum nos à Deo impetramus dona quæ deſideramus, & animo concipimus, quanquàm interdum eorum ſenſus nos lateat. Frequenter vſuvenire ſolet, vt idiota aliquis, aut ruſticus libellum ſupplicem fidenter offerat Principi, quem tamen ipſe neque legere, neque ſcribere nouerit, ſed alterius opera conſcriptum atque confectum: exaudit autem ac concedit Princeps, quæ iuſtè petit. Si ergo tanta ęquitas & clementia in homine exiſtit: quantam putamus in Deo futuram, vt eas preces libenter exaudiat, quas nouit bono animo ſibi à ſimplicibus offerri, etiam ſi ab illis minimè intelligantur? Etenim vt in Palmarum die puerorum voces clamantium Dominus laudauit, & commendauit, etiam ſi ipſi minimè intelligerent voces: quidni gratas & commendatas habeat preces ſimplicium, quas in ipſis Spiritus ſanctus format, tametſi quid ſit illud quod poſtulant, non percipiant? Neque hæc dicimus, vt ignorationem precantium commendemus: nam nauanda eſt opera diligenter per paſtores animarum, vt populus ſimplex non ignoret quid, tum in oratione Dominica, tum in precatione Angelica, tum in cæteris in Eccleſia vſitatis & frequentatis deprecationibus & litaniis à Deo poſtulet & efflagitet: ſed hæc propterea attulimus, vt tueremur ſimplicium & rudium hominum preces, qui plerunq; quod petunt, non intelligunt, neq; tamen idcirco minus à Deo exaudiuntur, cùm ſimplici corde & bono animo Deo offerantur, & plerunq; doctorum & intelligentium hominum precationem ſuperent: quòd maiori humilitate, & animi ſimplicitate illas fundant, maiorique agantur fiducia erga Chriſtum, qui cum Patre ſimul ac Spiritu ſancto ſempiterna laude, gloria & Imperio potitur in ſempiternis ſeculis, Amen.

Matth. 21.

Rudiores à quibus docēdi rationem precandi.

TRACTATVS LIV.

In illa verba: *Quum autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminãt enim facies ſuas, vt pareant hominibus ieiunantes, &c.*

Propoſita Domini verba quò tendant.

HACTENVS de eleëmoſyna & oratione dictum eſt. Et vt eleëmoſynam iuuat oratio, ita ieiunium macerans concupiſcentiam carnis, orationem mentis expeditam facit. Et quanquàm his verbis ieiunium non pręcipiatur: de eo tamen Dominus loquitur, quaſi de re mandata. Quemadmodũ de dilectione proximi nihil nouum præcipit, dum ait: *Diliges proximum tuũ ſicut te ipſum.* Sed quia videbat nõnullos non purè obſeruaturos, neceſſariam adiicit admonitionem de vitãdo malo fine glorię humanę, quo bonum opus viciatur: ſicut fecit de orantibus, ac porrigentibus eleëmoſynam. Porrò ieiuniũ ſine vlla, aut temporis, aut modi pręſcriptione, ſed liberum relinquens cuique, & tempus, & modum, iuris eſt diuini, & naturalis in placando Deo irato, atq; gratia eius impetranda, deinde in ſubigenda carne ſpiritui: nã quoties illa rębellat, & periculoſum eſt ne ſuccumbat ſpiritus, pręcipuum remedium eſt ieiunium, quo debilitatur caro, & corroboratur ſpiritus. Ad hæc in conſequendo aliquo dono à diuina liberalitate, quod nõ niſi ſe affligentibus, & macerantibus concedere ſolet. Vnde Niniuitæ audita prædicatione Ionæ, ad ieiunium tãquàm ad præſidium, & aſylum tutiſſimũ confugerunt. Et Daniel quoties vellet inſigne aliquod à Deo beneficium obtinere, ieiunio ſe affligebat prius: quemadmodum Dauid vitam filij ex adulterio cõcepti obtinere cupiens, fecit. Idem feciſſe legimus Iuditham, & Eſther, & reliquos ſanctos, cùm eximium aliquod, ac ſingulare facinus eſſent aggreſſuri. Tenetur etiam lege ieiunij qui aut iuramento, aut voto ſe ad illud adſtrinxit, aut à ſacerdote in ſatisfactionis partem ieiunium impoſitum acceptauit. Ad hæc ſatis præcipitur ieiunium in Scripturis, quæ Chriſtum nobis proponunt ieiunantem: qui cùm pactum, & exemplar noſtrum ſit, eius actio noſtra eſt inſtructio, & præceptum: *Exemplum enim,* inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et Dilectus: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Et rurſus B. Petrus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Caput enim debent ſequi membra: ſicut in iocundis, ita in aduerſis: nam ſi compatimur; & conregnabimus. Nec enim decet ſub capite ſpinoſo membrum eſſe delicatum. Hinc Tertullianus libro de Ieiunio in Pſychicos tradit, non ſine cauſſa Dominum prius ieiunaſſe, quàm in monte ieiunandum doceret; quo ſcilicet, & opere primùm, deinde & verbo ipſius haberemus quòd ſequeremur. Præterea, cùm in hoc ſexto capite opera iuſtitię Dominus explicuerit, de quibus dixit: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*; & explicans illa, enumerauerit eleemoſynam, orationem, & ieiunium, tanquàm partes iuſtitiæ: ſicut igitur præcipitur oratio, nam dicitur: *Oportet ſemper orare, & nõ deficere:* &

Leuit. 19. & Luc. 10.

Ieiuniũ quo iure, & quare ſit inſtitutũ.

Ieiunij magnam vim qui fuerint experti. *Ion. 3.*

Dan. 9.

2. Reg. 12.

Iudith. 4. & 6.

Eſther. 9. & 14.

Ieiunij lege qui teneantur: præceptum eſſe ieiunium oſtenditur.

Matth. 4.

Ioan. 13.

1. Ioan. 2.

1. Pet. 2.

Chriſtum cur ſequi debeamus.

2. Tim. 2.

Tertull.

II. Argum.

Luc. 18.

præci-

Suprà. 11.

præcipitur eleëmoſyna, de qua dicitur: *Et quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis:* Ergo & ieiunium erit prçceptum: Cuius modus in declinãda gloria humana à Chriſto non præſcriberetur, ſi ſemper eſſet opus voluntarium, & ſpontaneum, neq; lege aliqua exactum. Hinc beatos fore prædicauit lugẽtes, id eſt, ieiunantes, vt expoſuimus: & væ inflixit ridẽtibus, id eſt, non ieiunantibus, ſed luxuriantibus, deliciantibusq;: ac magis præcepti vim explicans Matth. 9. dixit: *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere* (vel, vt alter Euangeliſta explicationis gratia inquit, *ieiunare*) *quandiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus: & tunc ieiunabunt*, ſiue *lugebunt*. Quibus verbis non tantùm Dominus quod futurum erat, prædixit, ſed etiam præceptum indicauit. Nam iuxta Hebræorum phraſim, Futurum pro Imperãdi modo accipitur, vti cum dicitur: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Hoc eſt, propter vxorem lege matrimonij poſſidendam iubetur homo relinquere patrem, & matrem: & lege matrimonij tenebuntur eſſe in carnem vnam. Similiter accipitur illud: *Non habebis deos alienos coram me:* &, *Diliges Dominum Deum tuum:* quæ per Imperandi modos reſoluuntur: *Non habeas deos alienos coram me*, vel, *Diligas*, aut, *Dilige Dominum Deum tuum*. Tantundem ergo eſt dicere: *Tunc ieiunabunt*, ac, Tunc lege ieiunij tenebuntur, vel, Tunc ieiunate: quia accedet luctus Crucis Chriſti, cauſſa ieiunij veſtri, & maior fides, ab homine exigens perfectiora opera. Nam carnales homines non tam facilè ferunt ieiunia, atque ſpirituales. Accedit his quod Salomon dixit: *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus.* Vbi Salomon præcipit de omni ſubſtantia noſtra Deum colere. Vt ergo bonis fortunæ per eleëmoſynam colimus, & bonis animæ per orationem, ita bonis corporis per ieiunium. Hinc Eccleſia confidenter ait: *Deus, qui ad animarum medelam, ieiunij deuotione caſtigari corpora præcepiſti, & cæt.* Et Auguſtinus ad Caſulanum: *Ego in Euangelicis, & Apoſtolicis literis, totoque Inſtrumento, quod appellatur, Teſtamentum nouum animo id reuoluens, video præceptum eſſe ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apoſtolorum non inuenio definitum.* Hæc ille, egregiè vim obligandi homines ad ieiunium in Nouo Teſtamento inueniri aſſerens, cùm tamen ad determinationem, ac præſcriptionem temporis, & modi nihil tradatur, ſed Eccleſiæ arbitrio hoc ſit relictum. Ieiunium verò Eccleſiaſticum, quale præſcribitur in Quadrageſima, & vigilijs Apoſtolorum, ac Quatuor anni Temporibus, etſi maxima veneratione ſit recipiendum, atque obſeruandũ, cùm ipſe Chriſtus, & Apoſtoli præcipiant audiendam eſſe nobis Eccleſiam, Chriſtus magna ratione non præcepit per ſeipſum, quoniam lex Euangelica, lex libertatis eſt. Et vt legem naturæ in genere aliquid dictantem, quantum ad ciuilia determinãt principes, & legiſlatores prudentes: ita diuinas, & Euangelicas leges, quod ad modum attinet, præſcribit Eccleſia. Nam quemadmodum decimas præſcripſit in alimentum ſacerdotum, & miniſterium Dei, vt moderaretur, ac determinaret legem illam Chriſti: *Dignus eſt operarius mercede ſua*; ac vt legem ſacrificandi prçſcripſit ſacerdotibus in ritu Miſſæ obſeruando, reſtringẽs illud præceptum: *Hoc facite in meã commemorationem:* & prçceptum orandi ſacerdotibus traditum, adſtrinxit ad ſeptem Horas Canonicas, & Diuinum Officium, quod eſt illis indictum: ita legem ieiunandi, ſiue lugendi, quæ libera, & abſoluta exiſtit, id eſt, poteſt hoc die, vel illo ſe macerare, poteſt vti hac, vel illa cæremonia, poteſt adhibere hũc, vel illum modum (nam ſine modo nequit conſiſtere, cùm vniuerſale poſitum ſit in ſingularibus) coarctauit Eccleſia ad tot dierum numerum, & modum ſemel in die edendi, abſtinendo à carnibus, ouis, & lacticiniis. Ad hæc cùm non omnes huic præcepto poſſint facere ſatis, vel propter ætatem, vel infirmitatem, atque alia impedimenta: opus fuiſſet in regulis ieiunandi multas, & prolixas exceptiones facere, quæ breuitati Euangelij, quod verbum breuiatum à Propheta dicitur, repugnabant. Et quod grauius eſt, cùm in ieiunium Eccleſiaſticum cadat diſpenſatio interdum ex legitima cauſſa, neque deceret vt quiſquã hominum, vel paſtorum, etiam eorum qui ſumma autoritate ſunt præditi, in diuinam Chriſti legem diſpẽſaret, propriè vim eius, & obligationem relaxando: ob id ſapienter à Chriſto cautum fuit, vt præſcriptionem dierum ad ieiunandum deſtinatorum, modumq́ue in eo ſeruandum, nequaquàm per ſeipſum, ſed per Eccleſiam præſcriberet, vt illa quæ tulit legem, ipſa liberè in legem ſuam, & non in legem Chriſti diſpenſare valeat. Nam diſpenſatio in Ieiunium, vt diuinum eſt, nulla ratione cadit, quia neque diem, neque modum præſcribit: vt autem Eccleſiaſticum, & humanum eſt, moderationem, ac relaxationem capit. Hinc etiã ſol-

Marginal notes (left): Matth. 5. — Luc. 6. Matth. 9. Marc. 2. — Vbi futurum pro imperatiuo ponitur more Scripturæ. — Gen. 3. & Matth. 19. — Exod. 20. — Prouerb. 3. Tertium argumentum pro ieiunij præcepto. Prouerb. 3. — Aug epi. 86. à medio to. 2. — Eccleſia, & nõ Chriſtus,

Marginal notes (right): vel Apoſtoli quare modũ ieiunãdi prçſcripſerunt. — Matth. 28. Luc. 10. Iacob. 1. — Alia quædã Dei præcepta per Eccleſiam determinata. — Luc. 10. Matth. 10. Luc. 22. & 1. Cor. 11. — Quartum argumentum, quod ſcilicet ieiunium ſit præceptum. — Eſa. 10. iuxta 70. & Rom. 9. — Ieiuniũ quatenùs diſpenſari queat. Et qui debeant ieiunare.

uitur illa quęſtio, an pueri ante vigeſimum primum annũ, & ſenes poſt ſexageſimum, lege ieiunij teneantur Eccleſiaſtici? Nam proculdubiò iubentur ieiunare iure Diuino omnes, qui ieiunij medicamentum agnoſcunt ad motus carnis compeſcendos, & ad gratiam Dei impetrandam, & ad ſatisfaciendum pro peccatis diuinæ iuſtitiæ, quacunq; ætate tãdem illi exiſtant. Quanquàm illud ieiunium cùm ſit diuinum, dies nullos, ſicuti neq; modum determinat: ſed tantùm imperat ita temperate, & ſobriè agere, cibis quibuſcunque, & pluries etiam eadem die ſumptis, dummodo diuinę gratiæ acquiſitionem, & eius vſum in nobis non impediamus. Poteſt autem quis ſeruando ieiunium Eccleſiæ, agere in præceptum Diuinum, ſemel quidem veſcendo cibis licitis, ſed immodicè ſe illis obruendo, potuque inebriando; quod graue delictum eſt, & in legem Diuinam. Ad ieiuniũ verò Eccleſiaſticũ aſſueſaciendi ſunt adoleſcentes, & carnis maceratione diſponendi, antequàm perueniant ad viceſimum primum annum, in quo incipit ieiunium Eccleſię obligare: tum ne durum videatur poſteà, & nouum iugum ieiunij; tum quia illa ætas lubrica eſt, & ad motus carnis explendos, atq; voluptates capeſſendas propenſa; ideò ieiunij diſciplina meritò eſt compeſcenda, atque reſtringenda. Quòd verò ſenes, qui ſexageſimum annum exegerint, lege ieiunij Eccleſiaſtici non teneantur, nullibi hactenùs legi, niſi infirmitas, aut imbecillitas illos reddat excuſatos. Nam quidam ſunt ita robuſto, & vegeto corpore, vt multis ætate inferioribus aptiores ad ieiunium inueniantur: multi etiam ſunt ante illam ætatem adeò imbecilles, & corporis viribus deſtituti, vt huius afflictionis diſciplinam ferre non valeant. Quare certior regula eſt, vt magis virium, quàm ætatis ratio ducenda ſit.

Diuinũ, non tamen Eccleſiaſticum ieiunandi præceptum qui violent.

Adoleſcẽtes ad quadrageſimarum ieiunium, ſi ſapiunt, quomodo ſe cõparent.

Qui ſenes etiam ſexagenarij lege ieiunij teneantur.

Sed iam de ieiunij fine aliquid vtiliter philoſophãdum eſt. Contendit enim Deus ſuos maximè probare per indictum Quadrageſimæ ieiunium, quemadmodum in paradiſo per abſtinẽtiam ligni ſcientiæ boni, & mali tentauit, probauitque Adam; & Patres Veteris Teſtamenti, atque vniuerſum populum Iſraël per inopiam cibi, & penuriam aquę in deſerto tentauit: de quo ait Moyſes in Deuteronomio: *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, vtrùm cuſtodires mandata illius, an non. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui.* Medicus etiam indicta dieta tentat infirmum: ad hunc modum Deus per Eccleſiam inſtitui voluit Quadrageſimam, vt periculum faceret de nobis, an ſimus fideles ſerui, & prudentes, iuxta illud: *Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam.* Fidelitas [illegible] nititur charitati, & prudentia fidei. Qui habet charitatem, fidelis eſt, & amor ſeruum facit fidelem: prudentia cœli, eſt fides, ſicut prudentia carnis, & mundi, mors eſt, & ſtultitia. Per præceptum ergo ieiunãdæ Quadrageſimæ probatur ſeruus Dei ſi habet charitatem, & fidem. Circa charitatẽ igitur Chriſtianus probatur an plus diligat Deum, quàm carnem, quam naturali affectu anima diligit, vt tabernaculum, in quo creata eſt. Hinc ait Apoſtolus: *Nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam.* Ait ergo Deus: *Affige propter me ieiunio carnem tuam dilectam, contunde eius ſuperbiam, & petulantiam.* Magna eſt hęc probatio, non diſſimilis martyrio, quod ſimiliter probatio quędam eſt, & tentatio, in qua, vel amittendus eſt Deus, vel caro perdenda. Sed Martyres intrepido animo apud ſe ſtatuerant: Perdatur caro, & omnium fiat iactura potiùs, quàm Dei. Caro tibi ſuggerit, quòd ieiuniũ debilitat vires; quod piſces nocent bonę valetudini; quod Quadrageſima offendit ſtomachum, & caput; quod frigidus ſomnum capere non potes. At fidelis ſeruus motibus carnis non acquieſcit, rationesque eius ſuſpectas habet: & ita humiliat in ieiunio animã ſuam. Infidelis ſeruus imitatur Eſau, qui pro lente vendidit primogenita ſua, & ait, vt ille: *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Ait Iacob: *Iura ergo mihi. Iurauit Eſau, & vendidit primogenita. Et ſic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit, paruipendens quòd primogenita vẽdidiſſet.* Quare Philippus Melanchthon ſingulari inſcitia voluntarios pęnitentiũ cruciatus, & abſtinentiam ciborum damnat, ac prohibet, quòd ſint in quintum præceptum: *Non occides.* Impudenter quoque Petrus Martyr in 3. Reg. cap. 18. Catholicos Sacerdotes Baalitas facit, quòd minimè curent corpus, nec eius rationem habeãt, ſed chaumeniis, & ξενοκαγίαις vtãtur: accuſat magna Eccleſiæ Dei lumina, Baſilium, & Nazianzenum, quòd duriter corpora ſua tractarint, & fortaſſis valetudinem offenderũt. Falſa quoq; eſt vox Sarcerij in Luc. 4. *Damnatur*, ait, *hic crux impoſititia, & electitia.* Hæc iſti noui Epicuri diſcipuli, atque patroni. Sed quomodo aliter quis poſſet odio habere animã ſuam, vt Chriſtus præcepit, niſi cum Paulo caſtigando corpus ſuum,

Cur inſtituerit ieiunium Deus.

Geneſ. 2.

Deut. 8.

Iſraelitæ diu per mediam à Domino tentati.

Exod. 16.

Matth. 24.

Chriſtiani vnde fideles agnoſcant.

Rom. 8.

Epheſ. 5.

Martyrium probatio, ac tentatio [illegible]

Geneſ. 25.

Hebr. 12.

Melãc[illegible] Petrus M[illegible], & Eraſmus Sarcerius [illegible] nes de E[illegible] cleſiaſtico [illegible] iunio [illegible] culto [illegible] qui [illegible]

Exod. 20.

Odio, vt Chriſtus dixit, quomodo habeam animam noſtram.

Luc. 14.

1. Cor. 9.
D. Paulin.
Matth. 16.

ſuum, vel, vt ſanctus legit Paulinus, liuidum reddendo corpus, & in ſeruitutem redigendo? Nec hoc eſt corpus occidere, aut animam perdere, ſed ſeruare, vt ait Dominus, hoc eſt, ſe ipſum abnegare, tollere crucem ſuam, & veterem hominem ſpoliare. Vtinam iſti Doctores noui benè legiſſent Auguſtini librum de vtilitate ieiunij, vbi docet, Satanæ non eſſe auſcultandum, cùm hæc conſilia ſuggerit homini.

Aug tom. 9. prope finem.
Diabolicæ contra ieiunium ſuggeſtiones quæ quomodo te pellendæ, ſecundum Auguſtinum.

Quid facis (ait dæmon) *quia ieiunas? defraudas animam tuam, non ei das quod delectat, tibi ipſi ingeris pœnam, tuus ipſe tortor, & cruciator exiſtis. Deo ergo placet, quia te crucias? ergo crudelis eſt qui delectatur pœnis tuis?* Reſpondet idem Auguſtinus: *Excrucio me planè, vt ille parcat: do de me pœnas, vt ille ſubueniat, vt placeam oculis eius, vt delectem ſuauitatem eius. Nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur, minus premet mentem meam caro mea.* Et iterum: *Si iumento forti inſideres, ſi equo vtereris, qui te geſtiendo poſſet præcipitare, nonne vt ſecuriùs iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem fræno non poſſes? Caro mea, iumentum eſt: iter ago in Ieruſalem, quæ plerunque me rapit, & de via conatur excludere: via autem mea, Chriſtus eſt.* Sic Auguſtinus ſanè perquàm appoſitè.

Qualis caro noſtra.

Eccleſiaſtici ieiunij legẽ, vt Lutherani mentiuntur, non humanum figmentum, ſed Euangelicum planè, & diuinũ eſſe inuentũ.
Matth. 15.
Luc. 14.
Supra 9.

Sed hæc hæreſis ab alia originem ducit, nempè illa, qua ſentiunt, quæcunque opera, quæ ſine expreſſo Dei verbo, vel mandato fiunt, ſuperſtitioſa eſſe, & doctrinas, ſiue mandata hominum; cùm tamen hæc, de quibus agimus, ſuo Dei verbo non careant. Nam iubemur odio habere animam, abnegare nos ipſos, & tollere crucem noſtram.

Secunda ratio, cur ieiunium ſit inſtitutum.

Deinde facit Dominus periculum, an plus quiſque diligat animam ſuam, quàm carnem. Nemo eſt tam rudis, qui ſe animam habere non agnoſcat, & viribus non confiteatur animum corpore præſtantiorem eſſe: ſed multi factis oppoſitum docent, & anima deſtitutos oſtendunt: nam ex viginti quatuor horis diei, viginti tres explendis corporis cupiditatibus conſumimus, vix vnam animo tribuimus. Deus itaque ait: Ieiunium eſt bonum animo, etiamſi malum ſit corpori: non opus eſt impinguare carnem, ſed extenuare. Et quemadmodum miles in die prœlij ad conferendas manus proditurus, optimo prandio ſe præmunit, optimoque vino cor confirmat, quia corpore debet contra corpus hoſtis pugnare: ita ſpiritus, oppoſito tamen modo, pugnaturus cum diabolo, qui ſpiritus eſt, ea quæ ſpiritum corroborant, conſectari debet. Nam ſi dæmon animam tuam inueniat nimia corporis cura grauatam, ſtatim te ad terram proſternet. Quid ergo faciendum eſt? Danda opera, vt caro per ieiunium, & abſtinentiam debilitetur: & corroborabitur ſpiritus. Deus ergo tentat te, an habeas ordinatam charitatem, & an plus diligas ſpiritum, quàm carnem. Fidelis ſeruus apud ſe cogitat; Volo ieiunare, quia caro multo tempore cogit ſpiritum ad ieiunium cibi ſui, nulla ratione animæ habita, quam adigit ad ſemper cogitandum pro carne, pro illa accumulare, pro illa laborare, pro eius voluptatibus explendis incũbere: atq; ita ſpiritus cogitur ieiunare à cibo ſuo, à bonis deſiderijs, à bonis operibus, ab auditu verbi Dei. Atque hac ratione corpus ait, Fame pereat anima, ieiunet: quid ad me? Iuſtè ergo ſpiritus reſpondere illi poterit: Patientiam habe: ego tibi ieiunaui, ieiuna tu mihi. Caro verò dicit; Quid opus eſt Quadrageſima? ad quid tot ieiunia, & abſtinentię? Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Sed illi rurſus reſpondendum: Carnem nimio cibo refertam, & grauatã, nequaquàm parere ſpiritui: imò, vt teſtatur Baſil. quemadmodum vapores à terra, & locis paluſtribus eleuati in nubes condenſantur, & lucem Solis, atq; radios nobis eripiunt, & ex meridie noctem efficiunt: ita vapores eleuati à ſtomacho cibis immodicis diſtento, vſum rationis, & ſpiritus humani opera, imò ipſum Spiritum S. ſe exterminant. Ait enim; Hic eſt edax, & ebrius, nolo cum hoc diu viuere: & ita retrahit radios ſuarum inſpirationum. Remedium ergo eſſet, tollere per ieiunium immodicam edendi & bibendi intemperantiam. Refert idem B. Baſilius apes à ſuis aluearijs excludi fumo: ita Spiritum S. qui inſtar apis in mente hominis laborat, milleque bonas, dulcesq; cogitationes ſuggerit; crapulæ, & ingurgitationis fumis caput offendentibus à nobis expelli. Domanda ergo caro eſt per famem, vt ciuitas fame expugnari ſolet. Nec enim ſatis eſt bonis verbis agere cum carne, & dicere illi, Salue; & permitte mihi tantillum quieſcere: ſed opus eſt fuſte, & ferula, qua flagellata in officio contineatur. Nam incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus. Victa autem carne facilè ſuperatur dæmon, qui, vt Patres teſtantur, Deum, ſed malè, imitatur. Vt enim Diuinæ prouidentię eſt, rerum naturas nó violare, ſed ſeruare; vt magnus ait Dionyſius, ad hunc modum dæmon ſe carni accommodat, eiusq; affectibus ac perturbationibus ſe attemperat. Et quemadmodum

Alia externus, alia hoſtis internus ratione ſuperatur, & vincitur.

Spiritus luctã cũ carne.

Matth. 15.

Caro noſtra non ieiunãs, quomodo fiat rebellis ſpiritui, teſte Baſilio.
Baſil. hom. 1. de ieiunio, circa fin. tom. 1. circa med.

Idem ibidem in fine.
Spiritus ſanctus quã api ſimilis, quoque fumo ille à nobis expellitur.

Deut. 32.

B. Dionyſ. Areop. cap. 4. libri de diui. nom ſub fin.

Deum vti deꝗ mō, licèt perperàm imitetur, quomodo vincatur.

equus fręno, & canis catena regitur, ac quo quiſque vult, ducitur; ſimili ratione Satanas mediis motibus carnis tuæ, tanquàm fræno & catena trahit te quò vult. Nam ſi, verbi gratia, videt te ira accenſum, proponit tibi homicidium; Si carnis ſtimulis agitatum, proponit occaſiones laſciuiæ: Si fame premeris, offert tibi cibos etiá vetitos, & te per gulam comprehēdit. Remedium ergo præſentaneum eſt, præcidere cupiditates, quæ ex pinguedine carnis proficiſcūtur, & abſtinētia tollere arma de manu dæmonis.

Tertia tatio, inſtituti ieiunij.

Tertiò tentat Deus per ieiunium, an homo plus diligat carnem ad tres dies, quàm eandem ad æternitatem. Melius eſt enim carnem hic aliquid pati, vt perpetuò ſit glorioſa in alia vita, quàm hic ad tēpus carnem mollitia fluere, & exultare, genio, & luſibus, laſciuiis, & ſaltationibus indulgendo, & poſteà in æternum eſurire, atque in ſempiternis ardere flammis. Nam vt qui morbo pleureſis laborat, bibere contendit vinum, etiam ſi non ignoret illud obfuturūm; & hydrops aquæ potum, quem nouit præſentaneam mortē allaturum; & quemadmodum horum vterq; oſtendit ſe magis diliget carnem infirmam, quàm ſanam, & ad paucos dies tantùm, & non ad triginta, vel quadraginta annos, quos poſſet viuere: ita ſapiens eſſet, qui appetitiones ſuas comprimeret, & vim illis faceret, atque hic rectè amare carnem ſuam videretur. Vnde Dominus: *Qui amat animam ſuam, perdet eā*, deſcribens illos primos; & deinceps de ſapiente ſubdit: *Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Illi autem amant animam ſuam in hoc mundo, quorum deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiūt; nimirum qui guſtant quæ carnis ſunt. Etenim caro ſatiata progreditur in vitium fornicationis, & ex illo in vitiū Sodomiæ. *Hæc*, inquit Ezechiel, *fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius.* Interrogabis, vnde proficiſcitur terræ ſterilitas, & fames? Reſpondeo, ex eo quod tempore proſperitatis conuiuiis, & epulis immodicis nos ingurgitamus, neq; modum, aut rationem vllam temperantiæ ſeruamus. Cùm igitur creaturis ad bonam valetudinem, & commoditatē à Deo nobis conceſſis abutamur, & tanquàm arma quadam, & tela in ipſum retorqueamus; ideo Deus ſapienter victu neceſſario, & frumento nos priuat. Et vt Helias zelo honoris Dei actus, orauit Deū ne mitteret pluuiam, ſed famem per annos tres, & menſes ſex, atq; eo tempore digerebant cibos immodicos, & ſuperfluos, quos olim ſumpſerant: eodem modo Deus nobiſcum agit. Qui vult carni ſuæ conſulere, premat illam, iugo ieiunij, quod etiam cibos ipſos gratos facit: & ita carnem ad ſalutem in perpetuum diligere cōprobabitur.

Quibus ſimi... ieiunare nolētes meritò videantur.

Matth. 16.

Philip. 3.

Qui ament animā ſuam in hoc mundo.

Ezech. 16.

Cur Deus famem, terræq; ſiccitatem immittat.

3. Reg. 17.

Quarta ratio à Deo præcepti ieiunij.

Quartò, tentat Deus lege ieiunij propoſita, an magis diligas carnem ſobriam, & integram, quam ebriam & corruptam: quippe ne dubio præſtantius eſt ſobriam ſeruare, nam tunc magis appetis, & melius guſtas quod edis: vt enim teſtis eſt Baſilius, helluones, & bibaces, dum putant ſe gulæ ſeruire, illi potiùs nocens, ciborum enim multitudine obruti, ampliùs non appetunt, neque guſtant aliquid. Hinc facilè eſt cernere diuites, & amplos viros in dignitate Eccleſiaſtica cōſtitutos, cum frequentibus conuiuiis appetitu deſtituantur, cernere illos multis exercitationibus, & deambulationibus vacare, non ob aliam cauſſam, quàm vt appetitu recuperato bellum valeant indicere perdicibus, caponibus, & ficedulis; & hac diligentia, & induſtria non perfectè, obtinent tamen ſæpè quod volunt: non enim plenè ſapit quod ſumunt; hinc coguntur in varia menſa varios cibos deguſtare, nihilq; guſtui ſatisfacit, aut ſanitati proficit: cum cruditate ſtomachi laborent. At verò qui abſtinentiæ, & ieiunio deditus eſt, etiā panem aridum, & atrum cum voluptate deguſtat. Ac vt amicum, quem ad aliquos dies non vidiſti, & ſe tuis oculis ſpectandum præbet, læto vultu, gratoq; animo cum iocunditate excipis, quem ſi perpetuò domi præſentem haberes, non ſolùm illum gratè non exciperes, imò tædium tibi, & nauſeam pareret: idem profectò tibi eueniret, ſi ad tempus ieiunaſſes, & quando accedis ad menſam, humorem linguæ benè digeſſiſſes, & omnes cruditates cōcoxiſſes, & ſtomachus vacuus eſſet: nam tunc libenter amplecteretur cibum, melior fieret concoctio, viueres ſalubrior, & ſalubritatis beneficio eſſes ſapiētior, caſtior, modeſtior, ac prudētior. Vide (quæſo) quanta differentia ſit inter carnis priuium, & primum diem Quadrageſimæ. In illo enim reſonant cornua, clamores, muſicæ; laruati homines incedunt, inſanitur more puerorum: vt enim pueri ſcholares abſente magiſtro, vel pędagogo, rident, fabulantur, clamant, ludunt, & illudunt, pugnis, & capillorū extractione decertant; ſed vbi magiſter, vel pædagogus ad eos redit, ſtatim quieſcunt, ſuo loco ſedet quiſque, animis, & oculis intendunt in libros, magnam præ ſe ferunt modeſtiam, vt non videantur illi ipſi eſſe, quorum rumores ac ſtrepitus percipiebātur

B. Baſil. hom. 1. de ieiunio, poſt mediū.

Quanto melior ſobriorum & ieiunantiū, quā crapulantiū ſit conditio.

Bacchanales dies inter, & Quadrageſimales diſcrimen quale.

tur: ita in carnis priuio quondam venit pædagogus, ideò tam turpia, & enormia delicta admittuntur; at in Quadrageſima, redeunte pædagogo ad nos, omnes humiliamur, & quieſcimus.

Quinta ratio cur nobis ſit ieiunandum.

Quintò, tentat per ieiunium Deus, periculumque facit, an plus diligamus Catholicam Eccleſiam, quàm tres, aut quatuor putridos, ac fœtentes hęreticos. Namque Eccleſia ex vna parte armata venit ſacris literis, & veris Apoſtolorum traditionibus, comitata eſt ſanctis Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Doctoribus, ita vt poſsimus dicere, Caſtra Dei ſunt hæc: laudatque, & commendat ieiunium, non tantùm verbo, & ſcripto, ſed Chriſti etiam, & Apoſtolorum exemplo. Surgit ex alia parte Hæreticus, vel Apoſtata, & ſuis ineptiſsimis, & frigidis ratiunculis inſurgit in Quadrageſimam. Fieri ne poteſt, vt velis vni Apoſtatæ, vel Hæretico fidem magis habere, quàm toti, & tantæ Eccleſiæ Dei? An quiſquam eius ſententiam amplexabitur, qui promiſit obedientiam & rebellis eſt omnibus poteſtatibus? Qui promiſit caſtitatem, & impudenter duxit vxorem? Iurauit paupertatem, & diteſcere, opibuſque inhiare contendit? An probabile cuiquam reddi poteſt, ſimilibus viris Deum reuelaſſe iuſtitiam, & vtilitatem ieiunij, & cultus diuini ſubſtantiã, atque hoc ſanctis piisq; hominibus denegauiſſe? Ad hunc ergo modũ cognoſcitur, an tu ſis pro Eccleſia, an pro parte Lutherana.

Lutheranis (vt in reliquis) aliter contra Eccleſiam docentibus, nulla eſſe ratione credendum.

Sexta ratio.

Sextum experimentum quod Deus capit de nobis per abſtinentiam Quadrageſimæ, eſt, an ſimus prudentes. Si enim habes fidem, prudentia Chriſtiana præditus es: quod ſi fidem habes, ex ea facilè agnoſcetur, ſi illa, quæ Catholica amplectitur Eccleſia, tibi maximè quadrant; etiam ſi ſenſui minus placeant. Namque Eccleſia Spiritum Dei, & Scripturarum intelligentiam veram poſsidet. Quòd ſi non quadrant; ſignum eſt te in hæreſim inclinare, neque velle te ſapere ad ſobrietatem. Debet ergo placere ieiunium, ſiue te conſideres vt filium Adæ, ſiue vt filium Dei. Si enim te vt filium Adæ cogites; inuenies, te habere naturam corruptam, & plenam febribus cupiditatum: atque hæc infirmitas dictat ieiunium. Si enim homo in ſtatu innocentiæ permanſiſſet, haud erat opus ieiunio & abſtinentia corpus innocens affligere; nec enim tunc habebat repugnantiam carnis ad ſpiritum, ſed omnia erant pacifica: accedente verò contumacia, atque infirmitate carnis, opus eſt dieta, & cruce, flagelloq; abſtinentiæ. Etenim ſi qui rationem victus ſano corpori neceſſariam infirmo præſcriberet, mortem illius machinaretur. Debet etiam ieiunium homini, vt filius ſecundi Adæ & Chriſti domini eſt, quadrare, & etiamſi caro minimè eſſet corrupta, eſſet tamen ieiunandum: quia ille ieiunauit quadraginta diebus, & noctibus, & ſub capite (vt diximus) ſpinoſo, non decet eſſe membrum delicatum. Deberet inſuper placere delectus ciborum & abſtinentia à carnibus, quia calidæ & ſucculentæ ſunt, & materiam veneris maiorem ſuppeditant: at contra piſces, qui frigidi & humidi ſunt, multò minorē præſtant. Si enim Chriſtus ab omni cibo, potuque abſtinuit, cur non etiam nos, ſi non ab omnibus, vt ille, ſaltem à carnibus, ouis & lacticiniis? Ac delectus ciborum vitã minimè abbreuiat, imo abſtinentia à carnibus & vino vitam producit, vt conſtat in primæ ætatis hominibus, qui in multa ſecula vitam proferebant: accedente verò carnium vinique vſu, debilitata eſt, & breuior vita facta. Ad hæc, quadrare debet tempus ieiunio deputatum. Nam vt decima temporis Deo eſſet exoluenda, nõ poterat melius, vel ſapientius inſtitui ieiunium Quadrageſimæ quã in ingreſſu Veris, nam Aeſtas apta non erat ob ſæuos æſtus, & longos dies, atque ita nimium nocuiſſet eo tempore ieiunium tot dierum: in Hyeme verò minimè conueniebat, cùm eo tempore piſcis nimium ſit humidus & frigidus: in Autumno etiam minus expediebat, quia imminent tunc periculoſi morbi propter fructuum copiam, & aëris mutabilitatem. Solùm ergo ſupererat Vernale tēpus, & prima eius pars, quæ ſimul incidit cũ Hyeme, quo tempore homines ſaniores ſunt. Eſt deinde eo tempore vtilius ieiuniũ, quia ſanguis & humores tunc augētur; vnde magis eo tempore prurit, ſiue titillat caro: ideò opus eſt euacuatione: & vt medicorũ Princeps Hippocrates tradit, nulla eſt conuenientior & tutior euacuatio, quam illa, quæ fit per dietam. Conuenit inſuper, vt per ieiunium celebremus Chriſti Paſcha, & Chriſti corpori communicemus. Ad hæc, debet placere forma ab Eccleſia præſcripta: præcipitur enim, vt non niſi ſemel in die ieiunij edamus: qui prorſus ab omni cibo abſtinere, vt Chriſtus ieiunauit, non erat imbecillitatis humanæ: etenim accommodat ſe Eccleſia, vt hoc modo portes crucem tuam: neque prohibet, vt ientaculum veſpertinum aut collationem, quam vocant, ſumas; modò id ſobriè, parceque fiat, & non in fraudem ieiunij, & magis per modum medicinæ, quã cibi, illud ſumas. Poſtremò, debet

Rom. 12.

Cur homini ante peccatũ minimè ieiunandũ erat.

Matth. 4.

Piſcibus cur in Quadrageſima, non autem carnibus veſcamur.

Cur vernum Quadrageſimæ tempus Eccleſia deſtinauerit.

Hippocr.

Eccleſiaſticæ forma ieiunij quàm cõueniens.

Matth. 4.

Quadrageſima ieiuniũ lege qui nimimè tenẽatur.

ſidei noſtræ in hoc præcepto cohærere, quòd Eccleſia minimè intẽdit obligare ad ieiuniũ eos, qui vel omninò, vel ſecundùm partem imbecilles exiſtunt, quales ſunt infirmi, pueri & ſenes viribus deſtituti, grauidæ, & lactantes, laborantes proprijs manibus, qui non valent vno prandio corporis neceſsitati ſatisfacere, pedibus præſertim peregrinantes: iſti ac ſimiles lege nequaquam ieiunij tenentur. Sed qui non poteſt integram Quadrageſimam, ieiunet ſaltem vel mediam, vel tertiam partem: quòd ſi non valet ieiunare, ſeruet ſaltem delectum ciborum. Si ſeruare ciborum delectum nó poteſt, veſcatur ouis, antequam accedat ad eſum carnium: & ante has licẽtias priùs medicum, tùm corporis, tum ſpiritus conſulat: qui, niſi videant apertã & manifeſtam neceſsitatem, debent illi ſuadere, Facito periculum, & proba, an poſsis ieiunio Eccleſiæ ſatisfacere. Sæpè enim putamus, nos eſſe inualidos ad multa, quę ſi conemur aggredi vel perficere, egregiè valemus præſtare. Caro enim noſtra ſegnis eſt, & otioſa, & ſæpè ſibi deeſſe vires fingit: hinc plerunque inuenias nobiles quoſdam in delicijs nutritos, qui vix è terra vel paleã poſſunt eleuare: qui ſi ob aliquod crimen trireme addicãtur, fortiſsimi fiũt remiges; quia metuunt ſibi à flagellis, & panè illo nautico, & nuditate, atque aqua impinguantur.

Quid ab eis requiratur.

Iidem Quadrageſimę ieiunium quo ieiunio alio, nimirum Apoſtolico pẽſabunt.

Deinde; qui nó poteſt ieiunare, ſecundùm traditionem Apoſtolicam, cuius meminit Cyrillus lib. 10. in Leuiticum, in fine, largiatur eleemoſynam, qua pauper vt ieiunare poſsit, alatur. Amplectamur igitur ſanctam Quadrageſimam tanquam nutricem noſtram, vt teſtatur Baſilius Magnus, quemadmodum paruulus nutricem ſuam quamdiu non vidit, magno deſiderio amplectitur: quia in ipſa porrigit nobis vt nutrix lac verbi Dei, confeſsionem ac cómunionem corporis Chriſti, precationis & eleëmoſynæ, bonorumq́; operum occaſionem: in cuius veſtibulo orat Deum Eccleſia ſic: *Praſta, Domine fidelibus tuis, vt ieiuniorũ venerãda ſolennia & congrua pietate ſuſcipiant; & ſecura deuotione percurrant.* Eſt enim pietati debitũ, ſanctæ matri noſtræ Eccleſiæ, & Patri Deo, vt eius pręceptis obtemperemus: & quia multi trepidãt timore, vbi nó eſt timor; ſubdit, *Et ſecura deuotione percurrant*: Id eſt, eiuſmodi ieiunium non ſolùm non nocebit, ſed etiam iuuabit, nam corporibus, animabusq; ſanandis ſalubriter inſtitutũ eſt: ita vt poſsis quod initio ægrè acceptabas, id ex deuotione ac pietate, quæ hominem alacrem ac promptum reddit ad diuina mandata cuſtodienda, etiam per-

Mag. Cyr. Alex. to. 1. initio B. Baſil. hom. 1 de ieiunio.

Ad ſanctæ Quadrageſimæ obſeruãtiam adhortatio.

Pſalm. 13.

currere, virtute & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto in ſempiternum regnat, Amen.

TRACTATVS LV.

In illa eadem verba: *Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas vt pareant hominibus ieiunantes.*

HIs paucis de ieiunio Quadrageſimali in genere præmiſsis, iam verba textus explicanda ſunt, & ex illis cõditiones, quibus ornandũ eſt bonum ieiuniũ eliciendæ: ſimulq́; excuſationes, quas multi, vt ſe ab onere ieiunij eximere valeãt, obtendunt, proponendæ, ac refellẽdę. Ad primũ igitur ait, *Cum ieiunatis.* Qui ſermo inſinuat, certos quoſdã dies ieiuniis eſſe deputatos, quemadmodũ in Lege erant, de quibus Zacharias Propheta c. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum, ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium, & lætitiam, & in ſolennitates præclaras: veritatem tantũ, & pacem diligite.* Idem quoque inſinuat futurum in lege Euangelica. Cùm igitur certi dies pręſcripti ſint ieiunio, omnibus autem diebus temporatè, & ſobriè ſit agendum: conſtat in magno verſari errore noſtri ſeculi hæreticos, qui per ieiunium nihil intelligunt aliud quàm parcam, & temperatam victus rationem; cùm tamẽ tale ieiunium à ratione ipſa præſcribatur, & à Philoſophis (qui ea, quæ bonorum morum ſunt, diligenter pertractârunt) commendatum exiſtat, & à Gentilibus plerisq; obſeruantũ. Ieiunium verò, quod Scripturæ celebrãt, arctior rectior erat & anguſtior victus ratio; vnde & luctus à Chriſto, & afflictio à Moyſe vocatur, in qua non tantùm ab illicitis, ac non conceſsis, ſed etiam ab his, quæ licita, & cóceſſa erant, abſtinebant; vt ab vſu coniugij, ſicut ait Apoſtolus, ad placãdam iram Dei, & ſatisfaciendum pro peccatis. Longè ergo diſtat ieiunium à temperantia: etiamſi Philippus in c. 6. Matth. aliter doceat imperitè, & hæreticè. Nam ſi ieiunium non eſt aliud quàm ſobrietas illa, & parcitas cibi & potus à ratione præſcripta, quid eſt quod Chriſtus dicitur ieiunaſſe tantùm quadraginta dies, cùm perpetuò illam ſobrietatẽ, & parcitatem obſeruauerit? at ſi hoc eſt verũ ieiunium, cur illud ad tempus diſcipulis ſuis tanquã imbecillioribus relaxabat: *Nunquid poſſunt*; inquit, *filij nuptiarũ, quandiu ſponſus cũ illis eſt, ieiunare? Quanto tẽpore habent ſe-*

Hoc verbo, Cùm ieiunatis, quid Chriſtus ſignificet.

Zach. 8.

Aliud ieiunium eſſe, aliud Temperantiam, contra Lutheranos.

Matth. 9. Leuit. 16. & ſæpè infra, & alibi.

Philip. Melanct.

Lutherani dogmatis illius abſurditates.

Matth. 4.

Marc. 2.

cum

cum Sponſum, non poſſunt ieiunare. Venient autem dies, cùm auferetur ab eis Sponſus & tunc ieiunabunt in illis diebus. Cur ergo Chriſtus minus ſuos diſcipulos ieiunare volebat, quàm Ioannes ſuos? Ad hæc, cur Eccleſia Chriſti Sponſa præcipit, ne diebus Dominicis ſeruetur ieiunium, & diebus illis omnibus, quæ intercedunt Paſcha inter & Pentecoſten? Prætereà doctrina hæc Patribus apertè repugnat, inter quos Auguſtinus ad Caſulanum: *Aliud eſt autem modeſtia, & temperātia cuſtodita relaxare ieiunium, quòd certè cùm ſit die Dominico, reprehenſorem non habet Chriſtianum; prandia prius Sanctorum à voracitate, & ebrioſitate ventricolarū iſte diſcernat, ne Romanos Epiſcopos, quando nō ieiunant, ventricolas faciat.* Sic Auguſtinus, diſcernens inter ieiunium, quod quandoq; Dominus & Apoſtoli, & Eccleſia tota vſurpat, & inter temperatam viuendi rationem, quæ omni tempore eſt ad ſalutem neceſſaria.

Aug. epi. 86. ſub initium, tom. 2.

Ieiuniorum quot genera ſint.

Deinde notandum eſt, plura eſſe ieiuniorum genera: vnum quidem, quòd à medicis inedia vocatur, & habet ſuum ciborū delectum: & huius ieiunij finis, & fructus eſt corporis ſanitas: & habet mercedem ſuam, qui aſſequitur illam. Alterum eſt athletarum ieiunium, qui temperatè vtuntur cibis, ab omnibusque ſe abſtinent, vt propoſitam coronam, etſi corruptibilem accipiant: quæ finis & merces eſt ſui ieiunij. Tertium ieiunium eſt eorū, qui ſtudiis vacant, & ſcientiam aliquam, ſiue artem comparare volunt: nam tales ſicut ſomno nō indulgent, ita nec in cibos ſe totos effundunt, ſed à quibuſdam abſtinent, & aliis non niſi ſobriè vtuntur, & parcè: taleq; fuit ieiunium Philoſophorum, qui mira præditi fuerunt abſtinentia, de quibus illud Poetæ cuiuſdam accipi poteſt.

1. Cor. 9.

Tertium ieiunium.

Horat. lib. de arte poetica.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitq; puer, ſudauit, & alſit.

Quartum ieiunium.

atque horum merces ſcientia eſt. Quartum ieiunium eſt auari, qui vt parcat pecuniæ, ieiunia longa non indicta religiosè obſeruat: cuius fructus & merces eſt augmentū pecuniæ. Et idem dicendum de ieiunio, quod quis ſibi ipſi præſcribit eo animo, vt maiori cum guſtu & delectatione epulis & conuiuiis vacare poſsit: nam & tales mercedem ſuam recipiunt, quando cum voluptate cibis ac potibus delicioſe indulgent. Idem ſentiendum de ieiunio eſt eorū, qui præ iracundia, ac deſperatione abſtinent à cibis: tales enim triſtitia abſorpti vitioſè ieiunant, & mercedem vindictæ, quam in ſe ipſos exercent, accipiunt ex ieiunio ſuo. Quintum ſit ieiunium Pharisæorum, qui vt gloriam aucuparentur, & ſancti habe-rentur, appellarenturque ab hominibus, longas inedias, & ieiunia ſuſtinebant: cuius ieiunij fructus, ac merces erat illa gloria quam venabātur, & humana laus. Sextum ieiunium appellatur reuerentiæ, ſiue naturæ, id eſt, nihil ante perceptionem Chriſti corporis ſumere: decet enim, priùs animā paſci cibo ſuo, quàm corpus, atque hoc tantum inter bona ieiunia cēſendum eſt, cùm ob reuerentiam Chriſti corporis fiat, & Eccleſiæ obedientiam; & ideo non caret mercede ſua. Septimum ieiunium eſt vindicta in gulam, ſiue ventrem, & iuſtitia, illaque dicta contrapaſtum. Nam quia peccato gulæ expulſi ſumus de paradiſo, & ſæpius comedendo peccatur, iuſtum eſt, vt per ieiunium puniatur. Cuius ieiunij modus ab Eccleſia, ſiue eius miniſtris audiendus eſt: namque illi peccata fidelium audiunt, & pro earum qualitate ſatisfactiones imponunt: atque ideò diligēter eſt ſeruandum: habetq; mercedem ſuam ſatisfaciendi Deo pro peccatis. Octauum ieiunium dicitur extraordinarium, quod indicitur à Prælatis & prædicatoribus, maximè à ſummo Pontifice, dum theſauros indulgentiarum aperit, & Iubileum concedit: & aſſumitur à populis concordi animo & voluntate hoc ieiunium ad placandam imminentem iram Dei, & declinandum flagellum imminens aliquod, quemadmodum Niniuitæ fecerunt, & nunc in tantis Eccleſiæ calamitatibus frequentandum eſſet. Nonum eſt ieiunium quod aſſumunt ſancti Dei homines ad aliquas ſummas gratias & beneficia à Deo Opt. Max. obtinenda, quemadmodum Moyſes ieiunio quadraginta dierum legem accepit: & Daniel per tres hebdomadas ieiunans impetrauit viſiones: & Apoſtoli item ieiunando promeruerunt Spiritum ſanctum. De hoc ieiunio Dominus dixit: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi per orationem, & ieiunium.* Talia ſunt ieiunia Eccleſię ſtatuta in Quatuor anni temporibus, in quibus potiſsimum promotiones fiunt miniſtrorum Eccleſiæ; quos vt ſanctos & idoneos obtineamus, propterea ieiunamus. Poſtremum eſt, ordinariū Eccleſiæ, id eſt, Quadrageſimæ, & aliarum vigiliarum ieiunium, quod pręcipuè reſpicit conſolationē cæleſtem propter luctū Chriſtianum aſſumptum ad conformandū nos cum Chriſto & ſanctis eius; quod Apoſtoli inſtituerunt, & Chriſti ieiunātis exemplo ſacratum fuit: atq; hoc quomodo ſit celebrandum, & quo tēpore, & quibus conditionibus, nobis Eccleſia, in cuius arbitrio hoc reliquit Deus, ſanxit atque conſtituit. De prioribus igitur quinque ſiue ſex mo-

Quintum ieiunij genus.

Matth. 6.

Sextum.

Septimum.

Octauum.

Ionæ 3.

Nonum ieiunij genus.

Exod. 24.

Dan. 10.

Actor. 2.

Matth. 17.

Decimum ieiunium, & vltimum.

Matth. 4.

Quos ex dictis ieiunãdi modis hic Dominus excludat.

dis ieiunandi non videtur ... ſermonem inſtituere, cùm illa vel vitioſa ſint, vel finẽ abiectum & humanum habeant. Ieiunium verò quod præmittitur ſumptioni Euchariſtiæ, etſi bonum finem habeat, & gratum Deo exiſtat, non tamen tale eſt, & ſimpliciter ieiunium dicatur, cum tantùm ſit omnimoda abſtinentia ad breue tempus. Quadrat igitur magis poſterioribus quatuor ieiunandi modis; quanquam inter eos vni, quàm alteri, magis. Ait itaque; *Nolite fieri, ſicut hypocritæ, triſtes.* Cuius verbi duplex poteſt eſſe intellectus. Nempè, vel nolite fieri ſimiles triſtibus hypocritis, vt cum ſubſtantiuo adiectiuum coniungatur; vel, Nolite fieri triſtes ſicut hypocritę; vel, Nolite ad modum hypocritarum triſtes fieri, vt disiungatur ſubſtantiuũ ab adiectiuo. Triſtitia autem iſta nõ ad animum, ſed ad vultum potiùs referenda eſt, vnde Græcè dicitur σκυθρωποὶ, id eſt, tetrici, ſiue ſeueri, ſiue obſcuri: nam interdũ triſte dicimus, quod non eſt clarum, & limpidũ: dicimus enim aerem triſtem pro nubiloſo; vnde Chriſtus dixit; *Rutilat enim triſte cœlum*: & vultũ triſtem dicimus, pro tetrico, & ſeuero. Põderat autem B. Bernardus ſermone 1. de Quadrageſima, quòd non dixerit; Nolite eſſe ſicut hypocritæ triſtes; ſed, *Nolite fieri*, hoc eſt, fingere triſtitiam: & Autor operis imperfecti in Matthæum, ait: *Non autem poteſt fieri, vt nõ ſentiat qui ieiunat: ſed melius eſt vt ieiunium te oſtendat, quàm tu ieiunium.* Sic ille. Non ergo naturalem triſtitiam, quæ ieiunium conſequitur, prohibet: nam delectationes guſtus maximè percipiuntur: & cõtraria priuatio maximè natura dante incitamentum ad guſtum, ne periret animal: quia tamen hæc triſtitia occaſio ſolet eſſe, & anſa temerè iudicandi, amaritudinis in proximum, cogitationis de cibo, inquietæ mentis, ac indeuotionis; ſuperanda eſt non cibo, verùm aſſuetudine, precatione, & honeſta aliqua occupatione, quæ mentem ab eius cauſsis diuertat, & delectet. Tantùm ergo prohibet voluntariam triſtitiam ad inanem gloriam, & à fortiori ex auaritia & gula, & aliis finibus vitioſis; nõ autem hoc loco prohibetur triſtitia volũtaria pro peccatis aſſumpta ex odio ſancto, de quo Malachiæ 3. *Quod emolumentum quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum?* & Baruch. cap. 2. *Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudinem mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima eſuriens dat tibi gloriam & iuſtitiam Domino*; & Mich. 6. *Sollicitum ambulare cum Deo ſuo*, hoc eſt, triſtem, & ieiunantem: vnde Daniel c. 10. quia ieiunio afflictus erat, & triſtitia interna, illam luctu & vultu indicabat; & Zachariæ 7. dicitur; *Quum ieiunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos; nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi? Et cùm comedistis, & bibiſtis: nunquid non vobis comediſtis, & vobumetipſis bibiſtis?* quaſi diceret, pro mercede temporali ieiunabatis, & non pro gloria Dei, vel non pro peccatis veſtris abolendis. Quia vero ieiunium triſtitiam inducit: ideò prohibebatur in feſtis diebus, vt habetur Zachariæ 8. Et quoniam finis ſine modo vllo quærẽdus eſt, quę verò ad illum ducunt, pro ratione finis: ieiuniũ cùm medium ſit, atq; indifferens, illud inprimis de eo tenendum eſt, ne vitæ ſuſtinendæ neceſſaria tollat, & factis obligationis, ad quę ſua quiſq; vocatione, & ſtatu ſeruanda adſtringitur, obſiſtat: quia tunc ieiunare, peccatum manifeſtum eſſet. Nec debet etiã obſtare operibus perfectionis melioribus, quia tunc (etſi peccatum nõ eſſet quoniam non arctamur ad opera ſupererogationis) temerè & inconſideratè tamen Deo offertur. Subtrahere autem neceſſaria ad optimam atq; robuſtam corporis diſpoſitionem, mortem nõ multùm accelerat, & minus quàm ipſa crapula. Et quatenus talis bona conſtitutio, & robur corporis ſpiritũ impedit, & quandoq; vitę actionem humanę obruit, laudabile eſt talia ieiunia frequẽtare: quia minus malum eſt fames, quã concupiſcẽtia. Miratus autẽ ſum, quod Melanchthon in hæc verba ſcripſit, maximè propriũ Euangelij eſſe ieiuniũ, quod in corde pleno doloribus, animiq; mœſtitia, & curis occupato verſatur, cũ ventriculus labefactatus cibũ non admittit, nec potu allato frui poteſt. Sed quis, bone Deus, tale appellauit Euangelicum ieiuniũ? at cùm ſit triſte, & violentum, quid commune habet cum Euangelio, quod ab omni eſt fuco, & hypocriſi alienum, & cum animi hilaritate eſt coniunctum, vt à Phariſaico, & Iudaico diſtinguatur? Non eſt tamen inficiandum, in ieiunantium, & pœnitentiam agentium animos incurrere acres, & acerbos dolores. Sed illi cùm naturaliter ieiunium conſequantur, non adimunt hilaritatem ſpiritus, etiamſi caro lugeat. Non eſt ergo Euãgelicum ieiunium, quod neceſsitas, vel paupertas, vel triſtitia expreſsit, vel vẽtriculi labefactatio, & potus faſtidium generat: non enim coacta, aut violenta, ſed ſpõtanea ieiuniorum ſacrificia probat Dominus. Et Auguſt. lib. quæſt. Euangel. diſcernit ieiunium lætitiæ, ſiue exultationis, & triſtitiæ, & tribulationis: & vtroq; modo vaticinium Chriſt (*tunc ieiunabunt*) in Apoſtolorum ieiunio docet eſſe adimpletũ.

Hæc ſententia: Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, dupliciter accipitur.

Matth. 6. *B. Bernard.*

Cur dictum, Nolite fieri, non autẽ, eſſe ſicut hypocritæ triſtes, teſte Bernardo.

Homil. 15. in Matth 10. 2. operum D. Chryſoſt.

Quomodo ieiunio conſequens immoderata triſtitia nobis edomanda.

Malach. 3. *Bar 2.* *Mich. 6.* *Zach 7.* *Infrà 8.*

Duo incommoda ieiunij remouenda.

Maximè proprium Euangelij ieiunium quodnam ſit impio Melãchthoni.

Quale ſit ieiunium Euãgelicum.

Augu lib. 2. quæſt. Euan. q 10 tom. 4. ante medi. Matth. 9.

Exter-

Hypocritæ cur extermineut facies ſuas, & quo-modo.

Exterminant enim facies ſuas. Hypocritæ cùm carnales ſint, externa hæc magniſaciunt,& faciem ſuam extra terminum faciecrum viuétium ponunt, ac ſi eſſent mortui, fumos quoſdam ſulphureos eſſicientes, & pallorem adhibentes. Vnde dicitur: *Exterminauit eam aper de ſylua*; id eſt, extra terminos patriæ ſuæ in captiuitatem abegit. Grecè legitur ἀφανίζουσι, quod Cyprianus vertit; *Conficiunt*. Chryſoſtomus, *obſcurant, corrumpunt, & perdunt*; Hieronymus, *demoliuntur*. Eſt autem eadem vox, cùm ſubditur inferius: *Vbi ærugo, & tinea demolitur*: & ita hîc dici poterat. Demoliuntur enim facies ſuas. Et veriſimile eſt valde, interpretem noſtrũ legiſſe ἀφορίζουσι, hoc eſt, exterminant. Quod iungitur: Vt pareant hominibus ieiunantes; phraſi Græca dictum pro, ieiunare: ponitur enim apud Græcos participium pro infinitiuo frequenter. Quòd ſi hypocritas eos vocat, qui cũ verè ieiunent, nolunt tamen videri ieiunare, & conſpicuum omnibus reddi ſuum ieiunium: quanto magis hypocritæ habendi ſunt, qui cùm minimè ieiunent, oſtentant tamen facies tetricas, & pallidas, inſtar ieiunantium? quales permultos ſuo tempore extitiſſe, deplorat Chryſoſtomus. Quanquam deteriores ſint noſtri ſeculi hæretici, qui cum in præſcriptis ab Eccleſia ieiuniorum diebus non ieiunent, gloriantur tamen in eſu carnium, & contemptu ieiuniorum, & ieiunantium, peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicantes. Et diligenter annotauit Auguſtinus, etiam in ipſis ſordibus inueniri poſſe iactantiam, & vanam gloriam: quæ ex aliis operibus agnoſcitur, quàm ex veſtitu ſordido. Nam pelles ouium, dum alia non quadrant, ſunt ſigna luporum. Hieronymus epiſtola ad Nouatianum, De vita clericorum & Sacerdotum, quoſdam ex illis grauiter perſtringit, his verbis: *Audio prætereà in ſenes, & anus abſq; liberis, quorundam turpe ſeruitium. Ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi, & phlegmata pulmonis, manu propria ſuſcipiunt. Pauent ad introitum medici: trementibusq; labiis an commodiùs habeant, ſciſcitantur: et ſi paullulum ſenex vegetior fuerit, periclitantur: ſimulataq; lætitia mens intrinſecus auara torquetur. Timet enim ne perdant miniſterium: & viuacem ſenem Mathuſalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, ſi in præſenti pretium non ſperarent. Quantis ſudoribus hereditas caſſa expetitur? Minori labore margaritum Chriſti emi poterat.* Hæc Hieronymus eleganter ſanè.

Pſalm. 79.

Cyprian.
Chryſ. ho. 21. in Matthæũ, tom. 2.
Hiero. lib. in Matt. 1. 10. 9.

Qualis hæc phraſis: Vt pareant hominibus ieiunantes.

Inſignes hypocritæ, & veri qui.

Chryſo ſupra dicto loco.

...us qui hodie multò deteriores exiſtant hypocritæ

Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte, ca. 19 tom. 4. propè finem.
Matth. 7.
Hieron. epiſt. 2. 10 1. propè initium.

Clericorum quorundam turpe ſeruitium.

Geneſ. 5.

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Ac ſi diceret; non tantùm non oſtentes fucos, & ſigna mendacis, vel veri ieiunij, atque triſtitiæ, ſed etiam adhibe ea argumenta lætitiæ, quibus ieiunium tuum … Deo ſpectandũ exhibeatur. Neque intendit Dominus Ieſus nos ad illas cęremonias in die ieiunij obligare: quia cæremonia olei, qui illo non vtimur, nihil conducit nobis: nec illis etiam, quia tunc oleo caput vngere (quod ob calorem vehementem, & ſignum lætitiæ indicandum, in feſtis diebus ex conſuetudine Iudæi, & Palæſtini faciebant) eſſet ieiunij quędam oſtentatio. Imò neque ſolùm oleo, ſed pretioſis vnguentis, lauandoque nitentem vltra ſolitum reddebãt faciem: quemadmodum è contrario in triſtibus vnctione, ablutioneque abſtinebant. Hinc Pſal. 103. dicitur; *Vt exhilaret faciem in oleo*: & iterum, *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Ex quo Dominus à muliere fuit in conuiuio inunctus: & cum Phariſæo, qui eũ inuitauerat, expoſtulans, dixit: *Oleo caput meum non vnxiſti.* Ita Dauid poſt ieiunium & luctũ pro puero ex Bethſabee nato, dicitur lotus, & vnctus. Sic etiam Ruth dictum eſt: *Lauare, & vngere, & induere veſtimentis cultioribus*: & mulieri Thecuitidi dictũ eſt à Ioab: *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & non vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier plurimo iã tempore lugens mortuum.* Q…a tunc inquam, oleo vngere caput, indicaret, & oſtentaret ieiuniũ, quod maximè vult eſſe celatum: nec Chriſtus ieiunans per quadraginta dies legitur lauiſſe faciem, vel caput vnxiſſe. Hac ergo hyperbolica locutione ſignificare voluit Dominus, ieiunantem, quod ad ſe attinet, nequaquam debere optare hominum notitiam, ſed magis celare debere, & occultare ſua ieiunia hilaritatis indiciis: quomodòſupra per locutiones videlicet hyperbolicas de ſiniſtra, & dextera, deq; ingreſſu cubiculi ad orandum ſimilia voluit ſignificare. Et vt ſigna dirigentes tortuoſa ab vno extremo in aliud trahunt, ac flectunt, vt tandem lignum rectum fiat, & in medio permanet: ita Chriſtus Dominus, vt ab altero extremo in medium adduceret, vergebat ad extremum aliud. Nam ſi mediũ tantùm quæreret, natura paulatim traheret ad initium; ſi verò extremum, natura, & inclinatio in oppoſitum cogeret paulatim deſcẽdere ad medi…m. Pro vitanda igitur inani gloria, indicatur, ſigna lætitiæ plus ſolito affectanda eſſe, nitendũq; cor exhilarare: eſtq; ſanctum & vtile conſilium. Hoc autẽ conſilium dictum nõ ita conuenit ſolenni ieiunio, quale eſt apud nos Quadrageſimale, & tunc inter Hebræos erant certa ieiunia publica, vt in die expiationis: nam tunc ieiunium minimè erat abſcondendum,

His verbis: Tu autẽ cum ieiunas, vnge caput tuũ, & faciẽ tuam laua, quid tãtum Domin⁹ ſequitur.

Falſus intellectus excluditur.

Iudæi & Palæſtini oleo caput cur vngere ſolebant.

Pſalm. 103.
Pſalm. 44.
Matth. 29.

Luc. 7.
2. Reg. 12.
Ruth. 3.
2. Reg. 14.

Quid inquã tempore ieiunij vngere caput ſuũ debere, & faciẽ ſuam lauare.

Hoc Domini conſilium illuſtratur exemplo:

Vngendi caput, & faciem ſuam lauãdi illud Domini conſilium

cui non poſſitne unio cōsentire.

Exod. 32. Ionæ 3. 2. Reg. 12. Ioel. 2. 3. Reg. 21.

d[illegible]n, cū[illegible] de more deponerent v[illegible]ſtes preſioſ[illegible]s & alia ornamenta, ac cinerea pergerent capita, & induerent ſaccos, vt habes Exod. 32. Ionæ 3. 2. Regum 12. Ioel. 2. & de Achab Dominus dixit: *Nunne vidiſti humiliatum Achab coram me?* Qui itaq; eo modo videretur nō ieiunans, offenderet alios malo exemplo, & derideret communia ieiunia; vel illis ſignis lætitiæ indicari poſſet aſperius ieiunium facere, quam reliqui. Et

Cur ieiunio ſit aptius & accommodatius.

ita videtur hoc magis conuenire ſpontaneis ieiuniis, quàm ſolennibus, ac publicis. Priuatis quoque ieiuniis magis competunt hæ cæremoniæ lætitiæ, vt fructus ſit vberior abſcondendo ieiunium ab hominibus. Quanto enim plus fideris Deo, eo amplius illum tibi deuincies. Quare Iudith cultu regio celabat cilicium ad carnes: & tres pueri ad Babylonem ieiunantes, pulchriores cæteris vultus habebat.

Iudith 9. Dan. 3.

Christus quomodo nos velit non videri hominibus ieiunantes. *Matth. 5.*

Ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo. Hoc non ſic eſt accipiendum, quaſi velit Dominus ſtudio, & propoſito homines celare ſua benefacta: quia id non ſatis congrueret cum his, quæ ſupra ipſe dixit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* ſed affectum tantùm inanis gloriæ vult amouere, vt non ſcilicet homines ieiunent cum aliis hominibus pro accipienda ab eis gloria. Addit: Sed Patri tuo qui eſt in abſconſo. Lucis nempe inacceſſæ, & in abſcōdito cordis tui puri. Et ſæpè iiſdem verbis vtitur, vt cōſulat memoriæ, ac doceat vitare curioſitatem. Et modus præcandi, quia altior eſt, magis explicitè traditus eſt à Domino Ieſu, quàm ille eleemoſynæ, vel ieiunij. ¶ *Reddet tibi.* Non dicit quid reddat; Quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit menſa illa beata, & cœleſtis, quæ ieiunantibus redditur. Chryſoſtomus addit: *Non ait, donabit tibi; ſed, reddet, inquit, Debitorem tibi eum quippe conſtituit, req; magno pro hoc etiam honore donauit.* Hæc Chryſoſt. Vides igitur hoc loco cōtra hęreticos, reddi mercedem bonis operibus, & obſtrui os ieiunium aſpernantium, & ad parum eſſe vtile dogmatizantium; cùm tamen mercedem habeat cœleſtem.

Pater cœleſtis in quo ſit abſcōſo. Cur phraſis hæc iam frequēs.

Idem benè ieiunantibus quid reddat. *Eſa. 64. & 1. Cor. 2.*

Chryſo. hom. 19. in Matth. propè finem, tom. 2.

Bonum ieiunium quæ [illegible]uirat.

Iam verò in his verbis conditiones boni ieiunij expreſsit Dominus. Et in prim[illegible] ad illud opus eſt hilaritate: quia hilarem datorem diligit Deus. *Nolite, inquit, fieri ſicut hypocritæ triſtes: ſed tu cùm ieiunas, vnge caput tuum,* ſcilicet Chriſtum Dominum, qui pro nobis ieiunauit. Hinc Baſilius ſermone de ieiunio: *Vnge caput tuum, & faciem laua. Ad myſteria te vocat ſermo: qui vngitur, chriſmate perfunditur: qui lauatur, abluitur. Ad interiores partes aſſume legislationē, ablue animam à peccatis: vnge caput chriſmate, vel oleo ſancto, vt particeps ſis Chriſti, & ſic accede ad ieiunium.* Sic ferè ille bonus Pater. Eſt autem vngendum hoc caput oleo lætitiæ, & lætitia hæc eſſe debet pro tali ac tanto Domino operari: quia Chriſtus more amantium, pro nobis mori glorioſum exiſtimauit. Et quia repreſſa carne per ieiunium, datur locus aduentui Paracleti, qui venit in ieiunos: hinc Pſalmiſta ait: *Iubilate Deo omnis terra: ſeruite Domino in lætitia:* & Aaron inuitatus ad edendum de victima, à fratre ſuo Moſe: *Quomodo,* inquit, *potui comedere eam, aut placere Domino in cærimonijs mente lugubri?*

1. Cor. 9.

Baſil. homi. 1. de ieiunio, tomo 1.

Vngendum quomodo caput.

Pſalm. 99.

Leuit. 10.

Vngat caput ſuum myſticè quis ieiunās, vt ſit ſacerdos, Rex, & Propheta.

Vngit caput ſuum, etiam iuxta ſpiritum, qui ieiunando efficitur Sacerdos, Rex, & Propheta: nam qui ieiunat, offert Deo de corpore ſacrificium, non brutum, & ratione carens, vt Lex vetus, ſed viuum, & ratione præditum. Deinde qui ieiunat, Rex eſt, quia habet imperium, non ſuper humerum ſuum, ſed ſuper corpus ſuum, regitq; ſe in virga ferrea, & tanquam vas figuli cōterit figulinam molem corporis ſui. Inſuper eſt & Propheta, quia non verbis, vel digito, ſed toto corpore prænuntiat, vitam eſſe futuram, pro qua vitæ præſentis commoda contemnit: Auguſtinus verò notauit, Chriſtum iugum ſuum vocaſſe ſuaue, & onus leue: quia qui huic iugo ſubiectus eſt, omnia ſubiecta ſunt ei.

Auguſtin. Matth. 11.

Ieiunij ſecunda conditio.

Altera conditio eſt, vt fiamus inuiſibiles hominibus, dum ieiunamus, nullā gloriam ab eis quærendo: quia Deus autor, & finis eſſe debet omnium bonorum noſtrorum. Mundus enim ignorat pretium, & dignitatem noſtrorum operum; ideò non eſt cur illi velimus vendere noſtra ieiunia, qui pecuniam non habet, qua poſsit illa comparare. Ideò per ſimplicitatem intentionis ieiunia in abſcondito Deo tuo: quia qui quęrunt aliis apparere, hypocritę ſunt, & pictorum inſtar, externa tantùm pepingunt, vt faciant oculos, vel manus, verùm interna membra, vt cor, pulmonem, & iecur, effingere non valent. Ita hypocritæ externam quandam laruam præ ſe ferunt, omni virtute interius deſtitutam. Ideò de eis dicitur, quod receperunt mercedem ſuam, id eſt, intentam à ſe, & deſideratam, & vt Græcè habetur ſignificantiùs, *ἀπέχουσι*, quod eſt abſtulerunt, id eſt, à ſe ipſis acceperunt. Et licèt mali hypocritæ ſint, qui cū ieiunāt, videri volunt ieiunātes: deteriores tamen ſunt, qui cùm non ieiunent, ſimulant tamen & ſingunt ieiunium, & apparere volunt: peſsimi verò hominum ſunt,

Quomodo ieiunandum ſit in abſcondito.

Hypocritæ quales illi ſint: triplex genus hypocritarum.

nec

nec longè ab hæreticis diſtant, qui palàm gloriantur in ſe nolle ieiunare, & glorian-tur in Eccleſiæ, & præcepti eius contem-ptu.

Ieiunij tertia conditio.

Tertia conditio ieiunij eſt; vt lauemus faciem, id eſt, conſcientiam mundemus per pœnitentiam ab omni præſertim praua intentione: nam ieiunium in mortifero delicto ſeruatum, meritum non habet & hoſtiam mortuam, ſiue cadauer talis ieiunans offert Domino, contra illud Pauli; *Obſecro itaq; vos, fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Hinc talis mercatori ſimilis eſt, qui pecuniam ſuam vtiliter neſcit diſtrahere. Quare conſulendum eſt, vt quiſque à Principio Quadrageſimæ exomologeſin peccatorum ſuorum faciat apud Sacerdotem, vt accepta gratia per abſolutionem, viuas & placentas hoſtias offerat Deo. Educenda ergo eſt aqua è puteo cordis, ligone contritionis; Scindite, inquit Ioel, corda veſtra, & non veſtimenta veſtra: vt ita lota & nitenti facie conſcientiæ, per quam à Deo agnoſcimur, grata reddamus omnia noſtra ſacrificia Deo.

Rom. 12.

Ieiunans in peccato cui ſimilis: ei quid expediat omninò.

Ioel. 2.

Ieiunij quarta conditio. *Tob. 4.* *S. Maximus.*

Quarta nota ieiunij eſt; vt habeat comitem eleëmoſynam, vt Tobias ſuadet; *Bona eſt eleëmoſyna cum ieiunio & oratione:* & vt ſanctus Maximus ait:, *Ieiunium Chriſtianum, edentis debet eſſe refectio: & ne ex auaritia videamur ieiunare burſæ.* Nam ieiunium ſiue eleëmoſyna, eſt vt lucerna, quæ ſine oleo citò extinguitur, vt docet Auguſtinus: & Gregorius in homilia: *Illud ieiuniũ Deus approbat, quod ad eius oculos manus eleemoſynarum leuat.* Hæc conditio tangitur à Domino in illis verbis: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*; quæ in ſequentem tractatum explicanda ſeruamus. His igitur circumſtantiis, ſi honeſtatum fuerit noſtrum ieiunium, maximè verò ornamento diuinæ gratiæ, procul dubio tale erit, quale à nobis hoc loco Dominus requirit. Sed vt olim ſerpens primis parentibus falſo obiecit; *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum:* ita nunc, vt præceptum Eccleſiæ violemus, multos obtendit colores & prætextus, quibus nos ad mandati violationem incitet & impellat. Et in primis optimum eſt ieiunium (obiiciunt quidam) Deoque gratum, declinare à malo, & facere bonum; beneque ieiunat, qui à vitiis abſtinet. Reſpondemus; generale eſſe hoc ieiunium, & omnes omnium temporum, atque omnium ætatum homines ad ſui obſeruationem obligare, & minimè relaxari poſſe; & vt illud non tollit orationem nec eleëmoſynam, ita nec ieiunium corporale: ieiunium autem quod eſt abſtinentia à cibis, non niſi certis diebus, nec niſi eos qui illud ferre valent, obſtringit: & illud, ſi rectè fiat, medicamentum eſt peccatorum. Nolle ſiquidem obedire Eccleſiæ præcipienti ieiunare, peccatum eſt. Hinc Auguſtinus ſuper Ioannem tract. 12. *Quid eſt autem,* inquit, *exhaurire ſentinam (peccatorum ſcilicet minutorum) niſi bonis operibus agere, ne obruant peccata gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoſcendo?* Et libro de cõflictu virtutum & vitiorum; *Si Domini obtemperandum eſt imperio, humano ſubdi neceſſe eſt magiſterio. Ipſe enim dixit; Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

B. Aug. ſer. 1. in Quadra. ordine, & ſer. 62. de temp. tom 10. *Grego. ho. 16. propè fin. to. 2.*

Geneſ. 3.

Prima hæc contra Quadrageſimale ieiunium obiectio diluitur: Sufficit ieiunare à peccatis. *Pſalm. 33. & 1. Petr. 3.*

B. Aug. to. 9

Deinde obiiciunt; Deum contemnere ieiunia; vt cum Eſa. 58. *Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter.* Reſpondetur; non ſimpliciter damnare ieiunium, ſed tantùm modum eius, dicendo, ſicut vſque ad hanc diem; ſiquidem litibus & clamoribus vacabant: vnde ſubdit: *Nunquid tale eſt ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum & ſaccum, & cinerem ſternere?* ac ſubdit: *Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? diſſolue colligationes impietatis:* & quæ ſe quuntur. Ieiunium enim, quod coniunctum eſt cum peccato & impietate in proximum, non probat Deus. Et Dominus Zachariæ 7. quæritur: *Nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi?* Quemadmodum ergo, dum eleemoſyna, vel oratio ob vanam gloriam fit, reprobatur à Domino: non tamẽ vel ſincera eleẽmoſyna, vel precatio iuſtè facta damnatur: ita cùm ieiunium ſuis conditionibus deſtitutum Domino offertur, ab eo minimè probatur. Placet tamen bonum ieiunium, de quo laudatur Iudith. cap. 8. & Anna Luc. 2. & Paulus in ieiunio ſemel gloriatur. Tertiò quidam dicunt: Non poſſum ieiunare. Sed nec arctaris, ſi infirmus es. Ideò propter ieiunium minimè eſt vacandum ab operibus neceſſariis, vel à ſalute propria, vel Reipublicæ. Qui ergo dicit, non poſſum, conſulat vtrumq; medicum, animi & corporis, ac ſciat medicus corporis, plus poſſe Chriſtum, quàm Galenum: nam hic docet animas ſaluas facere in hoc mundo, Chriſtus verò perdere. Mirum autem eſt, hæreticos non poſſe ieiunare: cùm tamen de fide glorientur, & Dominus di-

In hanc obiectionem: Deus ſæpè, vt Scripturæ teſtantur, aſpernatur ieiunia. *Eſai. 58.*

Zach. 7.

Iudith 8. *Luc. 2.* *2. Cor. 11.*

Hoc argumẽtum quam leue: Non poſſum ieiunare.

Matth 16.

Hæreticorũ fides quàm infirma.

Marc. 9.
Philip. vlt.

dicat: *Omnia poſsibilia ſunt credenti*: & Paulus, *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Sunt ergo tales exhortandi, vt periculum faciant, ac probent ſeipſos: quia excuſationem nullam habet, qui ob gulam, iracundiam ve, vel negotia minus neceſſaria non ieiunat.

Quàm mollis hæc quoq; obiectio: Durum eſt ieiunij præceptũ.
Ioan. 6.

Quartò iactant aliqui de ieiunio; *Durus* (inquiunt) *eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Sed profectò carnali, neque credenti durus eſt: ſecus ſpirituali, & credenti. Iſtis cogitandum eſſet, durius multo eſſe dictum illud, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

Matth. 25.

Deberẽt etiam ad Chriſti ſanguinem, & mortẽ aſpicere, per quem omnia quæ dura & aſpera videntur & miteſcunt, & dulceſcunt. Sed mira eſt quorundam ſtultitia ex propria voluntate & deuotione in Sabbato vel Venere, vel altero die, in quem incidit Annuntiationis B. Virginis, vel diuæ Luciæ, vel Catharinæ ſolennitas, per totum annum ieiunantium: & ieiunium præcepto Eccleſiæ indictum recuſantum.

Voluntaria quæ ieiunia Deus nõ approbet, neq; ſuſcipiat.

Namq; iſti non poſſunt cauſſari imbecillitatem virium, qui cùm volunt, fortes ſunt ad ieiunium: quid ergo de iſtis dicemus, niſi quod Dominus per Iſaiam dixit; *Cùm veneritis ante conſpectum meũ, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atrijs meis?* Ingratum eſt profectò Spiritui ſanctoquicquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris.

Eſai. 1.

Soluitur etiã argumẽtum hoc, Naturæ legi ieiuniũ aduerſatur.

Quintò aiunt nonnulli, contra legem naturæ, malum famis eligere, & vitam abbreuiare. Sed cùm conſtet, ex duobus malis in minus eſſe incurrendum; ad vitandam malam cupiditatem, & bonum ſpiritus comparandum, cæterarumque virtutum exercitium, fames eligenda eſt, quæ etiam propter morbum vitandum acceptantur. Sunt etiam multæ artes quæ vitam decurtant, vt eſt militia, ſtudium literarum, & curſores, & coriarij, & plerique alij opifices: at non multum. Monachi item, qui ieiunia frequentiora colunt, plus quam Laici viuũt: vt conſtat de Carthuſianis; & Chriſtiani magis producunt vitam, quàm Iudæi vel Turcæ, qui minus ieiunant.

Homines qui minus ac breuius viuant, qui longius.

Et quia Eccleſia excipit eos à lege ieiunandi, quos ætas, vel mala valetudo, vel opus neceſſarium ſaluti, vel ſtatui & vocationi ſuæ, vel Reipublicæ, vel denique meliùs & perfectius excuſat: propterea vitæ dies per ieiunium non abbreuiantur.

Leue eſſe q̃ obiicitur: Spiritalibus viris ac perfectis ieiunium nõ eſt neceſſarium.
1. Tim. 1.
Matth. 4.
Suprà. 3.

Sextò, alij ſe excuſant, dicentes, Sum ſpiritualis, nec ſentio carnis rebellionem: & lex iuſto nõ eſt poſita. His reſpondendum, quòd neque Chriſtus, neq; Maria, neque Ioannes Baptiſta carnis ſtimulos ſenſerunt; & tamen perfectè ieiunarunt: reliqui rebellionis carnis non ſunt expertes, nec ipſe Paulus, qui ſentiens ſtimulum carnis Angelum Satanæ dicebat: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: & vbi maior fuit ſpiritus, ibi pluta ieiunia, vt patet in religionibus, & in primitiua Eccleſia, in qua præter Quadrageſimam, quæ apud quoſdam triplex erat in anno, præceptum habebant, quarta & pro Sabbato ieiunandi, vt docent Canones Apoſtolorum, & B. Ignatius in epiſt. ad Philippenſes, ac Epiphanius: atque ita in hebdomata bis ad ieiunium aſtringebantur, quæ quidem ieiunia nobis iam ſunt abolita, etſi veſtigia quædam eorum remanſerint: nam in nonnullis prouintiis quarta feria, abſtinentia à carnibus ſeruatur, pro Sabbato verò, ſiue die Veneris, generaliter, & vbique viget diſciplina abſtinentiæ à carnibus, & pleriq; ex deuotione etiam ieiunium ſeruant.

2. Cor. 12.
1. Cor. 9.

Spontanea quædam primitiuæ Eccleſiæ præter illud Quadrageſimæ ieiunia.
Cle. Rom. lib. 5 c. 10.
B. Ignat. epi. 8. in fine.
Epiphan. in Hæreſin 75. ſub finem.

Fortaſsis autem illæ vim obligandi non obtinent: quòd earum loco multæ vigiliæ ſolennitatum, tùm Chriſti, tùm Virginis, tùm Apoſtolorũ ieiuniis addictæ ſunt, quæ fortaſsis in principio Eccleſiæ, viuis Apoſtolis nondum erant inſtitutæ.

Cur illa modò non obligent.

Præceptum etiam erat de ieiunando Sabbato, vt habetur de conſecrat. diſtinct. 3. c. *Sabbato verò.* cuius ieiunij aboliti veſtigium ſupereſt, quod illo die à carnibus abſtinetur, licèt in Gallicana & Flandrica Eccleſia à Natiuitate Seruatoris noſtris, vſq; ad Purificationem Virginis carnes illo die eduntur. Eadem etiam diſtinct. c. *Rogationis*, prçcipitur ieiunium trium dierũ in Rogationibus ante Aſcẽſionem Domini, qui modò vix abſtinẽtia carnium in quibuſdam colũtur Eccleſiis. Teleſphorus Papa adiecit Sacerdotibus ieiuniũ per integrã hebdomadam. Quinquageſimæ, vt liquet in cap. *Statuimus*, De conſecrat. diſtinct. 4. quod tamen ieiunium hodie in vſu non eſt: ex quib. nõ eſt difficilè colligere, plura olim fuiſſe ieiunia quàm modo.

Gallicanæ & Flandricæ, mos Eccleſiarum. Quç item alia ieiunia per Eccleſiã abrogata.

Cùm igitur homines motus carnis cõpeſcere debeãt ſalubriter ieiunium inſtitutũ eſt: quòd ſi etiã nullos motus carnis perſentiſceres; adhuc eſſet tibi ieiunio vacandum ad cautelam, ne in futurum inſurgant; quemadmodùm ſaliuntur carnes recentes, ne putreſcant, & cingitur mœnibus tempore pacis ciuitas, ne bello ingruente capiatur ab hoſtibus. Etſi autem iuſtus non ſit cauſſa ferendæ legis prohibentis per ſe malum: poteſt tamen per legem dirigi ad bonum, & per eam probari, vt Adam iuſtus probatus fuit, & dari per illam iuſtis occaſionẽ maioris meriti, portando onera cum fratribus,

Spiritales etiam viri atq; perfecti cur debeant ieiunare.

1. Tim. 1.
Quomodo accipiendum id: Lex iuſto non eſt poſita.
Geneſ. 3.

atq;

atque exemplo illos prouocando; etiam priuando ſe maiori ſenſu ſpiritus, & præſertim quia interdum peccamus; vt vitam proferamus. Sanctitas enim vitæ, & luſtitia non tollit ordinem, id eſt, obedientiā.

Ad illud obiectū: ieiuniū quam Chriſtus vetat, triſtitiam inducit, reſpondetur. *Matth. 4.*

Septimò: obtenduntquidam; per ieiunium incurri triſtitiam prohibitam à Chriſto. Verùm, vt diximus, Chriſtus fictam prohibet triſtitiam, & ambitioſe quæſitam. At verò huiuſmodi triſtitia non opponitur lætitiæ ſpirituali: ideò ob hypocritas nunc rariores, qui virtus vitio dari ſolet, haud dimittendæ ſunt ouinæ pelles: quia omnis malus Chriſtianus hypocrita eſt, celans id quod eſt, & volens apparere quod non eſt; aliàs quippè non eſſet orandum, nec iuuandus proximus, neq; quicquam boni aliud faciendum. Octauò, Exercitatio (inquiunt) corporalis ad modicum vtilis eſt; pietas autem ad omnia valet; ergo melior eſt eleemoſyna, quàm ieiunium. Reſpōdemus; melius eſſe vtrumque prȩſtare: & per vnum præceptum impletum ab aliis non abſolueris. Et ſicut opus eſt concupiſcentiam oculorum frænare per miſericordiam: ita concupiſcentiam carnis, quæ charior eſt nobis quam burſa, per ieiunium. Quod ſi non vales præſtare; ſuadeo vt des eleēmoſynam valenti ieiunare. Dictum Apoſtoli verò de exercitatione corporali ad modicū vtili; haud eſt referēdum ad ieiunium; vt docet Theophylactus: nam de ieiunio tale præconiū pronuntiat Eccleſia; Qui corporali ieiunio vitia comprimis; mētem eleuas; virtutem largiris, & præmia.

Eleemoſyna quā ieiuniū, lōge melius, & vtilius exiſtit. *1. Tim. 4.*

Dictum Apoſtoli: Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, quò tendat.

In illud: Ieiunium indicētes, illud minimè obſeruant. *Rom. 14.* *Matth. 23.* *Suprà. 4.* *Actor. 1.*

Nonò obiectant alij, vt ſe excuſent; ex qui ieiunium indicunt, illud non ſeruare. *Sed tu quis es qui iudicas alienum ſeruum?* & propter Deum, non propter homines, ieiunandum eſt tibi. Et Chriſtus ſatis hoc futurum præſagiens, prȩueniendo docuit: *Omnia ergo quacunque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Sed qui maximè dixit atque docuit ieiunium, Chriſtus eſt atq; Apoſtoli, qui & fecerunt primùm, & docuerunt, & in alios ſunt oculi noſtri coniiciendi, & non in eos, per quos Chriſtus hodie loquitur, etiam ipſi non faciant.

Nihil valere: Ieiunii lex Chriſtianæ Reip. potius pernicioſa, quàm vtilis exiſtit.

Decimò obiicitur, quòd cùm ex aliqua lege poſita plus mali, quàm boni proficiſcitur, à prudenti Reipublicæ moderatore reſcindenda eſt talis lex, ne Reipublicæ perniciem adferat: talia ſunt præcepta ieiuniorum, quæ vix decimus quiſq; obſeruat. Reſpondeo, quòd lex non ſeruetur vitio hominum fit, non ipſius legis tantùm: & quemadmodùm medicina aptè & ſuo tempore ægrotanti porrecta, non eſt damnanda, quòd ægroti culpa fiat pernicioſa; ita nec lex Eccleſiæ, quæ legem diuinam ieiunandi determinat, & multis modis eſt ſalutaris. Quamobrem lex inutilis in vniuerſum abroganda eſt: at verò quæ priuatim huic vel illi inutilis eſt, mitigari per diſpenſationem debet, non abrogari. Et ita in lege ieiunij, quæ nonnullis minus eſſet accommodata, per Eccleſiam meritò diſpenſatur. Poſtremò, obiiciunt quidam, certis reptilium generibus, quæ non comprehenduntur carnium vocabulo, plus alimoniæ & ſucci ineſſe, quàm carnibus ouinis, vel vitulinis, cuiuſmodi ſunt limaces, teſtitudines, cochleæ, quæ tamen per Eccleſiam non prohibentur. Sunt etiam in fructibus & oleribus quædam, quæ magis libidinem irritant ac commouent, velut erucæ, palmulæ, ficus, vuæ paſſæ, tubera, cardui, quæ tamen minimè interdicuntur. Reſpondemus: Leges de rebus agendis, fugiendiſve, non ea quæ raró, aut infrequenter, ſed quæ vt plurimum & ſæpius accidunt, reſpicere ſolere. Ideò prohibentur carnes, & lacticinia, & oua quæ ad cibum accommodantur, non autem quæ prædiximus: quia huiuſmodi raró, & apud paucos in vſum veniunt: & in oleribus plus obeſt quantitas, quàm qualitas. Denique quòd apud quoſdam diuites ieiunia ſint maioris gulæ incitamenta, & inſtruendæ lautius menſæ occaſio, illoſque plus in vna refectione, quàm alios in duabus ſumere: illud certè nō legi, quæ ſancta eſt, ſed vitio potius hominum optimis quibuſque abutentium eſt tribuendum. Nam & in præceptis diuinis cuſtodiendis multis abuſus cernimus, nec propterea leges Chriſti tollendas eſſe cenſemus.

Vanè itē obiici: Fuerant ad carnis maceratione, reptilia quædam, maioris alimenti ouinis carnibus, aut vitulinis ab Eccleſia.

Cenſent ergo vanæ omnes excuſationes, quæ ab hæreticis, & voluptuoſis excogitatæ ſunt, & Chriſtum audiamus, qui ieiunium indixit, eiuſque modum, quo alienius eſſet ab inani gloria, præſcripſit, ſuoque exemplo comprobauit, & in illo vnxit caput Patris ſui deuotione, & cum iocūditate ſpiritus & alacritate ieiunauit: fuit inuiſibilis, quia in deſerto agebat: lauit faciem mentis ſuæ, agendo pœnitentiam pro peccatis noſtris: dedit eleemoſynam nobis ieiuniorum & orationum ſuarum. Nec tantùm verbo & exemplo Chriſtus ieiunium cōprobauit, ſed etiam gratiam & vires ieiunanti ſuppeditat, & præmium ieiunanti propoſitum, nempè ſe ipſum panem vitæ in gloria edendum

Ad ieiunii, præſertim quadragenarij, ſalutarem obſeruantiā adhortatio ab exemplo Chriſti.

Quadrageſimam ieiunaturo quę præſtanda.

reddit. Qui igitur ieiunare in principio Quadrageſimæ deliberat, proponat ante oculos multa peccata quæ admiſit, pro quibus eſt ſatisfaciendum: proponat ſibi bella carnis cum ſpiritu quotidiana, quæ non alio telo melius conficiuntur, quàm ieiunio. Ante oculos habeat inferni ieiunium, vbi impij & peccatores commanducabūt linguas ſuas pro fame & dolore. Erigat oculos, ac cogitet quod de paradiſi deliciis, expulſis, propter gulam, non niſi per inediam ac ieiunium in illum eſt redeundum. Conſideret quas abſtinentias, qualem famem, & quàm anguſtias victus rationes milites patiantur in bello. Attendat ad temporis breuitatem, in quo indicta eſt parſimonia. Sed ante omnia Chriſtum 40 diebus in deſerto ieiunantem meditetur, magnitudinemq́; præmij cœleſtis cōtempletur: vt dignus ſit menſa cœleſti, in qua perpetuò edat, & bibat ad ſaturitatem ſimul cum Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto ab vniuerſa creatura reddatur omnis honor, gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Apoc. 16.

Matth. 4.

TRACTATVS LVI.

In illa verba: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur & vbi fures non effodiunt, nec furantur: Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.*

Quò tendat Dominus in his verbis.

HACTENVS Dominus de fugienda ambitione, & vitanda gloria vana in benefactis docuit: nunc de auarita vitanda ſermonem inſtituit: nam his duobus malis nihil eſt in moribus hominum peſtilentius, expugnatuque difficilius. Diuitiæ namq; atq; opes, ad quas ſæpè appetendas vana gloria inclinat, haud præſtant felicitatem: quia & in ſe corrumpi poſſunt, & ab aliis ſurtim auferri, voluitq; Dominus ſuorū ſtudia aliena eſſe à moribus Phariſæorū, qui erant auari, & à moribus vulgi ſuperflua paſſim, & cupiditate & ſolicitudine laborantes, atq; ita diſponit ad eleëmoſynam faciendam, de cuius modo ſupra locutus eſt. Poteſt etiā intelligi hic locus, vt poſt ſpecialia exempla Dominus regulam generalem aſsignet. Theſaurizat in terra, qui homines in precationibus, eleemoſynis, ieiuniis, cæteriſque operibus piis reſpicit: at in cœlo, qui ſolùm reſpicit ipſum Deum, quod tutius eſt, & in æternum ſpecioſius. Illud enim neq; tutum hic eſt, quod tineis & furibus patet, & in æternum dedecori erit. Etenim bonorum operum detractores tineæ ſunt, & fures, multi, qui id ſibi arrogant, & qui partem ſibi in his vendicant, dum aut ſuauiſſe, aut cogiſſe, aut aliquid egiſſe dicant, quod tu id boni faceres. Ita bona tua hominibus oſtentando, aut corrodi à detractoribus, & minui facies, cū non ea intentione facta dicant, aut aliud quæſiſſe mentiantur, aut cū multis communicabis. Et ita ſenſus eſſet prioribus deuitanda gloria humana conſonus. Sed magis placet, vt ſit peculiaris doctrina de vitanda auaritia. Verbum *Theſaurizare*, nihil eſt aliud, quàm paullatim, ſenſimq́; colligere, & reponere, ſiue recōdere: vnde verbum Græcū θησαυρὸς eſt id, quod in craſtinū reponitur, eſt enim theſaurus propriè diuitiæ ſepoſitæ, & in longum tempus reconditæ, quem Perſæ gazā appellant. Neq; prohibet Dominus mercedē recipere ab illis quibus laboraueris, aut per iuſtos labores comparare vitæ neceſſaria: quia id cum præcepto Domini, & ratione eſt coniuoctū. Dixit enim: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo:* & Paulus: *Qui nō vult operari, nec manducet.* Rurſus non prohibet iuſtam ex parte rei, & affectus congregationem diuitiarū pro ſe, & filiis ſuis ſuſtentandis, & filiabus locandis: nam debent parentes filiis theſaurizare, vt Paulus docet 2. Cor. 12. Adhæc, non impedit Dominus his verbis, ne Reſpublica ex redditibus ſuis & honeſtis tributis aliquid ſeruare poſsit ad bella, ſi quæ inferātur propulſanda, & ad motus ſeditioſos compeſcendos, ne iuſtitia, charitas, & pax in illa pereant: & is qui principatū gerit, vel mutuo petēs vel ſubditos grauans vileſcat, vel odio habeatur: hæc enim cùm rectè, & moderatè fiunt, non nobis, ſed ad Dei gloriam fiunt. Nam ſi immodicè, & falsò confictis coloribus per exactiones & vectigalia princeps, ad explendā ſuam libidinem, expilaret populos ſuos, iniquè profectò ageret, & deuoraret populū ſuum, ſicut cibum panis, deberetq; meminiſſe Tiberij Imperatoris, qui ſolitus erat dicere, *Boni paſtoris eſt tondere oues, non deglubere*: Auguſtus quoq; Cæſar fiſcum principis, lieni comparabat: nam vt lien non creſcit niſi cū detrimento omnium, membrorū corporis: ita Fiſcus Regius non augetur, niſi cum damno, & detrimento ſubditorum.

Altera ſententia.

Bonorū operum tineæ & fures qui mystice.

Quid propriè theſaurizare. & theſaurus.

Primus ſenſus illorū Domini verborum incongruus.

Geneſ. 3

2. Theſſ. 3.

Secundus ſenſus.

2. Cor. 12.

Tertius.

Immodica principū vectigalia notantur: de quibus Tiberius quid ſenſerit: lien cur illa compararet Auguſtus Cæſar.

Quos prohibeat Christus tantùm theſauros theſaurizare.

Dominus ergo hoc loco vetat ita affici & fidere theſauris ob proprium & immoderaderadera-

deraıum amorem, illiſq; augendis incúbere, vt propterea cœleſtia negligantur. Et ſic tollitur metus faciẽdi eleemoſynã, nam in pauperibus ſecurè reconditur quod reponimus: quod abundæ ſacræ literæ doceut, & vel ethnicus quidam eleganter docet, cùm ait;

Martial. li. 5.

Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Magnarum largitionum ſuarum in milites, & amicos quam redderet rationẽ Magnus Alexander.

Alexander Magnus rogatus cur immenſas opes, & theſauros quos recipiebat, tam liberaliter effuuderet in milites, & in amicos: reſpondit, apud nullos melius aſſeruari theſauros, quã apud amicos & eos, quos tibi beueuolentia deuinxeris: nã tales maiori cum fœnore ſæpè cùm opus eſt, reſtituunt.

Explicatur: Nolite theſaurizare vobis theſauros, &c.

Propterea ponderandum eſt: *Nolite theſaurizare vobis*, videlicet ad carnis laſciuiam, & vanitatẽ, ſine alio fructu ſpectante ad Dei gloriam. Non enim qui congregat pro ſe, & familia ſua honeſtè alẽda, aut filiabus matrimonio collocandis, aut pro loco pio erigendo, ac dotando ſibi theſaurizat, ſed Deo. Qui verò tantùm theſaurizat, vt theſanri permaneant, & eorũ inſpectione delectetur, quemadmodùm ſordidus ille qui dicebat.

Horat. li. 1. ſatyr. 1. circa medium

Qui penè ſint idololatræ, theſaurizantes ſibi. Eccleſ. 5.

Populus me ſibilat; at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca,

vitio & culpa non caret; nam tales ab idololatris haud multum diſtant: vnde & auaritia ab Apoſtolo, idolorum ſeruitus nuncupatur: & idem ille ethnicus rectè deſcripſit hunc idoli cultum, cùm ait;

Horat. ibi.

Et tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Luc. 12.

Tales ſunt qui ſibiipſis theſaurizant, & non ſunt in Deum diuites, vt dixit Dominus. Hoc autem vitiũ maximè vituperatione dignum exiſtit in quocũq; etiam laico, immoderatè plerunq; congregante diuitias, & cauſſas ſemper accumulandi fingente, ita vt dum viuit, modum nullũ imponat: maximè ſi filios habeat, qnibus, & non ſibi dicat ſe recoudere: ſed fallitur, quia non erigit oculos ad ſcripturas, quæ dicunt:

Quibus ſcripturæ locis arguantur.
Pſalm. 36.

Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Videus ſemen iuſti theſaurizãtis in cœlo, non mendicare? & rurſus: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Audi iam quid dicat Dei ſermo: *Potens in terra erit ſemen eius, generatio iuſtorũ benedicetur.*

Pſalm. 111.
Ibidem.
Epiſcopi, & animarũ paſtores qui ſibi, nõ in cœlo theſaurizent.

Præcipuè tamen illud eſt execrabile, & abomiuandum in Epiſcopis, & Eccleſiarum paſtoribus, qui reditus eccleſiaſticos ad pauperum neceſsitates ſubleuandas inſtitutos, & ad viduas & virgines alendas, & infirmos curandos ſtudio ſe cõgerunt, ac interdum etiam ex mulctis, & pœnis, quas peccantibus irrogant, vti loculos ſuos, non ſine populi ſcandalo, impleant: parciſcimè, & miſerè victitantes, hoſpitalitatemq;, & curam pauperũ negligentes: nam tales ſibi theſaurizare proculdubio cenſendi ſuut, non Deo, qui tot occaſiones in cœlo theſaurizandi præbenti oculos claudunt.

Illorum pœna.

Quare ſæpe audimus eiuſmodi homines immatura morte à Deo punitos omnes iſtiuſmodi opes, & auri, argentiq; infinitam prope maſſam coactam in Apoſtolicæ Sedis ærarium concedere: impletur in illis quod Dominus dixit per Dauidem: *In operibus manuum ſuarum comprehẽſus eſt peccator*: tanquam ſi fur cum furto in manibus à iudice deprehendatur. Et cum tot extent huius rei hiſtoriæ, pauci tamen ſunt qui volunt alieno periculo ſibi proſpicere: tam inexplebilis eſt auaritiæ ſitis, & amor, de quo ille dixit:

Pſalm. 9.

Virgil. lib. 3. Aeneid.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Relioſorum iutames quorum maximè theſauri.

Quòd ſi hæc in Eccleſiaſticis viris meritò reprehendenda veniunt, quid dicendum de ijs Religioſis, & Monachis, qui cùm ad mortem perueniunt, magnam ſummã pecuniæ relinquere deprehenduntur, contra omnem rationẽ paupertatis, quam vouerunt? Certè tales, Gregor. Magno iudice, ſepultura Eccleſiaſtica eſſent arcendi, qui monachum defunctum, & tres aureos habentem, extra ſacrum locum, id eſt, in ſterquilinio ſepeliri mandauit.

D Greg. li. 4. dialog c. 56. ſub finẽ 10. 2.

In terra theſaurizare quid.

Addit: *In terra*, vel, *ſub terra.* Quod non eſt tantùm in terra defoſſos recondere, ſed quomodocunq; terrenas poſſeſsiones colligere, aut collectas apud ſe ſeruare. Nam quæ terrena ſunt, & terreno affectu comparata, in terra recondunt, ſicut ille, qui talentum poſuit in terra, & ille, de quo ait Poëta.

Matth. 25.

Idem li. Georgic.

Condit opes alius, defoſſoq; incubat auro.

Alter ſenſus.

Vel in terra, hoc eſt, in hac vita, vt temporalia hic nobis ſint ſumma, & pretioſa tanquam theſaurus. Ex hoc enim animus nobilior vileſcit, quemadmodũ aurũ plumbo admixtum deprimitur: theſaurizaturque ira in alia vita. Et penè inutiles ſunt hi theſauri, qui tandem omnes conſumuutur.

Eleemoſyna quare potiſſimum facienda.

Eſt ergo Domini ſcopus, hortari ad eleëmoſynam facieudam; ob eam maximè cauſſam, propter quam homines ab eleëmoſynis faciendis abſtinent: timeut enim, ne erogando opes ſuas, decoquaut, & perdant facultaıes. Sed Dominus contra docet, tunc potiſsimũ eas nos recondere, ac in tuto reponere, cùm in panperes erogamus, imò potiùs eas perdere, niſi erogauerimus. Similem exhortationem habet

1. Tim. 6.

Apoſtolus 1. Tim. vlt. *Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere.* Et infrà: *Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere cõmunicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurũ.*

Theſaurizare in cœlo quid.

Theſaurizare in cœlo, eſt apud Deum comparare, & colligere futurorum præmiorũ merita; quod quidẽ ſpeciatim fit per eleemoſynas, & in genere per quæcunq; alia opera bona. Et hoc loco eſt ſermo de priori per eleëmoſynam, vt oſtẽditur Luc. 12.

Luca. 12.

Vendite, ait, *quæ poßidetis, & date eleëmoſynã. Facite vobis ſacculos, qui nõ veteraſcunt, theſaurũ indeficientem in cælis.* Ita docuit Tobias filium ſuum theſarizare. c. 4.

Tob. 4.

dicens: *Si multũ tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguũ tibi fuerit, etiã exiguũ libenter impertire ſtudo. Præmiũ n. bonum tibi theſaurizas in die neceßitatis.* Et Angel⁹ Raphael c. 11. eiuſdem libri;

Infrà 11.

Bona eſt oratio cum ieiunio: & eleemoſyna magis quàm theſauros auri recondere.

Tribus modis quibus theſaurus amittitur.

Vbi ærugo, & tinea demolitur. Tribus his verbis complectitur omnẽ modum, quo theſauros amittimus. Oportet enim expectare, vel tineam, vel æruginem, vel ſures. Et ærugo, quaſi æris rubigo, ſicut ferrugo ferri, corruptio eſt accedens metallis, maximè impurioribus, imò etiam puris,

Aerugo qd. Theſaurorum vanitas quanta.

quia ex contrariis conſtat. Atque hinc notatur vanitas diuitiarum non nateralium, quę per ſe quidem non valent, ſed tantú inuentæ ſunt, vt rerũ omnium ſint menſuræ: vnde & numi, ſiue numiſmata, dicuntur quaſi leges, eo quod legẽ, & menſuram rerum comparandarũ præſcribant. Hinc il-

Quid illud Salomonis: Pecuniæ obediunt omnia Eccleſ. 10. Prouerb. 17.

lud: *Pecuniæ obediunt omnia*: id eſt, Omnia cõmutabilia pecunia haberi poſſunt, ſed non alia, quæ auro non cõparantur, vt ſapientia, & virtus. Vnde Salomon inquit: *Quid prodeſt ſtultò habere diuitias, cùm ſapientiam habere non poßit?* Quare deploranda eſt eorum cæcitas, qui præferunt corruptionem, cui dicati ſunt, ipſi Deo, & animis, & corporibus propriis, & proximo-

Tinea quid.

rum. Tinea verò, vermis eſt rodens veſtes aut libros, vel grana quæcunque, & ſemina: quæ diuitiæ naturales ſunt, multòque cæteris præſtantiores, quia per ſe valent.

De furibus etiam quare Chriſtus meminerit.

Sed quia tinea non omnia vaſtat, vt vniones, & lapides prætioſos, ideò ſures ſunt, qui illas diripiunt. Græcè non dicitur ærugo, & tinea, ſed σὴς, καὶ βρῶσις. Eſt aũt σὴς,

Eccleſ. 42. Iacob. 5.

tinea. vt Eccleſ. 42. *De veſtimentis procedit tinea*, & Iacob. 5. veſtimenta à tineis comeſta dicuntur σητόβρωτα, βρῶσις verò ſignificat comeſturam, vel comeſtionem. Vnde alia

Cypri. li. 3. ad Quirinũ prope initium. Theophyl. in Matth.

litera habet: *Vbi tinea, & comeſtura exterminant*: quam lectionem ſequitur Cypria. ad Quirinũ. Et Theophyla. tineam refert ad veſtes, & comeſturam ad cibos, ſures verò

Fures effodientes qui Domino.

ad aurũ & argentũ. Fures autem hoc loco, vocat omnes quouis modò iniuſtè rapientes, etiã domeſticos, & familiares noſtros, imò filios proprios, qui anhelant ad paternam ſubſtantiam dilapidandam, patriſque mortem propterea in votis habent, quia

Pſalm. 38.

plerunq; theſaurizant, & ignorant quibus congregent. Et ex eo quod iniuſtè rapiũt, maior ſequitur afflictio: nam iraſcimur ratione abutẽti homini; nõ ſic, vel tineæ, vel ærugini à Domino miſsis. Et Domin⁹ hæc

Matth. 24. & 2. Pet 3. & 1. Theſſ. 5. Apoca. 3. & 16. Luc 12.

omnia permittit, ne nos eis fidam⁹. Oportet etiam cauere, id eſt, à die vltima, quæ veniet vt fur in nocte, in qua omnibus ſpoliabimur, de qua dictum eſt in Euangelio: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?*

Iniquorum theſaurorum fures, tineæ, & ærugo quę myſticè.

Vbi fures effodiunt. Id eſt, nõ poſſunt abſcondi ita, quin diripi poſsint, & vt à propriis dominis minimè cuſtodiri valeant. Cũ autẽ ob has diuitias congregandas theſaurus iniquorũ operum conſequatur: in

Eſa. vlt. & Marc 9.

inferno, fur, erit dæmon; tinea, vermis cõſcientiæ: ærugo verò corruptio, atq; mortalitas. Et ita pro theſauro, carbones tandẽ iuxta Prouerbium habebunt.

Theſaurizare nobis theſauros in cælo qua ratione valeamus.

Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: ſed qua ratione id conſequemur? Meritis & officiis virtutum, & in primis charitate, quæ omnia opera noſtra pretioſa facit coram Deo, & æternæ vitæ præmio digna. Deinde omnia ſeruorũ Dei opera, & merita cõmunia ſibi facit charitas, dũ de illis congratulatur, & Deũ per illa illuſtrari cõgaudet. In malis etiam alienis, ſiue ſpiritualibus, ſiue tẽporariis, atq; corporeis ſingulare lucrũ comparat ſibi, dum interno illa cõmiſeratur affectu, & ſi poteſt, re, & facto ſuccurrit.

Charitatis virtutes quãtæ.

Et ſi quidẽ non valet, prece ad Deũ, & ad Angelos fuſa iuuat: nec tantùm viuentibus auxiliũ præſtat ſed etiam defunctis in Chriſto. Pretioſa ergo eſt, lateq; patens ditio charitatis, & ideò magna diligentia, & induſtria à nobis tuenda eſt, & conſeruanda. Nã nulli dæmon magis inſidiatur, & illa vna ſpoliati, nihil ſumus,

1. Cor. 13.

autore Apoſtolo. Ex charitate miſericordia oritur, quam proximis paupertate, vel infirmitate laborantibus impendimus: de

Pſalm. 111. & 2. Cor. 9.

qua ait Pſaltes: *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*: quæ iuſtitia niſi in cœlo eſſe non poteſt: & Salomon:

Prouer. 19.

Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis. Eſt etiã præter communem charitatẽ, peculiaris quidã, & ſingularis Dei amor, quo quis

Alia ratio theſaurizãdi in cœlo præſtantiſſima. Matth. 19.

ſe propter Deum omnibus fortunæ bonis ſpoliat, ac priuat, deliciiſque omnibus, & coniugij vſu ſe ſe abdicat: voluntatemque ſuam ſuperioris arbitrio propter Chriſtum

regen-

regendam, ſponte ſubmittit. Iſtos quis queat dubitare, quin magnum theſaurum ſibi in cœlo recondant? De his Dominus inquit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me: & habebis theſaurum in cœlo.* Vides Chriſtum aſſeruantem theſaurum illorum, qui propter ſe mundò renuntiauerunt; & propter regnum cęlorum ſe caſtrauerunt? Tales igitur, ſiue pſallant, ſiue orent, ſiue ieiunent, ſiue ſacrificent, ſiue diuinis literis vacent, ſiue denique dormiant, aut curando corpori, ad Dei gloriam, vacent; incomparabilem ſibi theſaurum in cœlo reponunt. Vnde per Eſaiam dicitur: *Dicite iuſto quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet.*

Ibidem.

Eſai. 3.

Theſauros non theſaurum cur Dominus dixerit eſſe theſaurizandos in cœlo.

Theſauros dixit hoc loco Dominus in numero multitudinis, quia nō vnum tantùm, aut alterum bonum opus in cœlo eſt recondendū, ſed multa: quia omnia mandata Dei præſtare debemus. Vnde ex ſeruis qui talenta acceperunt, qui vnum aut alterum nummum in ſudario, vel in terra condiderunt, non fuerunt ſeruati: ſed qui decem minas, aut quinque, teſte Luca, aut quinque, aut ſaltem duo talenta, ad menſam expoſuerunt. Theſaurizate igitur, cōgregando bona merita, atque hæc expendendo, vt habeatis in cœlo Empyreo, & vt pecuniam traiectitiam per nummularios ex vno in alium locū transferimus; ita nos è terra per pauperes in cœlo recondimus. vt D. Laurentius tyranno reſpondens dixit: *Nam facultates Eccleſiæ quas requiris, in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt.* Simileq; eſt hoc dictum alteri Domini ſententiæ, quæ habet: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et ait, *in cælo*, quò ituros nos ſperamus tāquam in patriam: non, in terra, vnde (velimus, nolimus) ſumus diſceſſuri. Cœlū, ampliſſimus locus eſt ad recondenda bona noſtra, nec opus eſt, vti ſtultus ille cogitabat, qui theſaurizabat in terra, dicebatque: *Deſtruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea:* nō eſt, inquam, hic opus deſtruere locum, & ampliorem facere, ſed deſtruere anguſtias cordis, & dilatare cor, & ad capienda illa cęleſtia bona amplius reddere, & capacius. ¶ *Vbi neq; ærugo neq; tinea demolitur.* Nā in cœlo non eſt corruptio ex parte loci, vel ex parte theſauri, id eſt, beatitudinis, & quia bona interna ſunt à corruptione longè remota, nec ibi eſt iniuſtitia, neq; quiſquam eo, quod ſuū eſt, ſpoliatur: *Maria*, inquit, *optimā partem elegit, quæ nō auferetur ab*

Luc. 19.
Matth. 25.

Boni nummularij diuitum qui.

Luc. 16

Cur in cœlo theſaurizandum, non in terra.
Luc. 12.

In cœlo cur neq; ærugo, neque tinea demolitur.

Luc. 10.

ea: ſed quiſq; ex virtute charitatis, quod ad aliorū beatitudinem attinet, ſibi communem facit: vel gaudium plenum, quod nemo tollet à vobis: maximè quia fures gloriæ Dei, nēpe dæmones, inde expulſi ſunt, qui ſecum tulerūt æruginem gratuita corrumpentem, & tineā erodentē bona naturalia, quatenus ligata ſunt ad bonū faciendum. Et hæc fides, qua in cœlo theſaurizamus, maximè neceſſaria eſt, ne hic etiam à nobiſmetipſis conſumpti peccemus.

Ioan. 16.

In cœlo etiā quare neque fures non effodiant, nec furentur.

Apoc. 12. & Eſai. 14.

Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Græca lectio paullò aliter habet: *Vbi enim eſt theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum erit*, ſed non vitiat ſenſum. Terribilis certè ſententia, nam ſi hic habes theſauros tuos, id eſt, illa quæ ſummè amas tanquam theſaurum; hic etiam habebis voluntatem, & cor, ſiue appetitum, quia cum illo hinc diſcedes, & ſeruabis in æternum, & ideò cruciaberis, quia habere non poteris, & quos, velut Tantalus aquas propè ſitas, magno affectu concupiſces, ſed fruſtra. Ideò diuiti Epuloni dictum eſt: *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua*, & illi qui in inferno poſiti erant, tanquam Phryges ſerò ſapiéntes, dicebant: *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens.* Damnati igitur de præſentibus diuitiis, & felicitate nullum aliud lucrum reportant, quàm eorum recordationem, ad æternum cruciatum, & tormentum. Quamobrem oculos tempeſtiuè aperiamus, & recogitemus vbi condimus theſauros noſtros. Ex theſauro quippe in cœlo repoſito cor noſtrum trahit fidei, & ſpei, & charitatis augmentum, & calcar ad bonorum meritorum cumulorum augendum impellens: è theſauro autem in terra aſſeruato, etiam ſi periret nunquam, cor trahit ęruginem corruptionis per peccata, quibus interior homo putreſcit, & in interitum ruit ſempiternum: Trahit quoq; tineam corroſionis per vermèm conſcientiæ, & pœnam cruciantem, imò etiam furtum: ſiquidem non communicans extremè egentibus, neque ſuccurrens animę ſuę miſerè laboranti, quaſi furtum committit. Si ergo in terra eſt theſaurus tuus reconditus, iam cor viuit in terra. Si ſepeliuiſti theſaurum, cor tuum ſepeliſti. Quòd ſi theſaurus à tineis, & blatis corroditur: planum eſt etiam à vermibus corrodi cor tuum: miſerum autem cor quod cum vermibus, cumq; tam vili milite continuum bellum gerit: quem viciſſe, pudor eſt: à quo vinci, nefas. Audi iam fratris Domini in diuites huiuſmodi non

Quàm ſit verum, Vbi theſaurus noſter ſit, ibi & cor noſtrū eſſe.

Luc. 16.

Sap. 5.

Theſauris cœleſtis cor noſtrum, & theſaurus terreſtris quam varie afficiat.

In diuites auaros Apoſtolica inuectiua.
Iacob. 5.

Iacob. 5.

dicam verba, ſed tonitrua: *Agite nunc, ait, diuites, plorate, vlulantes in miſerijs veſtris quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum, & argentum veſtrum æruginauit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.* Vtinam hæc audirent diuites, & non multo auro tantæ veritati occluſiſſent aures. Atq; ex hac ſententia pendet noſtra ſalus. Quia terrenis impeditur cor, ne cœleſtia amare poſſit: rurſus à cœleſtibus diſponitur, vt vana, & terrena contemnat. In manu itaque conſilij noſtri relictum eſt, vbi velimus theſaurizare, in terra, an in cœlo, & ſinu Dei, in quo omnes theſauri tutiſſimè ſunt repoſiti, neque quiſquam nobis theſauros ibi ſemel poſitos eripere poteſt, præter nos ipſos, qui peccato noſtro, quod longiſſimos, & rapaciſſimos vngues habet, nos illis expoliare poſſumus: tanta enim eſt audacia, & impudentia peccati, vt in diuina penetralia irrumpere non vereatur. Quòd ſi rurſus conuertaris ad Dominum, opes tuas iterum in ſinu Dei repoſitas inuenies: quòd ſi non conuertare, aliis prodeſſe poterunt. Theſaurus enim Eccleſiæ ex ſuperabundantibus ſanctorum operibus aggregatur.

Theſaurizare in cœlo quã neceſſe. *Eccleſ. 35.*

Peccatũ quã impudens.

Pulchrè etiam indicauit hoc loco Dominus, nos non habere hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirere. Nam qui ad Indos Orientales, vel Occidentales nauigant, ſi quas opes aut facultates ſibi contingat comparare, inde eas extrahere contenduot, atque in patriam præmittuot, vt eis in patria tutò frui liceat: ita Dominus vult nos intelligere, nos extra patriam, quaſi in quadam India poſitos eſſe, vnde theſauros noſtros in cœlum præmittamus. Quod vt faciliùs præſtemus, verbum Prophetæ expendamus dicẽtis: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam;* hoc eſt, omnes opes, & theſauros meos. Nam ſic fiet in nobis, quod de quibuſdam Apoſtolus dixit: *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam:* de qua ait Dauid: *Veruntamen in imagine pertranſit homo: ſed, & fruſtra conturbatur. Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Et nunc quæ eſt expectatio mea? nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt.* Cernis Prophetam longè ante Euangelium theſaurum ſuum repoſuiſſe in cęlo? Turpe igitur erit nobis, viris Euangelicis, poſt tantam lucem in terra theſaurizare & nihil cœleſte cogitare. Quibus Paulus ſcribit: *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Oculos ergo eò attollamus, vbi Chriſtus eſt ſpes noſtra, theſaurus noſter, & gaudium noſtrum, Ipſi gloria cum Patre, & Spiritu ſancto ſempiterna, Amen.

Quòd nos etiam vult Domin' theſaurizare in cœlo, quid ſignificet. *Hebr. vlt.*

Pſalm. 47. *Ponere in Domino Deo ſpem ſuam quid.* *Hebr. 10.*

Pſalm. 38.

Regius Propheta magnus ille vbi theſaurizaret.

Coloſ. 3.

TRACTATVS LVII.

In illa verba: *Lucerna corporis tui eſt oculus. Si igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidũ erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?*

AD præſentis loci intellectum ſatis illuſtrandum, præmittendum in primis, verba hæc, tum hoc loco Matt. 6. tum Luc. 11. inueniri: fortaſſis quòd bis dicta ſint à Domino ad vnũ, vel plures ſcopos. Deinde præmittendum, hęc verba non eſſe propriè parabolam, etſi ſpeciem quendam parabolicæ locutionis habere videantur, ſed tantùm metaphoram quandam ſiue collationem ſumptam ab oculo, & naturali corpore, ſiue membris eius, ad oculum mentis, & actiones eius, quæ tanquam corpus eius ſunt. Tertiò, præmittendum eſt, ſenſum horum verborum, iuxta corticem eſſe, oculum eſſe lucernam corporis, vt illud tanquam lux, ſiue lucerna ducit, vt omnia, & ſingula membra ſuo perſungantur munere. Si igitur contingat, oculum lucidum eſſe, & purum, quęuis corporis pars in ſuo officio continetur, & manus, & pes, & reliqua membra aptè ſuas functiones præſtant. Ideò Græcè abſolutè dicitur: *Lucerna corporis eſt oculus:* quæ ſententia abſoluta plus habet gratiæ, & dignitatis. Vt ſit ſenſus; Quod lucerna eſt in domo, hoc oculus eſt in corpore cuiuſcunque hominis, vel animantis. Ex ex ea generali ſententia infert Dominus ſingulare quod docere volebat. Si ergo oculus tuus: quam coniunctionem illatiuam, & Græca habent exemplaria, & Auguſtinus. At verò ſi oculus ſit vitioſus, aut caligine, & nubecula aliqua obductus, membrorum functiones imperfectæ, & diminutæ ſunt ob lucis abſentiam, & omne operationum corpus redditur obſcurum, & cęcum. Hic eſt corticis literæ ſenſus.

Hanc ſententiam cur refert etiã Lucas: an ſit parabola, necne: quid ſignificet ad literam. *Matth. 6.* *Luc. 11.*

Aug. lib. 2. de ſerm. Dom in mont. cap. 13. initio, tom. 4. prope finem.

Præcipuus autem, & principalis ſub hac metaphora oculi corporei, & actionum externorum ſcopus eſt, deſcribere alium oculum mentis, ſiue ſpiritus: & aliud

Spiritualis intellect' ac myſticus.

corpus actionum, ſiue internarum, ſiue externarum, quæ ab illo oculo mentis diriguntur: de quo ſenſu poſteà. Eſt ergo aperta ſententia: Oculus fungitur officio lucernæ, quo cernimus ea, quæ extra nos facimus: hic oculus ſi ſit ſimplex nullo turbatus humore, corpus lucidum reddit, id eſt, actiones externæ clarè vt videantur, facit. Quòd ſi oculus ſit nequam, maleque affectus ad videndum; corpus totum erit tenebroſum: id eſt, non magis videbit actiones, quàm ſi fierent in tenebris. Si ergo lumen quod in nobis eſt, tenebræ fiat: quaſi dicat, Si oculus in tenebras vertatur, maiores erunt tenebræ in corporeis operibus, quæ oculo dirigebantur. Et tacitè ineſt huic propoſitioni Chriſti, quod ſubintelligi voluit, idem ſcilicet accidere oculo mentis, vt ſit lucerna totius corporis, id eſt, cunctorum inſtrumentorum, ſiue facultatum, ac appetitionum animæ, ſiue iraſcentis, ſiue concupiſcentis. Oculus horum itaque eſt intellectus, ſiue mens, vt interpretatur Chryſoſtomus, & Origenes ſuper Matthæum: valens diſcernere bonum à malo; & illud eligere, hoc reprobare: quoniam ſui natura ſemper ad optima deprecatur. Vnde & Philoſophus dixit: *Intellectus in anima, eſt vt oculus in corpore.*

Chryſ. ho. 21. in Matt. to. 2 Orig tract 5. in Matth à medio, to. 2.

Ariſt. lib. de anima.

Iam quartò, ad ſenſum propoſitum, expendendum eſt, quorſum hoc dixerit Dominus. Eſt enim ſcopus horum verborum, vt tradit Chryſoſtomus, docere, auaritiam eſſe cauſam cæcitatis internæ, & animum ipſum viſu ſpirituali priuare. Præceſſerat enim: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*: &, *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Hoc etiam alibi Dominus inſinuauit, dicens; *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te*, &c. & Apoſtolus: *Radix omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide: & inſeruerunt ſe doloribus multis*: non ob aliud certè, vt docet Auguſtinus, quàm quòd inſeruerunt ſe amoribus multis. Vnde hoc vitio cæcatus Iudas, Dominum prodidit, & Iudæi plus diligentes terreſtria, quàm cœleſtia, ac dicentes, *Venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*: plenè excæcati ſunt, & Meſſiam lucidiſſimam lucem ante oculos poſitam non cognouerunt. Ne ergo figamus oculos noſtros in terra, rationem oculo comparat, quæ ſi erroribus practicis admixta ſit, alia opera erunt tenebris peccatorum pleniora: ea verò pura, & à talibus erroribus defæcata, alia opera per rationem illuminantur, & lucida fiunt. Hæc eadem verba Chriſtus Luc. 11. repetiuit;

Quis ſcopus doctrinæ Chriſti propoſitæ.
Chryſ. ſup. dicto loco.

Luc. 12.
1. Tim. 6.

Cupiditatē appetentes iuxta Apoſtolum, & B. Auguſtinū, quare inſeruerint ſe doloribus multis
Auguſtin.
Matth. 20.
Ioan. 11.
Iudæorū cæcitas vnde.
Quare Chriſtus rationē oculo contulerit.
Luc. 11.
Theophyl. in Matth.

volens fortaſſis percutere Scribas, & Phariſæos, vt Theophylactus teſtatur, qui Chriſti miracula malitioſè calumniabantur ex inuidia, & ad pœnitentiam eius prædicatione non flectebantur. Vnde obiecit illis; *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*, ſcilicet intellectus, quem oblatum ſuo vitio minimè receperunt, vt magnificent, & apud alios commendent, indicando ex illis verum Meſſiam. Et fortaſſis hoc in Lucæ loco non eſt ab re ſenſus Gregorij Nazianzeni, qui nomine lucernæ, & oculi, intelligit Prælatum, ſiue Scribam, & Phariſæum, quorum erat aliis tanquam corpori prælucere: quibus non lucentibus, naufragium patitur Eccleſia, quæ illos ſequi conſueuit. Et vt oculi eſt videre, ac idcircò dirigere, eius etiam eſt plorare, lachrymaſque fundere; ita paſtorum eſt alios dirigere, & eorum peccata lachrymis diluere.

Greg. Naz. ep 18. ad Neocæſari. initio.
Lucerna & oculos quid Nazianzeno, non ineptè.

Vel oculus eſt cor humanum, quod ſi lumen fidei diuinum perdat, & errore atque malitia ſit affectum, corpus, hoc eſt, vt exponit Chryſoſtomus, ſenſus à ratione non coercitus, tenebris peccatorum inuoluitur, quibus non vincitur, corde puro exiſtente, & in cœlo theſaurum recondente: imò tandem beatum, corpori, & ſenſui gloriam communicabit. Vel lumen operum, quæ membra dicuntur à Paulo, eſt ipſa intentio, Auguſtino teſte: quæ ſi mala eſt, & externa opera mala erunt. Et quia externa mala indicant qualia ſint interna in malo viro, interna proculdubiò erunt tenebroſiora. Vel ſenſus eſt: Si bono animo cœpta, ex mala intentione poſteà offuſcantur; quàm obſcurata erunt malo animo cœpta? Vel ſi Princeps, & Satanas errat; quid faciet plebs? Si fides deuiat, vt Ambroſius in Lucam ſcribens exponit; ergo & opera. Gregorius Magnus lib. 28. Moralium, per oculum corporis lucernam intelligit, intentionem lucem operis: quod ab Auguſtino accepiſſe videtur, qui hoc loco pulchrè ait; *Oculum ergo hic accipere debemus ipſam intētionem; qua facimus, quicquid facimus: quæ ſi munda fuerit & recta, & illud aſpiciens quod aſpiciendum eſt; omnia opera noſtra quæ ſecundū eam operamur, neceſſe eſt bona ſint.* Quæ omnia opera totum corpus appellauit: quod & Apoſtolus membra noſtra dicit quædam opera: quæ improbat, & mortificanda pręcepit, dicens; Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiam, auaritiam, & cætera talia. Non ergo quid quiſque faciat, ſed quo animo faciat, conſiderandum eſt.

Oculus corporis quis prætereà.
Chryſ eadem hom 21. in Matth.

Rom. 6
Lumen operum quodnā Auguſtino.
Aug. vbi ſuprà proxime fuerat.
Quoniam ſi Si ergo lumē quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?
Ambroſ in Lucam.
B. Greg. c. 13. tom. 1.
Alter ſenſus Gregorij, nimirum, & Auguſtini.
Aug. li. 2. ſer. Dom in mōt. cap. 13.

Coloſſ. 3.
Animus operantis, ac Auguſt. non opus ipſum debet conſiderari.

Hoc eſt enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifeſtum eſt bono animo nos facere quod facimus: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. Nam ipſa facta, quæ ad hominum ſocietatem à nobis procedunt, incertum habent exitum; & ideò tenebras eas vocauit. Non enim noui, cùm pecuniam porrigo indigenti, & petenti, quid inde aut facturus ſit, aut paſſurus: & fieri poteſt, vt vel faciat ex ea, vel propter eam patiatur aliquid mali, quod ego cùm darem, non euenire voluerim, neque hoc animo dederim. Itaque ſi bono animo feci, quod mihi, cùm facerem, notum erat, & ideò lumen vocatur; illuminatur etiam factum meum, qualemcunque exitum habuerit, qui exitus quoniam incertus & ignotus eſt, tenebræ appellatæ ſunt: ſi autem malo animo feci, etiam ipſum lumen tenebræ ſunt. Lumen enim dicitur, quia nouit quiſque quo animo faciat, etiam cùm malo animo facit: ſed ipſum lumen tenebræ ſunt, quia non in ſuperna dirigitur ſimplex intentio, ſed ad inferiora declinatur, & duplici corde quaſi vmbram facit.

Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſa tenebræ quantæ ſunt? Hoc eſt, ſi ipſa cordis intentio, qua facis quod facis, quæ tibi nota eſt, ſordidatur appetitu rerum terrenarum & temporalium, atque cæcatur; quanto magis ipſum factum, cuius incertus eſt exitus, ſordidum & tenebroſum eſt? quia etſi benè alicui proueniat, quod tu non recta & munda intentione facis, quomodo tu feceris, tibi imputatur, non quomodo illi prouenerit. Hactenus ex ſententia Diui Auguſtini. Ad huius loci Intelligentiam conſtituendum eſt, quòd quia rectum eſt, cuius medium non exit ab extremis: opus recta intentione factum, eſt, quod ab agente vno extremo proficiſcitur, & tendit ad debitum finem, vt alterum extremum, non declinando ab ordine debiti finis: hinc dirigere, ſeu ordinare, rationis eſt, vt oſtendentis finem, & voluntatis, vt inclinantis ad eum. Verùm quia actus perfectus, & certus non eſt, niſi ille, qui à facultate, habitu ornata egreditur: ideò habitus ſapientiæ faciet, vt ratio dirigat ad felicitatem contemplatiuam, prudentia ad actiuam, virtutum autem habitus inclinabunt vires appetentes. Ad finem autem ſuperiorem naturæ, nempe diuinum, dirigit ratio per fidem cum habitibus ei ſubordinatis, id eſt, quibus cognoſcuntur quæ ſpectant ad ſtatum Chriſtianum: quemadmodùm etiam multi habitus ſubiiciuntur iuſtitiæ. Voluntas autem per charitatem dirigit omnes actiones ad Deum inclinando; ſicut ratio per fidem finem ſupremum oſtendendo. Et hoc ea ratione, qua omni actioni conuenit tendere in vltimum finem, non quatenus eſt manſuetudinis, vel fortitudinis & ſimilium. Fides igitur finem docet, lex actum ad finem, quæ ideò finem ponit; iuſtitia autem inclinat ad actum propter finem ſuum præſtandum. Lex ergo, ſicut & fides, ad intellectum pertinet: iuſtitia, ſicut & charitas, ad voluntatem: Fides & charitas finem ſpectant, vt lex & iuſtitia ea quæ ducunt ad finem: & fidei non ratione obſcuritatis, ſed cognitionis conuenit dirigere; ideò Chriſtus ſine fide dirigebat. Virtus etiam moralis per ſe non inclinat in finem, quem non cognoſcit; ſed præoſtenſum ſibi à prudentia, quæ virtutem moralem dirigit ad illum: & tunc ipſa virtus ad eum mouet. *Si oculus tuus fuerit nequam:* Id eſt, ſi intellectus malum finem præſcribat, & omnia ad eum dirigat: ideò malè iudicat de moribus. In oculum autem corporis propriè non cadit nequitia; vnde Græcè dicitur *πονηρὸς*, id eſt, malitioſus, vt opponatur ſimplici propter adiectionem malitiæ quæ excæcat, vt ira, concupiſcentia, ſuperbia, auaritia; & vnde fiunt amari & intemperati ab illis perturbationibus, vt nequeant benè iudicare: quia non eſt oculus ſimplex. Idem enim non videtur amanti, & odio habenti, vt ait Philoſophus. Vt enim iudex benè iudicare valeat oportet vt neutri parti ſit affectus; & ſic eſt ſimplex.

Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt. Nimirum ſi intentio, quæ debet eſſe recta, & aliarum actionum lumen, quæ in ſe vnde dirigantur, non habent, ſi tenebræ per nequitiam & deflexionem à bono fine; *Ipſæ tenebræ quantæ erunt?* id eſt, opera, quæ ex ſe non habent aliam bonitatem, quàm illam, quam ab intentione ſumunt, quàm erunt inordinata & deprauata; Mala ergo intentio ſemper facit opus malum, etiam ex genere bonum: recta verò opus ex genere ſuo bonum: vel ex natura ſua indifferens, facit ſimpliciter coram Deo bonum, non autem malum, quia nec bona intentione fieri poteſt: repugnat enim vt ad Deum, cui aduerſatur, referri poſſit: quemadmodùm virtus, cuius eſt inuenire medium eligendum in his, quæ per ſe mala ſunt, inuenire non valet, quia non eſt. Et per doctrinam hanc de intentione ſeu fine, docet cautelas celandi bona opera, infirmis hominibus datas, cùm alioqui ſit reſpiciendus finis: qui ſi rectus eſt huma-

Epheſ. 5.

Quæ virtus dirigat intentionem operum fides, an prudentia.

Quid ſignificet: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.

Ariſtot. lib. 2. Ethic.

Explicatur hæc ſententia: Si ergo lumē quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt?

Vnde bonitas, vel prauitas alicuius operationis pendeat.

humanitus, vel diuinitus, nempe vel per prudentiam, & morales virtutes, vel per fidem & charitatem, omnia erunt lucida & illuſtria.

Alter ſenſus.

Vel eſſe poteſt ſenſus talis; Si opera bona ex genere (vt dicitur) quæ lumen ſunt, ob paruam intentionem tenebreſcant; opera mala ex genere, quæ ſunt tenebræ, quàm erunt tenebroſa?

Tertius.

Vel rurſus, Si mens in hiſce inferioribus occupata lumen amittat, quo monſtrare viam etiam inferiori debuerat parti, quantæ huius inferioris partis, quæ per ſe tenebricoſa eſt, erunt poſteà tenebræ? Atque hinc fit, vt multa & grauia peccent homines, quæ ne grauia quidem eſſe intelligunt. Nam qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat, atque omni penè momento impingit.

Ioan. 12.

Omnes hos ſenſus hæc litera capere poteſt. Et vbi nos habemus, *Si ergo lumen quod in te eſt*:

Luc. 11.

Verba Lucæ: Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint, quo tendat.

Lucas ait: *Vide ergo ne lumen quod in te eſt* (id eſt, conſidera & attende, quòd ſi oculus, qui toti corpori lumen præbet, ſcilicet ratio & intellectus; obtenebratus eſt, tenebræ ſint, hoc eſt, reliqua membra, quæ per ſe lumen non habent, ſed ſuapte natura cæca ſunt, & ſine lumine operantur, quæ ſunt opera tenebrarum, id eſt, peccata (nam omnis homo pronus eſt ex his tenebris ad peccatum, cùm adſit concupiſcentia, & iraſcendi procliuitas, quæ in malum præcipitant, niſi fræno cohibeantur) qua ratione prohiberi poſſint, niſi adſit lux monſtrans præcipitium?

Quemadmodum intellectus, corporis, oculus, fidei & naturæ lumine deſtitutus, tenebroſus exiſtat.

Quòd ſi per oculum, qui lucerna eſt corporis, intelligamus intellectum fidei lumine præditum, cùm quis ob peccata ſua fidem amittit; remanet tenebroſus intellectus, neſciens regere ea, quæ ſibi regenda commiſſa ſunt: quemadmodum ſi quis prudentia & ingenio præſtans aliis regendis præficeretur, & ille iuſto Dei iudicio prudentiæ & rationis vſu propter ſua peccata priuaretur, vt neque ſe, neque alios gubernare poſſet, in quantis tenebris, qui per illum regi debebant, verſaretur? Ita proculdubio accidit rationi lumine naturæ tantùm prædítæ; & fidei lumine deſtitutæ, quod per ſe minimè ſufficit ad indicandum finem vitæ æternæ, & ad ea, quæ ad finem conducunt, explicanda, ſi fidei lumine non adiuuetur. Hinc Dauid Pſalm. 17. dicebat;

Pſalm. 17.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus illumina tenebras meas: vt vel hinc videas doctrinam Chriſti de lucerna corporis & tenebris: conſonam eſſe propheticis dictis. Et ſenſus propoſitæ ſententiæ Dauidis eſt; Tu Domine dignatus es lumine gratiæ tuæ, & fidei, illuminare rationem meam, quæ lucerna eſt ad illuminandum corpus, & eius actiones.

In quem ſenſum dicatur à Dauide. Quoniam tu illuminas lucernam meã Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

Rurſus ait; *Deus meus illumina tenebras meas*; id eſt, agnoſco lumen rationis debile eſſe, & cæcum imò tenebras ipſas, ſi me ducere debeant ad vitam æternam: propterea illumina tuo lumine haſce tenebras meas, quo id muneris præſtare poſſint.

Bona intẽtio quæ ſola bonum opus efficiat.

Quòd ſi fortè in hunc ſenſum obiicias; Si Intentio noſtra opus bonum, aut malum facit, quid iudicandum de illo, qui malum opus ex bono animo facit? excuſabuntur ergo qui Apoſtolos interfecerunt, arbitrantes ſe obſequium præſtare Deo, & qui Chriſtum in crucem egerunt.

Ioan. 16.

Ad hoc, etſi ſuperius à nobis reſponſum ſit: hic tamen clariùs & apertiùs dicimus, non ſatis eſſe intentionem noſtram, ad illuminandum operum corpus, cùm ex ſe fuſca ſint, & impia, & ferè veræ lucis nihil habeant: ideò neceſſe eſt, vt à Dei ſpiritu illuſtretur, vt dicamus, *Illumina lucernam meam, Domine: illumina tenebras meas.*

Altera ſolutio.

Deinde reſpondemus, hanc regulam de recta intentione limitandam eſſe, vt tantùm referatur ad ea opera, quæ hypocriſin admittere poſſunt, id eſt, quæ per ſe, neque mala, neque bona ſunt; valent tamen & à bonis fieri, & à malis, vt eſt eleëmoſyna, oratio, ieiunium, ac ſimilia. Nam homicidium, aut furtum, aut rapina, & huius claſſis reliqua, non excuſantur bona intentione.

Oculus ſimplex, ſeu recta intentio duo neceſſariò requirit.

Propterea rectè tradunt Theologi, duo eſſe neceſſaria, vt oculus ſit ſimplex, ſiue vt bona ſit intentio: vt hoc ametur, quod propter finem eſt amandum: & eligatur, quod iuſtiſſimè eſt eligendum. Nam enim ſatis erit ad rectam intentionem, vt in rectum & bonum finem ordinetur, ſed etiam requiritur, vt per rectas & æquas vias eò perueniatur. Apoſtolus non patitur eos qui dicunt, *Faciamus mala, vt veniant bona.*

Rom. 3.

B. Baſil. 10.

Ideò Baſilius Magnus in regula monachorum cap. 8. interrogat, vtrùm liceat homini aliquid dicere, vel facere, quod ſibi videatur bonum, abſque teſtimoniis Diuinæ Scripturæ? deinde reſpondet;

An liceat homini aliquid dicere, vel facere, quod ſibi videatur bonũ, abſq; teſtimoniis Diuinæ Scripturæ.

Quia in omnibus negotiis & verbis, in quibus verſamur, quædam quidem in diuinis Scripturis diſtinguuntur; quædã verò reticentur. In iis ergo quæ ſcripta ſunt, nulla prorſus licentia permittitur cuique, vel admittere quod prohibitum eſt, vel omittere quod præceptum eſt: cùm ipſe Dominus id ita præceperit dicens; Et cuſtodi verbum hoc quod ego mando tibi hodie: non adiicies ad illud, neque auferes ab eo. In iis autem quæ Scriptura reticuit, regulam nobis Apoſtolus poſuit dicens euidenter; Omnia licent, ſed non omnia ædificãt. Omnia licent, ſed non omnia

Exod. 34.
Deut. 12.
1. Cor. 6.
Infrà 10.
Ibidem.

expe-

expediunt. Nemo quod ſuu n eſt, quærat, ſed quod alienum. Hactenus ille prudenter, & eleganter, & ad hunc elucidandum accommodatè.

Puritas & ſimplicitas intentionis quàm in omni actione curanda nobis eſt & conſeruanda.

Tertul. lib. 1. aduerſ. Marcionem ſub initium, to 1. circa med.

Demus igitur operam, vt oculus noſter purus, & ſimplex ſit: quod ſolum præſtare fides, & gratia Dei poteſt. Nam vt oculus ebrij pro vna duas lucernas videt, vt Tertullianus de Marcione hæretico teſtatur: ita etiam auari multa ſibi videre videntur, dum diuitias ſuas contemplantur, quibus vt luto cæcantur, vt à lege Dei declinent, & iniurij fiant in proximos, & ſibi ipſis interitum pariãt ſempiternum. Hinc Chryſoſtomus homil. 21. in Matthæum, *Vt enim nequaquam optes auro ornari, veſte ſerica conſpici, ſi ſit oculus tibi carendum, ſed horum proculdubiò ſanitatem deſiderabiliorem rebus omnibus iudicares, quaſi tibi certè depereat, nihil te iam tota vita delectat: quanto hoc magis pro oculis debes mentis efficere? Quando enim lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipſe capitur; quæ tandem obedientibus ſupererit ſpes ſalutis:* & infrà: *Quid enim prodeſt,* inquit, *auratis armis milites refulgere, cùm ducitur Rex ipſe captiuus? Quod lucrum eſt ornata, depictaq́; nauis, cùm ipſius mergitur gubernator? Quænam illa eſt compoſiti corporis pulchritudo, cùm facies oculos amiſit? Quemadmodum igitur ſi medicum, cuius in aliorum ægritudines depellendas ſanitas neceſſaria eſt, ipſum in ægritudinem mittas, & in deaurato cubiculo, lectuloque argenteo iacere præcipias, nihil proficiet omnino languentibus: ita etiam ſi mentis principale corrumpens, quo ſcilicet ingruentibus potes vitiis repurgare, theſauro feceris aſſidere, non modo nihil omnino profeceris, ſed totum prorſus animum læſeris.* Sic ille.

Chryſ. to. 2. Nihil bonas operationes debito fine deſtitutas proficere quibus conſtet exemplis Chryſoſt.

Quomodo etiam bonæ actionis pura & ſimplex intentio nobis comparanda.

Matth. 6.

Cant. 1.

Seruandus etiam oculus ſimplex à multitudine finium: nam vt canis, qui duas feras inſequitur, nullam capit, & vt qui arcu iaculatur, quo commodiùs ſcopum attingat: claudit ſiniſtrum oculum: ita in operando, vt Deo placeamus, neſciat ſiniſtra noſtra quid faciat dextera noſtra. Nam hac ratione oculos habebimus columbarum, quos Sponſus tribuit Sponſæ, Cant. 1. vt ita ſimplici & puro animo gloriam Dei ſpectantes, & ad illam illuſtrandam laborantes, æternam illam mercedem in cœlis repoſitam conſequi promereamur, opitulatione Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſummè felix ac beatus viuit, & regnat in æuis ſempiternis,

Amen.

TRACTATVS LVIII.

In illa verba: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diligit: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Ideò dico vobis, Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini,* &c. vſque in fin cap.

Scopus Domini.

PROPOSITA verba, quæ tam hoc loco, quàm Luc. 16. habentur, tametſi ſpeciem aliquam parabolæ habere videantur, propriè tamen parabola non ſunt, ſed potiùs metaphorica quædam locutio, per quam ſub hac peruulgata parœmia duorum dominorum conatur nos Chriſtus auocare ab ſtudio diuitiarum. Quia enim poterat quis exiſtimare, fieri poſſe, vt quis ſimul in cęlo, & in terra theſaurizet, & vbique theſauros reconditos habeat; obiicit dicendo; *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Ad hæc, innuit Dominus auaritiam vitandam, non ſolum quia diuitiæ in ſe ipſis vanæ ſunt, quas ærugo, & tinea demolitur, & fures ſurripiunt: & quia auaritia corrumpit iudicium, dum putat auarus omnia propter diuitias eſſe eligenda; verùm etiam quia impedit cultum, & ſeruitutem Dei. Primò quidem, occupando ſemper totum hominem in illis congerendis & ſeruandis; deinde faciendo diuitias vltimum finem; quod Deo repugnat, qui vult eſſe omnium actionum noſtrarum vltimus finis, licèt non ſemper occuparet.

Auaritia dupliciter nocet.

Liber qui, ſeruus ſit.

Ait igitur, *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Contra hanc Domini ſententiam poteſt aliquid obiici. Nam poteſt quis vel duobus militibus, vel medicus infirmis pluribus ſeruire: poteſt item homo Deo ſeruire, & proximo ſimul: videntur ergo non conſtare Domini verba. Explicandum eſt in primis quis eſt ſeruus, & qui ſunt duo domini: atque ita conſtabit veritas huius ſententiæ. Sicut ergo liber eſt qui eſt gratia ſuiipſius, & non alterius; ita ſeruus eſt qui eſt gratia alterius, non autem ſui ipſius: & ideò ſeruus eſt, qui non liberè, ſed ex neceſſitate agit. Finis autem domino comparatur, cui ex amore ſeruiens oppoſitum odit, ſi ex coactione & violentia ſeruiat, contemnit facto contrarium: eſt enim finis dominus agentis propter finem; & actionem, quæ ad finem referuntur, quia cogit ad certa inſtrumenta & modum agendi, quemadmodum

dum quis vult fieri ſapiens, cogitur ad ſtudia capeſſenda, & ad ſpeculationem, ſine qua ſapiens nemo exiſtere poteſt; in quem modum dnminus cogit ſeruum, & operationes eius ad ſe. Duo autem domini aut contrarij omninò ſunt, & contraria præcipientes, vt ſi vnus præcipiat eundem eſſe in Orientem, alius in Occidentem: aut ſi non ſunt contrarij, erunt diſparati, & tamē ſubordinati inter ſe inuicem, aut omninò erūt diſparati ſine ſubordinatione. Si ſint contrarij, non poſſunt ab vno & eodem obſequium accipere, ſicut Deus & mammona.

Nemo vt poſſit duobus dominis ſeruire.

Nam diabolus in Pharaone præcepit in Iſraëlitis opera luti, lateris, & paleæ, id eſt, fructus concupiſcentiæ carnis, & oculorū, & ſuperbiæ vitæ, ex quibus contendit ciuitates in Aegypto ędificare nempe Phitom, quod interpretatur Oſabyſſi, & ſignificat inſatiabilem habendi cupiditatem; & Rameſſes, quæ interpretatur tinea, quæ de veſte naſcitur, & veſtem conſumit, & ſignificat luxuriam, quæ de carne nata, carnem rodit & conſumit; & Heliopolim, quæ interpretatur ciuitas Solis, id eſt, ſuperbiam, quę tanquam Sol apparere & ſplendere facit. Chriſtus autem alia præcipis opera, & in cœlo iubet ædificare, nō in terra, per miſericordiam & paupertarem noſtra diſpergendo bona: per munditiam cordis, ſine qua nemo videbit Deum; per humilitatē, quæ eſt fundamentum ciuitatis Ieruſalem.

Dæmonis veri Pharaonis qualia præcepta. Exod. 1. & ſeq. 1. Ioan. 2.

Qualis verò Chriſti.

Hebr 12. Matth. 5.

Si autem duo ſint domini non contrarij, erunt in aliquo diſparati, quia ſi in omnibus vnus eſt alteri ſubiectus, erit vnicus dominus, & qui ſeruiret domino ſubordinato, ſeruiret & ſubordinanti ſeu præcipienti, quemadmodum in militia qui ſeruit duci, ſeruit & Regi, qui alios milites non habet, niſi quos duces habent. Si autem ſunt diſparati, nec inter ſe oullum ordinem habent, obſequēdo alteri ex illis, qui in eo occupatur, nō poteſt alteri & obſequi; vt ille qui duci miniſtrat in ſuis facultatibus ſeruādis extra militiā, quia id propter ipſum & non propter Imperatorē impendit, Imperatori ſeruire non poteſt, qui pręter milites habet alios ſeruos, qui menſæ ſuæ, & & bonis eius cuſtodiendis miniſtrant. At verò cū homo Deo in omnibus ſubiectus ſit, qui iubet per Apoſtolum ſuum, *Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, &c. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè.* Id eſt, in hoc quòd ſeruitutem dominis impenditis propter Deum, habet vos gratos: ideò poteſt quis Deo, & homini ſimul ſeruire, & vnicus eſt dominus tantùm. Etenim (vt exemplo res fiat manifeſta) ſi mille homines vnū aliquid præciperent, eſſent non plures, ſed vnus dominus: quemadmodū ſi vnus duo contrariu præciperet, non cenſeretur eſſe vnus, ſed duo. Quoniam verò homines diſparati ſunt, & conueniunt io ſeruitiis, id eſt, ſimilibus egent; ac ideò dum vnus alteri miniſtrat, alteri ſeruire non poteſt: hinc eſt, vt duo ab vno miniſteriū accipere nequeant.

Quemadmodū quis poſſit duob⁹ dominis ſeruire, atq; etiam non poſſit.

Deo & homini quempiā ſimul poſſe ſeruire. 1. Petr. 2.

Vtriuſq; exēpla ſeruitij, vel poſſibilis vel impoſſibilis aſſignantur.

Deus autem & homo non concurrunt in eodē miniſterij genere: nam homo eget externo miniſterio, & auxilio: Deus autem exigit cultum mentis, & reddi iubet homini externa ſeruitia. Hinc eſt, vt poſſit quis homini penitus ſeruire, Deo ipſi ſeruiendo, non autē alteri homini, niſi & ipſe iuberet illi eidem ſeruo ſeruire, vel filio, vel vxori, vel amico. Imò de quibuſdam legimus ſanctis, qui fideliſſimè ſeruierunt hominibus, etiam tyrannis, & idololatris, in illis duntaxat, quæ non aduerſabantur Deo: & tamen in hoc ipſo ſuper omnia ſeruierūt Deo. Quemadmodum Abdias magiſter domus Achab impiiſſimi Regis, qui tamen clam alebat quinquagenos & quinquagenos Prophetas: & Ioſeph in Aegypto, Deo & Pharaoni; & Daniel, cum pueris illis Hebræis, Deo, & Nabuchodonoſori.

Aliter Deo, aliter homini ſeruiendum.

Homines Sācti impijs & idololatris ſeruientes, Deo qui maximè ſeruierint. 3 Reg 18.

Geneſ. 41. & ſeq. Dan. 1.

Quando duo præcipiant non contraria, ſed quæ coniuncta ſunt & connexa, poteſt quis illis ſeruire: quemadmodum peccator dæmoni, mūdo, & carni ſimul ſeruit. Nam poteſt quis eſſe ſuperbus, cupidus, & laſciuus, quia ſæpè conſpirant cōtra Deū. Hinc Chaldæi fecerunt tres tumas, & inuaſerūt camelos Iobis. Et vix vnus inuenitur vni peccato ſeruire, quin ſeruiat pluribus, licèt vni principaliter; ſicut filius prodigus ſeruiebat vni ciuium regionis illius: niſi vitia ſint contraria, vt auaritia, & profuſio; timiditas, & audacia. Hic autē loquitur Dominus de duobus dominis contraria præcipientibus, vt teſtatur Chryſ. quales ſunt Deus, & diabolus; Virtus, & vitiū; Cœlum & terra; & quales apud Comicum introducuntur Mitio, & Demeas. Nemo ergo, id eſt, nullus hominum, cùm ſit vnus, & omnia ſua, tam in corpore, quàm in animo, ad vnitatem redigantur. Poteſt etiam eſſe diuiſus in duos dominos: *Non poteſtis*, inquit Apoſtolus, *menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* & iterum: *Quæ conuentio Chriſti ad Belial?* Sicut vnum membrum nō poteſt ſimul eſſe duorum corporum, nec vnus bos trahere duo iuga, nec vnus homo ſedere in duabus ſedibus: ita nec vnus homo indiuiſus poteſt duobus ſeruire.

Diuerſorum obſequia dominorū quæ ſimul eſſe poſſint, ſe ſint quidem.

Iob 1.

Luc. 15.

Quibus dominis Chriſtus duobus neminem [illegible]etat ſeruire poſſe. Chryſ. ho 22. in Matt. in e. tom 2. Terent.

1. Cor. 10. 2. Cor. 6. 1. Cor. 7.

Nec obſtat verbum Apoſtolicum: *Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodò placeat vxori; & diuiſus eſt.* Reſponderi

Illud verbū Apoſtoli: Qui cū vxore eſt, ſolicitus

eſt quæ ſunt mundi, &c. quem ſenſum habeat.

enim poteſt: Diuiditur vxoratus in duos actus dominij: quod fieri poteſt, quia matrimonij vinculum eſt de dominio Chriſti, ſed non in duo dominia. Quod contingeret, ſi vxori petenti illicita, Deoq; contraria, vir obediret: tunc enim diuideretur in duo dominia, vel deſineret eſſe Dei vt domini, & inciperet eſſe dæmonis, quia præferret vxorem Deo.

Dominis quare duob⁹ nemo poſſit ſeruire, ſecūdùm Pythagorā; & quomodò illi domini ſint accipiendi.

Nota ergo quod ait, *Duobus dominis*, nam binarius eſt principium diuerſitatis, ſecundùm Pythagoram, quia duo eſt primus receſſus ab vnitate. *Dominus* etiam, accipe formaliter, nempe illis, qui ſunt in forma dominationis differentes, & horum vnus nō eſt ſub alio: quia cùm vnus eſt ſub alio, iuxta materiam ſunt plures, & ſecundùm formam dominij ſunt vnus. Duo ergo formaliter domini non conueniunt in legibus, & præceptis, quæ inuicem repugnant.

Dei quæ, & mammonæ ſint præcepta contraria. *Exod. 20. & ſeq. & alibi.*

Deus per negatiua pręcepta prohibet omne malum, quod aduerſatur ſpiritui: affirmatiuè imperat omnem virtutem conſentaneam ſpiritui. Contra mammona prohibet fieri quicquid affirmatiuè fieri Deus in lege dixit; & affirmatiuè fieri ſuadet, quicquid Deus prohibuit: & ita mãmona contrarius eſt Deo.

Quomodo accipiendū: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, &c.

Idcircò ſubdit: *Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet*. Odit contrarium domino, cui ex amore ſeruit: & intelligo, odit, id eſt, non diligit, quia ſeruiret, vel minus diliget. Suſtinet, vel patitur, vt legit Auguſtin. vel adhærebit, vt Græcum verbum indicat, ſeu amplectetur. Suſtinet ſeruus dominum, qui ex timore ei obedit, & paret, & alterum facto ipſo cõtemnit.

Aug. lib. 2. de ſerm. Dom in mont. ca. 22. inst. tom 4. propè finem.

Alter ſenſus dilucidior.

Alii ſimpliciùs, & apertiùs interpretantur hæc verba, dicentes Dominum non à principio dixiſſe: Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ, quæ eſſet concluſio, ſed ex prouerbiis apud vulgus receptis deſumpſiſſe illud: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*. Quod vulgò verum eſt, & vt plurimum, aut ſemper ſic vſu venire poteſt apud homines, quia non facilè duo inueniuntur tam ſimilibus affectibus, & motibus vnanimes, vt idem ſeruus duobus poſſit ſatisfacere. Ex illa ergo generali ſententia infertur: Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ: ideò non ſunt illi duo declarandi in ſpecie, vt ſint Deus, & mammona, vt exprimit Auguſt.

Idem Aug. ibidem.

Illud quod ſequitur: Aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet, cur additum à Domino, ſecundū Patres.

Et cùm ſubdit: *Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, &c.* in quo videtur vnius, & eiuſdem fieri repetitio, cùm ſatis eſſet dicere: *Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget:* oportet per vnum in vtroq; membro certum aliquem quem voles demonſtratum ex duobus intelligi, & per alterum, ſecundùm vtrobiq; demõſtratum, & diſtinctum ab eo, qui ſignatus eſt per vnum. Vel iuxta Chryſoſt. vtramque hanc partem Dominus poſuit, vt oſtenderet facilem eſſe ad meliora mutationem, ne diuitiarum ſeruitio mãcipatus exiſtimet impoſſibile ſibi à peccato illo reſilire.

Chryſ. loco ſuperiùs dicto.

Vel ſecundùm alios, vt diximus, ſignificatur duplex genus ſeruitutis: quidã enim ſeruiunt liberaliter, & ſponte, quidam ſeruiliter, & coactè. Auguſt. verò refert vnum & vnũ mammona, alterum & alterum ad Deum: hoc modo, *Aut enim mammona odio habebit, & Deum diliget; aut mammona ſuſtinebit, & Deum contemnet. Ideò in ſecundo membro dixit, ſuſtinebit, & contemnet, & non vt priùs, diliget, & odit, quod durum patiatur dominum, qui ſeruit mammona, & Deus non poſſit odio haberi.* Sed primum eſt ſimplicius & ſuauius.

Auguſt. eod. loco.

Non poteſtis Deo ſeruire & mammona. Explicat qui ſint duo illi domini, nēpe Deus, & diuitiæ, quibus nemo ex charitate ſeruire poteſt faciendo omnia, quæ requirunt: & quo homo peior eſt, & vitiis magis refertus, eo difficilius præſtat obſequium Deo, quoniam vult Deo eſſe cõtrarius.

Mammona quæ dictio ſit, & quid ſignificet. *D. Hier. in Matth to. 9.* Qui pecuniæ ſeruiunt, cui deo ſeruiant.

Et mammona, vox Syriaca eſt, Diuo Hieronymo autore, idem apud eos ſignificans, quod apud Græcos Pluto, deus, quem inferno præeſſe, Poetæ fabulantur. Vt intelligas, eos, qui pecuniæ ſeruiunt, deo inferorum ſeruire, & vt plurimũ diuites dæmonis conſilia, & mãdata conſectari. Hęc vox in primis diuitias ſignificat.

Pluto quare cœcus fingitur à Poëtis.

Deinde Poetæ enim faciunt diuitiarum præſidem, & Plutum, ſiue Plutonem vocant, quem Latini Ditem appellant. Et cœcum eum faciunt, vt Cupidinem; quo agnoſcas, deum diuitiarum, & amoris carnalis cœcos homines efficere. Teſtatur etiam Auguſtin. lingua Punica ſuo tempore mãmona dici lucrũ. Ita igitur mammona primò diuitias, deinde dæmonem de cupiditate diuitiarum tẽtantem; præterea lucrum ſignificat.

Mãmona cur dicatur deus diuitiarum.

Neque dicitur mammona diuitiarum deus, quòd ille diuitiis præſit, aut eas in ſua habeat poteſtate, & diſtribuat: ſolus enim Deus diuitiarum eſt dominus, & eas quibus vult, largitur; ſed quia malignus ille ſpiritus auaritię ſuggeſtor, diuitiis vtitur ad ſeducendos homines.

Pluto cur regnare dicatur apud inferos: quare ſic Dominus non poſſit ſuſtineri.

Et idcircò fingitur apud inferos regnare Plutó; quia ex intimis terræ viſceribus aurum, & argentum, & reliqua pretioſa effodiuntur. Et hic non poteſt amari, ſed ſuſtineri ob diuitias: quemadmodum durus dominus ſuſtinetur ob ancillam, vel filiam amatam, vt Iacob ſuſtinuit Laban ſeruiendo tot annis propter filias, quas accepit in vxores. Sicut Deus ſub hac ratione

Geneſ. 29.

qua

Qua ratione Deus odio haberi non poſſit. Serui Dei quas debeant habere virtutes.

Infra 41. Dan. 2. & 5. Geneſ 19. Iob. 1. & ſeq. Luc. 23.

qua Deus, id eſt, ſummum bonum, non poteſt odio haberi, ſed contemni. Et exigit prudentiam, fidelitatem, diligentiam, & amorem in ſeruis, quos ſummo præmio dignatur in gloria: & interdum eos hic exaltat, vt exaltauit Ioſeph, & Danielem. Ac pondera verbum, *Non poteſtis ſeruire:* poteſt enim quis diuitias habere, & domino ſeruire iuſtè illas acquirendo, & prudenter diſtribuendo: quemadmodùm Abraham, Iob, & Ioſeph ab Arimathia, & ille, de quo Poëta quidam dixit:

Hor. in epiſt.

Et mihi res, non me rebus ſubmittere conor:

Seruiat diuitiis quis. Pſalm. 61.

Sed non poteſt ſimul ſeruire diuitiis, atque ipſi Deo. Seruit enim, qui propter diuitias viuit, & illis affectu hęret, contra illud: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere:* nam eis, & non ſibi, vt ſeruus acquirit: qualis fuit Iudas Domini proditor, & diues Epulo, & ille, de quo Dauid: *Ecce homo, qui nō poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarū: & præualuit in vanitate ſua.*

Matt. 26. & Ioan. 12. Luc. 16. & ſeq. Pſalm. 51.

Atque hoc ſenſu huius loci poſſemus eſſe contenti: ſed libet etiam alio modo exponere. Homo quilibet eſt quaſi duplex, quia ex duplici natura conſtat: & quęlibet ſuum habet appetitū alteri aduerſantem, ne homo credat vtrique ſe poſſe ſatisfacere. Ait, neminem poſſe duobus dominis ſeruire: quia non eſt poſſibile vtriq; obtemperare, cùm contrarij exiſtant. Et propriè duo dicuntur, qui non ſecum in imperando conſentiunt, ſed vnus iubet hoc, alter oppoſitum. Tales ſunt caro & ſpiritus in homine Chriſtiano; & de hoc eſt ſermo, id eſt, de domeſtico famulo. Ideò Lucas cap. 16. ait: οὐδεὶς οἰκέτης, id eſt, nullus famulus, ſiue domeſticus. Quia ad eos, qui ſunt extra Chriſtianam familiam, nó pertinet hæc doctrina, quia proſequuntur quod domini ſui iubent, neq; ſentiunt hanc in ſe repugnantiā, quam ſoli renati ſentiunt: nam illi dicunt; *Caro cōcupiſcit aduerſus ſpiritum; ſpiritus autem aduerſus carnem.* Idē Paulus: *Mente ſeruio legi Dei; carne autē legi peccati.* Quare meritò ſequitur: *Aut enim vnum odio habebit, & alterū diliget.* Quoniam qui ſeruit, aut ex dilectione, aut ſaltem ex electione ſeruiendi, quouis modo miniſteriū impendit. Si ergo diligit vnum ex his, quæ imperantur; conſequenter odit alium, quia præcepit quę ſtomachum faciunt. Si verò non diligit, ſicut qui ſeruiunt ad oculum, aut non libenter ſeruiunt, iſti ſua electione vnum ſuſtinēt, aut vni adhærent, tametſi non diligant, & alterum contemnunt, vel negligunt; licèt non oderint. Et quia qui non renūtiat, ſaltem animo, omnibus qui poſſidet, oportet eum amare diuitias, & multi huius ſeculi a-

Alij duo domini, quibus nemo poteſt ſeruire, proponuntur.

Luc. 16. De quibus ſeruis hic Dominus loquatur.

Galat. 5. Rom. 7.

Eiuſmodi ſerui vnum dominum odio habentes, cur alterum diligant, neceſſe eſt. Coloſ. 3.

more tenentur; ideò ſubiungit: *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ:* quia cōtraria præcipiunt. Chriſtus ait; *Omni petenti te tribue:* Mammona dicit, Noli dare, ſed ſerua tibi, quia proximus es tu ipſe tibi. Chriſtus docet: *Et qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuā tollere; dimitte ei & pallium.* Pluto inquit, Nō dimittas tuorum quicquam, ſed cape potius aliena. Præcipit Chriſtus: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo:* Pluto, Theſauriza tibi in terra. Ait Chriſtus: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus:* Pluto ſuggerit, Eme quæcunq; potes, iunge domū ad domum, prædia prædiis: iure, an iniuria, noli curare. Ergo nemo poteſt duobus dominis ſeruire, quando duo ſunt ſibi contrarij: alioqui ſeruanda eſt regula Principis Apoſtolorum Petri, dicētis: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deū.* Ne quis autem putaret hac abiecta cura diuitiarū, hominem non poſſe benè viuere; propterea rectè ſubdit: *ideò dico vobis, ne ſoliciti ſitis.* Quaſi per diuitiarum contemptū homo incurrat in periculū vitæ: ne, vt plerique excuſarent auaritię ſuæ morbum, dicentes ſe fami conſulere, & nuditati, & dictis de non theſaurizando in terra, & non ſeruiendo mammonæ; præcipit ne ſoliciti ſimus animæ noſtræ, id eſt, vitæ ſecundùm carnem, quæ ab anima informatur. In quo manifeſtè prohibet anxiam, & nimiam ſolicitudinem victus, & veſtitus, quę eſt cum diffidentia Dei Patris, & cor hominis figit in terra, & mētis lucernam vitiat, & ad ſeruitutem mammonæ ducit: quia Deus Pater non poteſt negare filiis panem. Vel ne ſolicitemini de ſuperfluis, quaſi felicitas veſtra vt brutorum, in bonis ſenſus ſita ſit: quorū immoderato affectu omnis inordinatus error irrepit. Eſt autem ſolicitudo, quæ hic Græcè μέριμνα dicitur, cura anxia de re cōſequenda; cuius oppoſitum eſt ſecuritas, id eſt, ſine cura, & cuius ſecuritas promeretur ſolicitudinem. Verbū quoque μεριμνᾶν ἀπὸ τοῦ μερίζειν τὸν νοῦν, id eſt, à diuidenda mente, & animo diſtrahendo. Vnde Luc. 10. dixit Dominus; *Martha Martha, ſolicita es* (Gręcè μεριμνᾷς) *& turbaris erga plurima.* His Dominus verbis finis vltimi ſolicitudinē non prohibet, de qua Propheta: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini.* Neq; rurſus ſolicitam curam de cibo, & veſte ſpirituali ad alendam, & induendā animam, quæ tantùm virtutibus alitur, & induitur, de quibus Apoſtolus; *Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis:* & Propheta: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum*

Luc. 14. Quare non poſſim' Deo ſeruire, & mammonæ. Supra 6. Matth. 5.

Infrà 19. Eſai. 5.

1. Pet. 2.

Quorſum hoc: Ideò dico vobis, ne ſoliciti ſitis, Dominus dixerit: quid ſignificet.

Luc. 12. Solicitudo quid, & ſecuritas.

Luc. 10.

Victus ſolicitudines quæ minimè à Chriſto prohibitæ. Pſalm. 26. Epheſ. 6. Mich. 6.

ambulare cũ Deo tuo. Nec rurſus eò ſpectat; vt ſine aliqua cura, & opere noſtro cibum à Deo expectemus: quia etſi vbi haberi non poteſt panis per induſtriam & operam noſtram, non ſit Deum tentare, ab eo illum quærere: tentatur tamen, vbi aliter poteſt haberi: quia Deus non vult ſine cauſa miracula edere. Hinc in deſerto, in quo non erat panis, proſpexit de manna. Cùm verò peruentum eſt in Terram promiſſam, ceſſauit, vt habes Ioſ. 5. Heliæ per coruũ mittebat cibum, ſed non potum, quia habebat ad manum torrentem Carith. Hæretici à precibus, quibus inſtanter vacabant, dicti Eucbitæ, vt refert Aug. opinabantur Dominum his verbis prohibuiſſe ſuſtentandę ſine cauſſa aliquid operari; quemadmodum & Monachi illi, quos Auguſt. libello De opere monachorum edito reprehendit: & Scripturę ipſę teſtantur Paulum manibus laboraſſe, vt ſibi, & aliis victum pararet: & Epheſiis præcepit, vt laborarent operantes manibus ſuis quod bonum eſt, quo haberent, vnde tribuerent neceſſitatem patienti: & Auguſtin. tam dicto libro, quàm in ſecundo de ſermone Domini in Monte, docet, Dominum eã hoc loco prohibere ſolicitudinem, qua ideò quis Deo ſeruiret, vt victum & veſtitum, quaſi finem ſuarum operationum ſibi compararet: veluti ſi quis eo animo euangelizaret, quo victui neceſſaria acquireret, & priùs victum, quàm regnum Dei quæreret. Atq; hic ſenſus ex præcedentibus iuuari poteſt: dixit enim, *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Verùm Dominus non tantùm hãc malam reprobat ſolicitudinem, quæ hæc, & ſimilia vt vltimum finem quærit: nec tantùm ſuperfluam, qua quis plus quàm neceſſe eſt, circa temporalia bona eſt ſolicitus, & anxiam, timidamque, qua quis variis diſtrahitur cogitationibus de futuro laborum ſuorum euentu, de qua ait: *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtra, &c.* ſed etiam anticipatam, qua de illis ſolicitamur, quæ futuro tempore ſunt curanda, de qua paulò pòſt ait: *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.* Hoc loco ergo Dominus anxiam illam, timidamq;, atq; adeò ſuperfluam rerum temporalium curam adimit: at non inquit, Ne ſoliciti ſitis anxiè vel ſuperfluè: quia intendebat ad medium trahere, & nihil ob affectum, & inclinationem noſtrã videretur nobis ſuperfluum. Et licèt omninò vetaret, ſciebat non fore ſeruandum. Dicitur autem anxia, & ſuperflua cura temporaliũ bonorum, cùm circa ea vt finem ſolicitamur, vel cùm ardentior eſt, & magis anxia quàm expediat, vel cùm extra tẽpus, & vel ex maiore timore, quod nobis deſuturus ſit victus, quàm oporteat: vt ſi timet etiam faciendo quod in ſe eſt: quia imminuitur diuinæ fides prouidentiæ, & quæ de ea eſt concipienda fiducia.

Hæc autem ſuperflua ſolicitudo meritò à Domino prohibetur, in primis, vt aliter putantes, qui temporalia ſolùm cognoſcunt bona, intelligant, in illis finem non eſſe conſtituendum: eò quòd de fine nulla eſt ſuperflua cura. Ex horum autem bonorum immoderato affectu, quaſi eſſent finis noſter, vt beſtiarum ſunt, multi errores oriũtur. Deinde, quia hæc anxia cura hominem auocat à cultu Dei neceſſario, & opera ſupererogationis impedit. Tertiò, quia fruſtra ſe affligit anima, & à ſuo gradu deiicitur, dum bonis terrenis & ſenſibilibus ſe ſubiicit. Quartò, quia videtur malè ſentire de Dei prouidẽtia: nam ponitur quòd parum, aut multum laborando non attingetur, vel ſuperabitur ſtatus temporalium à Deo definitus, & modus ad eum perueniẽdi. Quod falſum ex eo eſſe conſtat, quia multi inertes & ignaui creſcunt; ſoliciti, & diligentes decreſcunt. Etenim diuina prouidẽtia, quæ vult, vt digna de ſe homo credat, vt quod cõducet ad finem, quem præfixit ſine hoc quòd fruſtra homines vagẽtur, id facit. Nam quod parua cura non facit deficere à fine præfixo, patet in volatilibus cœli, quæ modico labore victitant: quod verò magna non faciat creſcere, vel ſuperare, patet de cogitante, nec valente ad ſtaturam ſuam adiicere cubitũ vnum. Hãc ſolicitudinem deponere docuerunt etiam Apoſtoli. Vnde Paul. ad Philippenſes; *Nihil ſoliciti ſitis; ſed in omni oratione, &c.* & Petrus, *Omnem ſolicitudinem veſtram proiciẽtes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Et intellige etiam in bonis ſpiritualibus, quia argueret de diuina bonitate diffidẽtiam. Solicitudo aũt eius, qui pręfectus eſt vel ciuitati, vel familiæ, vel regno, bona eſt, & virtus diligẽtiæ vocari poteſt, quæ Græcè dicitur *σπουδὴ*, id eſt, ſtudium, & verbũ *σπουδάζειν*, id eſt, ſtudere; de qua Apoſtolus: *Qui præeſt in ſolicitudine:* & rurſus, *Solicitudine non pigri;* & alibi: *Solicitudo omnium Eccleſiarum;* & ad Hebr. *Cupimus vnumquemq; veſtrum eandem oſtentare ſolicitudinem;* & ad Coloſſ. 2. *Qualem ſolicitudinem habeam pro vobis.* Quæ tanta debet, vt ex eius imminutione, vel exceſſu nõ pereat charitas: vt Epiſcopus, vel Princeps dimittens, (cum poſſit prouidere) perire temporalia bona Eccleſiæ, vel regni, vel ciuium ſuorum: quia tunc præter temporaria bona, perit iuſtitia, & charitas hominum; vel ſi Epiſcopus ob tẽporaria dimittat ſpiritualia officia & neceſſaria; vel ſi

operi-

Marginal notes (left column):
Deum tentet quis.
Exod 16. *Ioſu* 5. 3 *Reg.* 19.
Euchitarum nomen vnde hæreſis.
Aug. lib. de hæreſib. c. 57. *tom* 6. *initio.*
Idem tom 3.
Epheſ. 4.
Idem ibidem, & 2 lib. de ſerm Dom. in monte, c. 24. *tom.* 4.
Matth. 6.
Variæ ſolicitudines quænam hoc loco à Chriſto prohibitæ.
Chriſt' quare non dixit: Ne ſoliciti ſitis anxiè, ſiue ſolicitè: & quæ ſit anxia ac ſuperflua ſolicitudo ... itus.

Marginal notes (right column):
Quare prohibita.
I. Ratio.
II. Ratio.
III. Ratio.
IV. Ratio.
Ab homine quid exigat diuina prouidentia.
Philip. 4.
... *Pet.* 5.
Solicitudo quæ bona & honeſta.
... *Cor.* 12. *Rom* 12. 2. *Cor.* 11. *Hebr.* 6. *Coloſſ.* 3.
Principes & ſeculares, quàm Eccleſiaſtici, qualẽ rerum tẽporalium curã & ſolicitudinem habere debeant.

operibus ſpiritualibus ſupererogationis præferat temporalia officia ſupererogationis, cum debeat vacare orationi, lectioni, & prædicationi, vt Apoſtoli, qui dixerunt: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis:* nam per Archidiaconum, non per ſe illa diſpenſare debet Epiſcopus, vt ſuo exemplo docuerunt Apoſtoli, & traditur diſtinct. 88. cap. *Epiſcopus*. Solicitudo enim circa opera miſericordiæ corporalia, ſi diſtrahit ab aliis neceſſariis, vel magis piis, vel ſi eſt intenſa nimis, & anxia, non eſt bona. ¶ Addit autem, *Animæ veſtræ:* nempe pro anima, vel vita. Anima autem non comedit, quia non habet organa, nec appetit cibum; nam appetitus in natura eſt rei neceſſariæ. Anima autem, cùm non corrumpatur, nec poſſit cibus in partem eius mutari, cibo minimè indiget. Corpus etiam propriè haud comedit, ſed homo, quia corpus ſolum non habet actum: & vbi vita deſtitutum eſt, ſine cibo manet; homo autem perit. Et cibus reſtaurat partem corporis, quatenus bona partis corporis habitudo requiritur, vt maneat totum. Animæ ergo, ait, id eſt, pro anima, ſiue pro vita, vt ſeruetur in corpore, ſiue pro vita, ſiue pro toto hominis compoſito. ¶ *Quid manducetis*. De neceſſario victu loquitur, nedum de ſuperfluis. Et de potu dicitur Græcè, Quid bibatis. Vel intelligi poteſt in cibo: nam facilè haberi poteſt, & deſeruis vt cibus concoquatur, & ad membra deferatur. Et de vita, nedum de ſtatu perſonæ prohibet ſolicitudinem, id eſt, dubiam, & anxiam cogitationem, poſtquam præſtitimus quod in nobis eſt: quod ex defectu fidei de diuina prouidentia prouenit. ¶ *Neque corpori veſtro quid induamini*. Veſtimentum etiam ob hominem eſt, non ob corpus: ſed de eo, & non de anima fit mentio, quia non videtur delectari ſenſibiliter in veſte, vt in cibo; & quia in natura veſtis eſt corpori commenſurata. ¶ *Nonne anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum?* Obſerua Domini prouidentiam: non enim à principio hunc de excutienda ſolicitudine ſermonem intulit, ne oneroſus, & importunus videretur, ſed prius vanam occupationem animi de pecuniæ amore naſcentem oſtendit. Deinde adiunxit de abiicienda ſolicitudine ſermonem, vt eiſdem de cauſis agnoſcatur perinde noxium & pernicioſius, atque ille. Cumque hic ſolicitudinis morbus vehementer omnium animos peruaſerit; non contentus fuit Dominus id ex ſuperioribus inferre, ſed multis & ſolidis proſequitur argumentis: quorum primum eſt præſens.

Act. 6.

Quid eſt: Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ.

Cibus quid conferat.

Potus cur neceſſarius animanti.

De corporis noſtri indumento, cur eſſe ſoliciti nō debeamus.

Hanc de victu & veſtitu ſolicitudinē cur Domin^9 non ſermonis initio vetuerit.

Difficilis ſane locus: quomodo [illegible] ſequitur, non debere nos ſolicitari de [illegible], quia anima plus eſt quàm eſca? Imò ob hoc ipſum debeo eſſe ſolicitus de eſca, quia per eſcam anima ſeruatur: & eſcam non quæro propter ſe ipſam, ſed ob aliud, ſcilicet d[illegible]g[illegible]nius. Reſpōdeo: Duplex poteſt eſſe ſenſus: prior, quòd anima eius eſt natura, & pre[illegible] in ſe, vt nō debeat ex ſe inſeruire, & ea corporis dignitas, vt non debeat veſtimento ſeruire: ſed hic eſt ordo legitimus, vt anima Deo, animæ corpus, & corpori veſtis inſeruiat. Aliàs infelix eſſet anima, ſi propter eſcā abſtrahi deberet à cultu ſui ipſius, & opere ſibi proprio: quia videretur anima potius eſſe ob eſcam, non contrà. Creata ſiquidem anima eſt, vt ſolicitetur de cibo nobiliori, quo ipſa præſtantior fiat, & nequaquam de ignobiliori: & ideò Dominus creator naturæ, & conſeruator, haud coniecit hominem in eam neceſſitatem, vt ſolicitudinem gerat de cibo corporis: non eſt enim regnum Dei eſca, & potus; ſed dedit hāc tentationem, vt ſperet in Dei prouidentia. Alter ſenſus eſt: Quoniam vana alicuius oſtenditur ſolicitudo, ſi habeat aliquem paratum, qui ſufficiat ſibi in omnibus proſpicere. Quod & ex eo colligitur, ſi is maiora præſtiterit quàm ſint ea, pro quibus anxiè ſolicitatur, aut ſi is extraneis, & minus dilectis ea ſubminiſtret, pro quibus ſolicitudinem gerit. Ad hæc, ſi de his ſit ſolicitus, quę in ipſius nō ſint poteſtate, neq; ſollicitudine ſua aſſequi poteſt: de primo ait: Nonne anima plus eſt quàm eſca? quaſi dicat; Si Deus nobis ſine merito & labore noſtro animā & corpus largitus eſt, an non cibum & veſtitum largietur? Siquidem niſi voluiſſet cōſeruare quod erat, nō creaſſet vt eſſet. Et ratio communis eſt ad cibū & veſtimentum: quia cùm longè ſit nobilior anima corpore, & corpus eſca præſtātius, & Dominus creator dederit animam, & corpus, quæ ſunt maiora, & præſtantiora, & quæ optimè nouit ſine cibo, & veſte nō poſſe ſuſtineri: profectò quę ſunt minora, ꝓſpiciet: quia Dei perfecta ſunt opera.

Reſpicite volatilia cæli. Contendit hac ratione Dominus oſtendere, Deum velle proſpicere de cibo, quia illum largitur inferioribus nobis, id eſt, volatilibus cœli, & quod ob paruam curam, ſiue modicam ſolicitudinem prouidentia Dei conſtitutam, non minuitur finis ab ea præfixus; ſicut nec tranſcenditur ob magnam, vt in ſollicitè cogitante de adiiciendo cubito ſtaturæ ſuæ. Et vtitur exemplo auium, quibus natura dedit minorem vim ſibi proſpiciēdi, quàm greſſibilibus, vt formicis, quia minū

[illegible] per eſcā anima ſeruetur, quid Chriſtus nos de eſca vetat eſſe ſolicitos. Prima ſolutio.

Rom 14. Altera ſolutio.

Quid eſt dicere: Nonne anima pl^9 eſt quàm eſca?

Deus. 92. His verbis: Reſpicite volatilia cœli, &c. quid doceat nos Chriſtus.

De volatilibus cur Dominus exemplum poſuit.

quàm illa indigent, & veluti obiter cibum ſumūt, cùm facilè mutare poſſint loca, neque vnico tantùm cibo, vt granis, vtantur, nec verſentur ſub terra, certa anni parte intemperata, vt formicæ. De volatilibus ergo ait, quod neque ſerunt, neq; metunt, neque congregant in horrea; id eſt, non faciunt vltra debitum laborem, & induſtriam ſuæ naturæ conuenientem.

Quod Dominus hoc volatilium non ſerentiū exemplo à nobis nō tollat curam ſerendi, neque laborandi.

Neque tamen mens Domini eſt, quòd cùm aliter poſſimus, expectemus à Deo miraculum ſine labore. Quod hinc probatur, in primis, quia eſſet Deum tentare, qui in his quæ per nos poſſumus, vult vt vtamur viribus noſtris, ne fruſtra datæ ſint. Ideò miraculo ſoluit Petrum e carcere; ſed permiſit eum propriis pedibus ire. Suſcitauit verbo ſuo Lazarum, ſed permiſit per Apoſtolos ſolui, & dixit: Soluite eum, & ſinite abire. & Heliæ proſpexit de pane, quo carebat, non de aqua, quæ ſuppetebat.

Actor. 12. *Ioan. 11.* *3 Reg. 19.*

Secūda ratio. *Geneſ. 3.* *Epheſ. 4. & 2. Theſſ. 3.*

Deinde, quia labor manuum licitus eſt, & præceptus à Domino, & à Paulo. Et habere curam neceſſariam, ad laborem prudenter faciendum laudabile eſt, non autem curam ad laborem animum ſuſpenderem circa rei euentum, ac timentem: quoniam dubitat de Dei prouidentia, & impedit actiones quas anxiè, & ſolicitè cogitās præſtare non valet.

Tertia ratio, & quarta.

Item, quòd etſi non ſereremus, neque meteremus; oporteret tamen laborare in parandis, & coquendis cibis. Ad hæc, quia tota auium ſolicitudo cibus eſt, qui ſummum earum eſt bonum: ita vt ſi homo tantùm pro eo laboraret, excederet. Qui ergo condidit diſſimiles homines auibus in natura, voluit eos facere ſimiles in moribus. Sed rectè diſpoſuit, quòd vt illæ faciant quæ conueniunt naturæ ſuæ, & non ſupra illam; ita nos ſecūdùm noſtram, id eſt, rationem, quæ nō dictat agere quicquid vires poſſunt.

Auium naturalis inſtinctus.

In auibus autem inſtinctus naturæ eſt, ſequens formam agentem quantum poteſt: ſiquidem agentia naturalia ſunt; ideò cibum quantum poſſunt, quærūt. Nec eſt in poteſtate eorum actum intendere, vel remittere: quia natura eſt determinata ad vnum, & quod dat, ſemper manet idem, ſed natura eis proſpexit de omnibus neceſſariis. Creaturæ autem ratione prędite, quia ſe habet ad oppoſita, & nunc vnum ei conuenit, & poſteà contrarium, haud potuit de omnibus prouideri, ſed ei conueniens fuit, vt intellectus omnia neceſſaria excogitans ſibi daretur, & manus faciens: vnde ei non tantùm cogitare, ſed etiam operari conuenit.

Qua ratione Deus hominem paſcat, & volatilia.

Paſcit enim hominem Deus, cùm tribuit ingenium, & manus: aues etiam, cùm illis dat vim quærendi: ideo ſi nollent quærere, perirent. Ita etiam homo, ſi non ſereret, nec meteret, neq; reconderet in horreum, periret proculdubiò: nimirum quoniam in quibus homo poteſt, non vult edere miraculum Deus.

Deum paſcere aues, cur nullis rationibus probetur à Domino.

Pondera verbum: *Deus paſcit illa*: nullo argumento probat Deum aues paſcere, quod id ex Scripturis perſuaſum haberent Iudæi. Ait enim Dauid: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Et alio loco: *Qui dat iumētis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Et non ait, Deus, ſed, *Pater veſter cœleſtis paſcit illa*: ſignificat namque, Deum, qui volatilia paſcit, cùm illorum tantùm ſit dominus, non pater, multò magis nos, quorum Deus etiam Pater eſt, cuius munus eſt filiis alimenta proſpicere.

Pſalm. 144. *Pſalm. 146.*

Quorūdam falſa opinio Philoſophorum de diuina prouidentia.

Conſidera hoc loco Dei prouidentiam ad hæc inferiora extendi, nec propterea inquinari, vt Philoſophi quidam ad pauca reſpicientes, dixerunt.

Euchitæ de hoc loco quid ſenſerint temerè, & falsò.

Fuerunt hæretici quidam, vt ſuperiùs annotauimus, qui dixerunt non eſſe ceſſandum quouis modo à precatione, neque operandum eſſe ad victum quærēdum, quia Dominus ait de volatilibus quę non laborant. Quos Auguſtinus meritò redarguit, quia iſti congregabant in horrea, molebant, & coquebant.

Aug. lib. de oper. monach. cap. 3.

Et ſicut propter hęc verba damnarunt laborē manuum, maximè in Religioſis: ita fuerūt qui propter Apoſtoli verba: *Si quis non vult operari, nec manducet*: volunt omnes monachos obſtringi ad manibus laborandū. Verùm in extremis, ſine, vt ait Dauid, in circuitu impij ambulant.

2. Theſſ. 3.

Volatilia cęli quid.

Quidam per volatilia cęli intelligunt Angelos, vel dæmones, vt refert B. Hieron. Sed illi cum cibo non indigeant, non cōſtaret ratio Domini, neque illud quod dixit: Nonne vos pluris eſtis illis? non enim Angelis homines.

B. Hieron. in Matt. tom. 9

Apud Lucam cap. 12. vbi referuntur hæc eadem verba de ſollicitudine temporalium abiicienda, nequaquam volatilia in genere, ſed coruos in exemplum proponit: *Cōſiderate*, inquit, *coruos, quia non ſeminant, neq; metunt, quibus non eſt cellarium, neq; horreum, & Deus paſcit illos.*

Luc. 12.

Corui ingenium.

Coruus, animal eſſe gulę deditū, & rapax, & carnibus veſcitur. Hoc aliqui referunt ad pullos coruorum (nam corui maiores videntur gerere ſolicitudinem de cibo) qui deſeruntur à matre propter albedinem, quaſi degeneres, cùm primum incipiunt pubeſcere: & tunc rore cœli, aut muſcis paruis, ſiue vermibus circa nidum enatis, vel culicibus à Deo immiſſis aiūt nutriri; quo ſe Dominus oſtēdat orphanorum, & eorum, qui parentibus deſtituuntur, curam gerere, & prouidētiam habere, donec

Pullos coruorum, ſecundùm aliquos, paſcat quo modo Deus.

maiuſculi

Pſalm. 146. Iob. 39.

maiuſculi quærāt à Deo eſcam ſ . Ex dei dicitur à Dauide: *Et pullis coruorum inuocantibus eum.* Ex Iob: *Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eo quòd non habeant cibos?* Sed hoc à quibuſdam reiicitur, eo quòd nullus eorũ, qui naturam coruorũ literis conſignarunt, id dixerit: nec verba Iobis id euincant, ſed tantùm Deũ coruo parare eſcam pro pullis ſuis, hoſque extra nidum quærere ſibi cibum. Idcirco aiunt hæc dicta à Domino ad commendandam magis Dei prouidentiam erga homines ex eius cura ad aues rapaciſsimas, & odioſiſsimas. Sunt prætereà corui voraciſsimi, & multo indigentes cibo; ob quam cauſſam longiùs fugant pullos ſuos iam robuſtos, vt docet Plinius, & Ariſtoteles lib. de hiſtor. animalium, cuius hæc ſunt verba: *Corui locis arctioribus, & vbi nõ ſatis cibi pluribus ſit, duo tantum incolunt: & ſuos pullos, cùm iam ætas volandi eſt primum ni do eyciunt, deinde regione tota.* Sic ille. Ex cuius verbis, illud ſaltem conſtat, Deum proiectis à parentibus pullis non deeſſe, ſed illis etiam in alia regione de cibo proſpicere: quod videtur recidere in idem cum hiſtoria primò à quibuſdam aſſerta. Sed quicquid de hoc ſit, tamen de coruis, & aliis volatilibus, & feris beſtiis terræ rectè traditur, quod abſque vlla ſolicitudine habent victum paratum à Deo, ne fame pereant: vnde & de rapacibus dicitur, quod ab eo accipiunt eſcam, quia dedit eis naturam rapacem, & prouidit de præda. Hinc dicitur à Dauide: *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.*

Illorum ſententia refellitur huius loci ... probabiliori, atque ... ſignata.

Corui quàm rapaces, ac voraces.

Plin. lib. 10. cap 12. Ari. lib. 6. de hiſto. anima.

Corui, iuxta Prophetam, à Deo vt petant eſcã ſibi. *Pſalm. 103.*

His ergo verbis Dominus creat in nobis fiduciam de Dei bonitate; & anxiam ſolicitudinem cum diſſidentia coniunctam excutit. Si enim Deus ſuccurrit non operantibus talia, qualia homo operatur: magis ſuccurret homini animalium domino, ſicut decet, & non cum anxietate operanti. Et benè Dominus comparauit Chriſtianos & Religioſos, volatilibus cœli: quia contemplationum ſuarum volatu, ſecundùm ſpem æternorum in ſublime tolluntur. Et multi ſunt otioſi, qui volunt congregare, & non ſerere: qui autem ſeruit altario, poteſt ſine alio labore viuere, quia ſatis laborat miniſtrando altari.

Deus hominis, quàm cæterorum animantium cur maiorem curam ac prouidentiã gerat.

Quare volatilibus Chriſtiani, ac Religioſi meritò cumparentur.

Cor. 9.

Quòd ſi in Domini rationem obiicias, equum, aut lapidem pretioſum maiori pretio venire, quàm hominem, & ita fieri plus volatile quàm hominẽ. Reſpondeo: ob neceſsitatem, nõ rationem pluris vendi equũ ſæpè, quàm ſeruum, & lapidem pretioſum ob voluptatem: in ſeruo autem non ſub ſta... ſed opus en... tantùm.

Si volatilibus ... homines ſunt, vt docet Chriſtus, cur minoris illis, & ſimilibus interdum æſtimantur.

Quis autem veſtrum cogitans, poteſt adycere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Verbum Cogitãs, Græcè eſt *μεριμνῶν*, id eſt, cum anxietate, & ſolicitudine cogitãs: Et vox: *Staturam*, Græcè profertur *ἡλικίαν*; quæ & ſtaturam, & ætatẽ perfectam ſignificat. Eſtq; noua ratio ad probandum, ſuperfluam curam nihil iuuare ad ea aſſequenda, quæ in noſtra poteſtate ſita non ſunt. Dei eſt etenim, qui dat corpus, & nõ veſtrum, qui ne minima quidem poteſtis veſtire, vel alere: quælibet enim res, quæ habet incremẽtum ſuum, habet & ſuum ſtatum, quem nullus hominis labor, aut induſtria amplificare poteſt. Sed quomodo hoc textui accommodetur, difficile eſt: maximè quia Lucas addit: *Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis?* Sed dicendum, quòd hæc ratio etſi ab Auguſtino accommodetur ad ſequentia, id eſt, ad improbandam veſtimentorum ſolicitudinem: ita vt ſit ſenſus; Sicut veſtra cura factum non eſt, vt corpus veſtrum ad hanc perueniret ſtaturam. Quod ex eo probatur, quod etſi maximè velitis ſolicitudinem veſtram intendere, non adiicietis illi cubitum vnum; ita illi relinquite curam tegendi corpus, qui & dedit ſtaturã. Sed reuerà ſi verba textus conſulamus, & quia infrà ſubdit: *Et de veſtimentis quid ſoliciti eſtis*, ratio hæc propria eſt cibo, & apta, dupliciter. Primũ quidem, quod ſicut experimur ſine noſtra ſolicitudine fieri quantitatem ſtaturæ noſtræ (vt patet ex hoc, quod nulla noſtra anxia cura valemus adiicere ſtaturæ noſtræ palmum, vel digitum, nedum cubitum vnum) ita ſine cura noſtra Deus, qui facit augmentum, prouidebit de cibo.

Quid cogitare neminẽ poſſe ad ſtaturã adiicere cubitũ vnũ.

Hæc ne ad ſuperiora de anxia cibi potiusque, an ad ſequentia de veſtimentorum ſolicitudine fugiẽda pertineant.

Luc 12.

Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in mon. c. 29.

Altera ſolutio Apoſtolico textui cõgruentior.

Meminit autem cubiti potiùs, quàm alterius menſuræ: quia, vt teſtis eſt Euthymius hoc loco, propriè cubitus eſt menſura ſtaturæ. Eſtque argumentum à maiore ad minus. Si enim ſine noſtra cura proſpicit de ſtatura, prouidebit & de cibo, per quem fit. Deinde dici poteſt, quòd hæc ratio tendat ad effectum cibi: Solicitudo enim multorum de cibo eſt ad prorogandam vitã, timent enim ne penuria cibi vita imminuatur. Contra quos Chriſtus ait quòd ſicut vana eſt cogitatio humana circa effectum cibi in motu augmenti (nullus quippe cogitando poteſt addere ſtaturæ ſuæ cubitum vnum) ſimiliter vana eſt omnis cogitatio, ſolicitudoque circa effectum cibi in motu nutritionis, & conſeruationis: quantumcunque enim anxie cogites, & proſpicias de cibo, nõ propterea potes addere ad ætatẽ tuam perfectam, poſtquàm matura eſt, annum vnum, aut diem vnum

Cubiti, potiùs quã alterius mẽſuræ quare Chriſtus meminerit.

Euthym. in Matth. c. 5.

Secunda ratio pro hac ſententia.

Quodnam ſit minimũ quod ne quidẽ poſſum⁹, vt Chriſtus dixit.

aut horam vnam. Et hoc eſt minimum, ſi conſideratur ad id quod eſt bonum, nempè ad felicitatem. Quid ergo eſtis de cæteris ſoliciti, hoc eſt, de ijs, quæ ad hoc inane, & impoſsibile tendere videntur, & non ad veram felicitatem? ¶ *Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis?* Hactenus de cibi cura abijcienda locutus eſt: iam de veſtimentis minùs neceſſariis, quæ nec in creatione fuerunt, nec in reſurrectione futura ſunt, & vilioribus rebus, quàm auibus conceduntur, nomin agit. Sicut prius exemplo volatilium auocauit à ſolicitudine cibi, ita nunc exemplo liliorum excutit curam veſtimentorum. Nec producit pauum, aut cygnum, aut carduelem, ſed viliora profert, in quibus mirabiliter Diuina relucet prouidentia. Floribus autem pulchritudo velut veſtimentum data eſt: inter flores autem lilia ſingularem obtinent gratiam, & decorem. Ait ergo.

Cur modò de veſtimento nos Chriſtus vetet eſſe ſolicitos.

Geneſ. 2.3.

De liliis, quã de aliis rebus quare Chriſtus exemplũ protulerit.

Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: nõ laborant, neque nent. Per lilia, vt Euthymius exponit, quoſuis intelligit flores. Quod autem Adiecit, *Agri*, non eſt otioſum: quòd hortenſia nonnihil videri poſsint habere curæ humanæ: quemadmodum antè dixit, Volatilia cœli, vt ab altilibus diſtingueret, quę prouidentia hominum aluntur, & impinguantur. Sicut cùm de veſtitu agit, iubet vti lilia contemplemur: quę tametſi laborando, & nendo nihil exerceantur, creſcunt tamen in foliis, quæ illis ſunt vice veſtimẽtorum, in eam magnitudinem, quam licet intuerimeque id ſolùm, ſed tam admiranda coloris ſpecie, varietateq́; decorantur, vt omnem Regum gloriam, & illam etiã Salomonis inter omnes Reges, celeberrimi longè ſuperent. Quod idcirco dictũ eſt; quòd homines in veſtimentis non tantùm vtilitatem, ſed etiam ſpeciem, & ornatum quærant. Eſt ergo in quauis creatura infinita ferè, ac incomprehenſa Dei ſapientia, & ſermone inenarrabilis. ¶ *Quomodo creſcunt.* Homine non curante, nec aduertante, licèt incrementum factum cognoſcant, atque perſpiciant. Et hoc ad cibum referri poteſt, quia etiam plantæ per radices alũtur, & adhuc ſine diſcurſu, vt animalia. ¶ *Non laborant, neque nent.* Vtrumq; referri poteſt ad veſtes, quia labor præcedit in lanificio: Vel non laborant pro cibo qđ eſt virorum; neq; nent pro veſte, quod eſt mulierum. ¶ *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua.* Id eſt, omniũ Regum Iſrael ſapientiſsimus, & ditiſsimus, atque hæc optans, & valens habere hæc, & expenſa faciens pro illis. Vocat autem & gloriam Salomonis, apparatũ in ſuppellectili

Euthym. in Matth. c.5.

Quid lilia, & lilia agri Dominus cur dixerit.

Quomodo à Deo lilia veſtiantur.

Lilia agri quomodo creſcant: viq; nõ laborant, neque nent.

Quomodo Salomon in omni gloria ſua nõ fuerit coopertus ſicut vnum ex liliis agri: qđ hoc loco.

& ordine miniſtrorum maiorem, quàm alii Regibus Iſrael: quo viſo, Regina Saba præ admiratione obſtupuit. Chryſoſtom⁹ exponit: *In omni gloria ſua*, id eſt, toto tempore regni ſui, & non ſolum ſignificetur ſemel & iterũ, ſed toto tempore quo regnauit. Fuit autem pulchritudinis ſtudioſiſsimus, vt ipſe teſtatur Eccleſ. 2. ¶ *Coopertus eſt ſicut vnus ex iſtis.* Quia nimirum ars naturam imitatur, ſed non aſſequitur: hinc maior eſt naturæ pulchritudo, quàm artis. Color autem, ſiue candidus, ſiue purpureus liliorũ dicitur eorum veſtis, quia extrinſecùs eſt vt veſtis, de qua tanta eſt apud homines ſolicitudo, vt pulchra ſit: nec tamen aſſequi poſſunt vt tanta ſit, quanta eſt florum, & herbarum, quarum quæuis in colore ſuperat humanas veſtes. Pulchrè Hieronymus hoc loco ſcribit: *Quod ſericum, quæ Regum purpura, quæ pictura textricum poteſt floribus comparari? Quid ita rubet vt roſa? Quid ita candet vt lilium? Violæ verò picturam nullo ſuperari murice, oculorum magis, quam ſermonis iudicium eſt.* Licèt ergo Deus magis proſpiciat homini, quàm lilijs; non ita tamen pulchrè veſtit, quia dat pulchritudinem naturæ conuenientem. Homo autem temperatæ eſt conſtitutionis, nec ita vergit ad extremum, vt flores, & lapides pretioſi, quæ parùm habent mixtionis: ideo non poteſt habere, tam viuidum, & tam intenſum colorem in ſe, vel in veſte, quia natura arte maior eſt. Quare ſuperflua eſt cura tantæ pulchritudinis, quia impoſsibilis, & quia Deus conuenientem cuique dedit. Natura ergo lilij eſt, vt eo nihil agente, Deus de veſte proſpiciat illi, ſicut homini aliquid agenti, nec eius, vel exigat à lilio vim, quam non dedit, vel ſinat otioſam in homine quam dedit. Inducitur itaque exemplum de lilio, non vt nihil agamus, ſed vt credamus Deum prouiſurum de veſte, & vt tollatur ſolicitudo ſuperflua veſtis, quia nihil iuuat, vt veſtis ſit ita pulchra, vt eſt lilium, atque etiam vt humiliemur. Et quia natura diſpoſitio expoſcebat ad altiorem: & magis propriã hominis operationem; voluit Dominus, vt in quibuſdam à beſtiis, & floribus, & lapidibus antecellemur. Seruit prætereà hæc comparatio florum cum gloria Salomonis ad cõprimendam hominum in veſtibus elegantia ſuperbiam: cur enim in ea homo ſuperbiat, cum à viliſsimis floribus longè in decore ſuperetur, à quibus etiam Salomon decoris amantiſsimus ſuperatus eſt?

3 Reg. 10. & ſeq.

Chryſo. hom. 22. in Matth. tom. 2.

Eccl. 2 & ſeq.

Natura cur pulchrior ſit arte.

Hieronym. in Mat. tom. 9.

Florum, lilij maximè, pulchritudo quanta.

Flores, & lapides pretioſi, cur homine pulchriores.

Hoc Domini de liliis agreſtib⁹ quo tendat exemplum.

Idem gloriã Salomonis cur liliis agri cõparauerit.

Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: Per fœnũ agri intelligẽ omne genus florũ, herbarũ, virgul-

Fœnum agri quid.

Hoc cur dici tur in cliba-num mitti.

virgultorum, quæ è terra creſcut. Et ita ob vtilitatem vocat lilia, vel à quauis herba deſumit argumentum. Et hæc dicuntur cras, id eſt, in futurum In clibanum mitti: nam in terris, vbi non eſt copia lignorum, fœno ignem conficiunt, vel in aceruum haben tem ſpeciem clibani, ſiue fumi pro alimẽto beſtiarum illud congregant. Et dicendo: Deus ſic veſtit, emphaſim ſuam habet aduerbium Sic, id eſt, cum tanta venuſtate, & elegantia. Mihi tamen magis arridet ſentẽtia Auguſtini, qui in verba illa Pſal. 71. *Et florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ*, per fœnum intelligit frumentum: de quo etiam Gen. 1. dicitur: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram*: nam frumento potiſsimùm veſcitur homo, cui dictum eſt hoc, vbi Septuaginta legũt χόρτον, quemadmodũ etiam hoc loco in Græca litera habetur: quanquam interpres interdum herbam, inter fœnum tranſtulerit. Frumentum ergo viriditate ſua à Deo veſtitur, & ſpicam elegantem in fructum producit: atque hoc eſt quod in clibanum mittitur, dum ex eo panis conficitur ad vſum hominum: quippe alterius fœni ad nutriendum ignem non eſt vſus; cum ſit inualidus, neq; in clibanos congeri ſoleat.

Auguſt. to. 8. Pſalm. 71.
Quid fœnũ ſigni ſic Auguſtino.
Geneſ. 1.
Fœnũ illud à Deo quomodo veſtiatur.

¶ *Quantò magis vos, modicæ fidei*; Nempè qui tanta dignitate eſtis, tum natura, tum gratia: qui eſtis pretioſa poſſeſsio, propter quos tutũ mundũ condidit, vt nõ ad tempus, ſed in æternum cum eo feliciter viuatis, veſtiet vos, vt conuenit; licèt non ita pulchrè, quia non eſt in veſte finis. *Modicæ fidei*, inquit. Græcè vno verbo ὀλιγοπίστοι, id eſt, modica fide prædi ti. Eſtque nominandi caſus, & ita non eſt iungendũ cum accuſatiuo Vos, ſed ab eo, puncto interpoſito, disiungendum. Eſtq; increpantis, & exprobantis: non enim eſt ſenſus, quòd Deus homines modicæ fidei magis veſtiat. Et fidẽ accipit pro confidẽtia, quæ ex fide eſt, cùm hæc exempla natura ipſa ſuppeditet, quis enim alius niſi Deꝰ bonitate ſua naturam condidit? Modicę fidei ſunt dubitantes de victu, & Diuina cura: de quibus Dauid: *Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meũ* Et reliq. Ait etiam Moſes in Exodo: *Tentauerunt Dominum dicentes, Eſt ne Dominus in nobis, an non?* Magnæ autem fidei ſunt, qui dicunt: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Et tres pueri Hebræi dixerunt: *Ecce enim Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod ſi noluerit, &c ſtatuam auream quã erexiſti, non adoramus*, id eſt, mammonam.

Homines, quam lilia, & fœnum ſigni cur magis à Deo veſtiri mereantur.
Id: Quanto magis vos modicæ fidei, quo ſit accipiendum modo.
Qui ſint modicæ fidei.
Pſalm. 72.
Exod. 17.
Qui contra magnæ fidei.
Iob. 13.
Dan. 3.

Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemꝰ, aut quo operiemur? Et addit Lucas: *Et nolite in ſublime tolli.* Nolite ergo, inquit, eſſe ſoliciti, ſi deſint, quia proſpiciet Pater: nolite etiam extolli, ſi adſint, & abundent, iuxta illud: *Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere*: vt Auguſtinus interpretatur. Aut fortè melius; Nolite extolli: quia quidam illam perfectione adepti efferuntur, & contemnunt cæteros, qui huiuſmodi curis irretiuntur, quales fuerunt aliquot Philoſophi, & ſunt multi hypocritę inter Chriſtianos, qui ſordibus, & pannoſitate mirificè extolluntur. Ita Caietanus. Verbũ Græcũ eſt Μὴ μετεωρίζεσθε, id eſt, Ne curetis ea quæ ſupra vos ſunt: vnde vox illa Meteororum deſcendit, id eſt, quæ ſunt in ſublimi aëris regione, hoc eſt: Nolite naturæ veſtræ terminos prętergredi ea quærere quæ Dei ſunt, & ad vos non ſpectant, iuxta illud Eccleſiaſt. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Ita Socrates dicere ſolebat: *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.*

Lucæ. 12.
In ſublime tollitur (contra præceptũ Domini) dupliciter.
1. Tim 6.
Augu lib. 2. Quæſt Euan. quæſt. 20., 10. ꝑ ante medi.
Caietanus.
Meteora vnde ſic dicta: quid, Nos nõ debere curare quæ ſupra nos ſunt.
Eccleſ. 3. & Prouer. 25. & Rom. 12.

Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Duobꝰ nouis argumentis ab anxia cura victus, & veſtitus auocat. Primò, quòd hæc tam ſolicitè quærere ſit ethnicorũ: ſecundo, à Patris noſtri cœleſtis perſona, Gentes vocat, nimirũ qui extra fidem ſunt, & qui nõ nouerunt Deum Patrem, & qui non credunt futura, neq; prouidentiam Dei, ſed tantùm quærunt quæ præſentia ſunt. Et ſimilia argumenta vrgebant Iudæos, contemnentes Gentes vt beſtias, ideo refugiebant eis aſsimilari, vel in malo, vt ignorãtia Dei. Tob. 2. & 1. Theſſ. 4. vel in imperfecto bono, vt dilectione amicorũ tantùm, vt ſupra Mat. 5. dixit. Et ita Deus vtitur rationibus humanis in initio, quia aliorum quæ maiora ſunt, non ſumus capaces.

His verbis: Hæc enim omnia Gentes inquirunt, à quo duplicem ethnicorum errore, Iudæos Dominus deborteat.
Ethnici quã olim Iudæis viles, & contempti.
Tob. 2. & 1 Theſſ. 4.
Leuit 19.
Matth 5.

Scit enim Pater veſter quia his omnibus indigetis. Si ſcit, & Pater eſt, & potens eſt, quia cæleſtis, & prouidere poteſt, quid niſi faciat? Nunc etiam frater factus experiẽtia nouit quibus indigeamus: ideo maiorem miſericordiæ affectum nunc reſeruabit, quia etiã nos magis capaces eius per cõfidentiam in Chriſti paſsione facti ſumus. Et benè dixit: *Quia his omnibus indigetis*, vt expendit Chryſoſtomus: cùm enim idcirco dicant homines ſe debere eſſe ſolicitos de victu, & veſtitu, quoniam neceſſaria ſunt: Dominus contra oſtendit, ob id ipſum non debere eſſe ſolicitos, quia ſunt neceſſaria: ſecùs ſi eſſent ſuperflua, de quorum ſuppe-

De neceſſariis ad vitam cur Deus homini proſpiciat.
Chryſo hom. 22 in Matth. tom 2.

tatione

Quærere cur primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius debeamus, quàm vitæ ſubſidia.

tatione non ita poſſumus conſidere ¶ *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius.* Aurea planè verba: & ante oculos Chriſtianorum ſemper habenda & meditãda. Græca litera habet: Quærite autem, eſt enim oppoſitio eius quod dixit: hæc enim omnia Gentes inquirunt. Et poſt præceptum negatiuum, quo anxia excutitur ſolicitudo, adiungitur affirmatiuum, quo demonſtrat, & qua ratione à moribus ethnicorũ in quærendo differre debeamus, & quomodo ſine noſtra cura de prouidentia nobis neceſſaria aſſequamur.

Id quomodo accipiendum ſit.

Primũ, inquit, id eſt, nihil ante ipſum; non tamen ſit, vt alia non prius quærentur: & intentione. Non ſemper tempore, quęrendum regnũ, quia quandoque nimirum neceſsitate inſtante prius cibus quærendus, quàm orandus Deus. Et ita docet, in quo plus ſolicitari debemus, & anxiam ponere curam: ad quod Dominus reliqua promittit per modum autoramenti, & adiectionis, in qua non eſt merces, & quaſi ſecundaria bona poſt regnum, quod primo loco vult inquiri, vt interpretatur Auguſtinus. Et, vt idem expendit, non dixit, Deinde iſta quærite; ne duos fines putaremus nobis præſtitutos, & propter ſe expetendos, nimirum regnum, & bona fortunæ neceſſaria. Nec dixit, dabuntur, ſed adiicientur, vel apponentur, vt Auguſtinus legit; ne videretur eſſe merces quærentium regnum Dei; & vt ait Chryſoſtomus, ne quis exiſtimaret hæc bona fortunæ magnum aliquod bonum eſſe, cùm omnium bonorum infimum habeant locum.

Aug. lib 2. de ſerm. Dom in monte c 25.
Idem ibidem.
In his verbis: Quærite primum regnũ Dei, & hæc omnia adiicietur vobis, duo perpendit Auguſtinus.
Idem ibidem.
Chryſo ſupra dicto loco.

Quærite regnum Dei. Cogitando, & orando, vel actu, vel habitu de illo, & gloriam, quæ finis eſt, ſpectando. Addit: *Et iuſtitiam eius.* Quia relatiuum Eius, non poteſt referri ad regnum, quod fœmini eſt generis *βασιλεία*, referendum eſt ad Deum. Eſt porrò iuſtitia Dei, qua coram Deo iuſti ſumus per fidem, & mandatorum legis eius obſeruantiam. *Iuſtitiam eius*, inquit, id eſt, opera iuſtitiæ, quibus ad regnum Dei meritum comparamus. Et hæc gloria, & opera iuſta, quib⁹ obtinetur, quia propter ſe ſunt poſſunt in infinitum quæri: nam finis ſine menſura expeditur. Et quia lex Chriſti regula eſt totius vitæ noſtræ, ſi ſecundùm eam non operamur, violatur: ideo ſemper quærenda iuſtitia. Hinc Paulus ait: *Nihil ſoliciti ſitis* (ſcilicet de aliis temporariis; ſed (ſupplendũ eſt eſt, ſoliciti ſitis) in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum: quæ ſunt de regno, & iuſtitia eius.

Quomodo quærendum regnum Dei.
Iuſtitia Dei quænam ſit quærenda à nobis.
Lex Chriſti quemadmodũ violetur.
Philip. 4.

Quod ſi obiicias; Quomodo primùm regnum Dei vult à nobis quęri, qui in precatiõe Dominica primò petere docuit ſanctificationem nominis Dei, ac ſecundo loco regnum Dei? Dicendum eſt, biſariam accipi poſſe regnum Dei: aut ita vt ſit ſenſus; operam date ante omnia, vt regnum Dei latiſsimè pateat, & in nobis, & in aliis regnet: & ſic idem eſt: quærere regnum Dei, & nominis Dei ſanctificationem: aut accipitur pro regno beato, & cœleſti, cuius effici participes ſtudemus, & quærimus, vt apertè Auguſtinus interpretatur. Et ita, quod ait: *Primùm quærite regnum Dei*, oſtendit q̃d inter bona noſtra primo loco quærere debeamus, quamuis in eiſdem quęrendus eſt ante omnia Dei honor, & nominis eius exaltatio, & ſanctificatio. ¶ *Et hæc omnia adiicientur vobis.* Id eſt, ſecundo, &, vt ſic dicam, acceſſoriè quærenda ſunt. Sed hoc tacuit pro ſua ſapientia, vt trahens veluti ad alterum extremum, deducat ad medium. Et verè adiectio à Deo pendet, qui reliquit plus velle nobis, quàm exequi. Et loquitur de quærendis bonis propter nos, vt diximus: ideo non meminit de honore Dei primò quærendo, qui ad regnum reducitur. Et maximè curantibus ſalutem proximi, & euangelizantibus eſt hæc promiſsio neceſſaria. Temporaria autem nõ dantur pro mercede, quę integra manet in cœlo: nec propter hæc facienda ſunt bona ſpiritualia; & ob peccata terra redditur ſterilis, & bona eius deficiunt. Cùm verò nos maximè diligere debeamus, atq; adeò maximum bonum noſtrum: debemus etiam de illo, qui finis eſt, quandoque actu cogitare, & benè deinceps operari propter illũ, licèt actu non ſemper cogitemus, Expedit tamen frequenter cogitare, vt animus pręmio expectato inardeſcat, & accẽdatur, & ſuperet difficilia, & ardua: quæ ſecundum ſe, cùm dicant repugnantiam, non ſunt appetenda, niſi quatenùs finis eſt dulcior, quã illa ſint moleſta. Quia tamen Deum plus nobis ipſis iubemur diligere, melius operi debemus, vt ei placeamus, quàm ob gloriam cõparandam: quia maior charitas eſt diligere Deum propter ſe, quam diligere nos ipſos, licèt hoc charitati non aduerſetur. Volũtas ſiquidem Dei eſt, vt nos ipſos, diligamus, & propter gloriam operemur. Contra hoc Chriſti præceptũ peccant, qui primum temporantia quærunt, cum illis, de quibus Poëta quidam ait:

O ciues ciues, quærenda pecunia primum eſt:
Virtus poſt numos.

Vt q̃ beneficia, ſacerdotia, ac abbatias, nullum non mouẽtes lapidem, quęrũt, deinde

Soluitur hoc: Chriſtus paulò ante ſanctificationẽ nominis Dei prius, nunc contra regnũ Dei primum decet eſſe quęrendum.
Matth. 6.
Altera ſolutio.
Auguſt. loco dicto.
Quid eſt: Et hæc omnia adiicientur vobis.
Temporaria bona Chriſt⁹ adiiciẽda nobis, non reddenda cur dixerit.
De ſummo bono [illegible] quatenus expediat nos eſſe ſolicitos.
Horat. epiſt. lib. 1. epiſt. 1. circa mediũ.
Quatuor genera hominũ

Regnum Dei primum, & iuſtitiam eius non quærentium.

cùm multis annis luxuriati fuerint in Chriſto, ad ſeculum redeunt, renuntiatis beneficiis, & nubere volunt. Alij verò quærunt quidem regnum Dei, ſed non iuſtitiā eius, reddendo Deo, ſibi, & proximo, quæ debent; cùm tamē nemo in cœlo coronetur, niſi legitimè certauerit. Tertiò, quærunt quidam iuſtitiam, ſed non ob regnum Dei, ſed propter commoditatē temporariam: vt qui alligati ſunt Religionibus, quo cōmodius victum, & veſtitum, atque otium cōſectari valeāt: ſimiles boui, & aſino prope Chriſtum in præſepi poſitum alligatis. Poſtremò mundus dicit: Quærite regnum huius ſeculi, & diuitias, & vltrò vobis adiicientur iuſtitia, & ſalus. ¶ Sed caueāt ne iſti ſeducti aliquando audiant: *Recepiſti bona in vita tua.* Standum ergo verbis Chriſti, dicentis: *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.*

2. Tim. 2.

Omnes iſti quid tandem aſſequantur.

Luc. 16.

Huic autem Chriſti ampliſſimæ promiſſioni non repugnat, quòd interdū Deꝰ quibuſdam ſanctorū permiſerit, etiā vſq; ad mortem fame, & nuditate perire, & etiā quoq; nunc permittat: quia nō permittuntur hæc bona fortunæ, niſi quatenùs virtutis ſunt adiumenta. Proinde cùm ea ſubtrahit, quia ſic expedire ſaluti noſtræ iudicat, non facit irritam ſuam promiſsionem, ſed alia ratione eandem ſalutis eorum curam gerit: qua ratione & homo cum iumento ſuo cibaria ſubtrahit, quòd ſic illi expediat, non deſerit illud cura ſua, ſed potiùs curam eius agēdo id facit. Proinde in eiuſmodi generalibus Dei pollicitationibus tacita ſubintelligenda eſt conditio, quantum id ſaluti veſtræ conueniat. Et ita ſimiles Scripturæ loci veniunt explicandi, vt illi; *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono:* &, *Non eſt inopia timentibus eum.*

Regnum Dei primū, & iuſtitiam eius quærentibus ſi cætera adijciūtur neceſſaria, qd ſanctorū aliqui extrema permittūtur inedia laborare.

Quæ ſimiles huic promiſſiones Diuinæ de neceſſario victu tribuēdo cōditionem habeant annexam.

Pſal. 36.

Pſalm. 33.

Ibidem.

Poſt hæc verba ſubiungit Lucas: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos qui nō veteraſcunt, theſaurum non deficientē, in cœlis: quò fur nō appropiat, neque tinea corrumpit. Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.* Non ſunt hæc obſcura, aut difficilia: ad Apoſtolicum enim cœtum, aut ad vniuerſos diſcipulos Dominꝰ ſermonem dirigit, qui numero pauci erant: & propterea gregem puſillum vocat, exhortando illum ad confidentiam collocandam in Deo. Noli ergo timere, grex, etſi puſille, etſi coram mundo contempte. Solet enim mundus pro inſanis, & abiectis habere eos, qui magna non ambiunt, & ad ſumma non ſuſpirant. Nolite ergo timere, ſed fidite potiùs Patri veſtro cœleſti: quod autem illi ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt, modò fidem ei ſeruaueritis, & ſpē veſtram in eo collocaueritis, & obedientiam legi eius præſtiteritis. *Sic enim complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Nam etſi ad illud non prædeſtinauerit ob merita noſtra; nō decreuit tamen ſine merito obedientiæ, & patientiæ noſtræ regnum tribuere. Ita ergo complacuit dare regnum, vt ſimul etiā complacuerit dare & merita illius aſſequēdi. Et qui dabit, & cōmunicabit regnum, non denegabit quæ minora ſunt, quæ adijcientur. Ac ſubdit: *Vendite quæ poſſidetis.* Tantum abeſt, vt diuitiæ vobis quærendæ ſint; vt quod habetis, vendi expediat. *Quæ poſſidetis,* inquit, Ne dicerēt, Volumus prius recuperare quæ nobis ablata ſunt: & tunc ea vendemus, erogabimusque. Liberat eos hac moleſtia: quæ poſſideant, admonet vendere: nam de cæteris ablatis iam dixerat: *Et qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* Et concludit: *Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.* Perpetua ergo in cœlis eſt benefactorum memoria, ac incorruptibilis theſaurus. Vt addit duas rationes, cur meritò non magnifacere debeamus fluxus diuitias huius mundi, quòd diuitiæ multos habeant inſidiatores, vt aut nunquam, aut rarò ſeruari tutò queant: Inſidiantur enim diuitiis fures, tineæ & rubigo, & tam externos, quā domeſticos hoſtes habēt: & vbi maximè ſeruentur ab externis, certè à tinea, & rubigine ſeruari nequeant. Altera cauſſa eſt, quòd non ſolùm cura noſtra inanis eſt, ſed etiam noxia, & pernicioſa: hæc autem cura remoratur nos à cura animæ noſtræ, ita vt non poſsimus ſatis cuſtodire temporalia, & interim amittamus æterna. Hoc enim ſignificat: *Vbi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrū erit.* Sequitur Matthæus: *Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum: craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi, ſufficit diei malitia ſua.* B. Hieronymus ad Amandum ſcribit, craſtinum in Scripturis futurum tempus ſignificare, iuxta illud Gen. 30. *Et reſpondebit mihi cras iuſtitia mea:* & Ioſu. 22. *Cras dicent filij veſtri filijs noſtris, &c.* Et ita craſtinū vocat tropo Hebræo non ita ſuperſtitiosè ad literam ea, quibus cras vtendum eſt, alioqui cur habuiſſet ipſe Dominus loculos, niſi vt doceret quandoque id licitum eſſe? quia etſi mendicaret, quandoq; tamen oportebat immorari plus in vno loco, & non inueniret: præſertim cùm neque cum pecuniis ei dati ſint cibi Luc. 9. claudentibus portas Samaritanis. Cur etiam mulieres miniſtrātes de facultatibus, vt ſe ſequerentur,

Luc. 12. &

Cur Apoſtolos Chriſtus gregē puſillum nominauerit.

Quatenus Patri Deo complacuerit dari nobis regnum cœleſte.

Quàm nobis diuitias Chriſtus quære re diſſuadeat, ne dum poſſidere.

Luc. 6.

Prima ratio Chriſti cur debeamꝰ ſpernere diuitias.

Secūda ratio diuitiarum contemptus.

B. Hieron. epiſt. 147. t. 9.

Soliciti eſſe in craſtinū.

Geneſ. 30.

Ioſu 22.

Ioan. 12 & Infrà 13.

Luc. 9.

Suprà 8. Actor 4. Infrà 6. Infrà 11.

rentur; permittebat? Cur Apoſtoli item pretia prædiorum accipiebant? Apoſtoli miniſtros inſtituerunt menſarum: prouiſionem pro fame ab Agabo propheta prædicta fecerunt, collectas pro pauperibus Ieruſalem apud Gentes inſtituendo. Quia enim opera habent ſua tempora, & opus non benè fit niſi præcogitatum, habebit etiam ſolicitudo ſua tempora. Ergo ſolicitudo de futuris nunquam in poſterum tan quam de præſenti neceſſariis, vana eſt, vt oſtēdit ille, qui dicebat; *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos*: vel de neceſſariis pro aliquo tempore, ſed quæ non poſſunt iuuare pro tempore, in quo eſt ſolicitudo, vt de vindemia in meſſe: vel quæ poſſunt fieri, ſed æquè benè poſt, vt nunc, vt emere calceos per annum ante iter peragēdum. Si autem in poſterum haberi nequeunt tam promptè, bona eſt ſolicitudo de futuro: vt ædificaturus turrim, prius debet eſſe ſolicitus de ſumptibus. Atque ita in magnis rebus omnibus apparatus quidam debent præire, atque adeò in quotidianis expenſis, propter quas Chriſtus loculos habere decreuit. Ioſeph pro ſeptem annis futuræ famis proſpexit ſibi, in arcibus multa frumenta recondendo. Mittit nos Spiritus ſanctus ad formicam, vt eius exemplo diſcamus prouidentiam: *Vade* (inquit Sapiēs) *ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: quæ cùm nō habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem parat in æſtate cibū ſibi, & congregat in meſſe quòd comedat.* Cuius exemplum Poëta refert:

Solicitudinē in craſtinum quā Domin⁹ prohibeat. Luc. 12.

Quā permittat, nec damnet.

Ioan 12. Geneſ 41.

Prouerb 6. Mira formicæ prouidentia.

Horat. lib. 1. Saty ſub init

Paruula (nam exemplo eſt) magni formica laboris.
Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit aceruo.
Quem ſtruit, haud ignara, ac non incauta futuri:

Et alius:

Formica tandem quidem expauēre magiſtra.

Quod ſi omnem in futurum ſolicitudinem de victu, & veſtitu Chriſtus adimeret? Pſalm. 70.

Non ergo his verbis tollitur conueniens prouidentia; alioqui non eſſet ſeminandū, neque ſperandus fructus in patientia, nec laborandum, nec metendum vllo tempore anni: nec item laborandum vna ætate pro alia, nec diceret Dauid; *Ne proijcias me in tēpore ſenectutis: quum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Quia autem ſpiritualia ſunt per ſe bona, ſemper inuigilandum pro eis. Significat ergo craſtinum, omne tempus, quod non exigit præſentem curam, quod magis prudentia, & ſenſu ſpirituali metimur, quàm certa traditione. Faciunt autē hanc prudentiam exemplum Chriſti, & Apoſtolorum, & Sanctorum, qui illos imitati ſunt. ¶*Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi*

Craſtinus in quem diē nos eſſe ſoli cin non debemus.

Explicatur: Craſtinus e-

ipſi. Per proſopopeiam hoc dicitur, vbi labor homini competens tribuitur diei, in quo habendus eſt. Et ſenſus eſt: Tempus futurum inducet tempeſtiuam ſolicitudinē, vt non ſit neceſſe ſibi anticipare, non tantùm ſine ſucceſſu, ſed etiam cum cruciatu. *Sufficit diei malitia ſua.* Græcè eſt κακία, nō πονηρία, ſcilicet afflictio, ſiue pœna, quæ more Hebræo dicitur malitia. Vnde Propheta; *Agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui, vt facerem ei*: & dies malus vocatur, quia in eo laborioſa mala occurrūt. Senſus ergo eſt: Sufficit cuique diei ſua afflictio, & ſuus cruciatus, ſine hoc quòd de ſequenti die dupliceтur. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in mont. exiſtimauit, Chriſtum nomine malitiæ ſignificare voluiſſe cibum, & potum quotidianum, quo indigent homines: quia pœnam adfert homini poſt peccatum: at libr. 1. Retractationum, retractat; tanquàm incautè dictū, cùm non attenderet etiam primis hominibus in paradiſo ante peccatum data fuiſſe alimenta. Sed poſſet ſententia Auguſtini defendi, quia à peccato venit hæc anxia ſolicitudo panis; qua cruciamur, quæ procul dubio ante peccatum, ſpontè terra omnia ſuppeditāte, minimè fuiſſet: quia ante culpam pœna non extitiſſet. Qui verò fabricandis eccleſijs, aut erigendis cœnobijs, & domibus hoſpitalibus, In quibus pauperes alantur, & curentur, In perpetuum incumbunt; nihil contra hanc Domini præceptionem peccant: quia non pro ſe ipſis ſoliciti ſunt, ſed pro Chriſti gloria illuſtranda, & proximorum inopia ſubleuanda: & talis ſolicitudo ſtudioſa, ac perutilis extitit, & ad regnum Dei referenda eſt, Niſi fortè in aliquis eiuſmodi locis fabricandis afficeretur, vt interim pauperes præſentes negligeret, & eos fame excruciari, & interire fineret: nam tunc contra charitatem ageret, pia, & ſancta loca exædificando. Dicamus igitur, teſte B. Petro, omnem ſolicitudinem noſtram proijcere in Deum, quia ipſi eſt cura de nobis: ipſeque laborat perſuadere ne laboremus, & ſolicitatur ne nos ſoliciti ſimus. Proinde oculos ad Deū attollamus, illi totos nos regendos, & paſcendos committamus, qui ab eo expectamus æternam in menſa Chriſti alimoniā. tribuente hoc nobis eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto æternum imperium tenet in ſeculorū ſecula. Amen.

(*)

nim dies ſolicitus erit ſibi ipſi.

Quid illud: Sufficit diei malitia ſua.

Ierem. 18.

Auguſt. li 2. de ſer. Dom. in monte ca. 23. tom. 4. Idem lib 1. retract. cap. 19. tom. 1.

Geneſ. 1.

Non ineptè cibū, potumque quotidianū ab Auguſtino malitiā alicubi nominari.

Soliciti in craſtinū qui minimè reprehendantur. Domino.

Quanta erit Deo cura de nobis de eius bonitate benè ſperantibus.

1. Pet. 5. & Pſalm. 36 & ſeq.

TRACTATVS LIX.

In illa verba: *Nolite iudicare,& non iudicabimini: nolite condemnare,& non condemnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis,&c.*Matth.7.

Phariſæorum ad alios temerè iudicandū mira propēſio.

CVm hactenus inſectatus ſit Dominus Phariſæorum hypocriſin, eorum dolos & ſimulationes detegens: deinde cōtra auaritiam, anxiamque victus ſolicitudinem diſſeruerit, in quo etiam maximè peccabant Phariſæi: iam aliud eorum vitium, & frequens quidem & familiare reprehendit. Erant enim oculatiſſimi ad aliorum errata inſpicienda, iudicandaque, atque ſeueriſſimi in eis puniendis: cùm interim ad grauiſſima ipſi ſcelera ſua, ac flagitia talpæ eſſent, & conniuentes. Videns ergò Dominus quàm ſit graue & periculoſum, alios iudicare, & quàm frequenter in hoc omnes incurrant, quamque improbis modis; ideò hoc magnum præceptum de non iudicando ſubiecit. Ac poſtquàm docuit mentem noſtram à Deo nō diuidere ob rerum temporalium ſolicitudinem, docet ne id fiat ob extraneam & ſuperfluam curam proximi, eum iudicando: quod fieri ſolet, cùm videmus eum de externis curam agere, & ſolicitari, vt auaros, qui odioſi exiſtunt, ſicut liberales amabiles. Vel ſanè dici poteſt, Euangeliſtas in recenſendis Chriſti factis, & dictis id tantùm ſpectaſſe, vt & doctrinæ & vitæ ipſius imaginem aliquā nobis proponerent, ex qua illum eſſe Chriſtum Dei Filium, & quæ vita digna Deo nobis traducenda ſit, agnoſceremus. Hinc vniuerſa eius verba, & quo ordine, & tempore dicta ſunt, prorſus neglexerunt. Idcircò Dominus in hoc ſermone multa dixit: alio etiam ordine, quàm alij Euangeliſtæ enarrarunt, & quæ fortè aliàs ſæpè docuit. Et in hoc capite quædam miſcellanea cōtinet, quæ difficile eſt ad certum ordinem redigere, aut quomodo cum ſuperioribus cohæreant, intelligere; niſi velimus violentas rationes excogitare, & modos abſurdos. Atque hæc de ſcopo.

Huius præcepti de non temerè iudicando tradendi neceſſitas.

Altera ratio ordinis ab Euangeliſtis omiſſi.

Quid, Nolite iudicare, & nō iudicabimini. Euthym. in Matth. Theophyl. ib.

De litera, aduertendum eſt, vbi dicitur, *Nolite iudicare*, Græcè haberi, Μὴ κρίνετε: vt Euthymius admonet, iudicare hic, nihil eſſe aliud, quàm condemnare. Et Theophylactus: *Non reprehendere*, inquit, *prohibet, ſed condemnare*. Sic ille. Vnde quod in Vulgata editione legimus, *Nolite condemnare, & non condemnabimini*, videtur non eſſe de textu, ſed ab alio aliquo interpretandi gratia fortè in margine adiectum, quod poſteà in textum irrepſit; cùm tamen nec in codicibus Græcis, nec in vetuſtiſſimis exemplaribus Latinis habeatur, neque ab Hilario, neque ab Hieronymo, neque Auguſtino legatur in Commentarijs, ſed ſimpliciter dicatur: *Nolite iudicare, & non iudicabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Quanquàm etiam dici poſſet, hæc verba, Nolite condemnare, quæ proximè ſequuntur, Nolite iudicare, ex Lucæ c.6. huc eſſe tranſuecta: & ſiue hic habeantur, ſiue non, exponenda ſunt, quia in textu Lucæ habentur. Et poſſunt ambo illa in eandem ſententiam accipi, vt propter inculcationem & declarationem bis idem dicatur: vel poſſunt in diuerſam ſentētiam capi, vt condemnatio poſterior ſit, & grauior iudicio. Iudicat enim proximum, quiſquis eius facta in peiorem partem interpretatur; cōdemnat verò, qui proximum diris deuouet, & fratrem filium diaboli vocat, aut dicit, Hic dignus eſt, qui corpore & anima quàm citiſſimè pereat.

Illud quod ſequitur: Nolite condemnare, & non condemnabimini, an ſit de textu necne.

Hilar. Can. in Matth. Auguſt. lib. 2. c. 18. in Matth.

Luc. 6.

Iudicet proximum, & condemnet quid.

Iam verò diligenter inueſtigandum eſt, quale ſit hoc iudiciū, quod Dominus prohibet. Nam qui dicit: Nolite iudicare, vt non iudicemini, manifeſtè peccatum admitti in iudicando teſtatur. Inprimis igitur non hic loquitur Magiſtratibus, aut hominibus in poteſtate conſtitutis à Deo: nam Petrus in Ananiam & Sapphiram ſententiā mortis pronuntiauit, & Paulus in Corinthium inceſtuoſum ſententiam excommunicationis tulit; & commendat poteſtates ſeculares iudicantes, & vſum gladij exercētes in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; & Dominus toties cōdemnauit Phariſæos, dicens: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ.* Loquitur ergò priuatis, qui temerè intus, & arroganter verbo proximos iudicant. Deinde non eſt hic ſermo de iudicio rerum etiam priuato: quia non attenditur in eo bonum, vel malum rerum ipſarum, quibus neque nocere poſſumus, neque prodeſſe: ſed tantùm ſpectatur bonum intellectus, vel malum, id eſt, verum, vel falſum: ideò non debemus in melius interpretari. Tertiò, non intelligit Dominus de iudicio perſonarum ex experientia procedente, cùm res eſt euidens, vel ſigna violenta, modò tantùm intellectu iudicemus: quia id rerum iudicium eſt, non perſonarum, de quo Dominus: *A fructibus eorum cognoſcetis eos*; &, *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*: quod ſine iudicio non fit. Quartò, non prohibet etiam correptionem fraternam, quā ipſe inſtituit, & fieri mandauit: ſed debet eſſe notum, &

Dominum hic forenſe ſeu ciuile non prohibere iudicium.

Act. 5. 1. Cor. 5. Rom. 13.

Matth. 23. & Luc. 11.

Non etiam iudicium rerum priuatum prohiberi.

Matth. 7. 1. Ioan. 4.

Quod neque fraterna correptio prohibeatur. Matth. 18.

euidẽs delictum, de quo proximus eſt corrigendus. Nec quinimò item tollit candidum de perſonis iudicium, etiamſi ex leuibus ſignis colligatur, tametſi quandoque erret: nam talis error pœna potiùs eſſet, quàm culpa: niſi fortè quis manifeſtè malum, conſultò bonum eſſe iudicaret.

Non etiam ſimplex ſeu candidum de perſonis iudicium tolli.

¶ Solùm ergò prohibei, ne Phariſæorum more iudicemus, curioſiùs obſeruando aliena dicta, vel facta, ea quæ recta etiam ſunt, calumniantes; dubia in interiorem partem interpretantes; exaggerantes quæ leuia ſunt; denique ſi quẽ viderimus in grauius aliquod crimen prolapſum, magis hoc agentes vt perdamus, quàm vt ſanemus. Quæ omnia iudicia ex eo proficiſcuntur, quod deeſt illis charitas, quam Paulus dicit malum non cogitare.

Temerarium tantummodò iudicium prohiberi.

Iudicia temeraria vnde ſint.

1. Cor. 13.

Porrò à temerario iudicio meritò abſtinendum eſt: tum quòd conueniat vnumquemque ſua dicta & facta diligentius excutere, atque in his ſuos lapſus & defectus perſpicere, vt non libeat aliena obſeruare curioſius, vel carpere: tum quòd fraternæ charitatis ſit aliena vitia occultare, eaque extenuare, dubia verò candidè interpretari: tum deniq; quòd agnoſcere ſe debeat proximi ſui conſeruum eſſe, non iudicem: & ideò iniuriam Deo facere, cuius munus ſibi vſurpat. At quod reſpiciens Paulus, dixit: *Nolite itaque ante tempus iudicare, quoadusque Dominus veniat*: & Iacobus, *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem.*

A temerario iudicio cur nobis abſtinendum ſit.

1. Cor. 4.
Iacob. 4.

Sed vt hæc plenius explicentur, aduerte, eſſe poſſe duplex iudicium, vel rei, vel perſonæ. Rem iudicamus non ſine peccato, cùm, quod bonum eſt, malum eſſe iudicamus; aut quod malum eſt, iudicamus eſſe bonum; aut ſaltem quod eſt indifferẽs, in alteram partem trahimus: in qua re qui errant, perniciosè errant, quia eſt error in dogmate, de quo: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Iudicabant Chriſtum Iudæi, quòd ſolueret Sabbatum; ſed inſipienter ac ſuperbè, nolentes intelligere: iudicabant ipſum, & diſcipulos, quòd illotis manibus manducarent, quaſi quod intrat in os, inquinaret hominem: iudicabant poſtea Gentes ad Chriſtum conuerſas, quòd ederent prohibita in lege: hic error non erat pernicioſus, donec per Chriſti legem declaratum eſt, ſublatas eſſe cæremonias: ac proinde qui Apoſtolicas iudicabant traditiones, non erant ſine peccato. Hinc Paulus reprehendit Romanos, & admonet, dicens: *Qui non manducat, manducãtem non ſpernat. Deus enim illum aſſumpſit.* Talia ſunt multa hæreticorum iudicia, qui illicitum cenſent quod licet, vel licitum, quod non licet: vt, vxorem accipere Sacerdotem; edere carnes omni tempore. Et hi hoc pacto iudicantes de re, in perſonam iudicant, hoc eſt, in Eccleſiam, & Spiritum ſanctum eius rectorem.

Duplex eſt iudicium, rei & perſonæ.

Iſai. 5.
Iudæorum iudicia temeraria quænam illa.
Ioan. 5.
Matth. 15.

Rom. 14.
Qualia ferè hæreticorum iudicia.

Secundò, eſt iudicium perſonæ, & hoc pluribus modis, in primis, quia iudicatur perſona, non ob factum malum, ſed ob mentem, hoc eſt, intentionem, quam ſæpè non credimus bonam: vt ſi quis iudicet eos, qui ieiunant, vel dant eleemoſynam, id facere ob inanem gloriam. Contra quos Apoſtolus ait: *Nolite ante tempus iudicare* (id eſt, in via, quando dubia non ſunt nota) *quoadusq; veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*, id eſt, intentionem in cordibus deliteſcentes.

Iudicium perſonæ quod, & quotuplex.

1. Cor. 4.
Quid, Ante tempus iudicare.

Deinde iudicatur perſona à nobis ob aliquod delictum, non verò iudicio, quoniam ſine miſericordia, ignorantes tentationes diaboli, & paſſionis impetum, nec attendentes ad noſipſos: qui ſi fortè ſtamus, non cogitamus tamen quòd non ſtamus ex nobis, ſed ex gratia & protectione Dei. Hinc Apoſtolus ait: *Conſiderãs te ipſum, ne & tu tenteris.* Talis fuit Simon Phariſæus, qui (vt dici ſolet) vna fidelia duos parietes inalbauit, qui dixit in mente ſua: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix eſt.* Chriſtum enim Prophetam eſſe inficiatur, & mulierem admirabiliter conuerſam, & iam mundam, peccatricem iudicauit. At minus venit excuſandus ille alter Phariſæus, qui vniuerſum orbem iudicabat, & inſuper deſcendens ad publicanum errantem, condemnauit eum: quo iudicio de ſemetipſo & fratre, oratio ſua facta eſt ſibi in peccatum.

Vnde ſtemus.

Gal. 6.

Luc. 7.

Phariſæi duo Euangelici iudices temerarij.

Infra. 18.

Tertiò eſt aliud quoddam de inſigni aliquo peccato iudicium, in quod non pauci incidunt, qui iam actû eſſe de fratre ſuo putant; iamque condemnatum, tanquàm lata in eum ſententia, de quo: *Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Quæ arrogantia immiſericors eſt: audet enim ſibi arrogare quod Dei eſt, nempe iudicium, & in peiorem partem dãnationis inclinat, non liberationis, quod naſcitur ex miſericordia. Et eſt ſermo de iudicio, id eſt, firma & certa ſententia condemnationem fratris ferente.

Tertiũ quoddam iudicij genus his verbis damnatũ a Domino: Nolite condemnare, & non condẽnabimini.

Matth. 7.

¶ Suſpicari autem, & opinari, cùm abeſt inuidia & ſuperbia, nec deeſt ſuſpicandi, vel opinandi ratio, ſine peccato eſt: & hoc modo ferè iudicant ſancti.

Sanctorum quale ſoleat eſſe iudicium.

Nec his obſtat quod Paulus iubet facere iudicium, & Dauid dicebat: *Feci iudicium & iuſtitiam*; & Michæas inter ea quæ Dominus requirit, vnum illud cenſet facere iudicium. Sed dicendum eſt, quod textus hic loquitur de iudicio cõdemnationis in proximum: Prophetæ verò & Apoſtolus exi-

Paulus & Prophetæ vrgẽt quod Dominus hic iudicium vetat.

1. Cor. 6. & 8.
Pſal. 118.

Mich. 6.

gunt iudicium, quo iudicamus nos ipſos, id eſt, vt agnoſcamus quid ſumus ex nobis, nimirum malitia ipſa, & prauitas; & vt tales nos condemnemus, & quid ſumus ex Deo, & hoc humili corde confiteamur.

Malũ de proximo iudiciũ ex tribus oritur.

Eccleſ. 10.

Malum verò eſt ex ſignis & coniecturis perperam iudicare de proximo, quando prouenit inde, quòd quis prauus eſt, & ſimiles alios putat. Ait quippe Salomon; *Sed & in via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos exiſtimat*: Vel quando prouenit ex eo, quòd malè affectus eſt, quemadmodum Semei erga Dauid, quem maledicebat, & vocabat virum ſanguinum, & virum Belial, cùm ipſe odio, & liuore contra Dauidem grauius multò peccaret. Nam quemadmodum ex dilectione ad nos ipſos boni eſſe, & haberi cupimus, & bona de nobis credimus; ita de illis, quibus non ſumus bene affecti, facilè malum credimus.

2. Reg. 16.

Iudicium illud quando leue, quando ſit mortiferum.

Quòd ſi ſigna quæ videmus tam leuia ſint, vt dubitationem non ingerant, & adhuc tamen quis dubitet, venialis eſt lapſus. Si verò conſenſus eſt de malo veniali, rurſus venialis; ſi de lethifero, lethalis. Si procedit ad puniendum, grauior culpa eſt. Malum etiam eſt, quando in certis etiam peccatis aliqua perſona odio habetur, vel deſpicitur, vel abiicitur, vel damnetur, eo quòd non habemus eam poteſtatem. Et cùm leuia ſigna ſunt, ſpecialis proximo iniuria irrogatur, quia contemnitur: quando etiam in dubiis vel non ſuſpendimus iudicium, tenendo illa ſigna nõ concludere, quod ſecurius eſt; vel cùm non accipimus in meliorem partem (quia ſine cauſſa contemnitur proximus) cùm idonea culpa nõ ſit. Ideo etiam in publico iudicio, quando vtrinque ſunt pares rationes, liberandus eſt reus, & niſi certis in rebus ad ea, quæ rarò accidunt, leges non adaptantur. L. *Nam ad ea.* ff. de legibus. quanto ergo magis in iudicio priuato?

Tertia radix iudicij mali de proximo.

An dubia de proximi iudicio ſint ſẽper in meliorẽ partẽ interpretanda.

Quoniam verò iudicium de contingẽtibus non perficit directè intellectum, ſed voluntatem: præſtat benè eligere iudicando bonum, licèt error incurratur in talibus. Si autem adhibendum eſt remedium malis aliquibus quæ timentur: tunc debet interpretari id quod peius eſt, adhoc vt firmius remedium adhibeatur. Nam ſi in meliorem partem interpretaremur, ſcilicet paruum eſſe periculum, de paruo remedio proſpiceremus, & poſſet accidere malum grauius, de quo nõ fuerat indicatum: id irco poni debet peccatũ, ac ſi actu iam eſſet, vel futurum eſſe timeretur, non autẽ illud diffiniri: alias periculum eſſet, & remediũ congruum non adhiberetur. Hinc Iob timebat, dicens; *Verebar omnia opera mea, ſciẽs quòd non parceres delinquenti.* Eſt ergo temerarium iudicium, quòd hîc prohibet Chriſtus, quod plerunque aut ex ſuperbia, aut ex odio prouenit. Nam vt in iudicio foreſi ſiue ciuili, rei malefacta diligenter perquiruntur, deinde ipſi reo proponuntur, tertiò etiam aliis publicantur, demùm per ſententiam ob malefacta cõdemnatur: ita prauus Chriſtianus quiſpiam, qui iuſtitiæ laudẽ venatur, aut odio torquetur, facta proximi ſcrutatur, non vt conſulat, ſed vt perdat, ac traducat: & plerunque ſatis eſt illi inter multa benefacta vnum aliquod malum inuenire, ac illud ad traducendum arripere, & benefacta negligere: deinde deprehẽſo errato proximi gaudet, & acriter arripit: nec hoc ſatis eſt, imò & aliis peccatum fratris palàm facit, vt ſic illi opinionem bonam adimat, ſibi autem iuſtitiæ laudem vendicet: poſtremò damnat proximum apud ſe, & apud cæteros.

Iob 9.

Temere & malè proximũ iudicans agit quatuor

Subdit Dominus. *Et non iudicabimini* (ſiue vt apud Lucam Græcè dicitur) *vt non iudicemini.* Intellige de iudicio Dei contra peccatũ temerarij iudicij commiſſi in proximum. Nec odio vos habebit Deus, quia etiam ſine læſione prouidentiæ eius nõ poteſt quis alterum iudicare, quod eſt illi honorem tollere: non permittet quandoque, vt ab aliis iudicemini. Sed hoc in vniuerſum non eſt verum. Imò cum Chriſto ſui iudicantur, & odio habentur; cùm tamen alios non iudicent. Nihilominùs de cenſoribus facilè alios iudicantibus, in pœnã permittit, vt hic iudicentur, & honorem amittant, qui in opinione cõſiſtit. Et quia eiuſdem charitatis, ac ſimilis præmij eſt non damnare proximũ, aut proximi dicta, vel facta, & peccanti in ſe fratri ignoſcere, atq; ob indigentiam aliquid poſtulanti dare; ideo benè apud Lucam ſequitur: *Dimittite, & dimittemini*: Id eſt, Remittetur vobis. ¶ *Date, & dabitur vobis.* Quæ promiſſiones referri poſſunt ad homines, in hũc ſenſum, Ne iudicetis alios, ne & ipſi vicisſim iudicemini ab hominibus, & ſic de reliquis. Cui ſenſui cõſonat quod ſubiungit Lucas: Menſuram bonam, & confertam, &c. dabunt in ſinum veſtrum: vt ita Dominus aduocet à prauo, & temerario iudicio ea ratione, ne nos quoq; illud experiamur, quòd ſuapte natura res integra ſit, & permoleſta omnibus, ſua ab aliis curioſè veſtigari, & ſiniſtrè excipi: tunc cùm iſtæ promiſſiones non ſint in vniuerſum veræ, per eas intelligimus Dominum [illegible] & vulgaribus ſic

Luc. 6.

Non iudicantes, quomodo non iudicentur à Domino.

Temere iudicantium pœna.

Honor in quo conſiſtat.

Ibidem.

Quid eſt: Dimittite, & dimittemini, Date, & dabitur vobis.

Eiuſmodi promiſſiones quo ſenſu accipiendæ ſint.

locutum, quòd vt plurimũ ſic fieri ſoleat. Qui enim facilem ſe, vel in remittendo, vel in dando exhibet, ei vt plurimum viciſsim remittetur, & dabitur, ac benefiet ab aliis. Vt omnia quæcunque voluerimus, vt faciant nobis homines, & nos faciamus illis. Et cum ſimiles in Scripturis promiſsiones, vel locutiones occurrunt, in quibus bonũ, vel malum temporale obuenturum prædicitur: intelligendæ ſunt non quod ſemper eueniat, ſed vt plurimum, vt illud centuplũ accipiat in hac vita. Et Salomõ; *Qui dat pauperi, non indigebit.* Sed certè præſtat Auguſtini, & Chryſoſtomi expoſitio, & aliorũ veterum Patrum, qui eiuſmodi promiſsiones ad Deum referunt, vt ſit ſenſus: Nolite condemnare proximos, & nõ condemnabimini à Deo. Remittite quæ alij in vos admiſerunt: & remittet vobis Deus peccata veſtra. Date indigentibus, & viciſsim dabit vobis, quæ petieritis ab eo. Vel fortaſsis conuenientius eſt, vt vtraque expoſitio ſimul retineatur, vt ſit ſenſus: Nolite alios iudicare, vt & aliorum iudicium effugiatis, & ſaltem ſeuerum illud Dei iudicium non experiamini.

Matth. 7.

Matth. 19.

Prouerb 28.

Alter ſenſus illorum Domini verborũ congruentior.

Augu. lib. 2 de ſer. Dom. in Mon. c. 20 29. & ſequ Chryſoſto. in Matth. hom. 24. tom 2. Mat. 6.

Vtrãq; poſſe ſententiam conſiſtere.

Subdit Lucas: *Menſuram bonam, & cõfertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabũt in ſinum veſtrum.* Menſura materialis eſt bona, id eſt, liberaliter iuſta. Secundò conſerta, vel, vt Græca litera habet, preſſa, quæ magis capit. Tertiò coagitata, vt vas plus capiat. Vltimò ſuperfluens, & in cumulum erecta. Quibus verbis metaphoricè à Dño deſcribitur iuſta, magnifica, ampla quoq; & in alios ſuperfluens bonorum operum merces. Sed qui ſunt illi qui dabunt? nimirum homines iuxta priorem intellectum. Caietanus verò exponit; veſtra bona opera, & merita, quibus redditur merces. Sed melius accipitur ſecundùm Auguſtinum, iuxta illũ loquendi modum, quo Luc. 16. dicitur de pauperibus, ꝙ recipient vos in æterna tabernacula: quia Deus propter illos, quibus bene fit, ſuo nomine recipit in ſua tabernacula, & præmio ampla remunerat. Nec intelligat propter hoc quiſpiam, quòd ſi homo deſinit iudicare proximum ſuum, Deus ipſum non iudicabit: quia non iudicare, eſt de integro nõ peccare; & tamẽ non per hoc quod quis noua peccata non committit, fit ei remiſsio præteritorum, niſi adferat pœnitentiam: vt docet Chryſoſtomus. Ideo ſenſus eſt: Non iudicabimini de hoc peccato, ſcilicet iudicandi proximum: de omnibus tamen peccatis iudicabit hominem Deus, iuxta illud: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum ſiue malum ſit.*

Quid illis Domini verbis ſignificetur: Menſurã bonam, & confertam, &c.

Qui dabunt eiuſmodi mẽſuram in ſinũ veſtrum.

Caietan.

Augu. lib. 2. qq. Euang. c. 8 tom. 4.

Non iudicantes proximũ, quale tantũ modò iudiciũ euadant.

Chryſo. eadẽ homilia.

Eccleſ. 12 & 2. Cor. 5.

In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Id eſt, ſi duro, & infamante iudicio cum proximo egeritis, durum, & infame iudicium ſubibitis. Deus enim iuſtè iudicando, tantũ malum infert peccanti, quantum meruit iniuſtum iudicium. Quemadmodum iudex eius, cuius honor læſus eſt, cauſſam agens, tollit ab eo, qui iniuriam intulit, & confert ei, qui eſt affectus iniuria: id eſt, Tollit ei, qui plus habet, & reddit ei, qui minus habet: atque hoc pro facultate ſua, id eſt, præcipiendo, vt expenſæ reddantur vulnerando, non autem membrum quod non poteſt. Non ergo ſi iniquo iudicio iudicarunt, iniquo iudicabuntur: nulla quippe iniquitas apud Deũ: ſed ita dictũ eſt: *In qua voluntate benefeceritis, in ipſa liberabimini: Vel, In qua malè, in ipſa puniemini.* Et ita: *In qua menſura menſi fueritis remetietur: quòd feceritis, patiemini:* Non vt ſi quis ſtuprum fecerit, hoc etiam patiatur: ſed quod peccato iſto fecit legi, hoc ei lex facit, id eſt: quia legem talia prohibentem de ſua vita abſtulit, auferat eum etiam ipſa lex de hominum vita, quam regit.

In quo iudicio iudicantes iudicabũtur, dixit Dominus.

Rom. 2.

An ſemper iudicans, & ipſe iudicetur.

Et in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Prouerbialis eſt figura, qua ſignificamus, tale nobis repẽdi iudiciũ, ſiue à Deo, ſiue ab aliis, quale nos de proximo fecerimus, & in noſtra eſſe poſitũ poteſtate, mite ne an ſeuerum de nobis fieri velimus iudicium. Nam quia iudicium actus eſt iuſtitiæ, menſura dicitur æqualitatis cauſſa. Et ſignificatur, quod iudicium noſtrum erit ratio, vt homo remuneretur pro eo, ſi bonum eſt; vel puniatur, ſi malum. Quia etiã iudicium eſt quo alios metimur, menſura dicitur: & iuxta meritum, vel demeritum menſuræ, vel iudicij, homo eſt pręmio, vel ſupplicio afficiendus. Cùm verò remunerare ſupra merita, liberalitatis ſit diuinæ, punire verò ſit iuſtitiæ, non vltra, ſed citra meritum: de hoc etiam loquitur. Sed quia non infertur pro culpa, ex eo quòd magis duret, vel delectet (Nam ſtat, grauius peccatũ, vt blaſphemiam, minus durare, & minus delectare, quàm leuius, vt ſtultiloquiũ) ſed pro offenſa Dei, idcirco pœna tamdiù durat, quamdiù reatus: ideò eſt æterna in damnatis, tẽporalis verò in ijs, qui expiantur purgantur igne. Hinc Auguſtinus epiſtola 49. in ſolutione quartæ quæſtionis reſpondet calumniæ Gentiliũ ex his Chriſti verbis acceptæ, quòd temporali peccato ęterna inferãtur ſupplicia, vbi per menſuram intelligit hominis voluntatem, in qua, iuxta quod menſurauerit ſua facta, Deus reddit, vel præmium, vel ſuppli-

In qua menſura mẽſi fuerimus, remetiendum nobis, quomodo verum ſit.

Diuina ſecũdùm Theologos quanta vel in remunerando munificẽtia, vel in puniendo indulgentia.

Cur Deus tẽporariis pœnis reddat æterna ſupplicia.

Auguſt. to. 2.

Hæc ſententia: In qua mẽſura, id eſt

cium.

voluntate, menſi fueritis, &c. quid habeat incōmodi.

Idem.tom.5.

cium.Sed ſenſus iſte durior eſt,nec vulgari loquendi modo, vnde eſt deſumptus, conueniens:quia per illum ſignificatur beneficij,aut maleficij retaliatio. At verò libro 21. De ciuitate Dei cap.15. tractat hæc verba contra eos,qui ex ipſo inſerebant abſurdum eſſe, ſupplicium impiorum eſſe æternum: Non attendunt, inquit, propter æquale temporis ſpatium, ſed propter viciſcitudinem mali, id eſt, vt qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuiſſe menſuram.Sic illè. Taxatur ergo pœna ſecundum grauitatem peccati. Et quia Deus infinitus eſt offenſus, poteſt æterna taxari pro eo,qui manet obſtinatus: ei verò, qui agit pœnitentiam, longiori pœna temporaria.Iuſtum enim eſt, vt etiam dolens puniatur pro offenſione tanti Dei. Ex quo illud: *Quantū glorificauit ſe,& in delicijs fuit; tantùm date illi tormentum, & luctum.* Senſus eſt, Quantum offendit Deum glorificando ſe,& in deliciis exiſtendo,tanto plectite ſupplicio. Et quia peccata in infinitum variant,non expedit,imò nec certa ratione poteſt ſciri ſuppliciorum varietas iuſto illo Dei in iudicio.

Calumnia dicentiū iniquum eſt impiorum æternū ſupplicium, ex voce menſuræ vti reſpondeat Auguſtinus.

Apoc.18.

Expenditur illud; Quantū glorificauit ſe, & in delicijs fuit: tantū date illi tormentū, & luctum.

B.Lucas hoc idem tractans cap. 6.quædam iſtis addidit,quę ſuccinctè ſunt explicanda, Poſtquàm enim dixit:*Nolite iudicare,& non iudicabimini.Nolite condemnare, & non condemnabimini:* ſubdit: *Dimittite,& dimittemini. Date, & dabitur vobis: menſuram bonam,& confertam,& coagitatam, & ſupereffluentē dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura qua menſi fueritis,remetietur vobis.* Duo ſunt, quæ in mutua hominum conſuetudine frequenter verſantur: vt quis alicui debeat; vel alterius ope egeat: quæ hîc memorantur à Domino: vt ſcilicet debētibus nobis remittamus; & demus bis qui indigent. Quod non ſolum de corporeis facultatibus intelligendum eſt, vt remittamus & demus; ſed multò magis de ſpiritualibus, vt ignoſcamus, ſi quid in nos ab aliquo eſt peccatum; & demus ſalutaria conſilia,ac monita. Es quamuis hæc ſponte naturæ facere deberemus noſmetipſos conſiderantes, qui & ipſi omnes ijs egere poſſemus:addit tamē Dominus præmium magnificum,dicendo; *remittetur vobis.*

Luc. 6.

Dimittere quid, & date proximis nostris debeamus.

Diuinæ magnitudo mercedis dimittentium ſcilicet,& dantiū.

Quis non nummum vnū remitteret, vt debitum mille talentorum ſibi remitteretur? aut exiguū non largiretur pecuniā, vt centies multiplicatam acciperet? Hoc lex Euangelica pollicetur, & tanta bona tam multi negligunt comparare. Adiungit *Menſuram bonam,& confertam.* Vbi omnes partes tangit, quæ videri ſolent, cùm vberem menſuram ſecere quis vult. Contertiunt enim talis, & concutiunt menſuram illam, vt ampliùs res quæ datur, reſideat,& magis capax fiat: quod vbi factum eſt, addunt cumulum, quantum capere illa menſura poteſt. Sub qua parabola Dominus non parcè, ſed opulenter nobis remetiendum eſſe oſtendit. Et ſicut cùm abſque parſimonia metiri vos amico farinā, accumulas,concutis,& redundare facis:ita Dominus menſuram magnam, & exundantem dabit tibi.

Menſuræ bonæ,& confertæ, &c. vnde ſumpta metaphora, & quorsū ſpectet.

Sed quod ſequitur, videtur eſſe diuerſum.Subdit enim: *Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Si eandē mercedem pollicetur; quomodo dabit bonam & confertam & concuſſam,& exundantē? Dicēdum eſt, appellare eandem menſurā, non æqualem:nam retributio,quàm à Deo accepturi ſumus, infinitis partibus maior eſt quàm noſtra,cùm æterna ſit, atque immortalis & immēſa,noſtra verò exigua,& temporaria.Sed eandem vocat pro eo,ac ſi dixiſſet:Si vos copiosè,ac liberaliter dederitis; copiosè item, ac liberaliter reddetur vobis.Si parcè ſeminaueritis, parcè & metetis. Si ex animo remiſeritis, & propter Chriſtum,verè remittetur vobis. Si fictè, & magis timore mundi, quàm amore Dei; fictè etiam remittetur vobis. Et licèt menſura tam ad bonum, quàm ad malum referri poſſit;magis tamen propriè ad bonū. Et fortaſſis menſuram bonam vocat,id eſt, magnam: quia vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. Confertā verò,quia gaudium erit plenum, Id quod intrabunt,ita vt nullum ſit deſiderium vacuum in anima,quòd non impleatur: nam de illis ſcriptum eſt: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Coagitata verò dicitur, ꝓptereà quòd gloria animę in corpus ipſum diffunditur, & ſocium diuinæ illius fruitionis efficitur, quantum capere poteſt, ac ſi agitaretur. Exundantem verò, ſiue ſuperfluentem vocat: quòd gloria cuiuſuis beati in alios, quos ſuo aſpectu lętificat,redundet:& eorum merita in ipſis cumulatiſſimè remunerata ad nos etiam iuuandos per viam meriti ex decentia quadam,& congruentia,& via precationis extendantur.

Eadem quomodo menſura qua menſi fuerimus, remetiendū nobis eſt,ſi eam bonam, confertā, coagitatam, & ſupereffluētem accepturi ſumus.

2. Cor.9.

Menſura bona cur dicatur à Domino,& conferta.

1. Cor. 3.
Ioan. 16.
Matth. 25.
Pſalm. 35.

Cur coagitata.

Quare ſupereffluens.

Sequitur in Luca:*Dicebat autem illis ſimilitudinem, Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueā cadent? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtum: perfectus autē omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.* Etſi hæc verba aliud videantur eſſe documentum à ſuperiori:ſunt tamen qui hæc cum illis in hunc modum continuant: Nonne alterum iudicans, & ipſe eadem peccans, comparatus eſt cæco

Matth.15.
Supra 10.& Ioan. 3 & 15.

Hęc ſimilitudo; Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere, & reliqua quomodocū

præcedentibus cohæreat.

cæcum ducenti? nam ſi alium condemnâs, &tu ipſe in eadem incidis peccata, vterque cæci eſtis. Et videris eſſe ille dux, eo quòd condemnas; non es autem dux, quomodo enim ille à te ad bonum inducetur, cùm & tu labaris? Non eſt igitur diſcipulus ſuper magiſtrum. Si igitur tu, qui doctor videris, & dux, laberis, omnibus modis cadet etiam qui docetur & ducitur. Sed in primis

Domini ſimilitudines illæ quò tendant.

intellige has prouerbiales ſententias, quas frequenter protulit Chriſtus, & nō tantū

Matth. 10.
Infrà 15.
Ioan. 15.

hîc, ſed Matth. 10. & 15. & alibi, ad diſcipulos maximè retuliſſe, in quos à principio oculos conuerterat. Monet itaq;, quâti referat eos attentè audire, & ſeruare quæ docentur: nam ſubiectos ſecuturos mores eorum, qualeſcunque ipſi futuri ſint, aut vt

Matth 5.

lux mundi facti alios illuminabunt, & in cœlum introducent; aut vt cæci cæcos ducentes, in foueam inferni cadent.

Illud Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrū quē ſenſum habeat.

Quod verò Prouerbij loco à Græcis iactatur, ſæpenumerò diſcipulos prȩſtantiores magiſtris euadere: huic dicto Chriſti non cōtradicit. Hic enim dicitur, eum, qui ſub alicuius magiſtri diſciplina verſatur, quâdiù ſub illius magiſterio degit, non poſſe magiſtrum ſuperare, ſed ſatis laudis aſſequi, ſi magiſtrum æquet. Nec enim effect⁹ vincere cauſſam ſuam poteſt: etſi interdū Dei munere contingat, vt diſcipuli à ſe magis inſtructi magiſtros vincât, & oues Chriſti ſanctitatis prærogatiua ſuperent paſto-

Gen. 41 & ſe.
Dan 1.

res: quemadmodum Ioſeph prudentia prȩcellebat Pharaonem, & Daniel diuinorum ſapientia Regem Nabuchodonoſor. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratis tui, & trabem in oculo tuo nō vides?* Contra ingenia penè omnium hominum inuehitur Domin⁹,

Quibus dictum: Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabē in oculo tuo non vides?

qui ad vitia aliena, etſi parua, lyncei, & oculati ſunt, & ad arguendum prompti, ad ſua verò magna tanquàm in tergimantica repoſita planè lippi, & cæcutientes ſunt: vt quidam Ethnicus dixit:

Horat. lib. 1. Saty. 3.

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum?

Videre feſtucam in oculo fratris ſui, quid.

Et per feſtucas intellige minora peccata, quȩ citò ſuſcitantur, vt feſtuca à vento, vel citò igne comburitur, quæ aliquo modo turbât intellectum: vt iræ, vel auaritiæ, vel concupiſcentiæ motus, ſed qui nondū creſcit in odium, vel luxuriam, vel furtū: quia tunc fit trabs magna, quæ hominem excæcat, & veritatem iudicij tollit, vt inuidia,

Eſai. 41.

odium, ſuperbia. Hæc ſunt, quȩ magnū excæcarunt Angelum, & quotidiè eorū corda, qui aut poteſtate, aut ſcientia ſunt præditi, & alios præ ſe ipſis deſpiciunt, & iudicant ab amore proprio ſui ipſorū ſuperati.

Vt enim maius corpus oculo obiectū, quo minus perſpiciat, obſtat: ita peccatum, ne quis iuſtè iudicet. Et quia ad iudicia proni

Ne iuſte quis iudicet, quid obſtet & impediat.

1. Cor. 6.

ſimus; docet vbi iudicium exerceamus, donec Angelos iudicemus. Debemus enim nos ipſos iudicare, & non alios. In quo grauiter delinquunt laici reprehendentes religioſos, & contra religioſi laicos. Significatur etiam, peccatum conſcientiæ nocere non ſecùs, atque lignum durum oculum tangens, illum offendit. Et quia trabs in oculo eſſe non poteſt; perſpicuè declarat, ſe non de oculo externo, aut corporeo, ſed ſpirituali ſermonem habere.

Peccatū conſcientiæ vt noceat.

Aut quomodo dicis fratri tuo, Id eſt, Qua facie, vel qua fronte: perinde enim eſt, ac ſi cæcus lippo viam monſtrare vellet, aut ſi claudus, vtroque pede, alium altero pede claudicantem, ſuis humeris geſtare vellet.

Dicens fratri ſuo, Sine, eijciam feſtucā de oculo tuo quid agere videatur.

¶ *Frater, ſine, eijciam feſtucam de oculo tuo.* Hæc de correctione fraterna intelligenda ſunt. Docet egregiè Theophylactus, Dominum his ſimilitudinibus docere voluiſſe, eum, qui alios eſt iudicaturus, vel reprehenſurus, debere ab ijs vitiis eſſe immunē, de quibus velit alios corripere. Priuatum enim vel ex odio, vel inuidia, vel vana gloria minorem peccatorem arguere, vel corrigere velle, malum eſt: imò etiam ſi ex deſiderio ſalutis corrigeret, ſi eius peccatum maius notum eſſet ab arrogantiam & ſcandalum: malum perpetrat, quia vſurpat officium iuſti. Si autem peccatum eius exiſtit incognitum, nec eius ipſum pœnitet, arrogantia eſt, plurimum ſibi tribuens. Quòd ſi eſt notum, & eius eum clam pœnitet; ſcandalum tantùm eſt, non arrogantia: ſecùs ſi nota eſſet; & cooperta eius emendatio. Iudex autem, ſiue laicus, ſiue Eccleſiaſticus, quicunque ille ſit, ex officio iubetur corrigere.

Theophyl. in Matth.

Quo Chriſt⁹ tēdat his verbis parabolicis.

An peccator vnus poſsit alium peccatorem arguere.

Audiui fuiſſe Sacerdotem quēdam, qui cùm magiſtratum gereret Eccleſiaſticum, cùm ſibi dicendum ius eſſet contra ſcortatores, & adulteros, & ſimilia flagitia, cœpit ad omnia, etſi enormia delicta conniuere. Qua de re admonitus à familiaribus, quid iſta tam manifeſta crimina contra Canones, & ſtatuta Eccleſiæ non puniret? Ne meo, inquit, iudicio condemnē me ipſum; qui ſimilia patrare non deſino. Is ſibi perſuaſerat, neque ſe propter ſcelera ſua correctum iri à Deo, ſi ipſe non corriperet eos, in quos habebat poteſtatem: quia hîc dicitur: *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Verùm nō eſt hic ſenſus verborum Domini: quippe qui ob hoc ipſum conſtituit Apoſtolos, & Epiſcopos, dans eis claues Eccleſiæ, & Principibus gladium, & iudicēt, corripiant, & puniât: qui ſi flagitioſè

Iudicis cuiuſdā Eccleſiaſtici minus idonea, quod peccatores publicos non argueret, excuſatio.

Publicè, Præſertim peccatores qui debent arguere ex officio.

viuant, habent iudicem Deum: ſi verò officio ſuo deſint, ineuitabilem iram Dei ea ratione duplicabunt, non de ſuis tantùm peccatis, verùm etiam de alienis daturi pœnas. ¶ *Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo.*

Iniuſtè aliũ corrigẽs, est hypocrita.

Hypocrita eſt, qui alienam perſonam induit: qui autem alium corrigit, debet eſſe innocens. Qui ergo, cùm ſit peccator, aſſumit perſonam corrigentis, iam nõ ſuam, ſed alicuius innocentis perſonam gerit, ac proinde hypocrita eſt.

II. Ratio.

Vel quia prætextu correctionis aliena vitia quidam norunt, cùm reuera id agant propoſito cõdemnationis: nam ſi curandi fratris ſtudio id agerent, priùs grauiora ſua crimina curarent, cùm magis ſe ipſos diligere lege charitatis, quàm proximum, adſtringantur. Vt igitur poſſint corrigere alios, emendent priùs ſeipſos.

Greg 2. parte paſtoralis cu ra, c. 2 intio, & lib. 1 epiſt c. 24 ſub initium, tom 2.

Nec enim, teſte Gregorio, benè manus illa faciem lauat, quæ lutum tenet. Eiice ergo primùm trabem, & tũc videbis vt eiicias, id eſt, ad hunc effectum, vt eiicere valeas feſtucam de oculo fratris.

Quid eſt: Eiice ergo primum trabẽ, & tunc videbis vt eiicias feſtucam de oculo fratris tui.

Nunc autem ſi tras ſuperbiæ, & immiſericordiæ ſit ſublata, bene, & legitimè videre poterit, vt eiiciat. Quaſi dicat: Primò non videbas ad eiiciendum, ſed ad conuitiandum, & damnandum: at, remota trabe, vteris iudicio, & dilectione, cuius finis erit ſalus proximi tui atque lucrum, & Dei gloria.

Quàm grauia ſuperiorum vitia.

Adhæc idem vitium quod in laico eſt feſtuca, in Sacerdote, & prælato eſt quaſi trabs, quia eius vita debet eſſe forma, & ſpeculũ aliorum: quare nec eius eſt alios reprehendere de vitio, quo ipſe tenetur.

Superioris de communi vitio aliũ corripẽtus qualis debet eſſe correctio.

¶ Vbi nota, quòd talis correctio vix erit abſq; peccato corrigentis, niſi ex dilectione faciat, & miſericordia, & cum cognitione ſui ipſius, & propoſito ſe emendãdi: quod propoſitum etiam indicare debet, ſi noueritis, qui corripitur, peccatum eius; ne alioqui ſcandalum patiatur. Aio vix id fieri poſſe abſque peccato: quia ſumere prouinciam curandi alios, ac interim ſe ipſum negligere, ſuperbia eſt, & arrogantia. ¶ *Eiice primum trabem.*

Volens eiicere feſtucã de oculo fratris ſui, eur primùm trabẽ de oculo ſuo debet eiicere.

Quia te magis debes cognoſcere, quàm alterum: magis etiam teipſum diligere lege Dei iuberis, quàm alterum. Maiora etiam delicta citiùs conſpiciuntur, quàm minora: & vt plurimum ij, qui non vident ſe ipſos, neq; cognoſcunt, amaros ſe aliis, & ſeueros oſtendere ſolent.

M. Tull.

Pulchra eſt ſententia Ciceronis contra eos, qui in alios animaduertere volunt, ait enim Actione 5. in Verrem, initio: *Legem ſibi ipſi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumq; omnium, qui ab altero rationem vitæ repoſcunt.*

Pſalm. 140. Cui proprium peccatorem corripere.

Et Propheta: *Corripiet me,* inquit, *iuſtus in miſericordia, & increpabit me*: quaſi diceret: Iuſti eſt peccatorem corripere; *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Frequentiſſimum eſt hoc vitium, haud conueniens ad reformãdam Eccleſiam: nam præpoſtero ordine quiſque in alio vitia emendare vult, ſe ipſo neglecto. Hæreticus iactat abuſus in Eccleſiam: Catholicus hæretico obiectat impia dogmata, & vitam minimè meliorem.

Quid hac feſtucæ, ac trabis ſimilitudine Chriſtus voluerit oſtendere.

Oſtendit autem Dominus hoc loco, peccata feſtucis, ac trabibus comparando, quàm impatiẽs peccati anima noſtra eſſe debeat, ſanè quam eſt oculus feſtucæ, & trabis impatiens. Res tenerrima, ac delicatiſſima eſt oculus, vt vel à minutiſſima re lædatur, & ſi læditur, lacrymas fundit: tenerior tamen eſt anima, vt vel ab exiguo vitio incommodum patiatur. Et vt trabs, & feſtuca vtraque ad ignem nata eſt: ita peccata ad ignem inferni, niſi igne doloris, & pœnitentiæ in hac vita exurantur.

1. Cor. 3. Ligni, fœni, ſtipulæ nominibus, quid ſignificauerit Apoſtolus.

Apoſtolus 1. Corinth. 3. agens de ligno, fœno, atque ſtipula, per illa metaphoricè peccata varia intellexit, maiora, minora, & minima, vt hic Dominus per trabem & feſtucam.

Feſtuca vnde ſit. *Aug. ſer. 16. de verb. Dom. to. 10.*

Eſt autem feſtuca, vt Auguſtinus ſerm. de verb. Dom. interpretatur, initium trabis: nam trabs quando naſcitur, priùs feſtuca eſt. Græca tamen dictio eſt *κάρφος*, quæ breuiſſimam ligni particulam ſignificat, quæ rectè hic opponitur trabi, cùm feſtuca in priori ſenſu magis ſit oppoſita arbori, quã trabi.

Seipſos tantùm non alios temerè iudicantes, quid à Deo cõſequentur.

Contendamus ergo, vt diuina hæc iudicia amplectamur, & exoſculemur, & humana, & temeraria iudicia omni diligentia vitemus, reſpuamusq;: nullosque alios magis iudicemus, quam nos ipſos. Hæc etenim iudicia certam nobis parient ſalutem, atque incorruptum, & vniuerſalem mundi iudicem nobis cõciliabunt, & propitium reddent Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre, & Spiritu ſancto ſumma potitur felicitate in perpetuas æternitates, Amen.

TRACTATVS LX.

In illa verba: *Nolite dare ſanctum canibus, neq; mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & canes conuerſi dirumpant vos.*

Qualis hæc Domini doctrina: Nolite dare ſanctum canibus, &c.

PRAESTANTISSIMA eſt, & vtiliſſima hæc doctrina, & Eccleſiæ Doctoribus apprimè neceſſaria. Tradit enim, qua ratione verbum Dei diſpẽſandum ſit, & quibus myſteria fidei exponẽda: rurſus qua ratione Sacramenta, quæ ad hominem ſanctificandum inſtituta ſunt, quibusq; legitimè, & cum fructu ſint adminiſtranda.

Vti cũ præcedentibus cohæreat.

Nam qui artem in his diſtribuendis non tenuerit, officio paſtoris, & prædicatoris ſatisfacere nequaquam poterit. Pulchrè autem, poſtquam præcedenti præcepto docuit vitare hypocriſin, odium, & acerbitatem in iudicando, iam hic docet obſeruare prudentiam, & vigilantiam, ne videlicet per negligentiam, aut oſcitantiam indignos admittamus ad Chriſtianæ religionis myſteria. Non tantùm ergo debemus eſſe ſimplices vt columbæ in iudicando, ſed etiam prudentes ſicut ſerpentes In diſpenſando verbo Dei, & Sacramento. Exiſtimat Autor operis imperfect. Dominum propterea hoc præceptum addidiſſe; ne Sacerdotes cogitarent, quæ Dei ſunt, eis communicanda, qui in nos delinquunt. Ac ſi dicat; Mandaui vobis diligere inimicos, & non iudicare eos, ac benefacere eis de bonis veſtris corporalibus: non tamen de meis ſpiritualibus paſſim. Quoniam in natura vobiſcum communes ſunt, & non in fide; & Deus carnalia beneficia dignis & indignis gratis ſimiliter præſtat, non autem dona ſpiritualia. Hæc ille ferè. Sed magis ad rem dici poteſt, quòd cum in præcedentibus docuerit, qui non debeant alios vel corripere, vel iudicare, vel docere; hic iam tradit qui non debeant corripi, vel doceri, ne is, qui purus eſt, & trabem iam eiecit de oculo ſuo, putet ſe quoſuis corripere, & docere debere, quos videt vitiis quibuſdam obnoxios.

Matth. 10.
Altera cõnexionis ratio, ſed minus idonea quorundam, ac ſolida.
Aut. ope. imperf. in Matth. ho. 17. tom. 2. operum B. Chryſoſt.
Matth. 5.

Propoſitæ Chriſti doctrinæ ratio obſcuritatis.
Ioan. 16.

Hanc autem tam excellentem doctrinam tradidit Dominus nõ apertis verbis, quòd eius auditores tunc nondum eſſent capaces, quanquam ſuo tempore Spiritu ſancto illis communicato futuri eſſent: ac vt res ſub metaphoris, & ſimilitudinibus inuoluta, indignis celaretur, his autem, qui digni eſſent, maiori cum eorum animi voluptate, & iocunditate explicatè traderetur, & memoria retineretur. Duæ ſunt ergo metaphoræ; altera de ſancto non dando canibus; altera de margaritis non proiiciendis in porcos. Sanctum illud eſt, quod eſt ab omni alio vſu ſemotum, diuinoque cultui mancipatum, quemadmodum templum, altare, Sacerdos, & ſimilia: qua ratione nihil eſt ſanctius Ieſu Chriſto, qui Sanctus Sanctorum, & Sanctus Dei in Scripturis appellatur, & ſanctum ſubſtantiuè ab Angelo nuncupatur, cùm dixit ad Virginem: *Quod enim naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*: hic verò cum articulo dicitur Græcè τὸ ἅγιον, Id eſt, illud, quod per ſe eſt ſanctum. Nihil etiam eſt Deo magis conſecratum, & dicatum, quàm ſancta illa Chriſti Humanitas, quæ Dei verbo per vnionem hypoſtaticam in vnitatem perſonæ eſt coniuncta, Verbiq; diuini vſibus, & miniſteriis ſummè addicta, & applicata: ita vt ipſe ſit ſanctum Dei Altare, ſanctum Templum, ſancta Hoſtia, ſanctus Sacerdos. Cùm igitur ipſe eſſet fons totius ſanctitatis, & ab eo eſſent homines ſuo ſancto ſanguine redimendi, & doctrina ſacroſancta inſtituendi, Apoſtolis duo miniſteria tradidit, & verbi, & Sacramenti: de quibus Apoſtolus 2. Cor. 5. meminit, cùm ait: *Et poſuit in nobis verbum reconciliationis*: & iterum paullò antè: *Dedit nobis miniſterium reconciliationis*: quod miniſterium de Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ eſt intelligendum, quibus ex inimicitia peccati cum Deo recõciliamur. Etſi ergo nomine Sancti tam Verbum, quàm Sacramentum intelligi queant, quemadmodùm etiam nomine Margaritæ: qui Verbum DEI ſanctum eſt, hoc eſt, diuinum, non humanum, aut profanum, aut ad mundandum hominem ab omni errore, & peccato accommodatum, & ad vſus diuinæ gloriæ hominem mancipandum: & Margaritum pretioſum rectè repræſentare poſſit Sacramẽta Chriſti propter pretium, & dignitatem, quam continent, & ornamentum quod per illa, tanquam Margaritas ſponſæ Chriſti accedant, & hominem diuinæ gratiæ locupletem conſtituant, magis tamen ſententia eorum placet, qui per Sanctum, intelligi volunt Sacramenta: & per Margaritas intelligunt Dei verba, ſiue Chriſtianæ Religionis myſteria. In qua ſententia eſt Hieron. qui in præſentem locum ſcribens, ait: *Sanctum, panis eſt filiorum. Non debemus ergo tollere panem filiorum, & dare eum canibus.* Et infra: *Non conuenit iſtius modi hominibus citò Euangelicum credere Margaritum, ne conculcent illud, & conuerſi nos incipiant diſſipare.* Autor Operis imperfecti in Matthæum: *Sanctum, eſt*, inquit, *baptiſma; propterea non eſt dandum, niſi iam fidem habentibus. Sancta eſt gratia corporis Chriſti, propterea illis ſolis danda eſt, qui iam per baptiſmum facti ſunt filij Dei, & per impoſitionem manus. Benedictus panis ſancta ſunt, propterea illis porrigenda ſunt, qui capaces facti ſunt benedictionum per fidem. Item myſteria veritatis Margarita ſunt: quia ſicut Margarita incluſa cochleis poſita ſunt in profundum maris, ſic & diuina myſteria in verbis incluſa, poſita ſunt intus in altitudinem Scripturarum ſanctarum.* Sic ille.

Sanctum quid ſit.
Dan. 9.
Marc. 1.
Luc. 1.
Chriſti Humanitas quã ſancta.
Quę duo miniſteria fuerint Apoſtolis cõmiſſa.
2. Cor. 5.
Ibidem.
Quid: Nolite ſanctũ dare canibus.
Alter ſenſus cõgruentior.
Hier. tom. 9.
Matth. 15.
Aut. op. imp. in Matth. ho. prædicta.
Baptiſma, & gratia corporis Chriſti, & benedictus panis quibus danda tantummodò.

Quanquam ſi oppoſito modo interpretere per Sanctum, verbũ Dei, per Margaritas Sacramenta, vel vtraq; voce, tùm verbum, tùm Sacramentum, vt quidã volunt, à ſenſu legitimo huius loci, vt puto, non aber-

B. *Aug. c.* 20. *in pr. tom.* 4.

aberrabis. Vnde Auguſtinus libr. 2. de ſermone Domini in Monte, ait: *Sanctum eſt, quod violare atque corrumpere nefas eſt, cuius vtique ſceleris conatus, & voluntas tenetur rea: quamuis illud Sanctum natura inuiolabile, atque incorruptibile maneat. Margarita autem quæcunq; ſpiritualia magni æſtimanda ſunt, &c. Licet itaque intelligi, quòd vna eademque res, & Sanctum, & Margarita dici poſſit: ſed ſanctum ex eo, quòd non debet corrumpi, Margarita, ex eo quòd non debet contemni.* Hęc illius eſt ſententia. Per Sanctum ergo poſſumus intelligere Sacramenta, nam illa pura ſunt, ſacro ſanguine Chriſti empta, puram gratiam continent, à puris miniſtris tractāda, à non niſi puro, & ſyncero corde accedentibus ſuſcipienda, & denique ad ſanctificandum hominem, diuiniſque vſibus addicendum Inſtituta. Verba autem Dei, ſiue myſteria regni cœlorum, rectè Margaritis comparantur: quia ſunt pretioſiſſimæ, & vtiliſſimæ veritates ad ditandum, & ornandum animas, quæ futuræ ſunt Chriſti ſponſæ, pro quibus cōmparandis debet anima omnia bona ſua diſtrahere, vt docet parabola Euangelica de mercatore quærente bonas Margaritas. Delectant etiam mirificè huiuſmodi Margaritæ: quòd cruſtis concharum integantur, & maris in profundō naſcantur. Chriſti verò myſteria, & quæ Euangelium tradit, variis figuris, ſimilitudinibusque in Veteri Teſtamento obuelata continentur, & ex eo, tanquam ex profundo mari, à præſtantibus piſcatoribus eruendæ ſunt, & poliendæ; vt Chriſti fideles ea impensè ament, atque magni pendant.

Sanctū quid, & Margaritæ Auguſtino.

Sacramenta, Sanctum diuina myſteria rectè Margaritas, & cō ueniéenter etiam intellig i poſſe.

Matth. 13.

Rectè autem, inquit, *Margaritas veſtras*, & nō, ſanctum veſtrum: quia etſi verbum, & Sacramentum ex Deo ſint, & ab eo profecta, minus tamen habet miniſter in Sacramento, quàm in verbo; quia in Sacramento nudum miniſterium pręſtat. Vnde & eodem modo quod ad ſubſtantiam attinet, porrigitur. In verbo autem diſpenſando, opus eſt labore, & induſtria, tùm corporis, tum animi: adeò vt Sacramenta proptereà oon dicantur noſtra, ſed Dei; verba autem prædicationis eſſe eius dicantur, à quo prodeunt. Hinc Paulus ait: *Secundum Euangelium meum*: & alio loco: *Sermo meus, & prædicatio mea*, & quæ ſunt reliqua. Ex quo nō vno, & eodem modo verbum Dei diſpenſabant Apoſtoli, licèt eundem Chriſtum, idemque Euangelium prędicarent: quia alio modo, & pro captu, & qualitate auditorum Spiritus ſanctus eos agebat. Rectè autem ſanctum dari, & Margaritum proiici dicuntur: quia Sacramenta cùm ſint ſigna ſenſibilia, diſpenſantur, ſiue dantur, verbum autem Dei, cùm ore diſpenſetur, proiici dicitur: quia de corde depromitur, ſiue euomitur.

Margaritas veſtras, non autem, ſanctum veſtrū, Chriſtus cur dixit.

2. *Tim.* 2. *& Rom. vlt. & ſæpè alibi.*

Verbum Dei cur Apoſtoli non æqualiter diſpēſarent.

Sacramentū dari, & Margaritæ cur proiici dicantur.

Iam explicandum eſt, qui ſint illi, qui veniant intelligendi nomine canum, & porcorum: quæ duo animalia erant immunda in lege Moyſi. Et nota, idcircò Dominum ea coniunxiſſe (vt Petrus etiam illa coniunxit) & Poëta ethnicus Horatius ad Lollium dixit:

2. *Petr.* 2. *Horat. l.* 1. *ep.* 2. *ad Lollium prope finis.*

Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

Canis apud Iudæos animal erat contemptiſſimum, & immundum coram Deo, eò quòd nec diuidat vngulam, nec ruminet, & ſe ipſum ſanguine oblectat, & fętidis cadaueribus paſcitur. Vnde Deuter. 23. dicitur: *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui: & Dominus non vult panem filiorum mitti canibus.* Et Salomon: *Quæ communicatio ſancto homini ad canem.* Eſt & animal iracundum, ac contentioſum, latratu etiam omnibus hominibus ignotis moleſtum, & morſu petēs ſe ligantes, & percutientes, irritantesve: & cauda hero ſuo adulari ſolitum. Habet etiam aliud vitium, vt cùm ſit animal vorax, facilè vomat, & ad vomitum ſuum iterum redeat. Voce igitur canum intelligendi ſunt infideles, quia animalia ſunt immunda, nec apta ad ſacrificium, nec ad eſum, niſi ab infidelitate ſe ſpolient. Vnde Petrus in viſione lintei videns quadrupedia, & animantia, dixit: *Abſit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.* Poſſunt etiam intelligi Hæretici voce canum, quia clamoſi ſunt, ac contentioſi, & veritatem agnitam latratu, & morſu impugnant: neq; enim cōtenti verbis agere, aut ſcriptis maledicis atque mordacibus, ſed etiam vi & armis ad hæreſes diſſeminandas prorumpunt. Vnde Dauid ſuōs, vel Chriſti hoſtes implacabiles, canes vocat: *Circumdederunt me*, inquit, *canes multi*: & rurſus ibidem: *Et de manu canis vnicam meam.* De his etiam canibus Apoſtolus inquit: *Videte canes, videte malos operarios.* Valent tertio loco intelligi voce canum carnales, ac perfidi Chriſtiani, qui etſi fidem retineant, ad eas tamen immunditias, & ſordes, quibus in Baptiſmo, & Sacramento Pœnitentiæ renunciarunt, iterum redeunt, & tanquam canes ad vomitum, vt dixit Beatus Petrus. Tales etiam ſunt illi, de quibus Propheta: *Canes muti non valentes latrare.* Nam prælati, qui Dominico gregi cuſtodiendo deputati ſunt, panis offa tanquam Cerberus incantantur, ne in dęmones, & peccata, tanquam fures, & lupos allatrent.

Canis cur animal immū dum in lege.

Deut. 23.

Eccleſ. 13.

II. Ratio.

III. Ratio. *Prouerb.* 30.

Quamobrē infideles, canes appellentur.

Actor. 10.

Hæretici quoque canes quàm rectè dicantur.

Pſalm. 21.

Philip. 3.

Canum etiam appellatio quibus competat Chriſtianis.

2. *Petr.* 2. *Eſai* 56.

Prædicatores quales canes, teſte Propheta.

Porcus verò, immundum eſt animal, iuxta

Leuit. 11.

Prima ratio, porcus cur ſit animal immundum.

xta Legem, quia etſi diuidit vngulam, non tamen ruminat: vnde voraciſſimum eſt animal, nulli alteri rei, quàm edacitati intentum: neque tamen gratum homini cibum porrigenti, aut glandes è quercu demittenti, quod vultum pronum gerat, & in terram ſpectet. Neque tantùm Iudæis erat immũdum ad eſum, vel ad ſacrificium, ſed etiam Gentilibus. Nam Aegypti, Herodoto teſte ſuem, adeò ſpurcam ducebant belluam, vt ſi quis, vel tranſiens eum contigiſſet, continuò properaret ad flumen, ſe pariter, ac veſtem ablnturus. Eſt etiam porcus, animal, quod in luto volutari ſemper gaudet, vt ea ratione immundus maximè à nobis cẽſeatur. Et nomine ſuum poſſunt intelligi, vel infideles, qui tantùm ad hæc pręſentia bona ſpectanda, & fruenda ſe natos putant: vnde legio dæmonum expulſa à Chriſto ingreſſa eſt in porcos; per quos intelligo infideles, & eos qui Chriſtum recipere noluerunt: quales Geraſeni fuerunt, qui rogauerunt eum, vt à ſe abiret. Vel Hæreticos, qui vt in cœno voluptatum & ſordium ſuarum tutò quieſcere valeant, hæreſes confingunt ad ſuas prauas cupiditates, & laſciuias accommodatas: quales multi fuerunt noſtro ſeculo, quorum quidam Cynicorum nomen non detrectarunt. Nam vt animal illud inuerecundum eſt, & palam venereo actui incumbit, ita ex iſtis plurimi non putarunt dedecus vllum eſſe aut ignominiam, ſi poſt vota caſtitatis ſolenniter emiſſa, poſt profeſſionem Religionis, & Ordines Sacros ſuſceptos, effrontes atque impudentes publicè vxores ducerent; dogmatizantes, grunientesq;, ſancta eſſe connubia, & matrimonia immaculata; quæ tamen ſunt obſcœnæ, & propudioſæ ſcortationes, atq; vt Comicus dixit; *Quas credis eſſe has, non ſunt veræ nuptiæ.*

Herodot. Halycarnaſſ.

Secũda ratio.

Infideles cur porci nominentur.

Matth. 8.

Ibidem.

Hæreticos meritò etiã nominari porcos.

Idem quàm Cynicos imitentur.

Hebr. vlt.

Terent. in Andria.

Commodè etiam nomine ſuum veniunt fideles ipſi voluptatibus venereis dediti, in quibus poſtquam abluti ſunt, & mundati in Baptiſmo, aut lachrymis pœnitentię, iterum ad eas captandas feſtinant, non aliter quàm ſus lota in volutabrum luti reuerti ſolet. Nihil etiam refert, ſi nomine canum, & ſuum, eoſdem ſine diſtinctione accipiamus, vt de ſancto, & Margaritis eſt dictum.

Chriſtiani & Catholici præterea qui porci.

His præmiſſis, explicandum eſt qua ratione Sacramenta non ſint danda canibus: nam ſic videtur Chriſtus dediſſe Iudæ, qui canis ſibi non ignotus erat; & plerunque ſacerdotes Sacramenta miniſtrant meretricibus, & vſurariis, & his qui iniurias intulerunt, nolentibus remittere. Præterea duo ſunt Sacramenta, quæ primam gratiam conferunt, nimirùm Baptiſmus, & Pœnitentia: & Ita in eo, qui illa ſuſcepturus eſt, ponunt adeſſe peccatum, & per conſequens eſſe canes, ſuesve, accedentes.

De ratione Sacramenta adminiſtrandi agitur.

Ioan. 12.

Reſpondemus, iuſtum, & ſanctum eſſe præceptum Chriſti, interdicentis dari ſanctum canibus. Nam Baptiſmus non eſt dandus nolenti in Chriſtum credere, quia in eo fit fidei profeſſio: vnde Dominus dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit:* & nondum baptizato non poſſunt miniſtrari alia Sacramenta, quia Baptiſmus eſt ianua Sacramentorum: neque ad infideles ſe extendunt claues Eccleſiæ. Hæretico autem, quandiu in hæreſi permanet, nullum poteſt eſſe vtile, aut ſalutare Sacramentum, nec Baptiſmus, quem ſuſcepit, ſalutem præſtat, niſi recedente fictione, nec Euchariſtia ſymbolum vnionis, illis conuenit, nec per claues Eccleſiæ reconciliandi ſunt, niſi hæreſi abiurata. Vnde quòd hæretici noſtræ tempeſtatis tanta contentione, & pertinacia communionem ſub vtraque ſpecie poſtulauerint, ſatis prodiderunt ingenium ſuum, quod eſt, ſemper velle vincere: neque audienda ſunt eorum vota, niſi priùs omnem hæreſim abiurauerint, & ſe Eccleſiæ Romanæ per omnia, tanquam veros Dei filios ſubiecerint: & præcipuè confiteantur, nullum iuris Diuini præceptum extare, quod communionem in vtraq; ſpecie exigat, ac proinde totum Chriſtum contineri ſub vna tantùm ſpecie, atque ſub duabus. Nam niſi hęc præcedat fides, & confeſſio, potiùs detrimẽtum adfert communio ſub vtraque ſpecie, quàm vtilitatem: imò nec ad vnam tantùm ſpeciem ſumendam apti ſunt, quicunque hac fide non ſunt prędití. Conceſſa quidem olim fuit Bohemis, à Concilio Baſilienſi hæc ſub vtraque ſpecie communio ſub certis conditionibus: ſed quos ſucceſſus habuerit, demonſtrant hæreticorum quorundam ex illa natæ factiones, & abuſus planè intolerabiles, propter quos de medio tollendos coactus fuit Pius Secundus conceſſionem reuocare. Proinde Hæretico nullum porrigitur ſalutare Sacramentum, quia extra Eccleſiam poſſunt quidem eſſe Sacramenta, ſed non prodeſſe: quædam tamen ſunt, quæ abiecto obice hæreſis, effectum gratiæ ſuæ operantur, vt Baptiſmus, Confirmatio atq; Ordo ſacer. Carnali verò, & improbo Chriſtiano Baptiſmus dandus non eſt, quem iam habet: poteſt tamen dari abſolutionis Sacramentum, modò à peccato

Baptiſmi Sacramentum quibus infidelibus non dandum.

Marc. vlt.

Matth. 16. & Infrà 18.

Hæreticis nihil valere Eccleſiæ Sacramenta.

Ingenium hæreticorũ quod.

Eiſdem communio vtriuſq; ſpeciei quàm vana, & inutilis.

Cur eis olim conceſſa, eademq; poſteà adempta.

Fideli improbo, & carnali an Sacramẽtũ abſolutionis dandum.

reſipi-

reſipiſcat, & à ſtatu peccati, in quo eſt, verè recedat, & non fictè, vt à concubinatu, meretricatu, detentione rei alienæ, cùm poſſit reſtituere, ab ſtatu gerendarum inimicitiarum, & ab vſura, & ab iniuria quacunque, qua proximum afficere valet. Quod ſi ſemel, aut bis ſacerdoti promiſerit receſſum ab ſtatu peccati, & pollicitis non ſteterit, quia ille fictè videtur accedere, & non cótritus, & pœnitens ſui erroris, abſolutionis beneficium ei denegare iure valet. Euchariſtiæ verò Sacramentum nulli eſt diſpenſandum, niſi prius legitimè ſeipſum quis probauerit, & explorauerit, vt præcepit Apoſtolus: ne panis vitæ indigno porrectus, & ſumenti fiat cibus mortis, & ei qui impertit, in peccatum. Maximè tamen ſacrorum ordinum promotio magna fieri debet cum cautela & prudentia, neque paſſim ad tantum Sacramentum quilibet de plebe ſunt aſſumendi; ſed vitę ſanctitate & doctrina conſpicui viri, per quos Chriſti corpus eſt contrectandum, & verbum Dei fidelibus diſpenſandum, & populus Dei paſcendus, atque regendus: qui niſi moribus ſanctis, & doctrina pręcellenti miniſterium ſuum exornent, in contemptum veniunt Sacramenta, & dignitates Eccleſiaſticæ, & animarum ſalus periclitatur; & demum Chriſtus ipſe contemnitur. Vnde Paulus expendens in quo periculo verſentur Epiſcopi, qui ineptos, & indignos ad ſacros ordines promouent, ſcribens ad Timotheum, dixit: *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Omnium enim peccatorum, & ſcandalorum, quę ex talium promotione oriuntur, particeps efficitur Epiſcopus promouens. Ad id ergo, quod de Iuda obiectum eſt, reſpondent quidam, minimè illum ſacra myſteria participaſſe: nam contendunt illum priùs abijſſe de cœna ad prodendum eum, antequam Dominus Sacramentum inſtitueret, & illud Apoſtolis porrigeret; nam abſens non poterat communicare. Si verò præſens fuit, vt multi volunt, Dominus ei ſanctum non denegauit, cùm peccatum eius ſecretum eſſet, non publicum. Qua ratione Sacerdos non debet publicè denegare Sacramenta quantumcunque ſceleratis, ac flagitioſis, & à ſe notis illa poſtulantibus, dummodò peccata eorum publica, & manifeſta non ſint, ne denegando videatur eorum vitia detegere, atque eos infamare. at ſi peccata publica ſint, & omnibus cognita, neque conſtet de eorum pœnitentia, iuſtè Sacramenta denegantur. Et ita ſoluitur quod ſecundo loco obijciebatur de multis, magnis, & enormibus flagitijs, a ſceleribus contaminatis, quibus Sacramenta conferuntur, quæ ſumentibus tantùm noxia ſunt, conferenti verò, ad peccatum minimè imputantur, cùm ignota ei ſint eorum flagitia. Nam de non apparentibus, & de non exiſtentibus, vt tradunt Iuriſperiti, idem eſt iudicium humanum. Quod ſi fortè ea nouerit, vt Dei vicarius in confeſſione, non tamen publica ſunt, vt dignos faciant, qui à Sacramentorum vſu excludantur; non eſt deneganda Euchariſtia, ne ſecretę confeſſionis ſigillum detegere videatur Sacerdos.

Euchariſtia quibus deneganda.

1. Cor. 11.

Ibidem.

Sacer Ordo quibus conferendus tantùmmodo.

Temerariæ ordinationes & indignæ, quam damnoſæ.

1. Tim. 5.

An Iudæ proditori Chriſtus porrexerit Euchariſtiam.

Ioan. 13.

Matth. 26.

Maximis etiã peccatoribus occultis Sacramenta cur minimè neganda.

Cur etiam ſacerdos peccatori occulto, & indigno debeat dare Euchariſtiam.

Quod verò tertio loco dictum eſt, bina Sacramenta, Baptiſmi ſcilicet, atque Pœnitentiæ, præſtare gratiam primam: Reſponſio eſt, quòd etſi per illa Sacramenta prima gratia conferatur; haud propterea tamé fit, vt nulla diſpoſitio, vel præparatio ad illa ſuſcipienda requiratur. Nam ad dignè ſuſcipiendum baptiſmum, opus eſt fide, & fidei confeſſione, ac prioris vitę pœnitentia, vt poſſit nouam inchoare, ac renunciare mundo, & diabolo, ac pompis eius. In altero verò Sacramento opus eſt vera pœnitétia, & lacrymis, & enumeratione delictorum coram ſacerdote, & ſatisfactione, quã ille pro arbitrio ſuo impoſuerit. Ijs ergo, qui ita viam ſibi muniunt, & ita præparati accedunt ad Dei myſteria, tutò Sacraméta diſpenſamus: nec jam cenſendi ſunt, aut canes, aut porci, qui vitam priorem canum, ſuumque deteſtantur. Atque hæc dicta ſunt de diſpenſatione Sacramentorum.

Baptiſmus & Pœnitentia cum conferãt gratiam primam, cur omnibus infidelibus non dantur.

Iam verò de diſpenſatione verbi Dei, & Margariti Euangelici diſſerendum eſt. Videtur enim Chriſtus promiſcuè verbũ Dei diſſeminaſſe, vt conſtat ex his, qui illi ſe opponebant, & contradicebant, qui ſanè canes & porci dici poterant. Deinde Chriſtus præcepit prędicari Euangelium omni creaturæ, & docere omnes gentes, inter quos multi reſtiterunt, & verbis, & ſcriptis, & factis Fidem Catholicam oppugnãrunt. Quomodo ergo non ſunt projciendę margaritæ ante porcos? Ad hæc Stephanus Act. 7. ſermonem lõgum habuit ad Iudæos, cuius oratione inceńſi fuerũt, vt mox ipſum corriperent, & eiectũ de ciuitate lapidarent. Reſpondendum eſt, quædam eſſe in fide Catholica tanquam articulos manifeſtos, qui ab omnibus cognoſcuntur, tam fidelibus, quàm infidelibus: Vt, Chriſtum fuiſſe Deum, & hominem, & pro peccatis noſtris mortuum, & ſurrexiſſe, & in cœlos aſcendiſſe, ac ſimiles. Nã ſi hæc ab omnib⁹ non credãtur, infideles tamen, qui inter nos verſantur, nõ ignorãt nos hæc fide profiteri. Alia verò ſunt magis occulta, vt eſt virt⁹

An verbum Dei ſit omnibus diſpenſandum.

Primum arg. pro parte affirmatiua.

Secundum argumentum.

Marc. vlt.

Tertium argumentum.

Solutio quæſtionis propoſitæ.

Sacra-

Sacramentorum, quid operentur, & quomodò, & cæremoniæ quibus miniſtrantur, & alia myſteria quæ latent in ſacra Scriptura. Articuli ergo, quos infideles norunt nos magna fide ſuſcipere, ſi ſperatur fructus cõuerſionis eorum, poſſunt eis proponi, & ſuaderi, etiamſi oriatur ex eo ſcandalum quorũdam Phariſæorum, quo cum ab initio diſſeminata eſt fides. Si autem nullus fructus ſperatur, vt ferè nunc eſſet apud infideles, qui nouerũt fidei noſtræ myſteria, ſed illa nolunt fide ſuſcipere; non debent proponi, ne rem tantam inutiliter annunciare videantur. Quòd ſi fortè illis proponantur; prius credenda, deinde verò agenda annuntianda ſunt: quia fides regula eſt operationum. Valent enim omnia quæ habentur in Euãgelio, proponi, præter ſecretiora quædam myſteria, & cæremonias, & fructus Sacramentorum. Primùm, quia hæc non ita facilè intelliguntur. Deinde, quia ſemel poſita ſuadentur difficiliùs: ideò tantùm neceſſaria debent proponi, vt, quòd Chriſtus, & Deus, & homo, paſſus pro gloria noſtra; nam ex his alia ſequuntur: & Deus pro ſua bonitate quemque illuminat: ex ſtatuque fidei alia creduntur, ſicut, Chriſtus, eſt Deus, & homo, & dixit hoc in Euãgelio: ergo cum veneratione ſuſcipiendũ: quod qui negat, negat Chriſtum Deum, & hominem. Tertiò, quia maleuolis datur minor occaſio ſubuertendi fidem. Quartò, quia ſi cæremoniæ proponantur, quia ſecũdum ſe virtutem non habent, à non credente contemnuntur. Quintò, quia aliquis articulus minus principalis, vt Euchariſtia, prima facie apparet creditu difficilior, nam ſapienti omne quod ſupra naturam eſt, ab infinito agẽte procedere videtur: quia miracula omnia infinitam ponunt potẽtiam, neque requiritur maior poteſtas ad vnum, quàm ad alterum. Qui ergo concedit vnum articulum, credat neceſſariò poſſibile eſſe quicquid de alijs dicitur: & tamen prima facie plures difficultates apparent eſſe in Euchariſtiæ Sacramẽto, quã in hoc, quod eſt, Chriſtum eſſe Deum, & hominem; nã in hoc ſaltem magis capit, licet aſſentiri nolit: ſicut capit, hominem habere corpus, & animam, Chriſtum tamẽcum tota ſua magnitudine in ſacra Hoſtia manere, difficilius creditu apparet. Non ſunt itaque infidelibus arcana Fidei explicanda, & prædicanda, niſi vbi ſubeſt ſpes conuerſionis eorum. Hinc CHRISTVS nunc Phariſæis, vt canibus, nunc verò Pilato, & Herodi, vt porcis myſteria ſua depromere noluit. Citra prædicationem autem non ſunt admittendi ad ſcholam Theologiæ, vbi ea quæ magis ſunt dubia, & difficiliora, tractantur, ac diſcutiuntur: quia ſi ad illam infideles admittantur, intelligent quæ ſunt fidei, & erit eis copioſus locus ad impugnandum, quemadmodum eſt nobis aduerſus Iudæos, cùm habeamus ſacros libros Veteris Teſtamenti, quos ipſi habent. Sunt etiam interdum in Scripturis quædam infirmiora, id eſt, magis obſcura, quàm cætera; atque ita intellectui credentium haud ita plenè ſatis fiet in illis, ſicut in alijs: quæ ſi infideles noſſent, magis nos ad certamen de Scripturis prouocarent, & negotium faceſſerent, & eſſent velut exploratores, qui infirmiora terræ conſiderare venirent, Geneſ. 42. Et de his ad literam, & propriè intelligitur, ne detur ſanctum, & margarita canibus, id eſt, ſecreta Scripturæ, quæ magis via doctrinæ ſcholaſticæ, quàm prædicando, aperiuntur. Et quemadmodum in Politia Socratis, & Platonis, vt dicitur lib. 2. Politicor. ſeruis non permittitur arma habere, ita & Iudæis, qui ſerui ſunt, non debent permitti arma ſacræ Scripturæ nouæ, de quibus Apoſtolus: *Arma*, inquit, *militiæ noſtræ non ſunt carnalia*. Similiter quoque Iudæi permitti non debent vllo modo vt dominentur Chriſtianis, vt dicitur titul. de Iudæis, & Saracenis, cap. *Præſenti*, & ca. *Multorum*: ſed potiùs debent inter nos ſic cohabitare, vt ipſo facto cognoſcant ſe eſſe ſeruos. Ideò non decet, nec licet nobis docere eos Iuriſprudentiam, & facultatem Medicinæ: vnde clientuli, & infirmi, eis illas facultates aſſecutis, ſubijcerentur, atque ita dominarentur Chriſtianis. Nec debet eis permitti titulus docendi: quia docere, eſt quædam autoritas, & quia infidelis cum inuidia & fictione communicaret, quod eſt contra diuinæ conditionem doctrinæ, Sapient. 7. & quia errores, ſi poſſent, introducerent, & ſpecies quædam dominandi eſſet; nam Apoſtolus, *Docere*, inquit, *mulieri non permitto, neque dominari in virum*. Et licet in artibus non prohibitis, vt Muſica, Geometria, Aſtrologia, & ſimilibus, liceret nobis ex benignitate doctrinam impertire, præſtat tamen à tali doctrina impertienda abſtinere, neque dare occaſionem niſi vt ſeruilia opera tantùm ſciant. Quòd ſi infideles interrogent fideles de his quæ ad fidem non pertinent, ſed ad alias ſcientias; quia in his non diſtinguimur ab eis, nec Petrus præcipit nos eſſe paratos ad reſpondendum de omni quæſito, ſed tantùm de ijs, quæ ad religionem noſtram ſpectãt, minimè adſtringimur reſpondere. Si verò interrogemur de fide, qui indoctus, & imperitus eſt, fateri debet ſuam ignorantiam,

Quæ fidei myſteria infidelibus, & quatenus proponi valeant.

1. *Cor.* 1.

Quo ordine. Quæ verò minime proponenda, & quibus de cauſſis illa ſint.

Ioan. 1.

Euchariſtiæ articulus quã creditu difficilis.

Infideles an ſint ad Theologiæ ſcholas admittendi.

Gen. 42.

Ariſtot.

2. *Cor.* 10.

An Iudæi, & Saraceni doceri à fidelibus poſſint aut Ciuile, atque Medicinã.

Sap. 7.

1. *Tim.* 2.

Quid illi tantùm diſcere à Chriſtianis debeant.

1. *Pet.* 3.

An Chriſtiani debeant infidelibus de eo quod ab eis quæritur, reſpondere.

& im-

& imperitiam, neque reſpondere oportet in dedecus Fidei. Hinc laico prohibetur docere, & facere ſecreta conuenticula, extra de hæret. cap. *Cùm ex iniunctо:* quia timetur ne ex ignorantia inducat errores. Si autem doctus interrogetur de aliquo ſuperfluo, aut de re non neceſſaria ad fidem, vt de ceremoniis, quæ non poſſunt ſuaderi, niſi ſuaſa fide, ſicut vltima concluſio ſine operibus: reſpondere non debet, ſed oſtendenda legitima cauſa non reſpondendi, nimirum quòd in vanum contenderet perſuadere, quod fide non accepta nequit perſuaderi. Si verò de re neceſſaria, aut de aliquo loco Scripturæ quomodo conueniat Meſſiæ, inquiratur quis, & ſolus ſit, & fructum non ſperet, ad reſpondendum non cogitur; ſecùs ſi ſpes eſt fructus alicuius, vel ſi adſint alij præſentes, qui, non ſoluto quæſtionis nodo propoſitæ, facilè offenderentur; vel ſi infideles pręſentes gauderenr, vel ſi infirmarentur fideles. Vnde Petrus dixit: *Dominum Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatiſfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe, & fide:* vbi Petrus innuit, quòd nos Chriſtum ſanctificamus, & honoramus, quando ſatisfacimus dubiis propoſitis de Fide. Si autem non eſſet ſcandalum fidelium, qui cognoſcerent malitiam infidelium: poſſent non reſponſum dare; modò quæſtionis petitæ diſſolutio indirectè aliquod induceret præiudicium fidei: & quia eſſet occaſio argumentandi, & orirentur difficiles quæſtiones, quibus dare aditum periculoſum eſt. Et modò is qui reſpondet, ſic ſoluat quæſtionem infidelium, vt cum ratione credant ſe excluſos, vel confuſos. Sic enim Chriſtus fecit aliquando, vt cùm interrogatus, *In qua poteſtate hæc facis? & quis tibi dedit hanc poteſtatem?* reſpondet ad mentem hoſtium confundendam, *Baptiſmus Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus.* Matth. 21. non enim erat conueniens reſponſio ob eorum infirmitatem. Si enim reſponderet ſe Deum, lapidationi ſe exponeret: ſi à Deo ſe miſſum traderet, non crederent verbo, qui tot ſignis non credebant. Ideò præſtabat non reſpondere, ſed nodum, vt dicitur, nodo trudere. Quandoque tamen Chriſtus requiſitus à maleuolis, qui tentabant eum, veritatem reſpondebat, quia aderant præſentes, quibus reſpnnſio vtilis futura erat. Quocircà Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in mont. cap. 20. ait; *Quod autem Dominus noſter quædam dixiſſe inuenitur quæ multi qui aderant, vel reſiſtendo, vel contemnendo non acceperunt; non putandus eſt ſanctum dediſſe canibus, aut margaritas miſiſſe ante porcos: non enim dedit eis qui capere non poterant, ſed eis qui capere poterant, & ſimul aderant; quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat. Et cùm eum tentatores interrogabant, reſpondebatq́; illis ita, vt quod contradicerent non haberent, quamuis venenis ſuis contabeſcerent potiùs, quàm illius cibo ſaturarentur; alij tamen, qui poterant capere, ex illorum occaſione multa vtiliter audiebant. Qui enim nouit quid reſpondeat, debet reſpondere, vel propter alios, quibus deſperatio ſuboritur, ſi propoſitam quæſtionem ſolui non poſſe crediderint: & hoc de rebus vtilibus, & ad inſtructionem ſalutis pertinentibus. Multa ſunt enim quæ inquiri ab otioſis poſſunt, ſuperuacua, & inania, & plerunque noxia, de quibus tamen nonnihil dicendum eſt: ſed hoc ipſum aperiendum & explicandum, cur inquiri talia non oporteat.* Sic tradit Auguſtin. Quòd ſi ſimplex Chriſtianus de neceſſariis ad fidem & ſalutem interroget; ſobriè eſt illi reſpondendum, & quantum ſat eſt, non autem de ſupèrfluis, quia non capit; & incognita magis veneratur, & cognita magis contemnit, quia putabat latere maiora: vt docet B. Chryſoſt. homil. 24. in Matthæum. Homines verò carnales, & ſeculi voluptatibus dediti, ſi aliquid interrogent, diſtinguendum eſt. Nam aut quęrunt quæ vtilia ſunt, ſiue in fide, ſiue in moribus; vel noxia, & periculoſa, vel ſuperuacanea, vel altiora ſe, & mainra. Si de primis inquirant, etiamſi ignoremus quo animo illud ſint accepturi, reſponderi debet; ſed non eſt vltrà offerendum aliud, ne fortè pedibus conculcent ſuis. Vel interrogant noxia & periculoſa, vt de præſcientia & prædeſtinatione, & Euchariſtia, & ſimilibus, de quibus interdum dæmon inſtigat ad interrogandum, vt homines dubitationibus & erroribus inuoluantur: & his quæſtionibus reſpondendum non eſt, ſed reddenda cauſa, quamobrem non reſpondeatur, vt docet Auguſtinus in præfatis verbis: nempe quia non habent principia ad percipiendas ſolutiones; velut ſi qnis de concluſionibus ſcientiæ interrogaret, ignoratis principiis. Si autem quæſtionem habeant de ſuperuacuis, licèt non periculoſis quæſtionibus, vt de poteſtate Papæ, & ſucceſſore, & quomodò ab hoc in alium tranſit illa ſuprema autoritas: & vbi eſt poteſtas illa ſede vacante, & à quo illam accipiat ſucceſſor: nequaquam eſt reſpondendum, quia etiam ſi in iis ignoret, non erit periculoſus error. Si demùm altiora ſe, & maiora percontetur, vt de expoſitione Articulorum principalium Fidei; vt quomodo Chriſtus ſit ſimul Deus, & homo: quomodo in vna eſſentia

Quibus eorum quæſtionibus reſpondendū & quatenus.

1. Pet. 3.

Aduerſariis interrogantib' Chriſtus quō modò reſponderet interdum. *Matth. 21.*

Cur etiam Chriſtus quādoque maleuolis reſpondebat. *B. Aug. to. 4.*

De quibus ſimplici Chriſtiano ſit interrogāti reſpondendū, & quomodo.

Chryſ. to. 2.

Carnaliū hominum quæſtiones quæ ſoluēdę, quæ minimè.

Auguſt.

Quænā ſuperuacuæ, quæ verò curioſæ quæſtiones & an eis reſpondendū.

ſint tres perſonæ re diſtinctæ: non eſt reſponſio danda, quia à ſimplicibus, licèt bono animo iſta petantur, capi minimè poſſunt. Vnde Chriſtus dixit Apoſtolis; *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò:* ſed potiùs audiant B. Petrum admonentem recèns conuerſos ad Chriſtum; *Sicut modò geniti infantes, rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite; vt in eo creſcatis in ſalutem.* Nimirum; Sicut infantes recēs geniti non appetunt eſcam, ſed lac, quia ad ſolidum cibum non ſufficiunt: Ita & vos concupiſcite lac, id eſt, ſola fidei rudimenta: vt creſcatis in eo, id eſt, vt per iſta rudimenta perueniatis ad altiorem cognitionem, ſicut è lacte peruenitur ad eſcam. Ita etiam Apoſtolus Corinthiis ſcripſit: *Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis,* ſcilicet capere eſcam. Iſtud lac vocat ipſe, Articulos fidei ſimpliciter propoſitos, de quibus paullò antè: *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos; niſi Ieſum Christum & hunc crucifixum.* Ac ſubdit cauſam, ſcilicet *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Id eſt, Plana hæc omnibus propoonimus; altiora verò, & quæ ad ſapientiam pertinent, ſolis & perfectis, & inſtructis. Cumque ab omnibus ſimplicibus, & curioſis cauendum ſit in ſolutione talium quæſtionum: maximè tamen ab his, qui contentioſi ſunt, qui quærunt ad hoc vt argumententur, & argumentando glorientur, vel contemnant reſpondentes, quod non intelligunt. Vnde Auguſt. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte: *Cauendum eſt,* inquit, *ne quid aperiatur ei, qui non capit: melius enim quærit quod clauſum eſt, quàm id quod apertum eſt, aut infeſtat, aut negligit. Neque verò alia cauſa reperitur, cur ea, quæ manifeſta, & magna ſunt, non accipiantur præter odiū, & contemptum, quorum propter vnum canes, propter alterum porci nominati ſunt.* Hæc ille egregiè.

Ioan. 16.

1. Pet. 2.

Explicatur id: Sicut modò geniti infantes, rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite, &c.

1. Cor 3.

Suprà 2.

Quid item illud Apoſtoli: Sapientiam loquimur inter perfectos.

Quæſtionū ſolutionibus à quibus maximè cauendum.

Aug. lib 2 de ſerm. Dom. in mont cap 32. init. tom 4. prope fin.

Ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos. Et ſic nec in Græcis codicibus, nec in Latinis emendatis inueniatur verbum, *Canes,* ſed tantùm dicatur; *Et conuerſi dirumpant vos:* conſtat tamen, de canibus hanc partem acceptam fuiſſe à quibuſdam, ſicut priorem de porcis. Porci enim conculcant; ſicut canes dirumpunt, & in aliquid iaculantes in eos conuertuntur. Vnde & Latini quidam codices habent: *Et canes conuerſi diſrumpant vos:* & Eraſmus vertit ex Græco: *Ne quando hi conculcent eos pedibus ſuis, & verſi in vos, lacerent vos:* addens ex ſuo pronomina illa, *Hi, & Illi,* quæ non ſunt in fontibus, & liberam intelligentiæ facultatem, quam Græca præbent, adimēs.

Proprium canum eſſe dirumpere, ſicut cōculcare porcorum.

Eraſmi lectio notatur.

Poteſt autem ſicut conculcatio, ita & laceratio in porcos referri: nam ſæuiunt etiam in homines apri; & idem de canibus intelligendum, quòd calcabunt ſanctum, & conuerſi diſrumpent: maximè ſi per canes, & porcos idem accipiendum ſit. Et his metaphoris Dominus docet duo mala conſecutura, ſi diuina, & ſpiritualia proponantur canibus, & porcis, id eſt, immundis, & veritatis oblatratoribus, & contemptoribus. Primum, quòd illa, quantum in ſe eſt, conculcabunt contaminantes, & profanantes. Deinde quòd calumniis impetent, & iniuriis afficient proponentem. Conculcant ergo mala vita, & affectu, & ſæpe intellectu, contemnendo quæ non intelligunt. Vnde in parabola, ſemen quod cecidit ſecus viam, conculcatum eſt. Impugnant verò veritatem, illamque dilacerant illi, qui canum more viuunt, & in miniſtros verbi inſultant; quales fuerunt Alexander Aerarius, de quo 2. Timot. 4. & Simon Magus, de quo Actor. 8. atq; Elymas item Magus, Actor. 13. Talis extitit etiam Iulianus Cæſar Apoſtata, talis Porphyrius, Libanius, & Lucianus, Celſus Philoſophus, & Hierocles, vt tradit Euſebius. Illa autem cautio adhibenda eſt, vt quando aliqui in manifeſtos canes euaſerunt, atque maledicentia ſua Fidem, ac religionem inſectantur, vt illis repudium demus, neq; commercium cum illis in doctrina habeamus. Nam hoc ſeruauit Paulus Actor. 19. vbi dicitur: *Ingreſſus autem Synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menſes diſputans, & ſuadens de regno Dei. Cùm autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine; diſcedens ab eis, ſegregauit diſcipulos, quotidie diſputans in ſchola Tyranni cuiuſdam.* Vides Paulum ſeruaſſe præceptū Chriſti, *Nolite ſanctum dare canibus?* Idem ſæpè fecit Chriſtus diſcedens ab obſtinatis, & incredulis Scribis, & Phariſæis, & ad ſimplices turbas erudiendas conuerſus: Cuſtodiuit inſuper hoc præceptum Paulus, cùm ad Timothæum ſcripſit: *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere:* & cùm Actor. 13. dixit: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repelliſtis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes.* Item cùm reuelationes, & viſiones, quas à Domino ante quatuordecim annos acceperat, non communicabat canibus, ſed quibuſdam, vt 2. Corinth. 12. teſtatur: & ſapientiam tantum loquitur inter perfectos, vt eius exemplo diſcamus non omnibus noſtra omnia effundere: maximè quæ eiuſmodi ſunt, vt viſiones, reuelationes, miracula, & ſimilia.

Quomodo etiā poſſint dici porci dirumpere, & canes conculcare.

Quid eſt: Ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpāt vos. Matth 13.

Tales qui olim canes, & porci extiterint, dirumpentes, & cōculcantes.

2. Tim 4.

Actor. 13.

Euſeb. tom. 1.

Cum apertis & manifeſtis Chriſtianæ fidei hoſtib⁹ quid agendū exēplo Sanctorum.

Actor. 19.

Matth. 7.

2. Tim. 2.

Actor. 13.

Non omnia Paulus omnibus reuelabat.

2. Cor. 12.

1. Cor. 2.

Et

Alia perfectis, alia conueniunt hominibus imperfectis. *Hebr. 5. Infrà 6. Matth. 9.*

Et quemadmodum à perfectis quę imperfectorum ſunt, non ſunt exigenda, ſed maiora, & perfectiora, vt docet Apoſtolus ad Hebr. 5. & 6. ita imperfectis non ſunt exigenda quæ perfectorum ſunt, ne videamur contra præceptum Domini, vinum nouum mittere in vteres veteres. Nam eſſet ſanctum dare canibus, cùm illi nondum omni vetuſtate & canum immunditia ſe exuerint: ſed benignè fouendi ſunt, & paulatim ad maiora prohibendi.

Quibus maximè curandum, vt non dent ſanctū canibus, neve margaritas proiiciant in porcos. *Infra 24. Infrà 25.*

Tantis ergo præceptis Chriſti admoniti, ſtudeant Epiſcopi, & prædicatores, & quiſque pro facultate ſua, & vocatione illa obſeruare, vt ſit de numero illorum, de quibus Dominus dixit: *Quis, putas, eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam*; vt aliquando audiat à Chriſto Domino: *Euge ſerue bone & fidelis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui*: cui cum Patre, & Spiritu ſancto infinita eſt gloria & maieſtas in perpetuum, Amen.

(·.·)

TRACTATVS LXI.

In illa verba: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur, &c.* Matth. 7.

Scopus Domini.

DOCVIT cap. 6. Dominus, quæ eſſent in Oratione Dominica poſtulanda: nunc qua inſtantia, & perſeuerantia orandum ſit, indicat. Nam ex Luc. 11. propoſita prece Dominica, ſubiunxit parabolam amici inſtanter petentis tres panes ab amico, & tandem per improbitatem obtinentis. Et ſtatim ſubdit: *Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis*: & reliqua quæ hic habentur. Pulchre autem iſta cum ſuperioribus cohærent, dixerat enim: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*: & rurſus, *Nolite ſanctum dare canibus.* Poſſet quis cauſari imbecillitatem virium ad tanta præcepta præſtanda, vt Chryſoſtomus rectè exponit; ſed vnicum remedium eſt precatio, qua diuinas vires nobis comparamus, ad ſatis Diuinæ legi faciendum, & interna iudicia temeraria comprimendum, & ad ſanctum, & margaritas, ſi fortè non habemus, impetranda: vt tradit Auguſtinus.

Luc. 11.

Vti hæc cum ſuperioribus coniungantur.

Chryſ. ho. 24. in Matt. to. 2.

Quanta orationis vis, & efficacia.

Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in mont. cap. 33. init. tom. 4. prope fin.

Quare Dominus dixit, Petite, & accipietis, &c.

Adhæc, ne quis dicat: Quis poteſt corda hominum introſpicere, quis dignus ſit, aut indignus, qui ad hæc myſteria per ſanctum, & margaritas adumbrata admittatur? Propterea ait, *Petite, & accipietis.* Inſuper docet quis non ſit canis, vel porcus, nempe is, qui petit, quærit, & pulſat. Vult enim Deus vt homo circa plura ab Ipſo pendeat, ac peculiarius quàm cætera animalia, quibus à creatione proſpexit de modo habendi neceſſaria: ſed aliter de nobis cogitauit, quia deliciæ eius, eſſe nobiſcum. Hinc Chryſoſtomus ait: *Quod potes, fac vt amplius poſſis: quod ſcis, ſerua, vt amplius ſcias.*

Prouerb. 8. Chryſoſt.

Chriſtus cur deſcenderit de cœlo. *Matth. 17.*

Et ego dico vobis. Qui in ſalutem veſtram de cœlo deſcendi, & quem Pater iuſſit exaudiri, cùm dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c. ipſum audite.* ¶ *Petite & dabitur vobis.* B. Auguſtin. petitionem hanc exiſtimat pertinere ad impetrandam ſanitatem animæ, vt ea quæ præcipiuntur, implere poſſimus: inquiſitionem autem, ad inueniendam veritatem. Sed cùm quis ad veram viam peruenerit, opus eſt pulſare ad introitum regni cœlorum, & ad ipſam vitæ æternæ poſſeſſionem, quæ tantùm pulſanti aperietur. Libr. tamen Retract. affirmat, omnia hæc longè meliùs ad inſtantiſſimam petitionem referri: quem ſenſum Chryſoſtomus ſectatur, atque Theophylactus. Nam ipſum petere, fiduciam in oratione neceſſariam indicat; quærere verò, diligentiam; pulſare autem, ardorem, & perſeuerantiam. Adiecit ergo Dominus: *Quærite, & pulſate*; ne obiter poſtulandum eſſe intelligeremus. Suntque eiuſmodi ſententiæ è vulgi ſermone mutuatæ: nam dici ſolet nihil ferè dari, niſi petentibus: nihil inuenire niſi quærentem: non aperiri oſtium niſi pulſantibus. Verùm, quia hic ſermo prima facie porrigit, quædam poſſe obtineri petendo, quædam verò quærendo, quædam pulſando; non ineptè quis expoſuerit, quædam eſſe, quæ habent promiſſionem, ſi petantur vt dentur: vt quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, & continentur in precatione Dominica, de quibus: *Petite, & accipietis.* Sunt quædam, quæ non ſatis eſt petere, niſi inquirantur: vt quæ præſtant communibus donis, qualis cenſetur gratia ſpirituum, ſiue diſcretio, linguarum donum, peculiaris Scripturæ intelligentia: hæc autem inquiruntur labore, ſtudio, vigiliis, puritate, operibus bonis, denique humilitate, item alios conſultando, atque alios deprecatores adhibendo. Ita quippe quod impensè deſideramus, per nos, & per alios quærere conſueuimus. Sunt quædam

Huius dicti: Petite, & accipietis, primus ſenſus Auguſtini. *Aug. ſuprà dicto in loco.*

Alter ſenſus præſtantior eiuſdem. *Idem li. 1. Retract. cap. 19. tom. 1. initio. Chryſoſt. loco ſup. Theophyl.*

Quorſùm hoc: Quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis.

Dona Dei quæ petenda vt accipiamus.

Pro quibus Dei donis ab eo impetrandis pulſandum ſit. *Ioan.10.*

dam abſtenſiora dona, & quaſi clauſa, quæ pulſantem requirunt, vt impetrentur: vt magnus peccator, qui habet oſtium clauſum, quod eſt Chriſtus. Hunc pulſare ad oſtium oportet, hoc eſt, corpus ſuum caſtigare, ieiunio affligere, & validis clamoribus implorare veniam peccatorum, donec ei aperiatur.

Quomodo debeamus pulſare. *Luc.18.*

Hunc ad modum pulſabat Publicanus, orans in templo, ac percutiens pectus ſuum. Et quanquam hæc tria poſſint ſic explicari; nihil tamen vetat intelligere, vnum & idem donum poſſe illis tribus modis impetrari, & petendo, & omni apta, & accommodata via per ſe, aliosque peccatores quærendo, & ſe ipſum ieiuniis & variis macerationibus corporis affligendo: quemadmodum feciſſe Danielem legimus, qui trium dierum ieiunio & perſeuerāti oratione obtinuit cognoſcere tempus aduentus Meſſiæ.

Pro vno eodemq; beneficio obtinēdo etiam meritò petendū, quærendum, atq; pulſandum exēplo Sanctorum. *Dan.10.* *Suprà. 9.*

Nam petunt quidem multi & optant, ſed intereà ſupini ſtertūt: de quibus Salomon: *Vult, & non vult piger:* & iterum; *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari.*

Prouerb.21.

Vult ergo, vt & ſtudioſe, & ex animo petamus: quod tunc, cùm ſoliciti ſumus ad quærendum quid nobis conducat. Quod ſi non ſtatim aſſequimur; perſtemus tamen petendo, eorum pauperum inſtar, qui eleēmoſynam quærentes, non antè ceſſant à petendo, & pulſando, quàm aliquid accipiant.

Quando, vt par eſt, petamus, & ad obtinendum q volumus, accommodatè.

Dicendo igitur, Petite, quærite, & pulſate, in extrema neceſſitate verſari nos inſinuat. Nam vita noſtra Chriſtiana tota eſt ex Dei gratia, & munere, non ex nobis, nec ex viribus noſtris; ne quis glorietur.

Petendi neceſſitas Diuina beneficia.

Et quia petimus ore, quærimus pedibus, pulſamus manibus; oſtendit Dominus quòd nihil velit eſſe in nobis otioſum. Et peti vult à nobis qui prior à nobis petiit; nos ipſe quæſiuit tanquam Ioſeph fratres ſuos; & vt illi aperiremus, pulſauit: *Ecce*, inquit, *ſto ad oſtium, & pulſo*; & Sponſa in Canticis; *Vox dilecti mei pulſantis. Aperi mihi ſoror mea:* & more mendici pauperis cor à nobis poſtulat; *Præbe*, inquit, *fili mi, cor tuum mihi.*

Chriſti benignitas in nos. *Geneſ. 45.* *Apoc. 3.* *Cant. 5.* *Prouerb. 23.*

Quid nobis donet petentibus Deus, & qua conditione.

Et dabitur vobis. Id nempe quod magis erit expediens: & ſuo tempore, licèt non ſtatim. Oratio enim ex eo quòd ex charitate ob gloriam Dei proficiſcitur, habet vitæ æternæ meritum: ex hoc autem, quòd hoc, vel illud petit, non promeretur, ſed ex liberalitate Dei donatur, modò Diuinæ prouidentiæ non repugnet, id eſt, ſi piè videlicèt rem piam, & iuſtam pro nobis ipſis, & perſeueranter petamus: nam tunc eſt pactum quod exaudiemur. Cùm verò negatur quod petimus, quia orando petimus quod volumus, & voluntas magis habet rationē finis, quàm viæ ad finem magis exaudimur, cùm negatur quod ex errore petitur, vt fini, id eſt, gloriæ noſtræ inconueniens; quàm ſi daretur. Ideò poteſt peccator interdum impetrare, ſi rem piam petat; cùm iuſtus interdum non fiat voti compos, cùm tamen prece ſua vitam promereatur æternam.

An exaudiat nos Deus etiam pro aliis poſtulātes, & quatenus.

Ait, *Vobis.* Nempe pro vobis poſtulantibus: interdum etiam pro aliis, ſi in gratia Dei conſtitui iuſte, & cum perſeuerantia petamus, quod quis ex Dei miſericordia obtinere poſſet: ſæpe tamen fortiùs impetrant ſimul coniuncta. Nam ad gloriæ meritum æternæ etſi perſeuerantia non ſit neceſſaria; ad impetrandum tamen requiritur, quouſque rem aſſequamur, quia Deus fortè diſpoſuit rem illam non concedere, niſi precibus illis intercedentibus.

Neceſſitas orationis. *Geneſ. 3.*

Atque ita oſtendit Chriſtus, non oportere ſupinum ſtertere, ſed in labore veſci pane ſuo; quaſi Deus, qui ſumma eſt ſapientia, vias, ſed inſtrumenta noluerit ad fines præfixos adipiſcendos, ſine quibus velle illos conſequi, non eſt fiducia, ſed incredulitas verbi Dei, & ſui illuſio. Quare opus eſt oratione luctari coram Deo: quia etſi canibus celetur, luctanti tamen ſe manifeſtum reddit, vt Iacob.

Infra 92.

¶ *Omnis enim qui petit, accipit.* Id eſt: Apud hominem nonnunquam incaſſum funduntur preces: vel quia non poteſt præſtare ſine ſuo damno quod rogatur; vel quia non vult. Apud Deum autem, cui nec potentia deeſt, nec voluntas, omnis qui petit, accipit. Nec omnis qui apud nos quærit terrenum aliquid, illud inuenit, nec pulſanti domus oſtium ſemper aperitur ab hominibus: ſecus qui petit Patrem cœleſtem, & ab eo quærit, & aſſiduis precibus pulſat.

Deus quam ſit ad exaudiendum propenſus.

¶ Quòd ſi verum eſt, quomodo queruntur multi quòd petentes non accipiunt; & Iacobus ait: *Petitis & nō accipitis?* Reſpondeo duo, aut tria requiri ad impetrandum quę petimus.

Illud, Omnis enim qui petit, accipit, quomodo verum ſit. *Iacob. 4.*

Duo quidem, vt petamus recta, & rectè: ſiue quæ oportet, & quomodo oportet. Recta quidem petenda ſunt, vt exaudiamur, vt docet exemplum ſequens: *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, &c.* Rectè verò, ſi ſeruetur modus hic præſcriptus, id eſt, cum fiducia, ſedulò, & inſtanter.

Quænam in petitario requirat. *Luc. 11.*

Tria verò requiruntur ad petitionem. Primum, vt petentis perſona ſit idonea; & hæc eſt iuſta, & grata Deo. Ideò dixit cæcus; *Scimus quia peccatores Deus nō audit.* Quādo enim is, qui diſplicet, ad orandum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Idcircò qui malo animo temporalia quærit, excluditur; de quo Iacobus; *Petitis,*

Ad petitionē tria neceſſaria ſunt. *Ioan. 9.*

& non

Triplex gen' hominum, quos Deus non exaudit orantes. *Iacob. 4. Prouerb. 21. Infrà 20.*

& non accipitis, eo quòd malè petatis; vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Deinde ſi ipſi in alios inclementes fuerimus: *Qui enim obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit ipſe, & non exaudietur.* Denique ſi quis in peccandi propoſito permaneat, nec ſtudeat Deo reconciliari. *Nam qui declinat aures ſuas, ne audiat legem Dei, oratio eius erit execrabilis:* & Dilectus: *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.*

1. Ioan. 3.

Quare in huiuſmodi generalibus Chriſti ſententiis ſubintelligenda eſt conditio, niſi aliunde aliquid impediat: vt, *Omnis qui petit, accipit: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Nam ſæpè petentes bona temporalia, aut liberationem ab afflictione, non exaudiuntur, quia aliquando non expedit conſequi: vt Paulus rogans liberari ab ſtimulo carnis, cui dictum eſt: *Sufficit tibi gratia mea.*

Qualis hæc ſententia; Omnis enim qui petit, accipit, &c. *Ioel. 2. & Rom. 10. Matth. 5.* *2. Cor. 12.*

Luc. 18. Cur Deus Publicanũ, non B. Paulum ſtimulum carnis deprecantẽ, audiuit?

Obiicies; Quomodo ergo Publicanus exauditus eſt? Reſpondeo: Clementia Dei cùm pœnitentem videt corde contritum & pro remiſſione peccatorum humiliter rogantem vt recipiatur in gratiam, iam non habet eum pro peccatore, cùm videat illum odiſſe peccatum ſuum, & deprecari vt deleatur. Poteſt enim rem piam petendo, licèt non ex charitate, magis exaudiri, quàm iuſtus, qui rem neque piam, neque rectam ex charitate petit. Iuſtus tamen idem quod iniuſtus petendo, faciliùs exauditur, quia Deus magis eſt propitius magis ſibi coniunctis iuſtis & filiis, neque petentibus contra prouidentiam, quàm peccatoribus. Merentur etiam, & ſatisfaciunt precibus ſuis: quod oratio peccatoris non habet. Nam vis merendi, & ſatisfaciendi charitati nititur, qua peccator eſt deſtitutus? Quòd ſi eadem petant; Deus magis miſeretur iuſti, quàm peccatoris. Vel iuſto, eique oranti Deus non concedit mala, quæ ignorans petit: vt dixit filiis Zebedæi; *Neſcitis quid petatis*; nec dat lapidem petenti eum panem. Malo autem quandoque dat quod petit, non quatenus malum eſt, ſed quatenus pœna, & ſupplicium debitum eſt, quod poterat etiam non roganti irrogari. Et tali puniri potius, quàm exaudiri dicitur: quod eſſet præter mentem ſuam. Quo pacto puniti ſunt filij Iſraël petentes Regem à Deo: quem concedendo, puniuit potiùs, quàm exaudiuit, iuxta illud Prophetæ: *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Poteſt etiam bonus, ob peccatum quod petendo admittit, pœna plecti: ſed vt talis bonus non eſt. Deus enim etiam inimicis benefacit, ſi id nobis faciendum præcepit, vt gloriam cooperandi, & proximos commiſerandi impertiat; tollatque occaſionem, ne gloriemur in nobis ipſis: & neceſſitatem inducat vt in Domino gloriemur. ¶ Cùm ergo dicitur: *Deus peccatores non audit*: intellige volentes perſiſtere in peccato, nec petentes peccatum ſibi auferri.

Iuſti quã peccatoris idem poſtulãtium oratio quare citiùs exauditur.

Matth. 20. Peccatorem cur Deus exaudiat.

1. Reg. 8.

Oſea. 13. Iuſtum è cõtrario inter- dum cur Deus non exaudit orantem. *Matth. 5.*

1. Cor. 1. & 2. Cor. 1. Qui verũ ſit illud: Scimus quia peccatores Deus non audit. *Ioan. 11.*

Alterum quod petitioni debet ineſſe, eſt, vt petatur quod dignum ſit concedi. Vbi diſtinguendum: quia aut homo iuſtus petit pro ſe, aut pro alio. Si pro ſe, aut id quod petit, ad ſalutem pertinet, vt ſunt omnes petitiones orationis Dominicæ: & conſtituendum eſt, à Domino ſine dubio impetrare: ſi autem ad ſalutem non facit, non ſemper obtinetur, vt conſtat de ſtimulo carnis dato B. Paulo. Si vero petat pro alio quod ex ſe dignum fuerit concedi, & ille, pro quo petit, nó ponat obicem, credendum eſt, Dominum flecti, & exaudire, iuxta illud; *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat: & dabitur ei vita.* Nec inconuenit, iuſtum pro alio petentem exaudiri, & non pro ſe ipſo: quia quod petit pro ſe, ſibi non expedit: quod autem pro altero petit, ſi precationi eius non ponat impedimentum, congruum, & conueniens eſt illi; præſertim ſi orans ſit perſona Deo grata, & ex vera & abundanti charitate petat; alioqui nihil prohibet non impetrare, quia non benè; non inſtanter, non perſeueranter orat. Tertium quod requiritur eſt, vt benè, & legitimè petamus: hinc Iacobus ait; *Petitis, & non accipietis, eo quòd malè petatis.* Benè ergo petit, qui ex fidei, & charitatis impulſu, & inſtanter, & cum fiducia certæ impetrationis poſtulat. Secus qui dubitat hoc non poſſe præſtare, aut quòd nolit quod Diuinæ potentiæ & bonitati derogat. Abeſſe etiam debet procacitas, & pro piorum confidentia meritorum: alioqui qui tanquam ſuo iure petit (velut Telephus, & Peleus finguntur à Poetis oraſſe) & non innititur in miſericordia & clementia Dei, dignum ſe qui repellatur, reddit. Perſeuerantia quoque atque inſtantia in orando ſummè eſt neceſſaria, vt hic docet Dominus: & Apoſtolus, *Sine intermiſſione*, inquit, *orate*; & alibi; *Orationi inſtantes.* Non enim dicitur petiſſe, qui non inſtat in petendo; vt nonnullum ſit meritum à feruore, & prolixitate orandi, exemplo Chriſti, qui poſitus in agonia, prolixiùs orabat: B. Auguſtinus egregius peccator erat, qui lib. 1. Soliloquiorum cap. 1. ait; *Deus vniuerſitatis*

Quæ petẽda in oratione. *Matth. 6.* *2. Cor. 12.*

1. Ioan. 5. Quid eſt q̃ pro alio interdum Deus non pro ſe, peccantem exaudit.

Benè quãdo & legitimè petamus. *Iacob. 4.*

Perſeuerãtię petitionis neceſſitatem. *1. Theſſ. 5. Rom. 12.*

Luc. 22. Aug. tom. 1. circa med.

Auguſtinus tria poſtulabat à Domino.

ſitatu conditor, praſta mihi primum, vt benè te rogem; deinde vt me agam dignum quem liberes: poſtremò vt liberes: & lib. 1. de ordine, ca. 10. *Satis mihi ſint vulnera mea, qua vt ſanentur, penè quotidianis fletibus Deum rogans, indigniorem tamen eſſe me, qui tam citò ſaner quàm volo, ſæpè memetipſe conuinco.* Sic ille.

Idem ibid.

Luc. 11.

His verbis, Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, &c. quò Dominus alluſerit.

Subdit Dominus: *Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem.* Aut, hoc loco vim habet interrogandi. Probat ergo à minori ab exemplo, & facto hominum, quod dixit ſe ſuos exauditurum: & per hominem intellige eum, qui ſecundum humanitatem viuat, & feris non ſit deterior: & paruuli in Galilæa prope mare habitantes, ſolebant à patribus ſuis pauperibus maximè hæc poſtulare: nam tunc natura neceſſariis erat contenta, nec dum mundi huius ſpiritus corda hominum penetrauerat, ad tot genera deliciarum excogitanda. Et exteriùs ſimilis eſt lapis pani, & ſerpens piſci. Et per hæc intellige filios petentes à Deo res ad vitam æternam neceſſariis, vel conducibiles: vt panis ad vitam eſt neceſſarius: ad commodiorem vitam, & delicias piſcis & ouium: vt teſtatur Ambroſius. Et quadrat de pane exemplum, qui filio à patre debetur: ita & nos ſi à ſummo Parente petamus panem illum præcipuum, qui de cœlo deſcendit, id eſt, doctrinam verbi Dei, vel panem Euchariſtiæ.

Filij Dei quē panē à Deo, Patre petere debent.

B. Ambroſ.

Ioan. 6.

Quid eſt: Nunquid lapidem porriget ei.

Nunquid lapidem porriget ei. Hoc eſt, durum, & inexorabilem ſe reddet non exaudiendo, vt cor petentis obdureſcat, ſicut obdurauit Dominus cor Pharaonis; quod eſt ei lapidem porrigere. Sic faciet cum iis qui increduli ſunt, quibus Chriſtus panis vitæ vertitur in lapidem oſtenſionis. Aut per lapidem intellige dæmonem, qui eſt lapis caliginis, ob duritiem & obſtinationem, quam dat iis, qui ſunt filij diffidentiæ, & perditionis, & ſunt rei corporis, & ſanguinis Domini, vt in Iudæ corpus poſt cœnam intrauit Satanas.

Exod. 10. & paſſim infrà

Matth. 21.

1. Pet. 2.

Iob. 28.

1. Cor. 11.

Ioan. 13.

Explicatur id: Aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei?

Aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei? Intellige per piſcem Chriſtum in aquis Scripturæ natantem, & benè aſſum in Cruce: cuius loco non dabit nobis Deus ſerpentem, id eſt, diabolum, qui ſerpens eſt venenatus, & primus homicida: qui etiam cùm blanditur, occidit. ¶ Lucas addit; *Aut ſi petierit ouum; nunquid porriget illi ſcorpionem?* Hoc ouum, Chriſtus eſt, candidus, & rubicundus; candidus quidem per cordis munditiem, rubicūdus per igneam charitatem; ſicut vitellus ille interior, in quo ſignificatur diuinitatis infinitas: vt ſit perfectus cibus, & totus ſubſtantia. Hoc ouum, gallina ſanctiſſima Virgo, alas expandens amoris, Spiritu ſancto obumbrāte, & fœcunda facta ex eius calore, concepit, & mundo effudit. Vel gallina, eſt Synagoga, quæ, dum exprimens illud à ſe eiicit, nobis reliquit: nam calore Spiritus ſancti adueniente, profectus nobis natus inuentus eſt quicunque illum recipimus. Non ergo petenti ouum dabit ſcorpionem, qui diabolus eſt, cuius cauda venenum gerit; ſunt enim nouiſſima diaboli ſemper venenata. Non dat igitur cordis duritiam, vel obtuſum intellectum, vel errorem erga Chriſtum, & Mariam, vel inutilia, vt lapidem, neç nociua, vt ſerpentem, & ſcorpionem: & per panem myſticè charitatem intellige; per piſcem, fidem quæ in aqua baptiſmi infunditur; per ouum ſpem futuræ gloriæ, vt in ouo eſt ſpes pulli. Vel, vt diximus, in pane intellige Chriſtum venientem de cœlo: in piſce, Chriſtum aſſumi in Cruce: in ouo, Chriſtum in gloria maieſtatis triumphantem. Vt in eo, tanquam in pane, viuamus, & ſuſtentemur: in eo, vt piſce aſſo, perficiamur, etiam in corpore, per mortem: in eo, vt ouo, gaudeamus in perpetua æternitate ac fruitione Humanitatis, ac Diuinitatis. Theophylactus verò in hunc modum hęc exponit: *Panem*, inquit, *& piſcem, & ouum filius petit. Sicut igitur hæc hominis ſunt cibus, ita & petitiones noſtra vtiles nobis eſſe debent. Intellige hic, quod panem petat omnis qui fidem in Trinitatem, & rectitudinem dogmatum reuelari ſibi petit. Hac enim cor ſicut panis confirmant. At piſcem petit, qui in mari vita huius eſt; & quærit à Deo adiutorium, vt in mediis tentationibus non ſubmergatur, ſed viuat, & ſicut piſcis cuſtodiatur. Ouum autem petit, qui ſibi ſtudioſarum animarum fructus dari petit. Qua ſanè animæ auibus iure conferuntur, quia alas ſumpſerunt, & ſpiritu alleuiata ſuper terrena ſe ſe extulerunt.* Ita ille interpretatur, equidem aptè.

Quid prætereà: Aut ſi petierit ouum, nūquid porriget ei ſcorpionem.

Cant. 1.

Luc. 1.

Scorpio quid myſticè.

Quid rurſus, Petere panē, piſcē, & ouū.

Luca. 24.

Elegans illorum quoque verborum Theophylacti ſententia.

Pſalm. 103.

Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, &c. Clariùs dicitur, Bona dona. Eſtque validum argumentum; quia bonitatis eſt ſe ſe diffundere. Si ergo pater, qui non eſt bonus, ita ſe diffundit in eo quod participat ex bonitate patris: quanto magis qui pater per eſſentiam eſt, & ſpiritum in ſe habet bonum, qui incubat ſuper aquas, vt inſpiret quæ bona & ſancta ſunt; ideò Lucas ait: *Dabit bonum ſpiritum:* hic autem dicitur, *dabit bona.* Nā qui bona habet, per Spiritum ſanctum habet: qui rurſus Spiritū ſanctum habet, vera bona habet: nam Spiritus ſanctus melior eſt

Patris in nos cœleſtis benignitas.

Geneſ. 1.

Cur det nobis bonū ſuū ſpiritum, vel bona, vt ait Lucas.

Tripliciter mali ſumus.
Iob 25.
Eccleſ. 7. & 3. Reg. 8. 2. Paral. 6.

pane, piſce, & ouo. Et ait, *Quum ſitis mali*, non ſolum comparatione ad Deum, quia Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius; vel inclinatione ad malum ob peccatum originale; ſed etiam quia nemo inuenitur liber ab omni peccato: non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Quod vt intelligas, aduerte, omnem operationem à forma proficiſci: & Deus quia tantùm formam boni habet bonum tantùm poteſt facere: & qui haberet tantùm formam mali, malum tantùm poſſet efficere. Homo autē naturam habet bonam; hinc operatio naturæ, vt patris ad fillum, bona eſt: quia autem habet malum id eſt, fomitem & propenſionem ad malum, & mutabilitatem liberi arbitrij, poteſt facere malum: atq; hoc non obſtante, homo benefacit filiis; niſi valde ſit eius corrupta natura: ergo à fortiori Deus, qui fons eſt bonitatis. Benè dixit Chriſtus: *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*: nos verò ex nobis, & natura in Adam corrupta, mali ſumus, ſola Dei gratia participes bonitatis. Hinc Auguſtinus lib. De perfectione iuſtitiæ annotanit, nos dici malos propter peccata venialia, quia ſubdit; *Quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit vobis ſpiritum bonum.* ¶ *Dabit bona.* Non ait, dabit quæ petuntur, quia non ſemper expediunt petenti: & mala, non vt talia, ſed vt bona iuſtæ pœnæ deſeruientia quandoque concedit. Cùm ergo Pater cœleſtis nos dilectorum filioru loco habeat, non eſt cur quicquam dubitemus, noſtras à Deo preces exauditum iri. Nam ab eo nos magis amamur, quàm à patre noſtro, qui nos mundo genuit: hinc per Prophetam ait; *Dixit Sion, Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar* tui. Vides quanto interuallo præſtat charitatis Patris cœleſtis, amori parentis terreni? Et quid aliud præſtant parentes terreni præter facultates, quibus occaſionem præbent filijs perditè viuendi, & ad periculum æternæ gehennæ & mortis eos adducēdi? Pater verò cæleſtis dabit ſpiritum bonū petētibus ſe: hūc ergo petamus, & dabitur quod petimus. Hinc Dauid illum petebat, cùm dicebat; *Cor mundum crea in me Deus! & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me*, quem ſi impetrauerimus, non erit cur timeamus, vel à diuitiis, vel à paupertate, vel à metu gehennæ: Neque putemus de futurum nobis aliquod bonum, vel Patrem minùs fore nobis propitium, vel Filium Dei minus nobis futurum aduocatum apud Patrem, vel ipſum non futurum nobis verum Paracletum & conſolatorem in æterna vita, in cuius ſpem nos regenerauit ſanguine ſuo ipſe Idem Dei Filius, quo cum Pater atque Spiritus ſanctus vitam viuūt feliciſsimam, & immortalem, Amen.

Luc. 10.
B. Auguſt.
Cur Deus ſe petentibus dare dicitur bona.
Eſai 49.
Cœleſtis Pater quàm terreſtris, quanto nos ardentiùs amet.
Pſalm. 50.

TRACTATVS LXII.

In illa verba: *Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ. Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam, &c.*

Chriſti dictū Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & c. quam ſi fecerit Seuerus Alexander.
Illud verò: Quod tibi nō vis, alteri ne feceris, à Chriſtianis vſurpatum, quā probarit Imp. Antoninus pius.
Tob. 4.
Ratio connexionis prædictorum cum præſentibus.
Prouerb. 21.
Luc. 6.

HANC primam ſententiam à Chriſtianis acceptam, ita adamauit Alexander Seuerus Imperator; vt ſæpè & ipſe diceret, & per præconem ediceret, cùm aliquem emendaret; *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*: eaque verba & in Palatio, & in publicis operibus perſcribi iuſſit: vt teſtatur Aelius Lampridius. Antoninus verò Pius cùm audiſſet Chriſtianos frequenter vti hoc prouerbio; *Quod tibi nō vis fieri alteri ne feceris*; perſcrutatus Chriſti vitam, eidem ſtatuam ſacrauit. Nam cū omnis negatio in affirmatione aliqua nitatur, cùm præcipitur vt proximo præſtemus ea officia, quæ nobis deſideramus præſtari; hinc etiam naſcitur præceptum negatiuum: de quo Tob. 4. dicitur; *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Et quia dicitur cum illatione, *Omnia ergo*, oſtendit conſequentiam ad præcedentia. Hoc enim poſito, quòd Deus ea facit pro nobis, quæ cum ratione quærentes & petentes volumus fieri nobis, ſic & nos debemus inuicem facere: vt quæcunque volumus nobis ab aliis fieri, modò honeſta ſint, & cum ratione coniuncta, etiam nos illis eadem præſtare ſtudeamus. Hinc ſcriptum eſt; *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Sic enim pater proſpicit filio: quia ſi ipſe filius eſſet, vellet ſibi à Patre prouideri. Quanquam B. Lucas cap. 6. poſtquam dixit, *Omni petenti te, tribue*: adiecit: *Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.* Habēs enim facultatem, debet ſuccurrere fratri non habenti, quia ſi ipſe non haberet, vellet ſibi à fratre ſuccurri.

Omnia quæ facienda proximis noſtris quæ ab eis vellemus fieri nobis.

Quòd verò dicit, *Omnia*, ad ea tantùm extendi intelligas, quæ ſunt æquitati, rationiq́ue cohærentia: iniquum quippe & inhoneſtum, non eſt aliquid, ſed nihil. Et ideò ſub nomine, omnia, in Scripturis non claudit, vt illud: *Omnia mihi licent; ſed non omnia expediunt*: &, *Omnia poßibilia ſunt credenti*: &, *Omnia poſſum in eo qui me confortat*, Auguſtinus verò hic ſcribit, quoſdã voluiſſe apponere hic, *Bona*: vt ſit ſenſus; Omnia bona ergo quæcunque vultis, &c. & ita aſſerit, quoſdam codices Latinos habuiſſe; imò ſic habet Cyprian. ſermo. 6. de orat. Dominica. Sed affirmat ſuperfluè additum illud verbum: quia voluntas propriè non eſt niſi de bonis. Intellige ergo omnia, ſcilicet bona quæ vultis: vel; omnia quæcunque rectè vultis. Sed adhuc hoc non ſatis eſt: nam multa bona poteſt quis velle ſibi ab aliis licitè impendi, quæ ipſe non obſtringitur impendere illis: vt ſi quis vellet vt proximi ſui ſuperfluis facerent ipſum diuitem; non eſt enim hoc illicitum: & tamen etiamſi ipſe habeat ſuperflua, ex quibus poſſet alios ditare, non cogitur illos diuites facere; ſed ſolùm de ſuperfluo eleemoſynam dare indigenti, ad ſuccurrendum quidem indigentiæ eius, ſed nequaquam ad eum ditandum. Debet ergo intelligi, vt illa quæ putat ſibi eſſe debita ab aliis, illa putet à ſe exigenda, vt aliis præſtet. Vt enim debitum eſſe ſibi quiſque cenſet, vt nemo ſibi noceat, & veritatem ſeruet in dictis, & in factis: ita & ipſe eadem lege tenetur nemini nocere; & fidem erga alios tueri, & conſeruare. Eſt autem hoc præceptum, & quidem iuris naturalis primaria regula: nam dirigit actiones noſtras; & non eſt conſilium, quod minimè obligat: iſtud autem vim maximam obligandi habet, cùm Chriſtus hoc loco illud propoſuerit tanquam regulam generalem, ſupplentem locum omnium præceptorum particularium iuris naturæ, quæ per ſingula non poterant exprimi. Ideò Chriſtus Dominus ait; *Hæc eſt enim Lex & Prophetæ.* Non eſt autem præceptum hoc legis Chriſti tanquam per ipſam introductũ, quia lex Chriſti non dedit huic præcepto vim obligandi, quàm antè habebat, Nec etiam eſt præceptum Legis Moyſi, quia etiam ante illam habebat vim: ſed eſt præceptum Legis naturalis, quæ fuit ab initio creationis homini indita. Et quemadmodum Lex Naturæ, prout denotat comprehenſionẽ omnium præceptorum iuris ipſius Naturæ, eſt ſicut ſcientia quædam ſpeculatione polita, in qua ſunt principia quædam vniuerſalia per ſe nota, deinde concluſiones, quæ ſolùm cognoſcuntur ex principiis, ita in iure naturali quædam ſunt regulæ generaliſsimæ, quæ ſunt aliorum veluti iurium principia; atque ita notæ, vt nullus in eis poſsit eſſe error, aut inſcitia: vt, Omne malum eſſe fugiendum: Nulli eſſe iniuſtè nocendum, & ſimiles. Alia verò ſunt iura naturalia reſtrictiora: vt, Veritatem ſeruandam eſſe in promiſsis: Nihil agendum eſſe ex inſidiis: Depoſitum eſſe reddendum: Accommodatum, & mutuum reſtituendum, ac ſimilia, quæ ſequuntur quaſi quædam concluſiones ex prioribus regulis dictis; quarum de numero eſt iſta; *Omnia quæcunque vultis, &c.* quę non ſolũ eſt per ſe vna regula, imò includit totum ius Naturæ, ſicut iſta. Nullum malum agendũ eſt, licèt ſub diuerſis modis ſignificandi eandem rem referant hæ regulæ.

1. Cor. 10.
Marc 9.
Philip vlt.
Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte.

B. Cyprian.

Vbi illud nõ ſit neceſſariò ſeruandum.

Sit ne hoc Chriſti præceptum an conſilium.

Matth. 11.
Præceptum ſi ſit, qua ratione obliget.

Quænã principia cõmuniſſima iuris naturalis.

Pulchrè autem hoc loco vſus eſt Chriſtus hac formula: quia cùm cœpiſſet tradere præcepta legis. Naturæ, & illa explicare ab initio cap. 5. quæ, propter conſuetudinem peccandi, erant olim quodammodo obſcura; ob quam cauſſam Deus in Lege Veteri quædam illorum expreſſit per Decalogum: Chriſtus etiã voluit aliqua declarare, quæ iam venerant in dubiũ apud Iudæos, & errabant circa illa: quòd ſi pergeret in applicando in particulari omnia præcepta iuris Naturæ, nullum finem habitura fuiſſet oratio: ideò dare conſtituit de reliquis præceptis iuris Naturæ, quę non attigerat, regulam generalem, ſub qua vniuerſa comprehenderet, qualis eſt iſta. Alioqui ſermo Chriſti incompletus maneret, quo voluit per præcepta iuris Naturæ plenè nos inſtruere, & ſæpè ſimiles regulæ generales traduntur in Scriptura: vt 1. Theſſ. 5. *Omnia probate: quod bonum eſt, tenete*; &, *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*; & Pſal. 33. *Declina à malo, & fac bonum.* Et cũ Chriſtus aſsignaturus eſſet regulam quandam generalem ad includendum omnia præcepta iuris Naturæ; non fuit aliqua vel conuenientior, vel quæ magis nos certos reddere poſsit. Nam ſi (verbi gratia) diceret, Facite omnia, quæ iuſta ſunt: & cauete omnia, quæ iniuſta ſunt; benè includeret omnia præcepta iuris Naturæ; ſed maneret dubium nobis, quid eſſet iuſtum & iniuſtum circa ſingulas actiones & negotia. Et idem eſſet ſi dixiſſet, Declinate ab omni malo: & facite omne bonum. Cùm aũt dictum eſt; *Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*; dubium vllũ non reliquit quid debeant velle aliis in quocunq; negotio, ſicut non poteſt eſſe

Quã opportunum illud Domini præceptum: Omnia ergo quæcunq; voluentis, &c.

Exod 20. & ſeq.

1. Theſſ. 5.
Ibidem.
Pſalm. 33.
1. Pet. 3.

Eiuſdem conuenientia præcepti explicatur magis.

dubium

dubium mihi quid ego vellem mihi fieri: nam quilibet debet proximo ſuo impendere quod iuſtum &bonum eſt;nam bonū ſimpliciter illud eſt, quod ſibi appetit ipſi illud alteri velle debet.

Quid illud: Hęceſt enim Lex, & Prophetæ. *Matth. 7.*

Quòd verò hæc lex generalis ſit propoſita ad complendam doctrinam de omnibus præceptis naturalibus quædam cœperat, ex eo conſtat quod ſubdit: *Hæc enim lex & Propheta*: Id eſt, in hoc comprehenduntur omnia, quæ lex & Prophetæ docent in his,quæ ad proximum ſpectant. Vocat autem hic legem,illam Moyſi, quæ quinque libris continetur: Prophetas, vocat omnes liberos Veteris Teſtamenti qui ſpiritu Prophetico, vt docet Petrus, conſcripti ſunt.Ita vt ſit ſenſus: Hoc præcepto includitur, quicquid in Moſis lege dicitur,& in omnibus libris ſacræ Scripturæ. Quòd ſi obiicias,multa in ſacris literis contineri, quæ non valent reduci ad hoc mandatum; vt ſunt hiſtoriæ rerum geſtarum, & prænuntiationes futurorum; item quæ fide ſuſcipi debent, & ad credendum proponuntur, vel ad primam tabulam ſpectant, quæ ad hoc mandatum reduci ne queunt. Reſpondeo; totam legem Moyſi, quæ non continet niſi præcepta, reduci ad hoc mandatum: nam etſi ibi ſint aliquæ hiſtoriæ, illæ tamen propter præcepta ponuntur, in quantum aliquid faciunt ad illa, vel eorum declarationem. Nam præcepta legis aut Moralia ſunt, aut Ceremoniæ, aut Iudicia. Moralia omnia ad hoc præceptum referuntur, vt diximus, cùm ſit regula generalis totum ius Naturæ comprehendens. Ceremoniæ, determinationes ſunt cultus diuini, & illius præcepti de colendo, & diligendo Deo: quod quidem præceptum diligendi Deū, in dilectione proximi (quod non eſt aliud,quàm iſtud) includitur. Iudicia verò, præſcriptiones ſunt eorum, quæ quiuis debet proximo: quæ omnia, & dubia circa ea, non valent definiri, niſi per iſtud præceptum commune. Et ita tota lex ad hoc præceptum ſpectat. Alij verò Prophetici libri ſacræ Scripturæ, vel continēt moralem inſtitutionem, vel hiſtoriam, vel futurorum prædicationes, aut argumenta eorum, quæ credenda ſunt. Omnis inſtructio moralis circa proximum in hoc præcepto continetur: in quo comprehenditur mandatum dilectionis proximi. Hiſtoriæ verò non ponuntur, vt tantùm res geſtas ſciamus, quia ad hoc opus fuiſſet ponì omnium temporum, Gentiumque hiſtorias, vel nihil poni: ſed quædam explicantur quatenus ſufficiunt ad erudi- tionem

Quæ lex illa, qui Prophetæ.

a.Pet. 1.

Ad illud Domini præceptum: Omnia ergo quæcunque,&c.hiſtoriæ legis quo modo referantur.

Quid ceremoniæ Legis & iudicia. *Deut. 6.*

In Prophetis quæ continean tur.

Quæ verò in hiſtoriis dicantur.

moralem, quę, vt diximus, in huius præcepti obſeruatione ſita eſt. Quæ etiam ad fidem pertinent, & in Scripturis traduntur cùm ad bonos mores referantur, qui in hoc mandato continentur; etiam ad hoc mandatum ſpectant. At prænuntiationes futurorum, ſi fidem attingant, vt de aduentu,& geſtis Meſsiæ; idem habent iudicium. Si verò nnnnulla euentura prænuntiant, vt aliquid agatur, fugiaturve; hæc ad mores reuoluuntur, & ſic ſpectabunt ad hoc præceptum, in quo generaliter tota eruditio vitæ noſtræ cōtinetur. Quamobrem tota etiam ſacra Scriptura ad hoc præceptum tanquam ad finem referenda eſt, quia ad nihil aliud edita eſt, niſi ad inſtruendum hominem in opere bono, iuxta illud Apoſtoli: *Omnis Scriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum; ad arguendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.*

Quomodo ad præceptū Domini tam dictum pertineant Prophetæ.

Ad idē quoque mandatū Scripturas pertinere. Ea ſum finis.

2. Tim 3. & Rom 15.

Sed obiicies; Cùm Dominus Matthæi 22. de mandato dilectionis Dei, & proximi dicat: *In his duobus mandatis vniuerſa Lex pendet, & Propheta*: ergo non in ſolo iſto. Reſpondent quidā, quod Lex, & Prophetę pendent in hoc præcepto, quia per diuerſa Legis; & Prophetarum præcepta traditur. non tamen penitùs, quod de duobus præceptis dictum fuit à Domino: hic autem non dixit: Hæc eſt enim tota lex, & Prophetæ. Vel meliùs dici poteſt, præceptum dilectionis Dei ſub præcepto amoris proximi ſubintelligi,& comprehendi: namque impoſsibile eſt proximum diligi, niſi Deus ipſe primùm diligatur: qua ratione tota lex in dilectione proximi includitur, non minùs, quàm in vtroque mandato. Atque hoc docuit nos Apoſtolus, qui ad Rom. 13. ait: *Qui diligit proximum, Legem impleuit*:& infrà; *Plenitudo Legis, eſt dilectio* & ad Galat. 5. *Omnis enim Lex in vno ſermone impletur; Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Expende verbum, *Omnis Lex*: & idem eſt omnis, quod tota,& vniuerſa Lex. Idem intellexit Beatus Auguſtinus, qui libro octauo de Trinitate capite ſeptimo ita ferè ſcribit: *Ideò Scriptura tantùm dilectionem proximi commemorat, cùm dicit: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis: hæc eſt enim Lex, & Propheta. Et pleraq; alia reperimus in literis ſanctis, in quibus ſola dilectio proximi ad perfectionem præcipi videtur, & taceri de dilectione Dei, cùm in vtroq; Lex pendeat, & Propheta. Sed & hoc ideò quia qui proximū diligit, cōſequens eſt vt ipſam præ cipuè dilectionem diligat, Deus autem dilectio eſt, & qui manet in dilectione, in Deo manet.*

Illud, In his duobus mandatis, dilectionis Dei & proximi, vniuerſa Lex pēdet, & Prophetæ; quomodo verū ſit. *Matth 22.* Prima ſolutio.

Aug lib. 8. de Tri. Deo in me. cap 14. et 4. prope finem. Altera ſolutio, præſtantior.

Rom. 13. Leuit 19. Galat. 5. Augu tom 3

1.Ioan. 4.

Con-

Conſequens ergo eſt, vt præcipuè Deum diligat. Sic ille. Græca tamen quædam exemplaria nô habent Οὗτος γὰρ ἐστὶ νόμος, vt legit Interpres, id eſt, hæc eſt Lex; ſed Οὕτως γὰρ ἐστὶ νόμος: hoc eſt: Sic Lex, & Prophetæ definiût, atq; decernunt faciendum.

Quale illud, Omnia quæcunque: vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis.

Illud etiam nota, idem eſſe: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, atque dicere; *Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis*, quæ præceptum dilectionis proximi interpretantur: nâ tunc impletur illud præceptum, cùm ea, quæ optamus fieri nobis, eadem illis facimus: & quæ nolumus ab aliis pati, ea neq; nos aduerſus alios exercemus.

Quorſum id: Intrate per anguſtam portam.

Intrate per anguſtam portam. Cùm multa Dominus tradiderit in hoc ſermone, legem reſtringeodo, & ad verû ſenſum exponendo, præthereà ad vitandam vanam gloriam in benefactis, & auaritiam, & iudicia temeraria comprimenda; ne admiraremur de huiuſmodi mandatis, & qui in præcepto dilectionis proximi, in quo eſt mandatum dilectionis Dei erga nos, videbat difficilia contineri, nam Dei inimicos diligentis iubemur eſſe imitatores: ideo ſubiungit: *Intrate per anguſtam portam.* Superiùs quidem docuit diuina gratia opus eſſe ad diuinorum præceptorum impletionem, cum orare docuit; hic verò etiam liberi arbitrij, & noſtri conatus eſſe, vt quæ dicta ſint, præſtemus: quare rectè ait: *Intrate per anguſtam portam.* Et conſolatio eſt non modica, quòd Chriſtus Dominus nouerit anguſtias portæ, qua ingrediendum eſt, & arctam viam, qua ambulandum: quia probabile eſt quòd Dominus ſuccurrat pro ſua bonitate. Lex enim circa difficilia verſatur, quemadmodùm, & virtus. Nam lex Chriſti licèt non addat nouas difficultates, declarat tamen ius naturæ, quæ ardua, & difficilis eſt: quia ſeruare ius Naturæ, eſt in omnibus agere ſecundùm virtutem. Poſſunt autê iſta duo, ſcilicet porta, & via, pro eodem accipi, hoc eſt, pro cuſtodia mandatorum Dei, quia mandata ſunt, per quæ quotidie gradientes ad vitam æternam tendimus: vnde & via mandatorum dicitur à Propheta; & ipſa ſunt porta, per quam illuc ingredimur iuxta Domini ſententiam: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Ipſa ergo ſunt via, & porta, quæ anguſta vocatur: quia ſicut per anguſtum locum difficile eſt intrare; ita per integram cuſtodiam mandatorum Dei difficile eſt homini carnali ambulare. Vel poteſt accipi, quod via & porta ſit Chriſtus, velut ipſe dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita* &c, *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Dicitur autem Chriſtus anguſta porta, non ratione paruæ poteſtatis, ſed ratione humilitatis, vt Chryſoſt. docet: quia niſi efficiamur ſicut paruuli, non intrabimus in regnû cœlorum. Vel tertiò dici poteſt, quòd porta ſit Chriſtus, ſiue fides, qua ingredimur in Chriſtû & Eccleſiam: via verò, ſit lex Euangelica, ſeu eius mandata, quæ ratione perfectionis quam exigunt, ſunt arcta via. Porta ergo, qua primùm ingredimur in viam ſalutis, per quam ambulantes, aut currentes perueniamus in patriam, fides eſt de Chriſto: quæ dicitur anguſta, quia quæ proponuntur de illo credenda, ſunt ſenſui abſcondita, atque ei repugnare videntur. Et qui eam accipere debet, captiuare intellectum cogitur, ſe ipſum humilians, vt puer ad ea quæ ſunt fide recipiêda: vt in diuinis, Trinitatem, Incarnationem Domini, Reſurrectionem, Sacramenta, vitam æternam, & ſimilia: in humanis, exinanitionem, Crucem, mortem, ſepulturam. Quod eſt pati anguſtias maximas. Niſi quòd Dominus reddidit ea nimis credibilia, quia Scripturarum teſtimoniis, miraculis eximiis, vita pura, doctrina immaculata, conſtantia inuicta, & crucis morte turpiſsima, atque victoria contra hoſtes viſibiles clariſſimum præbuit teſtimonium veritati. Per hanc portam ingredimur in arctam viam, ſcilicet mandatorum, & bonorum operum, per quæ credentes debent ambulare. Vel, quod idem eſt, Chriſtus ad credendum propoſitus, porta eſt anguſta: & Chriſtus ad imitandum propoſitus, via eſt arcta: quia, vt ait Apoſtolus Ioannes: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Et ita per oppoſitum porta lata eſt diabolus, non magnitudine potentiæ, ſed ſuperbiæ, cùm ipſe ſit Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ: Superbus autem inflatus eſt, & ſe ipſum non capit, ideò lata porta indiget, vt intrare poſsit. Vnde Matth. 16. dæmones, vel hæretici ab eis miſsi, dicuntur portæ inferi. Eſt autem vitium, ſiue peccatum, ſpatioſa via, & ad perditionem, id eſt, gehennam conducens: nam ad infernum mille viæ exiſtunt; nam quot modi peccandi, ſunt totidem pereundi. Vnde Ariſtoteles in Ethicis: *Infinitis*, inquit, *modis contingit peccare, cedendo ſcilicet à medio ad extremum.* Hinc Poëta quidem dixit:

Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis.

¶ *Et multi ſunt qui intrant per eam.* Omnes homines videlicet, qui ſenſui conſona appetunt, & labores, & difficultates fugiunt,

Matth. 5.

Infrà 6.

Hæc vox quâ côſolatoria, intrate per anguſtam portam.

Lex, & virtus verſantur circa difficilia.

Ius naturæ ſeruare, quid ſit.

Quænâ porta anguſta, & arcta via illa ſit

Pſalm. 118.

Matth. 19.

Alter ſenſus.

Ioan. 14.

Supra 10.

Chriſtus porta cur anguſta.

Chryſ. ho. 24. in Matt. 1. 4.

Matth. 18.

Tertius ſenſus.

Fides de Chriſto, cur porta ſit anguſta.

2 Cor. 10.

Matth. 18.

Intellectus noſter in quibus captiuandus.

Pſalm. 92.

1. Ioan. 2.

Lata porta quænam illa.

Iob. 14.

Quænâ ſunt portæ inferi.

Matth. 16.

Quæ ſpatioſa via.

Ariſt. li. 2. Ethicor. tom. 3. initio.

Virg lib 6. Æneid. ſub initium.

Qui ſint qui intrant per viam ſpatioſam, quæ ducit ad perditionem.

fugiunt, quæ ſunt in via, quæ ducit ad vitam. In via autem perditionis difficultas nulla eſt, niſi quam ſibi quiſque ſponte aſſumpſerit: nam quicquid homini libet, licitum eſt in ea, cùm non ſit aliud eius præceptum, quàm pro libidine viuere, & frui bonis quæ ſunt, antequam marceſcant: vt dicitur in libro Sapiétiæ. Nam plurimi, vt fugiunt acerba, quæ ſunt in via ſalutis, intrant per viam iſtam ſpatioſam: alij verò alia bona non cognoſcentes, neq; credentes niſi ea quæ videntur, iſta tantùm perſequuntur. Nec propterea quòd multi per illam ingrediuntur, ſunt à nobis imitandi: etenim vt Dominus dixit: *Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententia, vt à vero devies,* Et Pythagoras inter ſua ſymbola habebat: *Vias latas, & λαοφόρους, id eſt, populiferas, declina, diverticula verò ſectare.*

Sap. 2.

Illi cur minimè ſint imitandi.

Exod. 23.

Anguſta porta, & arcta quæ ſit via quæ ducit ad perfectionē.

Quoniam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam. Hæc porta, & via, vt diximus, vel Chriſtus eſt, vel legis impletio, vel porta quidem Chriſtus, ſiue fides in eum; via verò lex Euangelica, quæ non quamuis, ſed abſolutam, & perfectam ab eius profeſſoribus exigit virtutem: quàm tamē etiam ethnici, qui de virtute quauis, quam noſſe potuerant, Philoſophati ſunt, illam in monte edito, ad quem niſi cum magno labore & difficultate non aſcendatur, conſtituebant. Vnde Heſiodus dixit:

De virtute quid ſenſerint mundi ſapientes.

Heſiodus.

Virtutem poſuêre Dij ſudore parandam.
Arduus eſt ad eam, longuſq́ue per ardua collis.
Sed poſtquam excelſa, & ſuprema cacumina tangit,
Fit facilis quæ dura fuit prius inclyta virtus.

Virgil.

Et Virgilius, aut quiſquis eſt Autor Carminis de litera Pythahoræ:

Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni,
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq́ aditum primùm ſpectantibus offert:
Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata: ſed vltima meta
Præcipitat captos, voluitq́ per ardua ſaxa.

Xenophon.

Xenophon in eo libro, cui titulus eſt, De factis, dictiſque Socratis, narrat ex Prodico de Hercule adhuc adoleſcente ſecum deliberante, vtrum Virtutis, an Voluptatis viam ingrederetur: hoc ipſum, & Ariſtoteles, & Cicero, & Seneca, atque alij plerique ſapientes docuerunt. Vt nihil noui videatur hic Dominus adſerre; cùm tradit anguſtam portā, & arctam viā eſſe, quę ducit ad vitā. Nec rurſus verbo Chriſti deterreri nos conueniat, cū & ipſi Philoſophi ſolo naturæ lumine virtutis iter arctum, & cognouerint, & prædicauerint.

Philoſoph.
M. Tull li. de offic.
Sene li. 2. ad Serenum, ini.

Et pauci ſunt qui inueniunt eam. Non ait, pauci ambulant per eā, ſed etiam pauci inueniunt eam: quia tam parua eſt, vt difficile ſit eam videre, & inuenire: & interdum qui inueniunt, & ingrediuntur in eam, capti voluptatibus huius ſeculi, de medio itinere declinant, & retrocedunt. Sunt igitur qui eā inueniunt, pauci: pauciores, qui per eam inuentā ingredi velint: pauciſſimi verò, qui in ea perſeuerent. Vnde Hieron. ſuper Matth. ait: *Simulq; cōſidera quàm ſignanter de vtraq; via locutus ſit. Per latā multi ambulant: anguſtam pauci inueniunt. Latam non quærimus, nec inuentione opus eſt: ſponte ſe offert & errantium via eſt. Anguſtam verò, nec omnes inueniunt: nec qui inuenerint, ſtatim ingrediuntur per eam, ſiquidem multi, inuenta veritatis via, capti ſeculi voluptatibus, de medio itinere reuertuntur.* In hunc modum ille.

Anguſtā portam, & arctā viā cur pauci inueniant.

Hier. tom. 9.

Sed iam illud eſt diſcutiendum, quomodò hæc duo conueniant, legem Chriſti dici portam anguſtam, & viam arctam; cùm alibi dicat: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue,* & alibi: *Et mandata eius grauia non ſunt?* Ad hæc quomodo via arcta, de qua in alio loco dicitur: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Et Salomon: *Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis: quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum?* Dicendū eſt, legē Chriſti viam arctam vocari, propter præceptorum difficultatem, non quòd Chriſtus nouas difficultates introduxerit; quia vltra mandata Fidei, Spei, Charitatis, & Sacramentorum, nulla præcepta poſuit alia præter eà quæ ſunt iuris Naturæ, ſed illa in quibuſdam declarauit, vel quia obſcura erant, vel prauè intellecta. Ius autem naturæ ſi plenè ſeruandum eſt, difficultates multas habet: quia omnes operationes noſtræ per virtutem dirigēdæ ſunt. Operari autem ſecundùm virtutem quæ in medio conſiſtit, vt docet Ariſtot. in Ethicis, & Poëta quidam:

Si eſt iugum Domini ſuaue & onus leue lex Chriſti, cur porta anguſta & arcta via à Domino appellatur.

Matth. 11.
1. Ioan 5.
Pſalm 118.
Prouer. 4.

Solutio quæſtionis.

Virtus eſt medium vitiorum vtrinq; reductum:

In medio cōſiſtit virtus.
Ariſto lib 2. Ethicor. c. 6. tom 2.
Horat.

Valde difficile eſt. Nam ſi inuenire medium eſt arduum, & difficile; multò magis erit operari circa mediū inuentū. Ideò hic dicitur, quod pauci inueniunt, ſcilicet viam arctā. Et vt mediū inuenire eſt difficile, vt ſcopum attingere: ita aberrare, & vitioſe agere, facile eſt. Tùm quia bonum non poteſt fieri niſi ex integra cauſſa eſt, id eſt, ſeruatis omnibus circumſtantiis ſecundùm rectam rationem; malum autem

Bonum tantùm fit ex integra cauſſa.

hi ex

Ariſt. lib. eodem.

Prima ratio, via ſalutis cur ſit arcta.

fit ex defectu cuiuſcunque circumſtantiæ. Ob id aſſerit Ariſtoteles, quòd peccare contingit infinitis modis: bene autem agere, ſolùm vno modo. Hinc via ſalutis dicitur arcta, quia vel parum declinantes ad dexteram, vel ad ſiniſtram, in vitium incidimus, & extra viam ſumus, & eo plus quo magis à medio recedimus.

Iacob. 2.

Secũda ratio.

Tertia ratio.

Deinde quia deficiens in vno, factus eſt omnium reus, vt ait frater Domini. Tertiò, quia malum operari non eſt difficile, cùm ſit ſecundùm modum naturæ noſtræ deprauatæ, inclinando ſemper ad aliquod extremum, in quo vitia ſita ſunt.

Quarta ratio

Dicitur præterea arcta via, quia paucos recipit, & admittit, ſi fiat comparatio ad numerum eorum, qui ingrediuntur per viam ſpatioſam iniquitatis: qua ratione Scripturæ illæ, quæ aſſerunt iugum Domini ſuaue, huic loco non repugnant.

Quinta, & vltima.

Demùm arcta eſt, habita ratione ad carnis, & mundi concupiſcentiam: quia illam infinitatem, & liberam illam agenti quiduis facultatem, quam ſenſus expetunt, amputat in nobis.

Cur dicatur iugum Domini ſuaue, & onus leue.

Matth. 11.

Quod verò iugum Chriſti dicitur ſuaue, & onus leue, hoc eſt, tùm propter conſiderationem præmij, quia conſideratis bonis cœleſtibus, vileſcunt omninò omnia quæ habentur in terris: & Iacob amanti Rachelem videbantur anni pauci ſeruitutis, præ amoris magnitudine;

Geneſ. 29.

Rom. 8.

& Paulus hæc ſpectans aiebat: *Non ſunt condigna paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: tùm propter auxilium Diuinæ gratiæ ad operandum; etenim ſine gratia nemo poſſet legem Chriſti obſeruare, etiam propoſito præmio tantæ beatitudinis. Nam gratia eſt, quæ res aſperas, faciles, & molles reddit: neq; tantùm præcepta, ſed etiam conſilia obſeruare.

Matth. 11.

Ad ſe cur omnes laborantes, & oneratos inuitet Ieſus.

2. Cor. 3.

Hinc dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos*: vbi difficultatem aperuit, ne turbemur, tanquam decepti. Et vt ſciamus, Dominum nobis ſuccurrere, & quod ex nobis quaſi ex nobis, præſtare, id eſt, Dei legem haud valemus, gratia Dei ſuffulti perficere valeamus. Via etiam Dei inſipientis, & ſuperbis arcta eſt, & aſpera, ſed humilibus, & exercitatis per eam, ſuauis paullatim efficitur, maximè Deo per charitatem dilatante cor, ita vt dicamus cum Dauide:

Pſalm. 118.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.

Prouerb. 4.

Atque hoc expreſsit filius eius Salomon, cùm inquit: *Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis: quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* Quaſi dicat, etſi à principio arctæ videantur ſemitæ æquitatis, poſtquam tamen in illas vias penitus te dederis, planas atque faciles experieris.

Per ſemitas æquitatis ambulantis, vt ait Sapiens, cur eius greſſus non arctentur.

Hebr. 12.

Omnis enim diſciplina, vt teſtatur Apoſtolus, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſsimum exercitatis per eam, reddet iuſtitiæ. ¶ Ad hæc, lata porta, & ſpatioſa quæ ducit ad interitum, pluribus ac maioribus anguſtiis circumſepta eſt, quam iuſtorum via.

Latam portam, & ſpatioſam viam eſſe anguſtiorem arctioremq; quàm iuſtorũ viam.

Nam vt omittam conſcientiæ tormenta, continuamque carnificinam, quæ noctes, dieſque excruciat hominem: quæ pax, aut quies poteſt eſſe in mundi huius bonoribus, deliciis, aut diuitiis, quas Chriſtus ſpinas vocat? aut qui maiores cruciatus hominem diuexare queunt, quam ſpectare hæc ipſa bona, quæ tanto affectu diligimus, nobis de manibus eripi, vel deficere, & ipſum poſſeſſorem infinitis curis & periculis affligere? Si igitur conferantur anguſtiæ & difficultates vtriuſque viæ: minores multo ſunt, & leuiores, quas iuſti patiuntur gratia Dei ſubleuati, & ſpe æternorum bonorum, quæ ſibi in cœlo eſſe repoſita ſciunt, ſuffulti: cùm tamen impij, & viam latam conſectantes, vel ſerò tandem etiam nolentes confiteantur:

Impiorum de re tanta teſtimonium.

Sap. 5.

Laſſati ſumus (inquiunt) *in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus.*

Idem alternationis ſapientis cum inſipienti, exemplo quodam docetur eleganti.

Vt igitur finem huic tractatui imponamus, non grauabor recenſere, quod apud quendam autorem, non ſine animi iocunditate, & fructu legiſſe me memini: nempe virum quendam ſapientem cum væcorde altero & inſipiente profectionem inſtituiſſe. Cùm autem in biuium quoddam incidiſſent, diligenter à peritis illius regionis inſtructi ſunt, viam quidem ad dexteram aſperam eſſe, & montoſam, & à paucißimis frequentatam, vel cultam, ſed tamen tutè, & ſecurè perducentem ad ciuitatem: quæ verò ad ſiniſtram deflecteret, amœnam quidem viam eſſe, planam, omnibuſque deliciis, atque aliorum frequentiſsimo comitatu refertam; tamẽ periculoſam eſſe & latronibus expoſitam, qui vitæ, & ſanguini inſidiantur. Cùm igitur eò peruentum eſſet, & ante oculos haberent has duas vias; cœpit ſapiens hortari inſipientem, vt viam dexteram vtrique tenerent, quòd extra periculum eſſet poſita: contra inſipiens aſperitate illius deterritus, & alterius amœnitate illectus, admonebat ſapientem vti planam viam ſubirent. Cùm autem grauiter, diuque de ea re certaſſent, ſapiens tædio affectus, & ne moleſtum ſe præberet comitem, ceſsit

voci

voci inſipientis, atque iter ſuum per viam planam pergere cœperunt. Nó multò poſt in latrones inciderunt: qui eos omnib. bonis ſpoliarunt, ac tandem ad ſuſpendium eos adegerunt. Cumq; ad ſupplicium ducerentur, quærebatur ſapiens de inſipiéte, quod inuitum eum atque reluctantem, illam in viam induxiſſet: cótra inſipiens obiiciebat, quod cùm ipſe eſſet inops conſilij, & inſciens, non debebat ſapiens ſuo conſilio regi, ſed potiùs illum debuiſſe ſe inſipientem ducere. Imputabat hîc illi mortis ſuæ caſum: rurſus alter culpam in alterum reiiciebat, & tandem maledicis, ac amarulétis verbis inter ſe decertabant: donec ſuſpendio ſublati de medio ſunt. Sub hac narratione volunt quidam deliteſcere pretioſum theſaurum. Nam per hos duos intelligi volunt animam, & corpus; ſiue ſpiritú & carnem. Animus ſiue ſpiritus ſapientia præditus eſt; & eius eſt præeſſe, & regere: corpus, ſiue caro, ſapientiam non habet, eiuſque eſt ſubeſſe, & regi. Hi duo ſimul cóiuncti tanquam comites indiuidui profectionem inſtituunt. Sed illis proficiſcentibus, occurrit via virtutis aſpera, & dura, & via voluptatis plana, & amœna. Spiritus ſiue mens, quæ ſemper deprecatur ad optima, ad amplectandam viam virtutis carné ſolicitat. Contrà caro, in qua, vt ait Paulus, peccatum eſt, id eſt, fomes, & propenſio ad vitium, ad viam voluptatis, & iocundæ vitæ impellit. Pugnat ſpiritus aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum, vt tandem ſpiritus tædio affectus, ſinat ſe abduci à carne: & ita in manus dæmonis tanquam latronis incidunt, per quem ad gehennæ damnantur ſuſpendium, vbi caro & ſpiritus mutuis ſe conuitiis proſcindunt, & cauſſam interitus alter alteri obiicit, ſibiq; inuicem maledicunt. Quare vt hoc tantum periculum fugiamus, clamat Chriſtus: *Intrate per anguſtam portam.* Quàm anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam. Audiamus ergo Chriſtum Dominum ſerio nos admonentem: eumque aſsidiè precemur, vt ſpiritú ſuum nobis cômunicet, quo ſpiritus noſter communitus, nunquá ſe à carnis voluptatibus abduci permittat, ſed carnem, vel inuitam, & repugnantem trahat, vt ſecum viam arctam ingrediatur, qua peruenire poſsit ad vitam æternam, benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto immortalibus fruitur gaudiis, & honoribus, Amen.

Animo & corpori exéplum illud ſapientis, & inſipientis applicatur.

Rom. 7. & ſeq.

Galat. 5.

Spiritus noſter quomodo ſe aduerſus carnê armare debeat ad victoriá.

TRACTATVS LXIIII.

In illa verba: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autẽ ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos.*

FACTVRVS dicendi finem Dominus, & hunc ſermonem, qui omnem Chriſtianæ vitæ ſummã complectitur, clauſurus, vt omni ex parte nos muniat, admonet vt caueamus ab iis qui falſam doctrinam introducunt, & ſpeciem quidem pietatis pro ſe ferunt, virtutem autem eius ignorant: qui in ipſis naſcentis Eccleſiæ initiis apparere cœperunt, neq; vnquam ſunt deſituri. Eſt ergo neceſſaria, & ſummè ſalutaris hæc doctrina. Ex qua illud táquam ſolenne, & receptum in optimos quoſque concionatores profectum; vt finita concione, populum cohortentur, ne à vera doctrina ſecedant, ac ſibi à Pſeudoprophetarum impoſturis caueant: quod & Paulus ex hac vita diſcedens, monuit Epheſios, Act. 20. præuidens ex ipſis exorituros viros lupos, qui gregi non parcerent, ac peruerſa dogmata ſererent. Ita D. Petrus 2. ſecundæ epiſtolæ ſuæ nos docet, dicens: *Fuerunt & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, &c.* Quorum exemplo debent concionatores Catholici, finita concione monere populum, vt in his quæ prædicatione ſunt explicata, permaneant; & vt caueant à pſeudoprophetis ne ſeducantur, & puritas doctrinæ labefactetur, nam & Dominus in parabola declarauit, poſt triticú bonum ſeminatum in agro, inimicum hominem ſuperſeminaſſe zizania. Et aptè, poſtquam diſputauit de via lata, & ſtricta, hunc tractatum aggreditur de detegendis, & agnoſcendis hæreticis. Et morale eſt, quærentibus viam, interrogare alios experientes, viam: & ideò Dominus non ſolùm quærendam viam, ſed etiam illos à quibus quærenda ſit, docet: tales enim ſunt Doctores, & viri ſpirituales. Et periculum erat, ne fortè relicta vera via Chriſti, hæreticorum vias conſectemur, vel quia pauci per illorum vias gradiuntur: vt tradit Auguſtinus lib. 2. de ſermone Dom. in monte. Quia enim hæretici paucos diſcipulos habent à principio, exiſtimari poſſet viam arctam Chriſti, quam pauci inueniunt, illos inſiſtere. Vel ne, poſtquam adoleuit hæreſis, & incrementum cepit multitudine ſectatorum decepti, vt docet Origenes hoc loco, hæreticã viam, miſſa illa Chriſti,

Scopus Domini.

Boni concionatores in quo Chriſtũ imitentur.

Actor 20.

2. Petr. 2.

Matth. 13.

Quare Chriſtus nobis cauendum dixerit à falſis Prophetis.

Viatorũ proprium.

Aug cap. 22.

Secúda ratio.

Origenes.

Hæreticorũ motus.

ſequamur. Nam hæreticorum ingenium eſt, nunc quidem de paucitate, vt cùm incipiunt, poſteà verò de multitudine, vbi prouecta eſt, gloriari, ſed nulla ratione à Catholica, & vera Chriſti Eccleſia, atque à veritate; & antiqua traditiõe propter paucitatem, ſiue multitudinem, diſcedendum eſt. Ad hæc quæſtio futura erat de vera via ſalutis, & de germana Chriſti Eccleſia; & nouerat, hæreſis inuentorem operam daturum, vt apud ſe ſolum conſtituat veram Eccleſiam, veramque intelligentiam Scripturarum, legitimumque Sacramentorum vſum, ideò prudenter admonet: *Attendite à falſis Prophetis, &c.* ſiue illi in arcta doctrina, & ſeuera diſciplina glorientur, vt ſe ſanctiores his, qui ſunt in Eccleſia Catholica deprædicent, & iactent, quales fuerunt Montaniſtę, qui tres Quadrageſimas in anno ſtrictè, & religioſè obſeruabant; & Euchitæ, qui perpetuò eſſe orandum tradebant: & Encratiſtæ, qui à matrimonio, tanquã à re abſurda & immunda, abſtinebant: & pleriq; his ſimiles, ſiue hæretici viã Domini relaxent: inter quos ſunt enumerandi, qui hominem libero arbitrio deſtituebant, & illum pecudi ſimilem reddebant, & omnia fatali quadam neceſſitate agi dicebant: & Pelagiani, qui naturam ſanam & integram tradebant, ita vt ſine vllo diuinæ gratiæ auxilio Dæmoni, & Carni, & Mundo reſiſtere, præcepta Dei homines ſeruare, & vitam æternam promereri humanis viribus poſſe iactabant. Tales ſunt noſtri ſeculi hæretici, qui amplam, & ſpatioſam reddiderunt viam Domini, ab omni præcepto, quod moleſtiam carni, vel crucẽ inferre poſſet, hominem liberãtes, & ſectam Mahometanæ perſimilem introducentes. Omnis ergo hæreſis, ſiue relaxet, ſiue reſtringat viã Domini, declinanda eſt, & in Eccleſia antiqua & Catholica permanendũ. Ait ergo: *Attẽdite.* Græcè eſt προσέχετε, quod eſt, cũ attentione cauete; quã vocem interpres noſter Matth. 16. vertit, *Cauete.* Quo verbo ſæpè vſus eſt Dominus, cũ nos de magnis periculis vitãdis admonere voluit: vt cùm dixit: *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis;* & iterum: *Attendite vobis, ne fortè grauentur corpora veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ:* & Paulus: *Attendite,* inquit, *vobis, & vniuerſo gregi, &c.* & ad Timoth. *Attende tibi, & doctrinæ.* Atq; hoc verbo vſum eſſe hoc loco, monet Chryſoſt. vt nos ad eos agnoſcẽdos, excutiendosq; redderet acriores: quòd non ſint ita manifeſti, vt canes, & porci, quorum ſuprà meminit, ſed ſub pietatis prætextu falsò ſe occultant: nam tales ſunt hæretici, de quibus Apoſtol. 2. Corinth. 11. *Nam eiuſmodi,* inquit, *pſeudoapoſtoli operarij ſunt ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* Et non mirum: ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur veluti miniſtri iuſtitiæ: quorum finis erit ſecũdùm opera ipſorum. Ac de dæmone eorum capite tradit Dauid: *Sedet in inſidiis cum diuitibus* (Hebraicè pagorum, vel villarum) *in occultis, vt interficiat innocentem: oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum.*

Subdit: *A falſis Prophetis.* Propheta ille eſt propriè, qui incerta, & occulta ſapientiæ Dei, quæ futura ſunt, prędicit: à procul fando dictus. Vnde Ezechiel: *In tempora longa iſte prophetat.* Et quia idem eſt iudicium occulta præterita enarrandi, vel ea quæ nunc fiunt, & in præſenti aguntur, remotiſſima tamen ab oculis noſtris, vt cerni valeant, (nam ad hæc duo non minus opus eſt Dei reuelatione, quàm ad futura prædicanda:) ideò Moyſes deſcribẽs hiſtoriam creationis mundi, Propheta fuit: & Heliſæus prædicens ea quæ in caſtris Regis Syriæ actu gerebantur, Propheta erat. Et vt miſſas faciamus ſignificationes huius vocis, de quibus aliàs; Propheta, eſt Prædicator, vel miniſter verbi Dei, nimirùm quia Scripturas interpretatur, & enarrat. In quo Apoſtolus ſenſu ait: *Aemulamini charismata meliora, magis autem, vt prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.* Et iterum: *Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis.* Vbi vocat prophetam, doctum & peritum in Scripturis intelligendis. Sic etiam dixit Salomon: *Cùm prophetia defecerit* (hoc eſt, interpretatio Scripturæ) *diſſipabitur populus;* & Petrus inquit: *Omnis Prophetia Scripturæ* (id eſt, expoſitio, ſiue explanatio) *propria interpretatione non fit:* ſignificat, proprio ſpiritu non eſt interpretanda. Vt rectè admonuerit Bernard. *Quo ſpiritu Scripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant: ipſo etiam intelligendæ ſunt.* Autor operis imperfecti in Matthæũ, ſic habet; *Nec enim poteſt quis propheticos interpretari ſenſus, niſi habeat ſpiritum prophetiæ. Hæc autem diximus, vt oſtendamus, quia Prophetæ, de quibus loquitur Christus, doctores dicuntur. Sciens ergo Dominus futuros eſſe falſos doctores hæreſum diuerſarum; contra veros doctores, qui Scripturas Propheticas, & Apoſtolicas peruerſa interpretatione confunderent; ideò per Apoſtolos ſuos omnium Eccleſiarum do-*

ctores

Margin notes (left): II. Ratio. — Montaniſtæ, Euchitæ, & Encratiſtæ, cur ſic dicti. — Eorum imitatores, & diſcipuli quinam ſint. — Hæreticorũ quàm lata, & ſpatioſa via ſit. — Quid: Attẽdite à falſis Prophetis. *Matth. 16.* — *Luc. 12. Infrà 21.* — *Actor. 20. 1. Tim. 4.* — *B. Chryſoſt. hom. 24.* — Quinam falſi prophetæ à quibus eſt nobis attendendum.

Margin notes (right): *2. Cor. 11.* — *Pſalm. 9.* Dæmonis inſidiæ. — Propheta propriè quis, & vnde dicatur. *Pſalm. 50. Ezech. 12.* — Moyſes cur Propheta, & Heliſæus. *Geneſ. 1. & ſeq.* — Prophetæ qui nobis audiendi. — *1. Cor. 14.* — *Ibidem.* — *Prouerb. 29.* — *2. Pet. 1.* — *Bern. in epiſt. ad fratres de Monte Dei, ante mediũ.* — *Aut. oper. imperf. in Matt. hom. 19. circa med. tom. 2. operum B. Chryſoſt.* — Falſorũ duo genera prophetarum.

ctores admenet, dicens, Attendite vobis à falſis prophetis. Hactenus ille.

Falſus propheta quis.

Falſus ergo propheta ille eſt, qui falſa, vel videt, vel docet, ſiue verbis Prophetet, ſiue factis: ea mente vt doceat: quemadmodum Sedecias, qui accepit cornua ferrea, & dixit ad Ioſaphat: *Hac dicit Dominus: His* (ſcilicet cornibus) *ventilabis Syriam, donec deleas eam*: qui tamen falſus erat Propheta.

3. Reg. 22.

Et Ezechiel. cap. 13. *Hac dicit Dominus Deus; Va prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus: cum Dominus non miſerit eos: & perſeuerauerunt confirmare ſermonem.*

Ezech. 13.

Falſus item qui propheta.

Similiter falſus propheta eſt, qui docet contra fidem, ſiue contra bonos mores, ſcripturas propheticas proprio ſpiritu interpretando, & ad ſuum ſenſum peruerſum detorquendo, quemadmodum beatus Petrus de epiſtolis Pauli teſtatus eſt, In eis eſſe quædã difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.

2. Petr. vlt.

Hieron. tom. 9. initio.
Theophyl.

Vnde Hieronymus præcipuè hunc locum intelligẽdum docet: cuius ſententiæ ſubſcribens Theophylactus: *vafri* (inquit) *impoſtores hæretici: propterea dixit, Attendite, hoc eſt, cauete. Blandiloquentiam enim prætexunt, & vitam ſimulant ſanctam: ſed intus latet aculeus.* Talia Theophylactus.

Hæretici quã do facilè vitentur.

Cum autem hæretici in perſona luporum ad nos veniunt, facile ab ouibus dignoſcuntur, & vitantur, iuxta illud: *Et non audierunt vocem alienorum*: at cùm veniunt in veſtimentis ouium, difficilius cauentur: ideo Dominus admonet, *Attendite*, ſiue cauete, ſiue cum attentione cauete, ſiue cautè attendite.

Ioan. 10.

Cur Chriſtus frequenter & Apoſtoli falſorum aduẽtum prophetarum prædicerent.

Atque his verbis Dominus inſinuat, vẽturos multos hæreticos, & pſeudoprophetas, Eccleſiæ Catholicæ perturbatores: quod ſæpe alias præmonuit ne turbaremur: vt cùm dixit Matth, 24. *Surgent pſeudochriſti & pſeudeprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia*: & Paulus: *Ego ſcio*, inquit, *quoniam intrabunt poſt diſceſsionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquẽtes peruerſa vt abducãt diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, &c.* Et Petrus: *Hoc primum ſcitote, quod venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes.*

Matth 24.
Actor. 20.

2. Pet. 3.

Falſi cur prophetæ permittantur à Domino.

Idem docent hiſtoriæ præteritorum temporum: ſed nulla ætas magis illos experta eſt, quam noſtra Cum ergo veniunt, non turbemur, ſi impletur verbum Domini nam hoc fit mirabili diſpenſatione Dei, ob ſalutem noſtram; vt qui probati ſunt in nobis, manifeſti fiant: & vt Scripturæ clariùs & apertiùs intelligantur. Deinde præcipit, vt caueant, dicendo, Attendite: quod verbum primo & maximè dirigitur ad paſtores Eccleſiarum, & ſpeculatores vineæ Dominicæ, qui oculos habent ſpiritus, & dono diſcretionis ſpirituũ ſunt præditi, vt poſſint ipſi ouibus inſinuare, quinam fugiẽdi & vitandi ſunt: non enim hoc opus eſt vulgi, vel muliercularum, quæ numerum digitorum manus vix nouerunt, ſed vt dixi, tantum Epiſcoporum, vt explicuit Apoſtolus Actorũ, 20. dum ad Epiſcopos dixit: *Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Qui ergo per ſe neſciunt diſcernere; maiorum ſuorum ſententiam ſequantur, quemadmodum in aliis humanis, vbi ipſi ignorant, maiores & Doctores ſequi ſolent.

Quibus potiſſimùm dicatur, vt attẽdant à falſis prophetis.
1. Cor. 12.
1. Ioan. 4.

Actor. 20.

Prima ratio, dictorum ad inferiores, non ad ſuperiores id officiũ pertinere, diluitur.

Nec obſtat, quòd quidam in ſpeciem boni adhærẽt hæreticorum placitis, & dogmatibus. Nam ſi ſciunt, ab Eccleſia eſſe dãnata, & tamen illa tenent: non ſolum non ſunt boni in ſpeciem, ſed ſeductores, & hypocritæ.

II. Ratio.

Nec ſecundò obſtat, quòd paſtores rudiores ſint aliis, qui inferiori loco ſunt: quia poſſunt conſulere peritiores Epiſcopos vicinos, vel Doctores magis exercitatos, vel denique ſummum Pontificem, cuius ſumma eſt authoritas: quia Deus non deeſt in neceſſariis gregis ſui, ſi prælatus ſibi non deſit. Ideò præmiſit, Attendite, id eſt, vigilate, & cauete ab illis: & præmiſit, A fructibus eorum cognoſcetis eos, ſi attendatis.

III. Ratio.

Tertiò non obſtat, ſi Epiſcopus ipſe lupus fiat, & à fide cadat: quia Eccleſia maculari in totum non poteſt, vt illi non poſſit proſpici. Vnde Paulus rectè dixit: *Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa*; non ait, *omnes*. Et alibi cùm dixiſſet, Hymenæum, & Philetum, & alios excidiſſe à fide, ſubdit: *Sed firmum fundamentum Dei ſtat: nouit Dominus qui ſunt eius.*

2. Tim. 2.

IV. Ratio.

Non refert etiam, multos eſſe Epiſcopos, qui de diſcernendis doctrinis parum ſunt ſoliciti, exiſtimantes Epiſcopatum quæſtum eſſe, honorem, lanam, & lac: qui ab Eccleſiis ſuis profecti, aulas Principum frequentant, proprium munus negligentes. Nam etſi tunc confuſio & perturbatio in Eccleſia oriatur, illa Deo eſt minimè imputãda, qui de paſtoribus proſpexit, & mãdauit eis, vt munere ſpeculatorum fungerentur, & attenderent ne venirent lupi; quòd ſi venirent, opprimerent eos. Quòd ſi contingat, paſtorem ex cauſſa legitima abeſſe, ac interim veniant lupi; proſpexit de Doctoribus, & religioſis viris, qui ſpiritus ponderare, & doctrinas diſcernere

1. Tim. 6.

Ezech. 33. & ſeq.

Quales eſſe debẽt in Eccleſia doctores & paſtores.

valeant, quos voluit Dominus eſſe tãquam canes ad caulas gregis, qui nare ſagaci beſtias poſſent quamuis latentes indagare, latratu prodere, dente comprehendere, & ad paſtores adducere. Quòd ſi aliquando

Eſai. 56.

Virorum ſpiritualium munus.

iſti taceant præ timore, & canes fiant muti, non valentes latrare, vel fiant & ipſi lupi; dedit viros ſpirituales, qui omnia diiudicant, & ipſi à nemine iudicantur; qui quodam guſtu interno diſcernunt falſam à vera doctrina: de quibus Dominus: *Si quis voluerit voluntatem patris mei facere; cognoſcet de doctrina mea, vtrùm ex Deo ſit, an ego ex meipſo loquar.* Atque ita rectè eſt à DEO proſpectum de remedio contra lupos, & hæreticos venientes.

1. Cor. 2.

Ioan. 7.

Quod tantũ falſi prophetæ à ſe ipſis mittantur.

¶ *Qui veniunt.* Non miſſi à me, vel à Patre meo, qui Deus eſt pacis, & non diſſenſionis; cuius ſermo non eſt in illo eſt, & non, ſed in illo eſt: neque ab eo miſſi per baptiſmum, vel internam ſuggeſtionem, nam omnes hæretici hoc clypeo ſuas tuerentur hæreſes: quòd ſi legati Chriſti ſunt, oſtendant literas miſſionis ſuæ, & ſigna: quæ etſi ederent, etiamſi maxima & admiranda, contra miracula Patrum in fauorem fidei facta, & Scripturas pro dogmatibus fidei noſtræ explicatas; adhuc excipiendi non eſſent: ſed eorum miracula vt falſa habenda eſſent; & eorum doctrinæ anathemate feriendæ, iuxta illud Apoſtoli: *Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Veniunt ergo ſua ſponte, & ſeipſos vltro ingerentes, ad quos pertinet illud: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* & Apoſtol. *Quomodo*, inquit, *prædicabunt, niſi mittantur? qui enim verè prophetæ ſunt, non veniunt niſi miſſi.* Hinc Chriſtus dicebat: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Qui à ſemeipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt:* & in alio loco: *Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus; ſed eius qui miſit me, Patris.* Et benè ait de præſenti, *qui veniunt:* quia cùm primùm apparent, eſt eis obuiam eundem, & tunc capi poſſunt vulpeculæ, & teneri, & allidi paruuli ad petram: nam grandiores facti, vix pelli queunt, ne ſimul triticum euellatur. Rurſus aiunt de præſenti, *Veniunt:* quia omni tempore hæretici infeſtarunt, vt Pſaltes inquit; *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael.* Tempore enim Apoſtolorum venerunt Simon, Nicolaus, Hermogenes, Cerinthus, Ebion: tempore Doctorum, Arrius, Sabelllus, Neſtorius, Eutyches, Pelagius, Ioninianus, Vigilantius:

2. Cor. 1.

Galat. 1.

Quomodo illi veniant.

Ierem. 23.

Ioan. 7.

Ioan. 14.

Quid quòd illi nõ veniſſe, ſed venire dicuntur.

Cant. 2.

Pſalm. 136.

Matth. 13.

Pſalm. 120.

Qui venerunt olim in Eccleſiã, ac nu[nc] pſeudoprophetæ.

noſtro verò ſeculo plures tales perduxit ventus Aquilo, vt Lutherum, Bucerum, Carloſtadium, Zuinglium, Oecolampadium, Melanchthonem, Caluinum, & multos alios, quorum nomina ſcripta ſunt in libro Luciferi.

¶ *Ad vos.* Ad bonos enim veniunt, vt eos deuorent, quia eſcæ eorum electæ, & cum capite eorum diabolo, ſicut leones rugientes circumeunt, quærentes quem deuorent: & ad bonos & electos veniunt in veſtibus ouium, ad malos autem in veſtibus propriis.

Ad quos illi veniant, & quare.

¶ *In veſtimentis ouium.* Græca habent ἐν ἐνδύμασι προβάτων, in indumẽtis ouium: & pluralitas ad multiplicitatem malitiæ & vitiorum facit. Eſt autem ἔνδυμα internus amictus, vt tunica, & thorax; vel etiam extrinſecus, vt reſpondeat ſequentibus, nempe, *A fructibus eorum agnoſcetis eos:* & Endyma dicuntur Bononiæ ceruicalium, atque puluinarium linea tegumenta ad molliùs declinandum caput & ceruicem: & Matthæi 22. eiicitur, qui non habet endyma nuptiarum, & ca. 3. Ioannes habebat indumentum de pilis camelorum. Sed ad rem. Oues, ſunt fideles Chriſtum paſtorem imitantes, & ſectantes. *Paſce oues meas:* & rurſus: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum:* & Dauid: *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Veſtes verò corpus operiunt; ideò veſtimentum ouis hîc dicitur, quicquid lupinam rabiem tegit.

In quibus veniãt veſtimẽtis ouium.

Ioan. 21.

Matth. 10.

Pſalm. 78.

Craſſus verò & ridendus eſt noſtri temporis hæreticorum intellectus, qui hæc verba intelligunt de habitu religioſorum laneo. Quaſi verò illi ſoli lana ouium veſtiantur; aut quaſi Chriſtus, & Apoſtoli, aliis quàm veſtibus laneis induti incederẽt. Nam ſi hæc nota eſſet agnoſcendi hæreticos, profectò omnes homines pro hæreticis habendi eſſent; quia veſtimenta quæ geſtant, ex lana confecta ſunt. Mentiuntur ergo falſi prophetæ, ſiue hæretici, ouinam ſimplicitatem in credendo: ideò opportunè, & importunè fidem laudant: eaque ſola iuſtificari, & ſaluari homines tradunt. Mentiuntur ouinam congregationem, & vnitatem in amando: & ſæpè loquuntur, quaſi dilectione Dei vtantur. Fingunt innocentiam ouium in declinando à malo, quantum poſſunt, nemini enim ſunt iniurij, vt à principio præ ſe ferebant, vt appareant irreprehenſi, & innocentes. Simulant ouium in operando fœcunditatem; oſtentant enim quaſi bonorum operum factores & laudatores, multa officia inſtitiæ, & charitatis in Deum, & benignitatis in proximum. Confingunt balatum ouium, id eſt, vocem Chriſtianam: nã per

Veſtimenta ouium quid ſtultis & impiis Lutheranis.

Falſorum indumenta propheta[r]ũ quã multa.

dul-

Rom. vlt. *2. Petr. vlt.*

dulces ſermones & benedictiones, Scripturasque à ſe interpretatas, & quas præ manibus habent, ſeducunt corda innocentium. Deniq; ad veſtes ouium ſpectat, quicquid ſpeciem pietatis habet, ſiue in verbo, ſiue in victu, & inceſſu modeſto.

Hæreticorũ inter cætera primum veſtimentum.

Si autem velis agnoſcere noſtri ſeculi hæreticos, & quas illi veſtes gerant, & quibus coloribus integantur, non grauabor illos tibi deſcribere. Primus enim illorum color eſt, quod Chriſtum frequenter laudant & magnificant, & frequens eſt in eorum labiis & ſcripturis mentio Chriſti, & Ieſu, & Euangelij. Sed hæc magnificatio verbo tenus eſt: nam vita ab eorũ oratione diſſonat: & laus vera Chriſti in fructibus bonæ vitæ ſita eſt. Vnde Chriſtus dixit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum:* & vera item Chriſti laudatio non ad hæreticas congregationes, & conuenticula; ſed ad veram Chriſti ſponſam, id eſt, Eccleſiam, ſpectat, teſte Propheta; *Laus eius*, inquit, *in Eccleſia Sanctorum:* & nequaquam in Eccleſia malignantium: ait rurſus, *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te.* Expende vbi velit Deum laudari; In Eccleſia magna, inquit, non in conuenticulis hæreticorum; & in populo graui, id eſt, ſolido, & graui in fide, & non in eo, qui circumfertur omni vento hæreticæ doctrinæ.

Matth. 7. Vera Chriſti laus quę ſola

Pſalm. 149. *Pſalm. 34.*

Secundũ veſtimentum.

Secundum veſtimentum eſt, quòd iſti iactant, ſe Eccleſiam primitiuam imitari in lectione & collatione Scripturarum, in abolendo delectu ciborum, & ſectis illis de medio tollendis, *Ego quidem ſum Pauli, ille verò Cephæ*: atque in remouendis cæremoniis, & prohibitionibus matrimoniorum. Sed planum eſt, & manifeſtum mendacium. Nam ſi primitiua Eccleſia perpetuò ſuccedentem non haberet, imitanda non eſſet; quia nec vera eſſet: erat ergo ante hos hęreticos noſtro ſeculo natos Eccleſia, quę veras eius traditiones ſequitur. Ad hęc, nihil magis à veritate alienum, quàm quòd iſti primitiuam imitentur; nam ibi optima pars erat ſeruantium tria conſilia: vt optimè Bernardus dixerit, Regulam Benedicti, initium eſſe Eccleſiæ: hæretici verò omnia hæc deſtruunt, & maledicis verbis inſectantur. Prætereà Spiritus, qui primitiuam Eccleſiam regebat, mutato eius ſtatu, mutaret quædam quæ ad ordinem faciunt: nam aliis legibus gubernandi ſunt innumeri & propè infiniti populi, atq; pauci illi, qui erant in Eccleſia primitiua. Ne ergo ſcandalum patiamur, non tam videndum eſt, an hæc olim ſeruata fuerint, an ſit res per ſe mala.

1. Cor. 1. & Suprà 1. Eccleſiæ Catholicę & orthodoxæ antiquitas, hæreticorũ verò nouitas.

B. Bernard.

Tertium indumentũ hęreticorum. *Ioan. 8.*

Tertium veſtimentum, quoniam Dominus dixit: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*: at hi venerantur Scripturas, eaſq; quotidie verſant, atq; omnium eorum, quæ controuertuntur, iudicem faciunt; in eiſq; docti ſunt. Enimuerò dicendum eſt, ſine fide infuſa nó poſſe quenquam tractare Scripturas; qua iſti carere ſe oſtendunt, cùm quæ tantùm in illis expreſſa ſunt, dicant ſe credere; cũ tamen nec illis credere ſe demonſtrent. Non enim credunt illam traditioné Pauli: *Fratres, ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolã noſtram*: nec illi, *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*; neq; item illi: *Omnia quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt*: ergo tantum ex ſecta credunt, vt philoſophi, vel Iudæi, & hæretici, qui trahunt ad ſenſum ſuum ſcripturas: quæ cùm difficiles exiſtant, & perobſcuræ, non poſſunt ſemper controuerſias terminare, maximè ſi de eorum intelligentialis orta ſit: atque ita in illis docti nequaquàm eſſe poſſunt.

Quod Hęretici Scripturas non habeant.

2. Theſſ. 2. *Matth. 18.* *Infrà 23.*

Eorum qualis fides tantummodò.

Quartum indumentũ.

Quartum veſtimẽtum eſt eorum, quòd multa vera docent. Sed idem faciunt dæmones & omnes alij hæretici; alioqui non eſſent per leproſos ſignificati: ſed dicunt quædam vera, quia nó poſſunt illa negare, vt Lutherus veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia contra Carloſtadiũ tuetur: ſed etſi illa vera ſunt, ab Eccleſia tamẽ ea acceperunt, nec ſua ſunt, nec illis legitimè vtũtur, ſed vt fucum faciant, & mendacia ſua illis incruſtent, & inuoluant, quo faciliùs ſeducant plebem imperitam. Et ſicut non eſt cloacæ, aurum à ſe deriuare, ſed impurum illud reddere, ſi in eam caſu incidat: ita nec horum eſt vera dicere. Siquidem Dominus dixit: *Quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali?* Neque propter veritates illas prohibentur eorum libri, ſed propter errores, & hæreſes admixtas; & quia veritates illas in aliis Catholicorum libris ſecuriùs, & pleniùs inuenire poſſunt.

Hæreticorũ, ſi qua eſt doctrina, è quibus fontibus ſit hauſta.

Matth. 12.

Quintũ veſtimentum.

Quintum, quia vidẽtur ſanctam vitam, & mores irreprehenſos colere. Verùm nó eſt propterea veritati fidei præiudicandũ. Non enim, vt Tertullianus dixit, probamus ex perſonis fidem; ſed ex fide perſonas. Nec idcircò ſancti ſunt, quòd eleëmoſynas frequenter faciant: quia illas ex ſpoliis Eccleſiarum, & ob fauorem populi cõciliandum faciunt: nam carnales homines tantum ventrẽ cognoſcunt: ideò cultui diuino applicata bona rapuerũt; quod eſt facere

Tertul. lib. de præſcript. hæret. part. 2.

Hęretici maximi latrones, atque ſacrilegi.

cere ex rapina holocauſtum: & vbi eleemoſynas de ſuo facerent, deberet ſuccurrere ſententia Apoſtoli: *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

1. Cor. 13.

Sextum indumentum hæreticorũ.

Sextum veſtimentum, habẽt mirabilem guſtum diuinorum. Sed ſimilem Anabaptiſtæ ſeducti à dęmone ſe dicebant habere: cùm tamen ducerẽtur à dæmone ad interficiẽdum rectores populi, & omnes, etiam mulieres, ac virgines etiam, nudæ incederent. Sed tamen ſicut Chriſtus apud illos non eſt verus, ſed fictus; ita guſtus eorum ex dæmone eſt, non ex Deo, quem aliquãdo Auguſt. habuit: nam loquens de Manichæis lib.3. Confeſſ. cap. 6. ait: *Incidi itaq; in homines ſuperbè delirantes, & carnales nimis, & loquaces, in quorum ore laquei diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis tui, & Domini Ieſu Chriſti, & Paracleti conſolatoris noſtri Spiritus ſancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, ſed ſono tenus, & ſtrepitu linguæ, cæterùm cor inane veri. Et dicebant Veritas & veritas, & multi eam dicebant mihi, & nuſquam erat in eis, ſed falſa loquebantur. Et tamen quia te putabam, manducabam. non auidè quidem, quia nec ſapiebas in ore meo ſicuti es; neque enim tu eras figmenta illa inania nec nutriebar eis, ſed exhauriebar magis. Cibus enim in ſomnis, ſimilis eſt cibis vigilantium, quo tamen dormientes non aluntur, dormiunt enim.* Hoc tradit Auguſtinus de Manichæis.

Aug. tom. 1. Manichæorum ſimulata ſanctitas.

Septimum indumentũ.

Septimum veſtimentum eſt, zelus gloriæ Dei, & ſalutis animarum, quem vbique oſtentãt. Sed profectò zelus illorum ſimilis eſt illi Iudę, qui zelabat pauperes ob cõpendium ſuum, & Phariſęi zelabant legem in adulteram; quo Chriſtum in calumniã adducerent, & illã lapidarẽt: quo modò etiam nõ zelant contra laicos, ſi vitia, & non perſonæ diſplicent? cur etiã non ipſos maiores ſecretò monent, vt eis proſint, & cur publicè corã populo eorũ vitam traducũt? Neq; maiores ſunt à nobis poteſtate corrigendi, ſed à Deo tantùm, qui reprehẽdebat Phariſæos, quod non ſecerunt Apoſtoli, vt conſtat ex Euangelio, & Actibus: ex charitate autem poſſunt, & debẽt, ſi ſpes eſt fructus, à nobis tempore ſuo, & loco, noſtra etiam exiguitate conſiderata, admoneri.

Matth. 26.
Ioan. 12.
Suprà 0.
Qualis hęreticorũ zelus.

Actor. 3. 4. & 5.

Octauũ hęreticorum indumentum.

Octauum veſtimentum eſt, ex perſecutionibus, quas frequẽter patiuntur. Sed videndum eſt, an propter iuſtitiam, an propter iniuſtitiam. Etenim tãtùm beati ſunt, qui propter iuſtitiam illas ſuſtinẽt: & ſemper hæretici quoad viguit diſciplina Eccleſiæ, compreſſi ſunt, & pœnas iuſtas ſuæ temeritatis dederunt, quemadmodum Arrius, Manichæus, Palagius, & VViclephus.

Nonum indumentum.

Nonum veſtimentum, eo quòd iſti clarificant Deũ, ſeipſos, & humanas vires deiicientes. Nam Chriſtus doctrinam ſuam probauit eſſe ex Deo, quod gloriã ſuam nõ quęreret. *Qui à ſemetipſo*, inquit, *loquitur, gloriam propriam quærit.* Sed certè doctrina quę verè Deum glorificat, nõ eſt cuiuis ita nota, & non eſt quiuis iudex gloriæ Dei, ſed in Eccleſiis benedicitur Deus; pſalliturque ei ſapienter. Quia honor Regis, iudicium ſpõſæ diligit. Peccatori autem dixit Deus: *Quare tu enarras iuſtitias meas, & ſumis teſtamentum meum per os tuum?* Et non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: & aliud eſt gloriam propriam in ſe quærere, aliud in Domino creatore & redemptore: nam ad hãc gloriam affectandam quiſq; adſtringitur, ſicut ad gratiam Dei: & contrarium aſſerere, mera eſt ſuperbia, & iniuſtitia.

Ioan. 7.

Pſalm. 48.
Pſalm. 46.
Pſalm. 49.
Hæreticos minimè Deũ benedicere.
Eccleſ. 15.

Decimum indumentũ, & vltimum.

Poſtremum veſtimentum, quia noſtri impuram vitam agunt: ergo in eis non eſt, vel Spiritus Chriſti, vel bona doctrina. At nõ omnes apud nos curuauerũt genua ante Baal, & qui ſunt mali, nõ ex defectu doctrinæ, ſed ſuo vitio mali ſunt; & mala vita minimè abrogat poteſtatem, ac etiam malis ſuperioribus propter Chriſtum honor præſtandus eſt, & non quantum vera, ſed quantũ nobis expediat cogitatio dẽ alienis vitiis, maximè ſuperiorum, pẽſandum eſt, & ſaltem qui ex illis ſunt boni, primi in nos lapides mitterent. Sed de nullo vitio iſti poſſunt nos reprehẽdere, quo ipſi nõ grauius laborent. Obiiciunt, noſtros emere beneficia, & Sacerdotia. Verùm ipſi furantur, & rapiunt, & ſanctè agere ſe putãt. Noſtros vocant concubinarios. Sed ipſi infanda ſacrilegia appellant matrimonia. Noſtros aiunt conuiuiis vacare, & epulari. Sed ſaltem ſciunt ſe peccare, cùm ipſi libertatẽ Euangelicam Chriſti vocitent, diſtendere ventres. Noſtros accuſant quòd nõ faciant ex ſuo eleẽmoſynas. Verùm ipſi faciunt de rapinis & furto. Noſtros arguunt, quòd nõ vacent ſacris Scripturis. Sed grauius eſt, quod ipſi eas corrumpunt, & adulterant. Noſtrates incuſant, quòd cultui diuino quem aliis ſuadent, non vacent. Sed ipſi omninò eum euertunt, cæremonias, imagines, & templa demolientes. Aiunt, noſtros adulari Pontificibus. At eſt verius, quod ipſi plebibus, ac principibus aſſentantur. Clamant nos idololatras. Sed apertè mentiuntur: & ipſi idolorum cultores ſunt, qui cogitationes cordis ſui & adorant ipſi, & aliis adorandas proponunt. Nec ipſorum eſt, qui tantam trabem in oculo ſuo habent, feſtucam de

3. Reg. 19.
Rom. 11.

Ioan. 8.

In Hęreticos quę illi in Catholicos iaciunt, tela retorquentur.

Hæretici ... ſint idololatræ.

Matth. 7.

oculo noſtro eiicere, & vtinam vel eiice-rent. Et ſperandum eſt vti plaga noſtra, vt curabilior, medelam accipiat, vt iam Dei beneficio cœpit accipere. Atque ita habes colores ſiue veſtes, quibus noſtri ſeculi hæretici integuntur.

Luporũ nomine hæretici quàm aptè deſignentur.

Intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. Lupus, animal eſt perniclosum, aſtutum, & vorax, & infeſtum ouibus, & noctu prædans. In quo pulchrè hæretici repræſentabãtur: qa perniciofiſſimi ſunt Eccleſiæ; nam eorum eſt gregem Dominicum diſpergere: & inſtar luporum ſimulant voces canum, quoniam referunt prædicatores Catholicos, allegant Scripturas, reprehendunt vitia, & peccata, hortantur ad virtutes: ſimulant etiam vocem hominum, dum ſe modeſtos, affabiles, & tractabiles oſtendunt: fingunt ſe paruulos, id eſt, bumiles, & mundi contemptores, atque adeò ſe peccatores vocant. Argumentis faciunt ne paſtor clamet: blanditiis, ne ouis querulam vocem emittat, quam ſeparãt à tali grege & paſtu, id eſt, ab Eccleſia Catholica, & doctrina orthodoxa, ad Eccleſiam malignantium, doctrinamque hæreſi infectam. Lupus noctu prædatur, quia latenter, & occultè ſe inſinuat: hinc lupi veſpertini, hoc eſt, famelici, qui diù cibum non guſtarunt, de quibus apud Sophoniam dicitur: *Iudices eius lupi veſpere, non relinquebant in mane.* Habacuc propheta aſsimilat Babylonios pardis, & famelicis lupis, quòd feſtinent & vrgeant ad prædandam terram Iuda; ait enim: *Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis.* Sed ſunt rapaces, quia ſeducũt multos, & rapiunt veritatem ab intellectu, charitatem ab affectu, ſanctitatem ab operibus, virtutem à Sacramentis, obedientiam à ſuperioribus. Lupus ſi comprehendatur, mirabiliter elabitur: ita hæretici ſic verba temperant, ſic orationem contexunt, vt aliter audiat Catholicus, aliter intelligat hæreticus: & ita vt anguillæ de manibus elabuntur, & Inquiſitionem eludunt. Lupus ſi quempiam prior viderit, priuat eum loquela: vnde prouerbium: *Lupi Mærim vidère priores:* &, *Lupus eſt in fabula:* quod vſurpari ſolet, cùm ſuperuenit is, de quo erat ſermo, & amputatur cœpta de eo loquela, quia creditur lupus intercludere vocem eorum, quos vidit prior: ita hæreticus trahens in maſſam errnris aliquem, eum priuat facultate loquendi, & mutum reddit, quia non loquitur vt Catholicus. Sunt etiam voraces lupi, & poſt vnam ouem inhiant ad alteram, & ouium ſanguinem ſugunt, & oues omnes occidunt: tanta eſt ſitis nocendi: cùm verò vnam aliquã ouem lupus deprædatus fuerit, edit carnem, ſanguinem, pellem, & oſſa. Tale eſt ingenium hæreticorum, qui omnium vitæ inſidiantur: & hæreſis omnia vaſtat, animam, corpus, honorem, & facultates.

Sophon 3.

Haba. 1.

Quibus Babylonij ſimiles teſte Propheta.

Hæretici cur lupi rapaces.

Lupi mirabile ingenium.

Virg 9 Eccle.

Lupum auribus tenere quis dicatur iuxta prouerbium.

Lupum auribus tenere dicitur per prouerbium is, qui nec dimittere, nec tenere ſine periculo audet. Ita interdum contingit tantam eſſe commixtionem Catholicorum cum Hæreticis, vt periculum grande ſit, ſiue velis dimittere impunitos, ſiue ſimul caſtigare, ne ſimul euulſis zizaniis, euellatur ſimul & triticum. Et ita nomine lupi venit hypocrita, non quiuis aut ſimplex hypocrita, qui non docet: qui etiam ex operibus carnis, quibus diù non vult priuari, tandem cognoſcitur: ſed hypocrita falſus doctor, & qui ad falſa docendum vtitur veſtimento ouis. Lupus ergo, vt dicitur, licèt mutet pilum, ſed non dimittit vitium: quia ſi contegatur veſtimento ouis, ſemper lupus eſt. *Intrinſecùs,* ait, *ſunt lupi rapaces:* id eſt, in animo, & latenter nihil aliud ſunt quàm lupi. Sunt enim aliqui extrinſecùs lupi, id eſt, aperti veritatis hoſtes, de quibus: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum:* Verùm ab his intrinſecùs lupis plus eſt periculi, quod ſub babitu ouis lupum agunt. Nihil eſt negotij ouem à lupo dignoſcere, ſi vterque edat ſuam vocem, & vterque ſua pelle contectus veniat: at ſi lupus ouillo vellere, ouilla voce ouem ſimulans, irrepſerit in ouile, periculum magnum imminet. Ideo detegit quomodo ſit agnoſcendus à paſtoribus, ac ſubdit: *A fructibus eorum cognoſcetis eos:* vel potiùs dignoſcetis ἐπιγνώσεσθε, agnoſcimus enim plus cognita, dignoſcimus autem vera à falſis, & proba ab improbis. Quia noſtrum nõ eſt noſſe ſecreta cordium, quod Dei eſt: ſi qui veſtibus ouium ſint ornati, deberemus nobis omnia bona de illis perſuadere, quoniam ſcriptum eſt: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* At quia ex alia parte periculoſum erat illis credere; ideo ſubdit; *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Non ait, ex foliis, vel floribus, ſed ex fructibus. Id eſt, Non ex bonis verbis, aut bonis deſiderlis, quæ ſe oſtendunt habere, ſed ex operibus ipſis, vt Bernardus ponderat epiſtola 107. prope initium. Non à fructibus veritatum, quas de noſtro acceperunt, quia ſunt cathedræ ipſius fructus: ſed ab his, quæ ipſi, vt lupi ſunt, docent. Non etiam ex fructibus, qui naſcuntur ex eorum gratia gratis data: poſſunt enim eſſe hæretici alioqui docti, & ſcientes, & eloquentes; prudentesve, atque ideo populo placere: ſed

Hæretici cur intrinſecùs ſint lupi rapaces.

Iidem qui lupi rapaces ex trinſecùs.

Matth. 10. & Luc 10.

Hæreticos à quibus eorũ fructibus cognoſcemus.

Matth. 7.

Hæretici à quib⁹ fructibus minimè agnoſcantur.

B. Bernard.

hæc dona Dei ſunt, non ipſorum, quia hæ gratia ſtant cum peccato mortifero, & cum inimicitia eorum ad Deum, vt infrà dicitur, & Matthæi 24. vbi pſeudoprophetæ dabunt ſigna, & prodigia magna, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Non etiam loquitur de fructibus, quos ex Hæreticorum aduentu Dominus pro ſua bonitate ſolet elicere, quales ſunt dogmatum purgatio, Scripturarum apertior intelligentia, maius ſtudium incumbendi Sacris literis; morum in Eccleſia reformatio; facere, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. Nam eiuſmodi non ſunt propriè hæreticorum fructus, ſed Dei ipſius: qui tantæ ſapientiæ, & bonitatis eſt, vt ex noſtris malis bona eliciat. Non etiam à fructibus, qui naſcuntur à fide, vel deuotione audientium: ſæpè enim boni viri ignorantes eos eſſe hæreticos, neque attendentes ad errores, ex illorum ſermone ædificantur, ad pœnitentiam compunguntur, & ad CHRISTI amorem inardeſcunt, & ad bona opera incitantur. Neque per fructus eorum intelligere debemus bona opera externa: quia ſimul inciderent fructus cum veſtimentis ouium, vt docet Beatus Auguſtinus: cùm verus Propheta & Doctor poſſit eſſe ex his, qui dicunt, & non faciunt: & hæreticus peruerſa docens poſſit bonis operibus prælucere. Sed à fructibus, inquit, quos ipſi vt lupi, & lupina doctrina prædìti operantur, & producunt. Nam vt fructus vltimum eſt quod arbore naſcitur: ita vltimũ quod doctrinam hæreticorum hac ratione ſequitur, fructus eorum dicuntur. Fructus enim luporum alij non ſunt, vt Dominus expreſſit Ioan. 10. quàm diſpergere, & rapere. Nam in primis eorum doctrina parit diſperſionem, ſeparationem, & ſchiſma: de quibus beatus Iudas Apoſtolus; *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* Et ita noſtro ſeculo vidimus multos fugere in Germaniam, ſeipſos ab Eccleſia Catholica ſegregantes. Produnt etiam ſeipſos in repentinis tribulationibus, quibus aut gloria, aut pecunia, quæ ſunt opera carnis, priuantur: nam tunc, vt in repentinis fit, ex priori habitu operantur, & exuta larua ſeipſos lupos oſtendunt, gloriæ ſitientes, ſibi placentes, aſſentatores, maledicos, & ventri ac ſuis temporalibus commodis feruientes, vt Apoſtolus Rom. 16. oſtendit: fugiunt etiam omnem perſecutionem crucis cauſſa ortam, vt ad Galat. 3. demonſtrat.

Matth. 24.

Qui etiã fructus minimè Hæreticorũ ſunt, ſed ipſius Dei.

Aug. lib. 2. de ſer. Dom. in mont. c. 48. & ſeq. to. 4. Matth. 23.

Primus fructus.

Hæreticorũ doctrina quid pariat.

Rom. vlt.

Secũdus fructus hæreticorum.

Secundus fructus eſt, contemptus maiorum, atque generalium Conciliorum, & Pontificum, quos præcepto Chriſti iubebantur audire: *Qui vos,* inquit, *audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit:* &, *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

Luc. 10. Matth. 18.

Tertius.

Tertius eſt, ex numero librorum Canonicorum reiicere, vel retinere quos volunt: & in eis quos retinent, editionem Vulgatam, qua ante mille & ducentos annos Eccleſia vſa eſt, & per quam omnes hæreſes cõfutauit, & omnia dogmata fidei ſtabiliuit, cum contemptu reprobare, & nouas ſuas verſiones ex Græcis, vel Hebręis fontibus falſas plerunque, & mendaces ingerere: & deniq; ſenſum quem volút, verbo Dei affingere, neglectis veterum Patrum expoſitionibus & commentariis.

Quartus fructus hæreticorum.

Quartus fructus, ſunt ipſi diſcipuli, qui clariùs quàm eorum magiſtri, hęreſes euomunt, apertè docendo contra definita ab Eccleſia, vel in illis ingerendo ſcrupulos, vel ab obedientia ſuperiorum ſuorum ob non ſatis probatam eorum vitam ſimplices abigendo: tales enim diſcipuli ſimpliciùs & manifeſtiùs produnt quàm à magiſtris ſuis ebiberunt doctrinam.

Quintus.

Sectæ Lutheri quot.

Quintus fructus colligitur ab eorum ſectis, & diuiſionibus inter ſe: nam vt olim Arriani in plures ſectas diſſecti fuerunt, ita Lutherani diuiſi ſunt in Anabaptiſtas, Zuinglianos, ſiue Caluiniſtas Vvelcſendianos, & in Antinomos, & in alias portentoſas ſectas: ex eo etiam quòd vnus & idem doctor non ſatis ſibi conuenit, ſed mutat ſæpè, & recantat.

Sextus.

Sextus eſt, quòd ex diſputationibus ad bella, tum in ſeipſos, tum cõtra noſtros inſurrexerint, & maiori odio in ſanguinem Catholicorum Hæretici conſpirent, quàm ipſimet Turcæ: & ita multa bella, atque illa quidem cruenta pugnata noſtro ſeculo ab Hæreticis vidimus.

Septimus fructus hæreticorum. 1. Ioan. 4.

Septimus eſt: Cùm manifeſtè doctrinæ Catholicæ contraria apertè docent. Hinc Dilectus vrget; Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetę exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur Spiritus Dei: Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo nó eſt. Videndum ergo in cuiuſque noui prædicatoris aduentu, num eius doctrina conueniat cum recepta fide catholica: quod ſi diſſentiat, agnoſcendus eſt lupus, de quo Apoſtolus; *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Et de huiuſmodi fructu doctrinę locutum hîc Dominũ, indicat Lucas poſt illa verba, dicens;

Veræ & Catholicæ ſymbolum doctrinæ.

Galat. 1.

Bonus

Luc. 6. *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona: & malus homo de malo theſauro profert malum.*

Poſtremus ſructus.

Poſtremò, fructus eorum ſunt diſſenſiones, ſcandala, & oſtendicula ponere, ſchiſmata ſuſcitare, vnitatem ſcindere, bella ſerere, ſeditiones concitare, ſcripturas dilaniare, & pro arbitrio exponere: Sacrificij abnegatio, Sacramentorum profanatio, Sanctorum cõtemptus, votorum violatio, Sacrorum Canonum abrogatio, combuſtio templorum, & imaginum demolitio, Sacrarum virginum corruptio; Chriſti vicarium Antichriſtum vocare; Reges & Principes Chriſtianos, lendes, & pediculos appellare; omnibus poteſtatibus, ſiue ſacris, ſiue proſanis aduerſari, atque detrahere: vt hæreſes ſeculi noſtri ſatis oſtendunt.

Ex his igitur fructibus cùm apertè poſſint à nobis cognoſci, nullam excuſationem obtẽdere poſſumus, ſi illorum dictis, vel ſcriptis aures accommodauerimus, atque dederimus: ſed ſeruantes doctrinam Apoſtolicam huiuſmodi hæreticos homines poſt vnam & ſecundam corruptionem vitemus, & nouam, & peregrinam doctrinam afferenti, neque Aue ei dixerimus: vt Chriſti & Apoſtolorum præceptis acquieſcentes, æternam conſequi promereamur coronam, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto omni poteſtate, gloria, & imperio gaudet, infinitis ſeculis, Amen.

Tit. vlt.

2. Ioan. 1.

TRACTATVS LXIV.

In illa verba: *Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt autem arbor bona malos fructus facere, &c.*

Hypocriſis quantum vitium ſit.

HYPOCRISIS vitium magna ratione à nobis fugiendum eſt, & nullum in Euangelio Chriſtus eſt magis inſectatus, atque hypocriſis crimen: quia mendacium eſt in factis: & peius eſt adulterare virtutem, quàm aurum. Et graue eſt, contempto Deo ſpectatore, ignorantibus hominibus velle placere, & neglecto præmio æterno, ab hominibus expectare mercedem, quam accipiunt. Sed gaudium hypocritæ eſt inſtar puncti: quod enim præmiũ promereatur homo ex duplicato crimine? Nam ſimulata ſanctitas duplex iniquitas, vt docet Auguſtinus. Et quemadmodum Simon Cyrenenſis angariatus eſt ferre crucem poſt Ieſum: ita hypocritæ non amore Chriſti, ſed ob laudes hominum aucupandas carnem propriam ieiunio & abſtinentia crucifigunt: ſed vt docet Apoſtolus, *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt* (nec hoc tantùm, ſed vt ſubdit) *cum vitiis & concupiſcentiis*. Apud Iob cap. 8. ſcribitur; *Spes hypocritæ peribit: Non ei placebit vecordia ſua; & ſicut tela aranearum fiducia eius.* Nam vt aranea de propriis viſceribus telam magnis laboribus conficit, quæ leui auræ flatu frangitur, vel ad ſummum, ſi tela conſtet, muſcas venatur: ad hunc modum hypocritæ ſeipſos euiſcerant, ſua facta prodentes, quæ leui viſu, aut verbo, aut facto perdunt, aut ad ſummum laudes vanas & immundas venantur. Et cùm alios fallere intendant, primò ſeipſos decipiunt, quia partem eorum ponet Dominus cum hypocritis. Et quanquàm omnis hypocriſis fugienda ſit, quam propterea Dominus comparauit fermento, quòd omnia bona opera tanquàm maſſam corrumpat: illa tamen præcipuè, quæ cum doctrina falſa coniuncta eſt, & ad ſeducendum alios refertur, inſectanda & vituperanda: nam de hac in præſentia ſermonem habet, de qua etiam Matth. 16. dicitur: *Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum*, & intellexerunt exponente Domino cauendum eſſe, non à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum.

Gaudium hypocritæ quale.

B. Auguſt. li. ſentent. in ſenſu. c. 129. to. 3 in fine.

Matth. 27.

Galat. 5.

Iob 8.

Hypocritæ fiducia cur telæ aranearum ſimilis.

Hypocriſim cur aſſimilet Chriſtus fermento.

Luc 12.

Hypocriſis quę maximè fugienda ac deteſtanda.

Matth. 16.

Nunquid colligunt. Lucas habet, *Nec enim de ſpinis colligunt ficus: neq; de rubo vindemiant vuam.* Neq; magni refert ſcire quid horum dixerit Dominus, cùm idem ſit vtriuſque literę ſenſus. Declarat autem Dominus regulam aſſignatam, *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, ex ſimilitudine vegetabilium, tũ in ſpecie ex fructibus ſpinarum & tribulorum, nam vtrumque ſpecies ſpinæ quædam dicitur, tũ in genere, prius facto ipſo aſſerendo ab vniuerſali, *Sic omnis arbor bona bonos fructus facit*; deinde à poſſibili, cùm ait, *Non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Per ſpinas intellige, arborem ſpinoſam, vt rubum, vt ait Luc. 6. per tribulos arbuſtũ tribulos producentem: eſtque cardui ſpecies. Quia ergo virtutes ab operationibus, & in vniuerſum cauſæ per ſe ignotæ ab effectibus notis cognoſcuntur: hoc nunc oſtendit nobis, quod malus & falſus propheta ab operibus ſuis cognoſcatur, idque exemplo oſtendit: eo quòd rubus, ſiue tribuli, ſiue amara & ſpinoſa arbuſta dulces & ſuccoſas vuas, ſiue fructus minimè producant. Et tacitè hæreticos & ſpinis, & tribulis comparat. Nam ſpinæ quidem

Quorſum id Nũquid colligunt de ſpinis vuas, &c. *Luc. 6.*

Hæreticos ſpinas, & tribulos cur

Chriſtus appellatur.

& tribuli virent, ac frondent, florentque, vt videantur dulciſſimum fructum producturæ, neque tamen aliud portant quàm amaros fructus, qui nullius ſunt momenti: ita hic quoque illi pſeudoprophetæ ſplendorem obtinent, magnificis verbis ſemetipſos efferentes, quaſi ſoli eſſent omnium optimi; delapſis autem floribus tum baccæ, & lapidoſa corna apparent, quæ neminem paſcunt.

II. Ratio.

Et vt ſenticeta, ſeu ſpineta citra cultum & laborem in altum creſcunt, pungunt, offenduntque vel mediocriter tangentes: ita hæretici quoſcunque attingunt, lacerant atque cruentant:

III. Ratio.

& vt ſpinæ tantùm aptæ ſunt ad ignem fouendum, ita hæretici ſempiterno gehennæ igni, ac interdum etiam temporario, quo ab Eccleſia brachio ſeculari plectendi traduntur, tanquàm eſca, & nutrimentum ſunt præparati.

IV. Ratio.

Ad hæc, vt ſub ſentibus, & ſpinis libenter verſantur ſerpentes, & ſub illis ſe recipiunt vt deliteſcant: ita dęmones in ipſis, ceu templis, habitant, & per eos alios aggrediuntur.

V. Ratio.

Poſtremò, vt ſpinæ ſponte ſua ortę bonum ſemen ſuffocant, vt ait Euangelium: ita Hęretici Catholicis faceſſunt negotium, atque eos à fructu edendo retardant.

Matth. 13.

Vitis, & ficus quid myſticè.

Per oppoſitum autem, bonus & Catholicus Doctor per vicem, & ficum ſignificatur: nam hæ arbores omni ſplendore carent, & magnificentia: nec priùs folia protendunt, quàm ficus in procinctu ſit, vt interim ligna arida eſſe videantur, & tamen dulciſſimos fructus proferunt. Nam exploratores à Iudæis ad explorandam Terram promiſſam demandati, cùm redierunt, tulerunt ficus, vuas, & malogranata: ſignificantes prædicatores, qui tanquàm exploratores noſtri à longinquo patriam cœleſtem explorant, & inde adferunt charitatem quandam cœleſtem in vua ſignificatam, & dulcedinem cœleſtem in ficu repræſentatam: quos fructus ſi nos ediderimus, dulces & vnanimes efficiemur, & ad ea, quæ dinina ſunt, omni tempore excluſo, feruentes.

Num. 13.

Quid item vua.

Ficus, & vuæ quid conferant.

Galen.

Nam ficus, & vuæ calidę ſunt, & pingues reddunt edentes, vel ipſo Galeno antore libro ſimplicium medicamentorum. Verùm in hoc eſt deceptio: nam vt ait Auguſtinus, eſt quoddam hæreticorum genus, qui videntur bonos habere fructus; eo quòd continentes videntur & abſtinentes, ieiunant, dant eleëmoſynas; vacant orationibus, & manſuetudinem vel ipſo aſpectu præ ſe ferunt, vt trahant homines in admirationem, & amorem ſui: ſed hæc omnia non ſnnt fructus Spiritus, ſed veſtes ouium.

Auguſt. li. 2. de ſer. Dom. in Mon. c. 36. & ſeq. to. 4.

Bonos fruct⁹ quos ſimulẽt hæretici.

Fructus veri Spiritus quinam ſint.

Veri autem fructus Spiritus ſunt, charitas, gaudium, pax. At quomodo charitas in his, qui ſcindunt Eccleſiam? Quomodo poſſunt internum habere gaudium, qui ſe ipſos præſcindunt à corpore Chriſti? Quæ enim deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt; deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione: ait B. Iacobus. Audiant hæc hæretici. Quomodo pacifici bellum indicunt Eccleſiæ, & Imperatori Cæſari, & Principibus? Quomodo modeſti, & ſuadibiles, ac bonis conſentientes, qui in ſumma pertinacia perſiſtunt, aſpidum more claudentes aures incantantibus eos ſapienter? Videant qua miſericordia ſe tangi ſentiunt, qui tot animas ſua opera rapiunt in gehennam. Pleni hypocriſi, & ſimulatione, iudicantes omnia quaſi ſpirituales, cùm ipſi interim à nemine iudicari velint.

Rom. 14.

Iacob. 3.

Septẽ, octoue conditiones cœleſtis diuinæq; ſapientiæ, quibus carere omnibus hęretici conuincuntur.

Pſalm. 57.

1. Cor. 2.

Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt autem arbor bona malos fructus facere: neq; arbor mala bonos fructus facere.

Luc. 6.

Hæc ſimilitudo de arbore bona fructus bonos faciente, quando dicta fuerit.

Perpende Lucam cap. 6. hanc ſimilitudinẽ de bona, & mala arbore poſuiſſe poſt parabolam de trabe, & feſtuca, dicendo per cauſſalem coniunctionem: *Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos, &c.* ita vt hoc videatur neceſſariò referendum ad eum qui feſtucam ex alieno oculo vult eruere, habens trabem in proprio. Matthæus verò ponit hanc ſimilitudinem poſt doctrinam de vitandis falſis prophetis, vt oſtendat, quomodo ex fructibus cognoſci valeant. Dicendum eſt, Lucam breuiùs hunc ſermonem deſcripſiſſe: multa etiam in medio omiſiſſe. Et tamen aptè per coniunctionem, *enim*, hoc de arbore exemplum intulit cum eo, quod dixit de hypocritis: *Hypocrita, eiice primùm trabem.* Vnde conſtat hanc ſimilitudinem dictam contra hypocritas: nam & pſeudoprophetæ, pro quibus dignoſcendis hoc ſimile Matthæus produxit, hypocritæ ſunt: valetque ad conuincendum eos, qui quaſi iuſti alios volunt docere, cùm ipſi maioribus ſceleribus ſint implicati. Sed ad rem, Dominus comparationem communi dicto concludit, quaſi dicat; Quod de ſpinis, ac tribulis, ſentiendum idem eſt, de quibuſnis arboribus: ita etiam de quibus vis hominibus, ſiue prophetis: Bonus enim propheta inſtar eſt arboris bonæ, & malus malæ. Arbor bona, & ſuccum bonum generenſin radice, edit bonos fructus: contrà arbor verè mala, quibuſcunque ſit foliis, quocunque cortice, tamen fructus erit

In quos eadẽ inducta.

Quò tendat.

malus.

Quomodo accipiendũ illud; Omnis arbor bona fructus bonos facit.

malus. Nec hæc poſſunt inuerti, quia ita natura comparatum eſt: nam operatio ſequitur formam determinatam ad vnum, vt non poſſit putris arbor ferre bonos fructus. Et eſt ſermo de arboribus fructiferis: nam alioqui non omnis arbor ex fructu ſuo cognoſcitur. Hoc loco monent Hieronymus & Auguſtinus, nequaquàm hæc de duabus contrariis naturis eſſe accipienda, quarum vna ſit bona, altera mala, quas Manichæorum finxit impietas. Alij verò, inter quos Iouinianus, hinc collegerunt, hominem ex Deo natum nunquàm poſſe peccare. Non enim hoc loco per arborem bonam vel malam, naturarum, ſed voluntatum, vel hominum diuerſitatem ſignificare Dominus voluit. Deinde illa ſententia: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*, intelligi debet, quandiù bona permanet: nam bona arbor aliquando per naturæ defectum fit mala, & profert malos fructus. Nec etiam homo ita malus eſt, vt non poſſit fieri bonus: nec ita bonus, quin poſſit fieri malus: vt teſtatur Salomon, qui aliquando bonus erat, ſed degenerauit, & idola coluit: contrà, Paulus blaſphemus fuit, & perſecutor Eccleſiæ, cuius deinceps extitit magnus Apoſtolus, ac Doctor. Verùm hoc docet Dominus ex operum fructibus diiudicare Prophetas, vtrùm à Deo miſſi ſint, an à diabolo: nam à quo quiſque miſſus ſit, & qualis quiſque ſit intus, eius fructus externi teſtantur. Atque ita veræ ſunt hæ propoſitiones per ſe acceptæ, nec patiuntur inſtantiam. A malo enim, vt malum eſt, non niſi malum proficiſcitur: & à bono non niſi bonum. Et ſicut in arbore eſt radix, ſiue medulla, & ſunt fructus: ita in homine eſt cor, & ſermo, ſiue externa opera. Nam vt de fructibus cognoſcitur arbor, bona an ſit, an mala, bonamve habeat radicem, & medullam, an non: ita hominis cor quale ſit, externa opera, & externi ſermones teſtantur. Idem dixit & beatus Ioannes: *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.*

Hieron. to 9. Aug. lib. 2. de ſer Dom. in mon. c 24.

Manichæi, atque Iouinianus, malę ſcilicet arbores, quos duos hinc malos fructus fecerunt.

Id etiam: Nõ poteſt arbor bona malos fructus facere: quo ſenſu dictum ſit.

3. Reg 11. 1. Tim. 1.

Infra 2.

1. Ioan. 4.

Cor hominis bonum, an malum ſit, vnde cognoſcatur.

1. Ioan. 3.

Sed dices; Vbi ergo eſt liberum arbitrium? Reſpondeo, per hoc dictum non negari liberum arbitrium: nam ipſo manente, idem homo peccator eſſe poteſt, & rurſus iuſtus: & vnus & idem homo nunc arbor bona, nunc arbor mala diuerſo tempore poteſt eſſe: repugnat tamen, vt ſimul ſit bona, & mala arbor, & ſimul proferat malos, & bonos fructus. Nam interdum etiam bona arbor, vt vitis, & ficus, aliquem fructum inutilem reddit: ſed frequentiùs, & ex natura ſua bonos fructus facit. Ita ſanè fieri nequit, vt hominis boni fructus omnes, vel plures, vel potiores ſint mali, ſed potiùs boni: cõtra verò mali hominis fructus non poſſunt, vel omnes, vel plures, vel potiores non eſſe mali. Ita vt facilè ſit ex quibuſdam dignoſcere falſitatem, & malitiam eius, etiamſi multis conetur ſe tegere virtutum ornamẽtis. Vnde Dominus ſubdit: *A fructibus eorũ cognoſcetis eos.* Non enim ex ſingulis fructibus vult agnoſci prophetam, ſicut nec ex ſingulis fructibus arbor agnoſcitur, cùm veniat in veſtimentis ouium pſeudopropheta. Ideo Dominus explicans parabolam, ſubiunxit: *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona.* Nec enim vult quod ſolùm proferat bonũ, cùm interdum ex adiacenti malo proferat malum, verum cùm theſaurus cordis eius bonus eſt, id eſt, cor eius plenum ſapientia, & virtute: tunc enim potiores, & plures ſermones ſunt boni. Sic malus non ſemper profert mala ex malo theſauro cordis ſui, ſed ex adiacente ſibi adhuc bono, vel theſauro Scripturarum profert bona: fieri tamen nequit, quin frequenter è plenitudine cordis deprauati proferat mala, quia vt plurimum ex abundantia cordis os loquitur. Et vt arbor mala, quemadmodum rubus, & tribulus, inſertione poteſt fieri bona, & bonum fructum ferre: ita hominis voluntas mala, auxilio gratiæ Dei, & inſito verbo poteſt fieri bona, & bonum fructũ ferre: quòd ſi voluntas perſeueret eſſe mala, nunquàm faciet fructus bonos, hoc eſt perfectos. Ea enim voluntas bona eſt & perfecta, quæ ad gloriam Dei refert quodcunque bonum ſuum. Bona ergo voluntas, quatenùs talis, non niſi bona agit: ſicut quæ mala eſt, non niſi mala. Homo ergò per virtutes non poteſt facere mala, quia ad bonum tantùm inclinant, benè autem per fomitem, & liberum arbitrium: ſicut malus per vitioſos habitus bonum operari non poteſt, benè autem per liberum arbitrium Dei gratia adiutum. Scopus ergo Chriſti eſt, quòd arbor mala non ſemper poteſt facere fructus bonos: neque bona fructus malos: & quòd ſic tandem cognoſcentur. Vel quòd difficile mala poſſit bonum facere, vel bona malũ, iuxta illud Ieremiæ: *Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Rurſus: *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Id eſt, Non poteſtis vtriuſque fructus producere.

Si arbor mala nõ poteſt facere fruct⁹ bonos, vel cõtrà, vbi liberũ arbitriũ?

Explicatur: Bon⁹ homo de theſauro cordis ſui profert bonum, &c.

Quę arbores malæ, & quo modo bonæ fieri poſſint.

Ierem. 13.

Matth. 6.

Sed dubium hic eſt; Si hominis voluntas mala eſt natura ſua, & natura hominis eſt à Deo, qui bonus eſt; ergo à bono

Si hominis volũtas mala eſt natura ſua & natura

Deo

hominis eſt à Deo: ergo à bono Deo venit natura hominis, & voluntas mala.

Deo venit natura hominis, & volutas mala. Reſpondeo, quòd voluntas hominis corrupta & vitioſa non eſt à Deo, qui hominem fecit rectum, ſed à peccato eſt. Homo enim ſe ipſum fœdauit, & perdidit.

Eccleſ. 7.

Si hominis ab initio voluntas arbor fuit bona, vt fecit fructus malos?

Eccleſ. 7.
Luc. 10.

Rurſus obiicies; ſi ab initio erat homò rectus, & idcirco habebat voluntatem, quę erat arbor bona; quomodo produxit fructus malos, id eſt, peccata? Videtur ergo quòd arbor bona malum fructum ferat. Reſpondeo: Deus creauit hominem rectum, & bonæ voluntatis, non tamen abſolutè bonum, quia ſic ſolus Deus abſolutè bonus eſt: quare in eo quod voluntas erat bona, non peccauit, ſed in eo quod à voluntate perfecta deficiebat, peccauit. Erat enim illi poteſtas ad peccandum, quia non erat ab amore ſui ipſius perfectè libera, & perfectè Deo ſubiecta: & hac ratione dici poterat mala, Id eſt, non omninò perfecta, & inde natum eſt peccatum. Quod dicitur: *Arbor mala*, Græcè eſt putris: & quod attinet ad ſenſum, idem eſt, niſi quòd vitiatam ſignificat, vt intelligas id factum non à plantatore, ſed aliquo caſu contractum extrinſecùs vitium, vt accidit arboribus cùm putreſcunt.

Peccatum vnde.

Si arbor natura mala eſt (hominis ſcilicet voluntas) nec niſi poteſt facere fructus malos; ab ea cur fructus exiguntur boni?

Tertiò obiiciet aliquis, Si arbor natura mala eſt, & conſequenter facit fructus malos, nec poteſt alios facere quàm quos facit, quæ iuſtitia eſt, vt id ab ea exigatur, quod non poteſt præſtare? Dico: Venit Dominus, vt omnem arborem malam bonam faceret, ſi ipſa vellet, & ideo poſſet bonos fructus facere: ideo in peccatum, & quidem graue illi amputatur, ſi nolis fieri bona. Et ſicut cùm ab initio eſſet bona voluntas ſecundùm primam naturam, non adeò erat bona, vt non poſſet fieri mala: eodem prorſus modo non adeò mala facta eſt, vt ſi velit, Dei fauore, qui nulli deeſt, non valeat effici bona. Et vt tollat errorem eorum, qui putant ſatis eſſe ad ſalutem, ſi nihil mali fecerint, ſed à malo ſe cuſtodierint: declarat opus eſſe vt faciat fructus bonos. Vnde ſubdit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Minatur exitium impiis, ſi perſeuerauerint In ſua malitia, argumento ſumpto ab eo quod cum ratione fieri conſueuit ab hominibus. Nam vt arbores quæ fructum non ferunt, ad ſecurim & ignem damnantur: ita accidit hæreticis, ſiue falſis Prophetis, qui non ſolùm fructum non ferunt, ſed etiam noxium, & pernicioſum producunt. Nam tales exciduntur à radice Eccleſiæ, quæ eſt Chriſtus, & ipſo iure à membris eius ſegregati, & exciſi declarantur, & igni æterno adiudicantur. Nam & dum ſunt in hoc mundo, ipſi ſe ab Eccleſia, & vero CHRISTO ſegregant, vt ait Petrus: & Ioannes: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*. Quibus verbis ſignificat, hæreticos primùm quidem per infidelitatem cordis ab Eccleſia Chriſti diſceſſiſſe: deinde etiam corpore Sanctorum congregationem deſeruiſſe, & ad transfugas migraſſe. Geſtant etiam tales perpetuum ignem in corde quo vruntur: quia vt teſtatur Apoſtolus, tales ſunt αὐτοκατάκριτοι, hoc eſt, proprio iudicio condemnati: qua conſcientiæ carnificina nullus ignis magis cruciari poteſt. Et quod ait: *Excidetur, & in ignem mittetur*, ſiue de præſenti, vt habet Græca lectio: *Exciditur, & in ignem mittitur*, duplicem pœnam, qua ſcelerati plectuntur, inſinuat, vt admonet Chryſoſtomus: vnam, qua amiſſa gratia Dei, ſuauiſſima Patris cœleſtis præſentia priuantur; alteram, quòd æternæ gehennæ flammis veniunt exurendi: quæ pœna, etſi grauior ſit, quàm captu intelligentiæ humanæ comprehendi valeat, infinitis tamen partibus ſuperatur ab illa priore. Ait enim Chryſoſtomus in hæc verba: *Intolerabilis quidem res eſt etiam gehenna: quis neſciat? & ſupplicium illud horribile. Tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt, quale eſt à beata illius gloriæ honore repelli, exoſumque eſſe Chriſto, & audire ab illo: Non noui vos: atque argui quòd eſurienti, & ſitienti negauerimus cibum, & potum. Eſt enim ſatius mille fulmina ſuſtinere, quàm vultum illum manſuetudinis, pietatiſque pleniſſimum, nos tamen auerſantem videre, & illos totius tranquillitatis oculos, nequaquàm nos aſpicere ſuſtinentes*. Ita ille probè ſentit.

Non tantùm non malè agere, ſed etiã benè, opus eſt ad ſalutẽ.

Matth 3.

Omnis arboris malè fructificantis finis.

Eccleſiæ radix quænam ſit.

a Pet. 2.
1. Ioan. 3.

Hæretici vnde primùm apoſtatæ.

Tit. 3.

Duplex apud inferos pœna.

Chryſ. hom. 24. in Matt. tom. 2.

Pœna damni quàm grauis, quãtoq; illa ſenſus atrocior.

Idem ibidem.

Matth. 7.
Infrà 25.

Quibus dicitur. A fructibus eorum cognoſcetis eos.

Igitur à fructibus eorum cognoſcetis eos. Concluſio eſt quę infertur non tantùm ex proximis verbis, ſed etiam ex ſuperioribus, nempè: *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere, & bona malos*. Et eſt eadem illatio, quàm, cùm ageret de falſis Prophetis, enuntiauit. Et ait: *Cognoſcetis*. Loquitur enim Prælatis, quorum eſt officium, vt attendant, & caueant à falſis Prophetis, vt diximus.

Qui dicant Chriſto, Domine, Domine.

Rom. 1.

Tit. 1.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, & cæt. Monſtrauit Dominus remedium in pſeudoprophetas vt caueantur, & fidei veritas inconcuſſa maneat: nunc eos videtur attingere, qui veritatem agnoſcentes, & fidem ſinceram profitentes, eam in iniuſtitia vitæ detinent, dicunt verbo, & ingeminant, Domine, Domine; factis autem negant. Oſtendit ergo, quòd non ſufficit fides cum oris, & non operis cõfeſſione. Vel

potiùs

Aug lib 2. de ſerm. Dom. in mot. c. 39. to. 4 prope fin.
Quid doceat Dominus his verbis.

potiùs ſecundùm Auguſt. cùm dixiſſet, à fructibus ſuis cognoſci pſeudoprophetas, hîc docet, fructus, per quos cognoſci valeant: non eſſe quod innocent, & prædicent nomen Domini. Vel denique concluſurus ſermonem ſuum, docet non ſatis eſſe, ſi auditores audiant, & credant in ipſum, ſed neceſſarium eſſe ad ſalutem, vt quis audita opere præſtet. Vnde Luc. 6. dicitur: *Quid autem vocatis me, Domine, Domine: & non facitis quæ dico?*

1. Cor. 12.
Dicẽtes, Domine, Domine (quod niſi in Spiritu ſancto dici poteſt) cur excludantur à regno cœlorum.

Sed dubium eſt, quia nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto: quomodo ergo inuocãs Dominum in Spiritu ſancto, excluditur à regno cœlorum? Reſpondeo, quòd ſi ſolùm conſideretur prolatio horum verborum, Domine Ieſu, quicquid ſit in corde proferentis, poteſt quis dicere, Domine, Domine. Quòd ſi quod ore profertur, non benè dicatur, niſi etiam corde proferatur, & probetur ſic eſſe vt dicitur, verè nemo poteſt dicere, Domine Ieſu, niſi in Spiritu ſancto. Nec propter eà hîc ingredietur regnum, niſi factis comprobet quod dicitur: *Corde enim creditur ad iuſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Vt enim oon iuuat ſanctitas vitæ ſine vera doctrina, ita neque doctrina Catholica quicquam prodeſt, niſi ſancta vita ſit ornata, & in hoc maximè Iudæi peccabant requieſcentes in dogmatibus legis.

Rom. 10.
Duo neceſſaria ſunt ad vitam æternã.

Sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Quia homo tantùm putabatur, ad Dei voluntatem omnia refert; cùm tamen vna eſſet Patris, Filiique voluntas: quod vt indicaret, Luc. 6. dixit: *Et non facitis quæ dico.* Et volũtatem Dei à nobis fieri petit, qua nihil iuſtius, quia Dominus eſt: nihil dignius, quia per eius obſeruãtiam intramus in regnum, & efficimur fratres, & ſorores eius: nihil ſecurius, quia rectiſſima eſt, & omniũ voluntatum regula: nihil iocundius, quia ex contrario omne malum noſtrum proficiſcitur. Et ab omni creatura, quæ voluntatem, & præceptum eius cuſtodit, ſuperamur, ac dæmonibus, qui illi ſemper reſiſtere moliuntur, ſimiles reddimur. Opus ergo eſt ſeruare mandata Dei. Vbi ergo ſunt hæretici, qui ſola fide nituntur, & ingeminant, Chriſte, Chriſte? Nec enim ſatis eſt dicere bis, Domine, Domine, niſi ter dicas: non ſolùm vt profitearis Trinitatem, ſed vt fide, & profeſſione, atque obedientia mãdatorum, & bonorum operum teſteris te habere Dominum. Et vt ſuprà contra falſa producentes docuit; ita hîc contra vera docentes, & non facientes.

Quare Chriſtus nõ dixerit; Qui facit voluntatem meã, ſed; Qui facit voluntatem Patris mei.
Luc. 6.
Facere volũtatem Dei q̃ ęquum ſit, & ſalutare.
Pſalm. 148.
Aduerſus hæreticos ſola fide ſaluari hominẽ dogmatizãtes.

Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine. Quibus verbis Dominus ſe iudicem omnium oſtendit: ac diem illũ vocat diem iudicij vltimum, & terribilem, quó reuelabitur regnum cœlorum, in quo quiſque pro ſuis meritis remunerationem accipiet. Et demonſtrant illum. *Ad intellectum,* pronomen illa, vt Paulus ait: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex.* Erubeſcant igitur hoc loco, qui contendunt hominem ſola fide iuſtificari, & qui ad aliud latibulum confugiunt, dicentes, eum qui veram fidem habet, neceſſariò bona opera producere. Quod ſi verum eſt, eos, qui bonis operibus deſtituuntur, magis accuſaret propter incredulitatem, quàm propter bonorum operum inopiam. Vnde Chryſoſtom. hoc loco: *Non modò ille,* inquit, *qui habet fidem conuerſatione neglecta, regnum non poterit introire cœlorum: ſed & ille, qui fide multa etiam ſplenduit claritate ſignorum, nec tamen aliquid in vita boni operis exercuit, à cœleſtibus ſimiliter ianuis repelletur.* Sic ille inquit.

In qua die dicẽt iniquitatis operarij Chriſto, Domine, Domine. &c.
2. Tim. 4.
Sola rurſus fides Hæreticorum impugnatur
Chryſ ho. 24. in Matth.

Nonne in nomine tuo prophetauimus? &c. Geminatio illa oſtẽdit, illos tribulatione, & ſtupore affectos, quòd videant ſe excludi à regno. Et prophetare in nomine Domini, plus eſt quàm credere: eſt enim alios in fide orthodoxa inſtruere, non in ſpiritu gratiæ niſi gratis datæ. Et ſimiliter dæmonia eiicere, & virtutes facere, plus eſt quàm credere: non enim abſque fide hæc operabantur. Nec mendaciter id dicent, quaſi diabolica virtute, & non in nomine Chriſti prophetauerint, vel ſigna perfecerint: nam aliàs Dominus non oſtenderet quod probare volebat, nimirum quòd non omnes qui dicunt, Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum: & quòd nec fides, nec miracula valent, ſi deſit bona vita. Atq; ex hoc loco euidenter colligitur veram fidem & Chriſtianam ſine charitate, & operibus bonis poſſe conſiſtere: nam reuerà ſigna poſſunt fieri à deſtituto charitate, nõ tamen ab eo qui fide caret. Nã Marc. vlt. de credentibus dicitur: *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, &c.* & Dominus Apoſtolis dixit, ob incredulitatem non potuiſſe dæmonium eiicere, Matth. 17. *In nomine ergo tuo,* id eſt, virtute tua: quòd ſi iũgatur cum verbo, *Prophetauimus,* id eſt, ex commiſſione, & autoritate tua, quomodo è contrario dicitur Ierem. 27. *Non miſi eos, ait Dominus, & ipſi prophetant in nomine meo mendaciter.*

Cur geminẽt operarij iniquitatis, Domine, Domine.
Prophetare in nomine Domini, quid ſit.
An fecerint illi operarij iniquitatis vera ſigna, & prodigia.
Aliud argumentũ in ſolam hæreticorũ fidem.
Marc. vlt.
Matth. 17.

Et tunc confitebor illis. Confitebor, more Hebræorum dixit, pro eo quod eſt, apertè proloquar; qui hactenùs ſilui. Tunc ergo, non anteà, quia modò boni mixti ſunt malis, &

Confiteri apud Hebręos quid.

Matth. 13.

Operarios iniquitatis vt nũquàm nouerit Deus.

lis, & vtroſque ſimul ſinit creſcere vſq; ad meſſem: & quo maior Dei patientia, & diſſimulatio, eo maior ira, & indignatio. *Quia nunquàm noui vos.* Noſſe Dei, eſt diligere ad ſaluris effectum. Et dicitur nunquàm nouiſſe illos: quia quando miracula operabantur, non erant iuſti, nec Deo grati, & in nomine CHRISTI aiebant ſe feciſſe miracula, & vt cauſam eius agere viderentur, & non in virtute propria. Significat ergo, eos non ideo damnatos, quòd poſt ſigna facti ſint Iniqui. Stat tamen, nonnullos gratiam perdidiſſe, vt Saulem, & eos, qui cum gaudio ſuſceperunt verbum, ſed orta tribulatione aruerunt. Ideo ſanctorum virorum, qui dæmonia eiiciunt, vel alia miracula edunt, ſigna, non ſolùm benignitati, & poteſtati Chriſti atteſtantur, ſed etiam ſanctitatem eorum claram, & illuſtrem faciunt. Ex quo ſancti cùm canonizantur, non ab re inquiritur de miraculis ab eis editis. Et quia In his poteſt eſſe deceptio, etiamſi ſint vera miracula, eo quòd non in teſtimonium ſanctitatis ea Deus fortè per illos fecerit: ideo rectè ſimul de vita eorum ſancta inquiritur, vt ex his duobus veritas deprehendatur. Deus enim operatur miracula interdum, non ad clarificandum ſanctum, ſed ad ędificationem Eccleſiæ, vel propter eorum fidem, qui recipiunt beneficia. Et rariſſimum eſt viros iniquos habere donum prophetandi, & operandi miracula: & tamen multi erunt in die illa: non quidem comparando eos ad numerum eorum qui ſancti extiterunt, & qui talia non patrarunt: quia abſque vlla comparatione plures fuere: ſed quia collecti ex omnibus ętatibus multi apparebunt.

1. Reg. 15.
Matth 13.
Sanctorũ viuentium ſigna, & miracula, duo cõteſtantur.

Ad eorum quoque canonizationem duo requiruntur.

Qua ratione multi erunt qui dicent Chriſto indice, Domine, Domine, &c. cùm tamen pauciſſimi illi futuri ſint.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Sumpta ſunt hæc verba ex Pſalmo ſexto, quamuis ex perſona Dauidis legantur, & repetuntur Matthæi 25. quando dicet impiis: *Diſcedite à me, maledicti, &c.* Quaſi dicat; Vos à me corde diſceſſiſtis, veſtra compendia quæſiuiſtis, me tantùm voce laudaſtis: qui ergo à me corde veſtro, & operibus abieciſtis, vos quoque à me diſcedite. Sed cur non dixit: Qui operati eſtis iniquitatem, ſed tantùm de præſenti, qui operamini, niſi quia eo animo diſceſſerũt, vt ea in æternum operarentur, quæ operatos eſſe nunquàm pœnituit? Et cùm maneat voluntas operandi, ſi poſſent, ſempiterna coram Deo illa operatio habetur: ideo æterna pœna mulctatur. Atque hoc annotauit beatus Hieronymus hoc loco, ne quiſquam putet, Dominum pœnitentiam tollere voluiſſe. Ideo Lucæ 13. dicuntur iſti ἐργάται ἀδικίας, id eſt, operarij iniquitatis. Poteſt ergo quis in mortifero delicto poſitus, & prophetare, id eſt, prædicare, ſiue docere Scripturas, & laudare Deum in Pſalmis, & Canticis Scripturæ, vel reuelationem accipere ad laudandum Deum, vt Saul, vel ad prædicandum futura, vt Balaam, & Caiphas; vel ſigna edere, vt magi Pharaonis. Quia hæc fiunt, vel ob fidem præſentium, ſiue eorum qui obſidẽtur, vel ob nominis Chriſti reuerentiam, & gloriam. Et fide, quæ gratia datis data eſt, ad hæc omnia eſt opus: & habenti eam, vt corrigatur quantum ad mores hęc conceduntur; & vt infirmos in fide, licèt benè morigeratos, confirment.

Quid eſt: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.
Pſalm 6.
Matth. 25.

Expenditur de præſenti dictum: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

B. Hieron in Matt. tom 9.

Bona opera quæ ſtent cũ peccato.

1. Reg. 10.
Rom. 24.
Ioan. 11.

Poſtquàm igitur res ita habet, terrifica hæc Domini verba frequẽter meditemur, nam vnumquenque in officio continere idonea eſſe poſſunt. Etenim ſi qui tanta ſigna ediderunt, & dæmones de corporibus expulerunt, talia audituri ſunt, vt in æternum gehennæ ignem ſint relegandi: profectò non poterit non eſſe in ſignis, & execranda noſtra ſocordia, ſi ab ſtudio bonorũ operum deſiſterimus, & ſi mandata Dei cuſtodire neglexerimus, ad quæ ſeruanda tantus diuinæ gratiæ fauor nobis ſuppeditatur, & tantum gloriæ præmium in cœlis nobis repoſitum aſſeruatur, virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, atque Spiritu ſancto omni honore, & poteſtate fruitur in ſempiternum, Amen.

Ad ſtudium bonorum operum exhortatio.

TRACTATVS LXV.

& vltimus, in illa verba: *Omnis ergo qui audit verba mea hac, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petrã: & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt iñ domum illam: & non cecidit. Fundata enim erat ſuper petra:* & reliqua in finem capitis vſque.

Quorſũ hæc ſimilitudo Domini propoſita ſit.

PVLCHERRIMA ſimilitudine Chriſtus ſermonem ſuum cõcludit, quę vel ſola ad ea, quæ ſuprà dixerat, amplectenda, nos accendere poſſet. Quis enim non ſummis votis Chriſti monita arriplat, cùm intelligat, tãtam vtilitatem ſibi hinc acceſſuram? Vt igitur in hac peroratiõe aculeos infigeret Chriſtus mentibus auditorum, & fideliùs memoria retinerent quæ docuit,

vltimo loco hanc ſimilitudinem propoſuit: quæ etſi aliquid parabolicam contineat, propriè tamen parabola non eſt, vt de quibuſdam aliis in hoc ſermone contentis ſuperiùs expoſuimus.

Audire Chriſti verba, quã bonum atq; ſalutare ſit.

Omnis ergo qui audit verba mea. Quaſi diceret; Noli hæc verba mea vt inutilia accipere, & reiicere, magnum ſiquidem adſerent vtilitatem: nam ſi illis ſeruandis incubueris, tutum te, ſecurum, munitum, & inuictum reddent contra omnes, & Mundi, & Carnis, & Dæmonum inſultus, vt nulli aduerſantium in prædam cedas, quinimò omnibus ſuperior conſiſtas: quo bono ſecuritatis nullum maius, aut pretioſius, incomparabiliusve inueniri poteſt. Quantum gauderet peccator quiſque, ſi contra mortem & infernum ſecuritas præſtaretur? At hanc ſola Chriſti verba obſeruata præſtant. Hoc idem præmium alibi Deus iuſtis pollicetur Pſalm. 14. *Qui facit hæc* (ſcilicet Dei mandata) *non mouebitur in æternũ*: & Salomon in Prouerb. *Iuſtus ſicut Leo confidens, abſque terrore erit*: & alibi: *Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius: iuſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum.* Lúcas cap. 6. eadem hæc verba enarrat, paucis immutatis, nam in principio ait: *Omnis qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos, oſtẽdam vobis cui ſimilis ſit*: pro eo quod Matthæus ait: *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſsimilabitur viro ſapienti.* Et pro eo quod Matthæus ait: *Qui ædificauit domum ſuam ſuper petram*, Lucas clariùs dicit: *Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram*, innuens fundamentum non ſolùm ſupra petram, ſed profundum. Et pro eo quod Matthæus ait: *Et deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti*, Lucas contractiùs, ſolùm enim fluminis facit mentionem dicendo: *Inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit eam mouere.* Sed hæc omnia leuicula ſunt, digna quæ annotentur tamen. Quod ergo Matthæus ait per illationem, *Omnis ergo*, oſtendit hæc cum præcedẽtibus cohærere. Nam cùm dixiſſet: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo*, & quæ ſequuntur: iactantes fidem ſine operibus: iam admonet illos, vt ſeriò cogitent de ſanctis exprimenda doctrina CHRISTI, & obedientia mandatis eius pręſtanda. Et dicendo: *Omnis ergo qui audiet, &c.* neminem excludi voluit ex his qui potuerunt audire, & audita, re præſtare. Vnde Infantes baptizati ſicut ab audiendo, ita & à faciendo excuſati ſunt: qui verò adierunt, & poſt baptiſmũ immatura morte prærepti ſunt,

Pſalm. 14.
Prouerb. 28.
Prouerb. 10.
Luc. 6.
Lucæ cum Matthæo in hac narratione conſonantia.
Eodem quo modo cum ſuperioribus conueniant.
Qui debeant audire Chriſti verba, & illa perficere.

illis propoſitum, & voluntas præſtandi legem, pro facto apud iuſtum iudicem deputatur. Et quemadmodum Moyſes propoſita lege benedictiones pronuntiauit eius obſeruatoribus, & maledictiones trãſgreſſoribus: ita Dominus hoc loco propoſita lege per tria iſta capitula præmium magnum ſpirituale pollicetur eam obſeruantibus; & magna ſupplicia comminatur audita violantibus. Ait igitur: *Omnis qui audit verba mea hæc*, nimirum qui illa fide ſuſcipit: nam illud eſt audire in Scripturis, propterea quòd fides ſit ex auditu, vt Apoſtolus docet.

Deut. 28. & 29.
Quid audire verba Chriſti.
Rom. 10.
Audiũt Chriſti verba qui, non tamen faciant ea.

¶ *Et facit ea.* Quia multi non ſolùm audiunt, ſed etiam faciunt, at in faciendo vt debent, non perſeuerant: quidam etiam ab initio orta tribulatione, & perſecutionẽ retrocedunt, vt Simon Magus: alij verò quaſi in medio curſu deficiunt, vt Iudas; demùm alij poſt multos labores, & cruciatus pro Chriſto toleratos, Chriſtum in tormentis adiurarunt, facientes, vt dici ſolet, in portu naufragium. Propterea omnes iſti inter eos qui non faciunt, enumerandi ſunt: & idcirco dixit Dominus Ieſus: *Qui audit verba mea hæc*, Infinitam propoſitionem pro vniuerſa, vt moris eſt, accipiendo: qui autem retrocedunt, non omnia verba Chriſti faciunt, cùm perſeuerantia præcepta includatur in verbis Chriſti. ¶ *Aſsimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram.* id eſt, erit vir ſapiens: quia prudentia in agendis, legi Dei conſona, ſapientia dicitur, iuxta illud: *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens*: ac rurſus, cùm propoſuiſſet Dei mandata, ait Moyſes: *Hæc eſt ſapientia veſtra, & intellectus veſter coram populis.* Vnde Græcè dicitur φρονίμῳ, id eſt, prudenti. Talis ergo ſapiens agnoſcit Deũ altiſſimam cauſſam, per quam ſe ipſum, & omnia opera ſua, tanquam per regulam certiſſimam dirigit.

Marc. 4.
Matth. 27.
Prudentia quæ ſit ſapientia.
1. Cor. 3.

Et ſapientem virũ hoc loco vocat eum, qui ædificandæ domui firmum ſtruit fundamentum, & caſus qui accidere poſſunt, proſpicit, & illis prudenter occurrit, ne videatur ædificare ſuper arenam. Vnde Paulus: *Vt ſapiens*, inquit, *architectus fundamentum poſui.* Hic autem ſapiens domus ædificator, cui comparatur qui audit, & facit legem Chriſti, quemlibet ſapientem architectum, qui omnes regulas artis in ædificando ſeruat, ſignificat: & per oppoſitum ſtultus, cui aſſimilatur audiens, & non faciens, eſt is imperitus architectus, qui neglectis regulis artis fabricatur. Vel ſanè per virum ſapientem intelligere poſ-

Sapiens vir Chriſto quis.
Ibidem.
Quis verò ſtultus.

ſumus ipſummet Chriſtum, vt Chryſoſtomus exponit, qui ſapientia Dei Patris eſt, & qui ſuper petram ædificauit domum Eccleſiæ ſuæ, in quam neque pluuia, neque venti, neque flumina quicquam poſſunt, quia vt ipſe dixit, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam:* quæ infinita Dei ſapientia, & potentia firmata eſt. Imò nec tempeſtas terribilis Domini aduentus, de quo Eſai. 2. *Introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere terram: ſed immobilis perſiſtet domus noſtra ob fundamenti, cui innititur, ſoliditatem.* Nec enim pluuia falſæ doctrinæ, quæ de cœlo videtur deſcendere, aut venti, id eſt, terrores dæmonum, qui modò ſuperbia inflant, nunc calore, id eſt, carnis amore replent, nunc frigore timoris vrgent, neque flumina dulcia diuitiarum huius mundi, & delectationum, & voluptatum carnis illam frangere queunt. Ipſe etiam Chriſtus prius ſuper petra diuinitatis, conſtruxit domum Humanitatis, de qua: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem,* id eſt, dona ſeptem Spiritus ſancti, quibus nixa fuit hæc domus, in qua vt fundamentum ſemper latitare ſolet: ita diuinitas in Chriſto erat abſcondita, vt etiam Eſaias dixerit: *Verè tu es Deus abſconditus:* atque in hanc domum deſcendit pluuia, flauerunt venti, & flumina inundarunt; imò maria, & omnes aduerſariæ poteſtates, & totus infernus irruerunt in hanc ſacram humanitatem: nec tamen cecidit; quia fundata erat ſuper diuinitate: *Intrauerunt*, inquit, *aquæ vſque ad animam meam*; & rurſus. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me:* ita vt per mortem putaretur corruiſſe. *Miſit de ſummo, & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis. & ab his qui oderunt me: quoniam confortati ſunt ſuper me.* Vnde per reſurrectionem apparuit fortitudo, & immobilitas huius domus. Atque hunc imitari quiſq; bonus Chriſtianus debet, vt eius exemplo domum propriæ conſcientiæ fortem & munitam conſtruat, quæ inſultibus Carnis, & Mundi, & Dæmonum machinis non cedat.

Matth. 16.
Eſai. 2.
Quæ pluuia, flumina, venti nil noceãt domui viri ſapientis.
Quam Chriſtus domum conſtruxerit, & quam ſupra firmam petram.
Prouerb. 9.
Eſai. 45.
Quæ in eam domum deſcenderit pluuia, venerint flumina, & flauerint vẽti ſed fruſtrà.
Pſalm. 68.
Pſalm. 17.
Chriſtiano cuiuis quæ conſtruenda domus.

Et per contrarium, per virum ſtultum venit dæmon intelligendus, ædificans in Babel Eccleſiam malignantium; & ſuper arenam, id eſt, ſuper creaturam, quæ inſtar arenæ ſterilis eſt ad bonum, & fluida vt in peccatum cadat, & fluctibus concuſſa, quia laboribus, & tentationibus agitatur. Eſt etiam ſicca, ſiue bibula, & inſatiabilis, quia creaturæ hominem ſatiare non poſſunt. Eſt etiam multiplex, quia impij innumerabiles ſunt, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Arena ergo eſt omnis diaboli populus ſterilis, & minimè vnitus, magnis laboribus agitatus, & ſine numero: quemadmodum populus Dei vnitus eſt vt petra, & fortis, & fructuoſus: quia etſi multi ſint vocati, pauci tamen electi. Vel vt conſtantia fidei dicitur petra: ita inconſtantia infidelitatis arena vocatur. At domus, quæ à nobis ædificanda eſt, domus eſt conſcientiæ, vt diximus, de qua Apoſtolus: *Chriſtus verò tanquàm filius in domo ſua:* quæ domus ſumus nos; & Propheta; *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ;* & Bernar. inſcripſit breuem librum de interiori domo, id eſt, de conſcientia, quæ inſtar domus cuiuſdam fundanda & fabricãda eſt: de qua Princeps Apoſtolorum Petrus ait; *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam; in ſcientia autem abſtinentiã, in abſtinentia autem patientiam, in patiẽtia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatẽ.* Vides domum cõſcientiæ miro virtutum ædificio fabricandam? & lapidibus pretioſis meritorũ exornandam? Cuius vt melius tenere ideam poſſis, & cogitare, & adiicere illa quæ deſunt, illã tibi breuibus depingã.

Stultus quis ille ædificans ſuper arenã.
Gen. 11.
Pſalm. 25.
Quam ædificet ſuper arenam hic ſtultus.
Hebr. 3.
Pſalm. 100.
Interior domus noſtra quæ ſit.
2. Petr. 1.
Qualibus conſtet lapidibus.

Domus hæc in monte virtutis erigenda eſt: pro fundamento debet habere Chriſtum, ſiue fidem in illum, quaſi calcem, & bitumen, quo illi colligamur; de qua Apoſtolus Paulus, *Fides eſt*, inquit, *ſubſtantia rerum ſperandarum*, &, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus:* ac rurſus, *Petra autem erat Chriſtus.* Conſtare debet ſua longitudine, latitudine, & altitudine: quod quidem fit, dũ longanimitatem, & charitatem dilatantem, & ſpem nos in cœlos erigentem colimus. Domus huius quatuor parietes æquales erigendi, ſunt quatuor virtutes morales, nempè Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia: cuius domus pauimentũ, humilitas eſt: tectum, patientia: feneſtra, deſideria alta gloriæ, per quas feneſtras ingrediatur lux Euangelij. Oſtium huius domus, obedientia mandatorum eſt: Oſtiarius, ſanctus timor: Cuſtodia, Angelorum protectio: Canis allatrans furibus, eſt ſynteresis: Turris, contemplatio eſt, cum ſeptem propugnaculis, id eſt, petitionibus ſeptem orationis Dominicæ. Huius domus præfectus & dominus, intellectus eſt: Sponſa, voluntas: Filij, bona opera: Serui, ſenſus obſequentes: Menſa, Scriptura ſacra: Panis, Euchariſtia: Vinum, ſanguis

Spiritualis domus pulchra deſcriptio.

Chriſt i:

Chriſti: Aqua, Spiritus ſanctus lætificans: Oleùm, miſericordia: Lectus, pax: Medicinæ, Sacramenta: Medici, Sacerdotes. Hoſpites hanc domum aduentantes ſunt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, de quibus, *Et ad eum veniemus; & manſionem apud eum faciemus.* Hanc domum nemo ſuis viribus, aut ſapientia ædificare, aut cuſtodire valet, ſecundùm illud Dauidis; *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.* In hanc domũ irruunt pluuia, flumina, & venti, id eſt, omnes quæ in cogitationem cadunt tentationes, & quæ accidere poſſunt. Quædam enim deſuper veniunt, vt pluuia labefactans ædificia, & tectum: quædam deorſum, vt flumina, quę irruunt in fundamentum: quædam à latere, vt ſunt venti, quibus dæmon concuſſit domum Iob à quatuor ventis; pluuia deſcendit de cœlo: venti vndique ab omni parte: flumina de terra ortum habent. Et per pluuiam ſignificatur illud tentationum genus, quod contingit à proſperitatibus, & ſecundis euentibus, ſiue ſpirituales ſint, ſiue temporales, quæ omnes è cœlo veniunt, per quas homo redditur negligens & improuidens: & vt terra ab aqua intumeſcit, & molleſcit: ita homo à proſperitatibus tumorem quendam, & mollitudinem ſolet accipere: vt ſic virtutum parietes debilitentur. Per flumina, quæ à mundi carnalibus blandimentis, & concuſſionibus, ſiue terroribus veniunt: nam corporis voluptates ab inferiori loco proficiſcuntur, & domum noſtram circumlambunt, & alluunt. Terrores etiam ab infirmitate carnis oriuntur. Per ventos verò intelligimus quæ veniunt à dæmonibus, tanquàm impellentibus, & inſufflantibus ad caſum efficiendum: nam dæmon circuit vndique quærens quem deuoret, vt venti vndique ſpirant. Non ignoro, alios aliter hæc expoſuiſſe, & poſſe adhuc aliter interpretari. Sed quiſque in ſuo ſenſu abundet: modò quæ cum pietate, & ratione cohæreant, adferant.

Ioan. 14.

Pſalm. 126.

Pluuia, flumina, & qui venti eã domum ſubuertere contendant.

Contrà verò ſtultus eſt, qui domum ſuam conſtruit ſuper arenam ſui ipſius, ſibi nitendo & fidendo, neque ponit fundamentum Chriſtum; aut ſi ponit, nõ in profundo, vt oportet, vt docet Lucas; quia fide & amore non illi profundè inhæret atque nititur: vnde orta tentatione, vel leui, corruit. Nã ſiue tentatio ſit supernè à Deo, & ad probandum immiſſa ſignificata per pluuiam, ſiue à carne per fluuium dulcem deſignata, ſiue per terrores, & theſauros promiſſos à mundo, & mundi gubernatore dæmone, tanquàm per ventos validos, domus cadit per peccatum. Deinde maiorem ruinam patitur, quando homo fidem amittit, & hæreticus, & apoſtata à religione fit. Poſtremò corruit in barathrum inferni horribiliter in æternum cruciandus, & ita fit ruina domus magna, à morte prima in mortem ſecundam.

Domus ſtulti ab eo ſuper arenam ædificatæ, deſcriptio.

Iuſti verò, qui firmo fundamento nituntur, minimè labuntur, ſed dicunt; *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* Item, *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Nec ad pompam doctrinæ hæc dicuntur; habes teſtem Iob, qui omnes diaboli ictus excepit, & immobilis permãſit: habes Apoſtolum dicentem; *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* & infrà, *Certus ſum enim, quia neq; mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Domus iuſti quàm firmo nititur fundamento.

Pſalm. 26.

Ibidem.

Iob. 1. & ſeq. & infrà 2. & ſeq.

Rom. 8.

Quoniam autem domus omnis in vſum alicuius ædificatur: fortaſſis quęres, cui habitatori domus hæc deſeruire debet? Reſpondeo, Chriſto, de quo, *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris*, atque adeò ſanctiſſimæ Trinitati; vnde Paulus ait; *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos.* Dignus eſt autem Chriſtus, vt illi domum hanc ad hoſpitium & quietem ædificemus: quandoquidem ipſe nobis & mundi totius domum ex nihilo condidit, vt bonis naturæ frueremur: & domum Eccleſiæ nobis ædificauit, vt bonis ſpiritualibus per aduentum Meſſiæ promiſſis repleremur: rurſus vbi diſſoluta fuerit corporeæ huius domus compago, pollicetur æternam domum, de qua ait Apoſtolus; *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, ſed æternam in cœlis.* Vt miſſam faciam promiſſionem de tribuenda nobis illa ampliſſima domo cœli Empyrei, de qua Baruch; *O Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius. Magnus eſt, & non habet finem: excelſus, & immenſus: vt in illa dulciſſimis, & ſempiternis gloriæ bonis frui poſſemus.* Qui igitur tales ac tantas domos nobis conſtruxit, & qui tales in futurum pollicetur, dignus non erit, cui domunculam

Domum iuſti quis inhabitet.

Epheſ. 3.

1. Cor. 3.

Tali is fit quã dignus hoſpitio.

2. Cor. 5.

Baruch 3.

cordis noſtri ædificemus? Maximè cum domus gloriam atque vtilitatem magnam ab inhabitante mutuetur. Mur ergo domus noſtræ diligenter luſtrandi, & reſtauranda ruinoſa. Vnde benè agere, nihil eſt aliud, quàm ædificare. Hinc Paulus ait, *Aedificate alterutrum;* & iterum, *Quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus;* &, *Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem:* & virtute ipſæ ad ædificandum tribuuntur. Vnde Apoſtolus ait; *Scientia inflat, charitas verò ædificat:* imò poteſtas ipſa & Apoſtolatus in ædificationem, & non in deſtructionem datus eſt: & iubet vitare fabulas, & genealogias, quæ quæſtionem magis præſtant, quàm ædificationem, quæ eſt in fide. Qui ergo audit, & facit, ædificat, vt hoc in ſermone docet Dominus: & Eccleſiaſtes in fine ſuæ côcionis eodem modo finit; *Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.* Laudes mulieris fortis in illo pulchro verſiculo terminantur: *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.* Electio Dei, ſiue prædeſtinatio, opera bona reſpicit, *Satagite*, inquit Petrus, *vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Vocatio, ad laborandum in vinea fit; iuſtificatio vt poſſimus edere bonos fructus, iuxta illud; *Ipſius ſumus factura creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Magnificatio eundem finem habet: dicitur enim de Ioanne; *Erit magnus coram Domino: & vinum & ſiceram non bibet: Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Fides ſine operibus otioſa & mortua eſt: & ſpes ſine illis arrogans. Charitas ſine meritis ficta: Gratia ſine fructibus vacua & vana: Aduentus Chriſti primus opera bona reſpicit. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Prædicatio tota Chriſti opera exigit. *Sic luceat*, inquit, *lux veſtra coram hominibus; vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt:* quemadmodum prædicatio, & miniſtrorum miſſio, ad exigendos fructus vineę ſpectat: ſicut Paſſio Domini qui dedit ſemetipſum pro omnibus, eò ſpectat, vt exhiberet ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Reſurrectio idem præſtat, vt videlicet quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Aſcendit in cœlum, vt ſicut aquila prouocaret nos ad volandum vt pullos ſuos, & ſuper eos volitaret. Miſit Spiritum ſanctum iuxta id quod pollicitus erat; *Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Inſtituit Sacramenta, vt illorum ſuſceptione, & ad ea ſuſcipienda præparatione (quæ in bonis operibus conſiſtit) ſanctificaremur. Tradidit ſacras Scripturas, vt per eas ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Adueniet iudicij die, vt opera iuſtitiæ, charitatis, & miſericordiæ remuneret; & vt arbores, quæ non tulerunt fructum, vel malos fructus ediderunt, igni ſempiterno addicat.

Iuſtus quomodo bene domũ poterit ædificare. Rom. 14. Infrà 10. 1. Cor. 8. 2. Cor. 10. & infrà vlt. 1. Tim. 1. Eccleſ. 12. Prouerb. vlt. 2. Pet. 1. Vocationis, iuſtificationis & magnificationis fines. Epheſ. 2. Luc. 1. Matth. 5. Iacob. 1. & Infra 2. Vniuerſæ Chriſti vitæ, & operum eius finis. Ioan. 13. Matth. 5. Tit. 2. Rom. 6. Deut. 32. Actor. 2. Ezech 36. Matth. 3.

Et cùm hæc ita ſint, audent tamen impudentes hæretici ſolam fidem iactare, & in illa ſola gloriari; cùm tamen audiens, & non faciens, ſimilis ſit ędificanti ſuper arenam; conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo, & abeunti; ſcienti bonum, & non ſcienti, id eſt, edenti, & non digerenti; Vriæ, ferenti literas mortis ad Ioab; Virginibus non habentibus oleum in lampade; ſeruo abſcondenti talentum in terra: inuitato, & ingreſſo conuiuium ſine veſte nuptiali: piſci malo intra ſagenam reperto; ficui expectatę per triennium, nec reddenti fructum: palmiti in vite non ferenti fructum: agricolę nolenti reddere fructus vineæ, ſed occidenti ſeruos: homini demùm veritatem in iniuſtitia detinenti.

Fides ſine operibus quális. Iacob. 1. 2. Reg. 11. Matth. 25. Ibidem. Suprà 21. Supra 13. Luc. 13. Matth. 21. Rom. 1.

Sequitur textus. *Et factum eſt, quum conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabatur turba.* Græcè dicitur ἐξεπλήσσοντο, id eſt, obſtupuerunt, quod ſignificat non ſimplicem admirationem, ſed vehementem quandam obſtupefactionem: & admiratio hæc ex defectu procedebat, quia ignorabát turba eum Deum eſſe. Et admirabantur, non quòd non didiciſſent, quia non erant conterranei ſui, de quibus Ioan. 7. ſed quia vt ſubditur, *Erat docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.* Docet homo vt poteſtatem habens, cùm veritas elucet in ſermone. Quid enim potentius veritate, quando præſertim planè & perſpicuè oſtenditur? Vnde exprobrans ipſe Dominus dixit; *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* præſertim eam veritatem, quæ beat ipſum recipientem & proponentem: habebat enim verba vitæ æternæ. Deinde ſi is, qui propoſuit veritatem, ſit ſciens: quia vt ille dixit, ſignum ſcientis eſt, poſſe docere; & Dominus, *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus, teſtamur:* teſtis enim vnus oculatus efficacior, quàm decem auriti: & rurſus, *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio vnde veni, & quò vado;* & Ioannes Baptiſta; *Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit & audiuit, hoc teſtatur.* Quo enim quis certiori cognitione eſt imbutus; eo fidentiùs loquitur, & magis

Turbæ cur admirarẽtur Chriſti doctrinam. Ioan. 7. Doceat quis vt poteſtatem habens, quando. Infrà 8. Suprà 6. Secunda ratio efficacis doctrinæ. Ariſt. Infrà 3. Infrà 5. Ioan. 3. Cur elegit Chriſtus Apoſtolos.

1. Ioan. 1.

magis imprimit quod docet. Ideò Chriſtus elegit Apoſtolos, qui viderunt oculis, & manibus contrectârunt veritatem. Hinc Ioannes Euangeliſta de ipſo; *Et qui vidit*, inquit, *teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius*; & Petrus ad eos, qui impoſuerunt ſibi ſilentium, *Non poſſumus*, inquit, *quæ vidimus, & audiuimus, non loqui*. Non ita Scribæ, & Phariſæi antiqui, & noſtri, qui tepidè & ieiunè loquuntur de fide, & moribus.

Ioan. 19.
Actor. 4.

Tertia ratio docendi efficaciter.

Tertiò addit mirum in modum poteſtatem ſermoni bonitas dicentis, qui quod dicit bonum, primus facit: quod dicit malum, primus fugit, & abhorret. Vnde à ſapientibus ille definitus eſt eſſe orator, qui eſſet vir bonus dicenti peritus. Sunt enim quidam, qui prædicant non furandum, & furantur: ieiunandum, & indulgent ventri: ſuccurrendum proximo, & rapiunt aliena. Et Chriſtus dicere poterat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* erat enim omni virtute refertus, & cumulatus. Quia verò futuri erant qui infirmè, & ſine fructu prędicarent, opus fuit Dominum præmonere: *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundùm verò opera eorum nolite facere.*

Orator quid. Quint. lib. 1.
Ioan. 8.
Matth. 23.

Quarta ratio efficacis ſermonis.

Quartò, ſit ſermo efficax, ſi zelo & charitate accenſus ſit, & ſiti ſalutis animarum: quod verè præ ſe fert, qui verè amat, & tangitur doloris affectu intrinſecus: vnde quidam dixit: *Si vis me flere, dolendum eſt primùm ipſi tibi.* Tali affectu tactus erat Chriſtus, qui dicebat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos*, & iterum: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodũ congregat Gallina pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti?* Hoc ſpiritu inflammatus Paulus dicebat, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* & alio loco: *Ego libentiſſimè impendar, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris.*

Matth. 11.
Infra 23.
2. Cor. 11.
2. Cor. 12.

Quinta ratio.

Quintò eſt illud, in quo penè ſolo laborant Ethnici, cùm videlicet ſermo non incultus, aut verbis ac ſententiis non perturbatus emittitur; ſed concinnus, & grauibus ſententiis ornatus, & illuſtratus: cui & geſtus, & vultus, & vox gratiam addunt. Sed quis Dominum ſuperabit in his, qui os mutorum aperuit, & linguas infantium fecit diſertas? & de quo ſcriptum eſt: *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius?* Nam vt anima inſtrumentum erat diuinitatis ad opera miraculorum in corporibus hominum edenda: ita vox Chriſti inſtrumentum erat diuinitatis ad perſuadendum quæ vellet, & efficiendum in animis auditorum, ita vt in medio concionis ſurgeret mulier, & clamaret: *Beatus venter qui te portauit & vbera quæ ſuxiſti.*

Quãta Chriſti eloquẽtia.
Sap. 10.
Luc. 4.
Luc. 11.

Sexta ratio cum fructu docendi.

Sextò, ille ſermonem habet in poteſtate, qui non ab aliis accepit quod tradit, ſed ipſe vt legislator poteſt imperare pro voluntate, & legem ponere, & antiquam abrogare. Vnde ipſe ait: *Ego autem dico vobis: Hæc mando vobis.* Nec enim exponens aliena loquebatur: quod non paſsi eſſent in aliquo alio Scribæ, ſed benè in Chriſto; quia præmiſerat ſigna, & promouerat ſe non veniſſe vt ſolueret legem, ſed vt adimpleret: & quia Ierem. 31. habebant, Meſsiam mutaturum legem: propter quod Dominus dicere poterat; *Quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.*

Matth. 5.
Ioan. 15.
Ibidem.
Matth. 5.
Ierem. 31.
Eſai. 56.

Septima ratio.

Septimò ac poſtremò, verbum erat in poteſtate, quia illud conſequebantur ſigna & miracula, ita vt dicerent; *Chriſtus quum venerit, nunquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit?* Quia enim ſupra captum & rationem humanam multa docebat, opus erat ſignis confirmare. Atque hic ſenſus (non excluſis tamen aliis) videtur eſſe intentus in hoc loco. Quia admirabantur turbæ, & dicebant; Quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc noua: quia in poteſtate ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei?

Ioan. 7.
Marc. 1.

Ad bene viuendum adhortatio.

Poſtquàm igitur Dei benignitate tantum, ac talem Doctorem ſortiti ſumus; demus operam, vt idoneos nos eius diſcipulos reddamus, eiusq; doctrinam moribus, & vita exprimamus, ne noſtra culpa & ſocordia verbum Dei efficax, & potens, infirmum & vanum nobis ipſis reddamus, & ita ædificantes ſuper arenam, corruamus: quin potiùs omni ſtudio & diligentia hæc monita ſalutis amplectamur; vt copioſos per nos fructus ad noſtram vtilitatem, & aliorum exemplum edat. Gratias autem immenſas Deo Opt. Max. agimus, cuius bonitate & munificentia adiutis nobis ad finem huius libri peruenire conceſſum fuit. Vtinam is qui dedit hunc ſermonem exponere, gratiam etiam præſtet, & vires, eũdem actionibus & officiis declarandi & conteſtandi: quod quidem nobis pręſtiturum confidimus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui cum patre, & Spiritu ſancto, omnis honor, laus, gloria, atq; gratiarum actio adſeratur ad vniuerſa creatura in ſecula ſeculorum

Amen.

Finis Tomi Quinti.

INDEX LOCORVM NOTABILIVM SACRAE SCRIPTVRAE QVAE IN HOC QVINTO TOMO

Alfonſi Salmeronis latiùs explicantur.

Prior numerus paginam : ſecundus columnam indicat.

Ex Geneſi.

Cap.1. *CReſcite & multiplicamini, &c. 50, 2. 214. 2*

Cap.2. *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, &c. 214. 2*

Cap.3. *Cumq́; cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, &c. 45. 1*

Ibid. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. 316. 1*

Cap. 9. *Quicunque effuderis humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. 190. 2*

Cap. 10. *Nemrod robuſtus venator coram Domino. 225. 2*

Cap. 13. *Erat autem diues valde in poſſeſſione auri & argenti. 31. 1*

Cap. 19. *Reſpiciensq́; vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuā ſalis. 160. 2*

Cap. 22. *Tentauit Deus Abraham 328. 2.*

Cap. 31. *Intueatur & iudicet Dominus inter nos, quando receſſerimus à nobis, &c. 235. 1*

Ex Exodo.

Cap. 1. *¶ Aedificaueruntq́; vrbes tabernaculorum, &c. 361. 1*

Cap. 7. *Sed ego indurabo cor eius. 328. 1.*

Cap. 15. *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine, &c. 297. 2*

Ibid. *Nec poterant bibere aquas de Mara, eo quòd, &c. 56 2*

Cap. 23. *Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, etc. 258. 1*

Ibid. *Non erit infœcūda, nec ſterilis in terra tua. 50. 1*

Cap. 28. *Mixtis in medio tintinnabulis, &c. 166. 1*

Cap. 32. *Aut dimitte eis hāc noxā; aut ſi nō facis, &c. 84. 1*

Cap. 33. *Non videbit me homo & viuet. 101. 1*

Præcide tibi tuas tabulas lapideas, inſtar priorū, &c. 1. 1

Ex Levitico.

Cap. 2. *¶ Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, &c. 150. 1*

Cap. 10. *Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, &c. 295. 1.*

Cap. 19. *Non maledices ſurdo, nec coram cæco, &c. 88. 1*

Ibid. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, &c. 256. 1*

Ex Numeris.

Cap. 13. *¶ Venimus in terrā, ad quā miſiſti nos, &c. 68. 2*

Ex Deuteronomio.

Cap. 6. *¶ Per nomen illius iurabis. 236. 1*

Cap. 8. *Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus, &c. 340. 1*

Cap. 15. *Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos. 31. 1*

Cap. 16. *Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris. 273 2*

Cap. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum. &c 1. 1 & 6. 1*

Si in ſucciſione lignorū ſecuris fugerit manu, ferrumq́; lapſum de manubrio, &c. 121. 2 Cap. 19.

Si ambulans per viam, in arbore, vel in terra, nidum auis inueneris, &c. 175. 1 Cap. 22.

Non poterit prior maritus recipere eam in vxorē quia polluta eſt, &c. 222. 2. 225. 1 Cap. 24.

Sed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui. 163. 1 Cap. 25.

Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, fecit & creauit te? 286. 2 Cap. 32.

Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, &c. 55. 1 Ibid.

Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum. 248. 2. 268. 2 Ibid.

Ex Lib. Iudicum.

¶ Perrexitq́; & cepit trecentas vulpes, &c. 163. 2 Cap. 15.

Ex Lib. I. Regum.

¶ Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem. 389. 1. Cap. 8.

Ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. 85. 2 Cap. 9.

Et in fruſta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. 249. 1 Cap. 15.

Ex Lib. III. Regum.

¶ Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis, &c. 290. 1 Cap. 8.

Implete quatuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. 53. 1 Cap. 18.

Apprehendite Prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis. 249. 1 Ibid.

Hæc mihi faciant dij, & hæc addant. 236. 1 Cap. 19.

Ex Lib. IV. Regum.

¶ Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, &c. 249. 1 Cap. 1.

Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te, &c. 236. 1 Cap. 2.

Aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. 150. 2 Ibid.

Cumq́; caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini. 6. 1 Cap. 3.

Ex Lib. I. Eſdrae.

¶ Nos autem memores ſalis quod in palatio cōedimus. 149. 2 Cap. 4.

Ex Tobia.

¶ Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis. 53. 1 Cap. 3.

Nunquam cum ludentibus miſcui me, &c. 48 1 Ibid.

Fiducia magna erit coram Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam 93. 1 Cap. 4.

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. 391. 2 Ibid.

Ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor 309. 1 Cap. 12.

Ex Ivdith.

Cap.9. ¶ Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. 59.2.

EX IOB.

Cap.5. ¶ In ſex tribulationibus liberabit te & in ſeptima non tanget te malum. 334.1

Cap.6. Nunquid poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? 149.2

Cap 9. Quis reſtitit ei, & pacem habuit? 306.1

Ibid. Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundißima manus meæ, &c. 99 2.

Cap.31. Si comedi buccellam meam ſolus, &c. 86 2

Cap.38. Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius, &c. 367.1

Cap.41. Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. 60.1. 299.2

Ex Psalmis.

Pſalm.1. ¶ Ideò non reſurgent impij in iudicio, &c. 282.1

Pſalm.3. Exaudiuit me de monte ſancto ſuo 270.2

Pſalm.4. Iraſcimini, & nolite peccare 198 2

Ibid. Signatum eſt ſuper nos lumē vultus tui. &c. 29.1

Pſalm.9. In operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. 353 2

Ibid. Conſtitue, Domine, legiſlatorem ſuper eos, &c.1

Pſalm.13. Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, &c. 320,2

Pſalm.16. Sub vmbra alarum tuarum protege me. 110.1

Pſalm.17. Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, 290 2

Pſalm. 18. Cœli enarrant gloriam Dei, &c. 291 1

Ibid. Ab occultis meis munda me Domine, &c. 98.2

Pſalm.19. Exaudiat te Dominus in die tribulationis. 292.1

Pſalm.21. Quoniā circūdederūt me canes multi, &c 381.2

Pſalm.25. Proba me, Domine, & tenta me. 329.1

Pſalm.31. Beatus vir cui Dominus non imputauit peccatū, &c. 99.1

Ibid. Intellectum tibi dabo, &c. 329.2

Pſalm.33. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. 257 2

Pſalm.34. Et dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius. 295.2.

Pſalm.35. Quoniam apud te eſt fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen 103.2

Pſalm.36. Manſueti autem hæreditabūt terram, &c. 65.2

Ibid. Non vidi iuſtum derelictum, &c. 78.2. & 353

Pſalm.39. Confundantur & reuereantur ſimul qui quærūt animam meum, &c. 250.1

Pſalm.40. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, &c 86.1.

Pſalm.41. Quemadmodū deſiderat ceruus ad fontes aquarum, &c. 292 2

Ibid. Sitiuit anima mea ad Deū fontem viuū &c. 71.1

Pſalm. 45. Fluminis impetus lætificat ciuitate Dei, &c 147 1

Pſalm.50. Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. 86.1

Ibid. Cor mundum crea in me Deus, &c. 17 1

Pſalm.57. Lætabitur iuſtus, cū viderit vindictā. 249.2 271.2

Pſalm.58. Famem patientur vt canes. 184 1

Pſalm.62. Sitiuit in te anima mea, &c 72.2

Laudabuntur omnes qui iurant in eo 237.1 Ibid.

Iter facite ei qui aſcēdit ſuper occaſū, &c. 290,1 Pſalm. 67.

Mons coagulatus, mons pinguis. 14 1 Ibid.

Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini, &c. 185.1 Pſalm. 70.

Suſcipiant montes pacem populo, &c. 157.2. Pſalm.71.

In ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges. 61.1 Pſalm. 72.

Deus autem Rex noſter ante ſecula, &c 301.1 Pſalm.73.

Et factus eſt in pace locus eius. 116.1 Pſalm.76.

Memor fui Dei, & delectatus ſum, &c. 77.2 Ibid.

Aperiam in parabolis os meum, &c. 16.1 Pſalm.77.

Exterminauit eam aper de ſylua, &c. 347 1 Pſalm.79.

Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ. 6.1 Ibid.

Dilata os tuum & implebo illud 62.1 Pſalm. 80.

Ego dixi: Dij eſtis, &c. 126 2 Pſalm.81.

Etenim benedictionem dabit legiſlator. 1.1 Pſalm.83.

Da imperium tuum puero tuo. 67 2 Pſalm.85.

Fundamenta eius in montibus ſanctis. 14.1 Pſalm. 86.

Quia delectaſti me, Domine, in factura tua &c. 36.1 Pſalm.91.

Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis 7. 2. 394.2 Pſalm.92.

Beatus homo quē tu erudieris Domine, &c 17.2 Pſalm.93.

Extendens cœlum ſicut pellem, &c. 76.2 Pſalm.103.

Et dixit vt diſperderet eos: ſi nō Moſes, etc 151 2 Pſalm.105.

Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea. 149.2 Pſal.106.

Paratum cor meum Deus, &c. 293.2 Pſal.107.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. 237.1 Pſal. 109.

Fidelia omnia mandata eius. &c. 15.1 Pſalm.110.

Miſericors, & miſerator, & iuſtus. 80.1 Pſalm. 111.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, &c. 289.1 Pſalm. 112.

Cœlum cœli Domino. 289.2. Pſalm. 113.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? 205.1 Pſalm. 115.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. 117.1 Pſalm. 119.

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, &c. 56.2 Pſalm. 125.

Et videas bona Ieruſalem, omnibus diebus vitæ tuæ. 109.2 Pſal.127.

Sicut vnguentum in capite, &c. 6.2 Pſalm. 132.

Super flumina Babylonis illic ſedimus, &c. 43.2 Pſal. 136.

Imperfectum meum viderunt oculi tui. 98.2 Pſal.138.

Portio mea in terra viuentium 67.2. Pſal.141.

Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. 100 1 Pſal.142.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis. 6 1 Pſal.143.

Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ exaltabunt, &c. 79.1 Pſal.144.

Qui dat iumentis eſcam ipſorum: & pullis coruorum inuocantibus eum. 367.1 Pſal.146.

Præceptum poſuit & non præteribit. 2.1 Pſal.148.

Ex Proverbiis.

¶ Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, &c. 396.1 Caput 4.

Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiā perdet animam ſuam 218.1 Caput 6.

Cap. 8. *Et legem ponebat aquis, qui tranſirent fines ſuos. 2.1.*
Cap. 11. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua 61*
Cap. 13. *Vult & non vult piger. 73.2*
Cap 18. *Spiritum ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere? 61.1*
Cap. 21. *Gaudium iuſto eſt facere iudicium. 93.1*
Cap 22. *Noli eſſe amicus homini iracundo. 61.1*
Cap. 30. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi. 31.1.*

Ex Ecclesiaste.

Caput 1. ¶ *Qui addit ſcientiam, addit & laborem. 41.1.*
Caput 7. *Vtilior eſt ſapientia cum diuitijs, & magis prodeſt videntibus Solem.*
Ibid. *Non eſt homo iuſtus in terra 320.2.*
Cap. 10. *Pecuniæ obediunt omnia. 30.1.*
Cap. 11. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas. 86.1*
Cap. 12. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi. 162.1*

Ex Canticis.

Cap. 1. ¶ *Oſculentur me oſculo oris ſui. 17.1*
Ibid. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres. 154.2*
Cap. 2. *Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi. 110.1*
Cap. 5. *Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt. 53 2*

Ex Lib. Sapientiae.

Cap. 3. ¶ *Quoniam Deus tentauit eos. 329.1*
Cap. 4. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, &c 217.2*
Cap. 7. *Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ. 290.1*
Cap. 12. *Subeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe. 306.1*

Ex Ecclesiastico.

Cap. 2. ¶ *Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. 330.1*
Caput 7. *Non te pigeat viſitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. 87.2*
Caput 14. *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit? & non iucundabitur in bonis ſuis. 83.1*
Cap. 21. *Stultus à feneſtra reſpiciet in domum: vir autem eruditus foris ſtabit. 86.2.*
Cap. 23. *Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa. 239.1*
Ibid. *Mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hæreditatem ex alieno matrimonio. 217.2*
Cap. 24. *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. 79.2*
Cap. 27. *Propter inopiam multi deliquerũt: & qui quærit locupletari, auertit oculum ſuum. 31.1*
Cap. 28. *Relinque proximo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. 325.2*
Cap. 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. 92.1*
Cap. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine. 83 1*
Cap. 31. *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia & theſauris. 136.2*
Cap. 47. *Poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua. 224.1*
Cap. 50. *Duas gentes odit anima mea: tertia autem non eſt gens quã oderim: qui ſedet in monte Seir, & Philiſthijm, & ſtultus populus qui habitat in Sichimis. 258.1*

Ex Esaia.

¶ *Venite & aſcendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas & ambulabimus in ſemitis eius. 13.1* Cap. 2.
Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, &c. 46.1. Cap. 3.
Si non credideritis, non permanebitis. 167.2. Cap. 7.
Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pauer veſter, & ipſe terror veſter. 297.1 Cap. 8.
Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam: in terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini. 109.1 Cap. 26.
Omnia opera noſtra operatus es in nobis 169.2 Ibid.
Domine, in anguſtia requiſierunt te, &c. 77.1 Ibid.
Væ coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti. 60.1 Cap. 28.
Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter. 1.1 Cap. 33.
Legem eius inſulæ expectabunt, ibid. Cap. 42.
Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. 16.1 Cap. 49.
Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui nõ habetis argentũ, properate, emite, & cõedite. 72.1 Cap. 55.
Canes muti nõ valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia. 381.2 Cap. 56.
Annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. 151 2 Cap. 58.
Non vocaberis vltra derelicta, &c. 303.1 Cap. 62.
Quare errare nos feciſti, Domine, de vijs tuis, &c. 328.2 Cap. 63.
Quaſi pannus menſtruatæ, vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ 185.1 Cap. 64.
Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedũ meorum. 290.2. 301.1 Cap. 66.

Ex Ieremia.

¶ *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas. 327. 1.* Cap. 2.
Ergo ſaltem amodò voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. 286.2 Cap. 3.
Et iurabis: Viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia. 238.2 Cap. 4.
Quia non ſum locutus cum patribus veſtris, & nõ præcepi eis, &c. 173.2 Cap. 7.
Confundantur qui me perſequuntur, & non cõfundar ego, &c. 242.1 Cap. 17.
Et ſanctificabo ſuper te interficientem virum & arma eius, &c. 295.1 Cap. 22.
Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, in præfat. 1.1 Cap. 31.

Ex Threnis.

¶ *Sedebit ſolitarius & tacebit: quia leuauit ſe ſuper ſe. 48.1* Cap. 3.
Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus. 110.1. Cap. 4.

Ex Baruch.

¶ *Diſce vbi ſit lumen oculorum, & pax. 118.1* Cap. 3.

Ex Ezechiele.

Cap.1. ¶ Et facta eſt ſuper eum ibi manus Domini. 6. 1
Cap.3. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, &c.159. 1
Cap.13. Væ qui cõſuunt puluillos ſub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia, &c.152.1
Cap.16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa, &c. 124.2 149.2
Cap.18. Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum 99.1
Cap.20. Et ſanctificabor in vobis in oculis nationũ. 297.2
Cap.28. Omnis lapis pretioſus operimentum tuum. 26.2

Ex Daniele.

Cap. 2. ¶ Abſciſſus eſt lapis de mõte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam, &c. 3.2.14.1
Cap.3. Statuam auream quam erexiſti, non adoramus, 369 2
Cap. 4. Peccata tua eleëmoſynis redime, &c.93.2.
Cap.5. Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.76.1
Cap. 12. Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. 85.1

Ex Osea.

Cap.2. ¶ Sponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio. 308.2
Cap. 13. Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. 389.1

Ex Michaea.

Cap.6. ¶ Vtique facere iudicium. 275.1.

Ex Zacharia.

Cap. 7. ¶ Cùm ieiunaretis, & plangeretis in quinto & ſeptimo, &c. 346.2.

Ex Malachia.

Cap.2. ¶ Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael.223.2

Ex Lib. II. Machab.

Cap. 14. ¶ Gladio ſe petijt (Razias) eligens nobiliter mori potiùs, quàm ſubditum fieri peccatorib⁹.194.2

Ex Matthaeo.

Cap. 1. ¶ Filij Dauid, filij Abraham. 353 2
Cap. 2. Fuge in Aegyptum. 252.1
Cap. 4. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. 27.2
Cap. 5. Omnis qui iraſcitur fratri ſuò, reus erit iudicio. 61.2
Cap. 6. Te autem faciente eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. 92.2.
Ibid. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. 293.1
Ibid. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.293 2.
Ibid. Dimitte nobis debita noſtra, &c. 100.1
Ibid. Et ne nos inducas in tentationem 293.1
Ibid. Sed libera nos à malò, Amen. ibid.
Ibid. Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt. 28.2. 300.2.
Ibid. Ideò dico vobis, Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neq; corpori veſtro quid induamini. 316.1
Ibid. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis. 78.2. 312.1 334.2.
Si eijcis nos hic, mitte nos in gregẽ porcorũ. 382.1
Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. 76.1 Cap.8.
Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus. 44.1. 359.1. 344.2 Cap. 9. Ibid.
Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? 46.1. Cap.11.
Quicunq; fecerit voluntatẽ Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt. 308.1 Cap.12.
Zizania autem, filij ſunt nequam. 333.1. Cap.13.
Ideò omnis Scriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. 189.2. Ibid.
Non quod intrat in os, coinquinat hominem, &c. 45.1. Cap.15.
De corde enim exeunt cogitationes malæ. 96.2. Ibid.
Quem dicunt homines eſſe filium hominis? 161.1. Cap.16.
Qui enim non voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. 342.1. Ibid.
Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. 84.2. Cap.18.
Si duo ex vobis cõſenſerint ſuper terrã de omni re quacũq; petierint fiet illis à patre meo. 286.2 Ibid.
Si licet homini dimittere vxorem ſuam, quacunque ex cauſa? 222.2. Cap.19.
Quod ergo Deus coniunxit, homo nõ ſeparet, &c. Ab initio autem non fuit ſic? 225 2. Ibid.
Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus. 355.1. Ibid.
Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me. 24 2 Ibid.
Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. 57.2. Ibid.
Poteſtis bibere calicẽ quẽ ego bibiturus ſum? 75.1 Cap. 20.
Nunquam legiſtis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem 338.1. Cap.21.
In qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem? 385.1. Ibid.
Erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. 108 2. Cap.22.
Venite benedicti Patris mei, &c. 93 2.
Hoſpes eram, & non collegiſtis me. 87.1. 315.2. Cap.25.
Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. 307 2. Cap.26.
Conuerte gladium tuum in locum ſuum. 63.2. Ibid.
An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, &c. 251. 2. Ibid.

Ex Marco.

¶ Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini. 198.1 Cap. 3.
Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo, &c. 86.1. Cap.8.
Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur. 148.2. Cap. 9.
Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, &c. 227.1. Cap.10.
Benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid. 302.2. Cap. 11.
Non es longè à regno Dei. 383.2. Cap.12.

Ex Luca.

¶ Eſurientes impleuit bonis, &c. 72 1. Cap.1.
Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis. 296.1.

Cap.6. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius. 29.1.*
Ibid. *Omnis turba quærebat eum tangere. 12.2.*
Ibid. *Beati qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini. 72.1.*
Cap. 7. *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, &c. 6 1.*
Ibid. *Fides tua te ſaluum fecit. 324.1.*
Cap.8. *Tetigit me aliquis? nam & ego noui virtutem de me exiſſe. 12 1.*
Cap. 9. *Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos. 69.1*
Cap.10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c 71.2.*
Ibid. *Vade, & tu fac ſimiliter 92.1.*
Cap. 11. *Profectò peruenit in vos regnum Dei. 302.1.*
Ibid. *Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. 95.1.*
Cap.13. *Putatis quia & ipſi peccatores fuerint præter omnes homines habitantes in Ieruſalem. 319. 2.*
Cap.14. *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, &c. 86.2.*
Ibid. *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. 24. 2.*
Cap.15. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. 204.2.*
Cap. 16. *Lex & Propheta vſque ad Ioannem. 175.1.*
Cap. 17. *Si ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi. 268.2.*
Cap.18. *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, &c. 288 2.*
Cap. 19. *Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam. 42.2.*
Cap.21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. 67.1.*
Cap.22. *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. 328.1.*
Ibid. *Vendat tunicam ſuam, & emat gladium. 252.1.*
Cap.23. *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. 303.1.*
Ibid. *Hodie mecum eris in paradiſo. 108.1.*
Cap. 24. *O ſtulti, & tardi corde 146.1.200.1.*

Ex Ioanne.

Cap.1. ¶ *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. 125.1.128. 1. & 2.287.1.*
Ibid. *Deum nemo vidit vnquam. 109.1.*
Cap.2. *Zelus domus tuæ comedit me. 61.1.*
Cap.3. *Illum oportet creſcere, me autem minui. 170.2.*
Cap. 4. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. 79.2.*
Ibid. *Venit hora, quando nec in monte hoc, neq; in Ieroſolymis adorabitis Patrem. 280.1.*
Cap.5. *Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, &c. 327.1.*
Ibid. *Ille erat lucerna ardens & lucens. 163. 1.*
Cap.7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, &c. 310.1.*
Ibid. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. 72.2.*
Cap.8. *Neque ego te condemnabo. 172. 1.*
Ibid. *Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis. (99.1.*
Ibid. *Vos ex patre diabolo eſtis, &c. 124.1.261.2.*
Cap.9. *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis. 203.1.*
Ibid. *Scimus quia peccatores Deus nō audit, &c. 388.2*
Cap.10. *Ego ſum oſtium. 349. 1.*
Ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis. 15.1. Ibid.
Niſi granum frumēti cadens in terrā, &c. 125.1. Cap.12.
Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. 300.1 Ibid.
Quo ego vado, nō potes me modò ſequi, etc. 252.1 Cap.13.
In domo patris mei manſiones multæ ſunt. 103.2. Cap.14.
Ego ſum via, veritas, & vita. 394.1. Ibid.
Philippe, qui videt me, videt & patrem. 387. 2. Ibid.
Pacē relinquo vobis, pacem meā do vobis. 115.2. Ibid.
Sed vt adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt. 173.1. Cap.15.
Hæc eſt vita æterna: vt cognoſcant te, &c. 19.2. Cap.17.
Manifeſtaui nomen tuum hominibus. 287.2. Ibid.
Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, &c. 253.1. Cap.18.
Sitio. 78.1. Cap.19.
Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. 287.2. Cap.20.
Simon Ioannis, amas me? &c. Paſce oues meas. 159.1.163. 2. Cap.21.

Ex Act. Apoſtol.

¶ *Viri Iſraëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, &c. 12.1.* Cap. 3.
Nec quiſquam, eorū quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erāt illis omnia cōmunia 33.1 Cap. 4.
Nos verò orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. 18.1. Cap.6.
Audiuimus enim dicentem, quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, &c. 175.1. Ibid.
Occiderunt eos qui prænuntiabant de aduentu iuſti. 146.2. Cap. 7.
Ecce video cælos apertos, &c. 69.1 108.1. Ibid.
Durum eſt tibi cōtra ſtimulum calcitrare. 152 1. Cap. 9.
Quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. 259.1. Cap.10.
Quomodò vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute. 6.2. Ibid.
Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. 259.1. Cap. 11.
Fide purificans corda eorum. 96.1. Cap.15.
Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacbrorum, &c. 215.1. Ibid.
Beatius eſt magis dare, quàm accipere. 28.1. Cap. 20.
Percutiet te Deus, paries dealbate. 63.2.252.2. Cap.23.

Ex Epiſt. Ad Roman.

¶ *Teſtis enim mihi eſt Deus. 237.2.* Cap.1.
Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, &c. 176 2. Cap. 2.
Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deū. 117.1. Cap.5.
Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi. 228.1. Cap. 7.
Video aliam legem in membris meis, &c. 300.2. Ibid.
Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. 128 2. Cap.8.
Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. 334.1. Ibid.
Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. 84.1. Cap.9.
Ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere. &c. 185 1. Cap.10.

Vt pre-

Cap.12. *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona,&c.*308.1
Ibid. *Non voſmetipſos defendentes,chariſsimi ,ſed date locum iræ.*3.1.192.2.249.2.268.2
Ibid. *Noli vinci à malo,ſed vince in bono malum.*251.2
Cap.13. *Dei enim miniſter eſt:vindex in iram ei, qui malum agit.*198.1.249 1
Ibid. *Qui enim diligit proximum,legem impleuit.*71.2
Cap.15. *Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinã ſcripta ſunt.*56.1

EX I. AD CORINTHIOS.

Cap.1. ¶ *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo,&c.*70.2
Cap.2. *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos,niſi Ieſum Chriſtum,&c.*386.1
Cap.3. *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi,non eſcam.*386.1
Cap.4. *Mihi autem pro minimo eſt , vt à vobis iudicer, &c* 60.2
Ibid. *Nolite ante tempus iudicare quoadvſque veniat Dominus* 374 1
Ibid. *Spectaculum facti ſumus mundo , & Angelis, & hominibus.*61.1
Cap.6. *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum.*62.1
Ibid. *Indigni eſtis qui de minimis iudicetis.*181.1
Cap.7. *Propter fornicationem vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat,&c.*50. 2
Ibid. *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam,non ſecundùm imperium* 226.1
Ibid. *Quòd ſi ſe non continent,nubant,&c.*50.1.51 2
Ibid. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore viuit vir eius.*227 2.230.1
Cap.9. *Caſtigo corpus meum , & in ſeruitutem redigo.*341. 1
Cap.12. *Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem.*109 2
Cap.13. *Si habuero omnem fidem,ita vt montes transferam,&c.*71.2
Ibid. *Cùm venerit quod perfectum eſt , euacuabitur quod ex parte eſt.*264 2
Cap.14. *Aemulamini ſpiritalia:magis autem vt prophetetis.*398.2
Cap.15. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum.*181.1
Ibid. *Deinde finis:cùm tradiderit regnum Deo, & Patri,&c.*303.2

EX II. AD CORINTHIOS.

Cap.4. ¶ *Non contemplantibus nobis quæ videntur , &c.*111.1
Cap. 5. *Audemus autem,& bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore,&c.*108.1
Cap.6. *Os noſtrum patet ad vos,O Corinthij,&c.*159.1
Cap.9. *Qui parcè ſeminat,parcè & metet,&c.*92.2
Cap.12. *Raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum.*290.1
Ibid. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ,&c.*334.1

AD GALATAS.

Cap.2. ¶ *Quomodò Gentes cogis Iudaizare?*151.2
Cap.3. *O inſenſati Galatæ.*146.1.202.2
Cap.4. *Factum ſub lege.*172.1
Cap.5. *Omnis lex in vno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*395.2 Ibid.
Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum 397.1 Cap.6.
*Alter alterius onera portate,&c.*85.1

AD EPHESIOS.

¶ *Illuminatos oculos cordis veſtri.*96. 2 Cap.1.
*Ipſius enim ſumus factura , creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis,&c.*169.2 Cap.2.
*Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hac.*181.1 Cap.3.
*Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*64.1 Cap.4.
*Aut ſtultiloquium,aut ſcurrilitas.*48.1 Cap.5.
*Sacramentum hoc magnum eſt : ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.*51.1 Ibid.

AD PHILIPPENSES.

¶ *Deus eſt enim qui operatur in vobis,& velle,& perficere pro bona voluntate* 169.2 Cap.2.
*Vnum autem:quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, &c.*73.2 Ibid.
*Nihil ſoliciti ſitis : ſed in omni oratione & obſecratione,&c.*292 1.364. 2 Cap.4.

AD COLOSSENSES.

¶ *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine* 103 1 Cap.1.
*In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*2 2 Cap.2.

EX I. AD THESSALONIC.

*Nolumus vos ignorare de dormientibus,&c.*38.2 Cap.4.
*Et galeam ſpem ſalutis.*187.2 Cap.5.

EX II. AD THESSALONIC.

¶ *Si quis non vult operari,nec manducet.*32.1 Cap.3.

EX I. AD TIMOTHEVM.

¶ *Similiter & mulieres in habitu ornato,cum verecundia,& ſobrietate ornantes ſe,&c.*46.1 Cap.2.
*Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c.*88 1 Cap.3.
*Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendũ, &c.*45.1 Cap.4.
*Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt.*32. 2. & 351.1 Ibid.
*Attende tibi,& doctrinæ.*166.2 Ibid.
*Manus citò nemini impoſueris,&c.*383.1 Cap.5.
Qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem, &c. 27.2 Cap.6.
*Radix omnium malorum eſt cupiditas,&c.*357. 1 Ibid.
*Quem nullus hominũ vidit,ſed nec videre poteſt.*102.1.109 1 Ibid.

EX II. AD TIMOTHEVM.

¶ *Seruum Domini non oportet litigare.*58 2 Cap.2.
*Alexãder ærarius multa mala mihi oſtendit,&c.*32.1 Cap.4.

AD TITVM.

¶ *Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt fidelem ſermonem.*88 2 Cap.1.
*Omnia munda mundis.*50.1 Ibid.

AD HEBRÆOS.

¶ *Itaque relinquitur Sabbatiſmus populo Dei.*177.2 Cap.4.
*Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato,&c.*328.2 Ibid.

Cap. 5. *Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus, &c.* 322 2
Cap. 6. *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, &c.* 322.2
Ibid. *Impoſsibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, &c* 55.2.154.1.322 1
Cap. 7. *Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, &c.* 321.1
Cap. 10. *Nam & vinctis compaſsi eſtis & rapinam bonorũ veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* 87.2
Cap. 11. *A longe eas aſpicientes, &c* 68.1
Cap. 13. *Mementote vinctorum, tanquam ſimul vincti.* 88.1
Ibid. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſecula.* 7 1.

EX EPISTOLA IACOBI.

Cap. 1. ¶ *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* 329 1
Ibid. *Deus enim intentator malorum eſt, &c.* 329.1
Cap. 2. *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* 326.1
Ibid. *Fides ſine operibus mortua eſt* 169.1
Cap. 4. *Petitis, & non accipitis eo quod male petatis.* 389 1
Cap. 5. *Nolite iurare, neq; per cœlum, neq; per terram, &c.* 239.1
Ibid. *Vt non ſub iudicio decidatis.* 241.1

EX I. PETRI.

Cap. 2. ¶ *Sicut modò geniti infantes, &c.* 386.1
Ibid. *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſtè.* 63.1 249.1.314.2
Cap. 3. *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* 333.2
Ibid. *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem, &c.* 292.2 297.1.385.1
Cap. 4. *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrũ illam adminiſtrantes* 91.2
Cap. 5. *Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, &c.* 189.2

EX II. PETRI.

Cap. 1. ¶ *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, &c.* 189 2
Cap. 2. *Secuti ſunt viam Balaam ex Boſor. &c.* 162.1
Ibid. *Canis reuerſus ad ſuum vomitum, &c.* 381.2

EX I. IOANNIS.

Cap. 1. ¶ *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* 156.2
Ibid. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, &c.* 100.1
Cap. 2. *Non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio* 259.1
Cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, &c.* 128.1
Ibid. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit.* 126.2.322 1
Cap. 4. *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, &c.* 274 1.180 2
Cap. 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* 271.1

EX APOCALYPSI.

Cap. 1. ¶ *Fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo & Patri ſuo.* 137.1
Cap. 3. *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo* 76.1
Ibid. *Ecce ſto ad oſtium. & pulſo &c.* 278.2
Cap. 5. *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, &c.* 137 2
Cap. 6. *Vſquequo Domine (Sanctus & verus) non iudicas.* 297.2
Cap. 7. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorũ.* 49 2
Cap. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit, &c.* 377.1.
Cap. 21. *Et ciuitas non eget Sole. &c.* 103. 2
Ibid. *Lucerna eius eſt Agnus.* 162.1
Cap. 22. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, &c.* 73.295.2

Finis indicis locorum notabilium S. Scripturæ, in hoc quinto Tomo explicatorum.

INDEX RERVM OMNIVM, QVÆ IN HOC QVINTO TOMO ALFONSI SALMERONIS CONTINENTVR.

Prior numerus paginam indicat, poſterior columnam demonſtrat.

A.

ABrabe lam.143.1.
Adoptandi poteſtas penes quē ſit.126.1
Adoptio quid ſit.127.2
Adulatio quantum noceat.146.2
Adultericidium cur impune legibus humanis.193.1
Adulterium vnde dicatur, & quotuplex ſit. 216.1
Adulterium eſt graue peccatum. 216. 2
in Adulteros pœna, & dicteria cuiuſdam.217.1
Aegyptiorum mos corpora condiendi.149.1
Alexander Seuerus Imperator ſæpè dictitabat illud: Quod tibi non vis, alteri ne feceris.39.1
Amen Hebræ quid ſignificet.177.2
Amē qua nam dictio ſit, & quid propriè ſignificet. 335.2
Amen diuini vis erga nos quæ. 120.2
Angariari quid, & vnde ſumptum.254.1
Anima noſtra qualiter purgetur & mundetur.100.2
Anima noſtra corpori coniuncta, cur Deo ſimilior quàm ſeparata. 107. 2
Anima noſtra cur niſi in Deo quietem habere non poſſit. 118.2
Antiquis quibus dictum eſt, Non periurabis.235.1
Apoſtoli paupertatis votum emiſere. 24.2
Apoſtolos cur lucem mundi, & ſal terræ Chriſtus appellauerit.111.2
Apoſtoli, & eorum ſucceſſores ſal terræ quomodo nuncupentur.151.1
Apoſtoli cur lux mundi.158.2
Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, cur ciuitas nuncupentur. 159.1
Apoſtoli cur lucernæ aſſimulentur à Chriſto Domino. 162. 2
Apoſtolos Samaritanis poſtulantes vindictam cur Dominus corripuerit.250.1
Arbor bona an poſſit malos fructus facere, vel contra. 407.1.2
Argumenta contra præceptum diligendi inimicos.270.1 & ſeqq. vſque ad finem.
Auari ab idololatris parum diſtant. 353.1
Auarum cur nunquam fatiet pecunia. 197.2
Auguſtini regulæ duæ pro diuerſorum in Scriptura conciliatione.66.1
Auguſtini præclara verba, ne iuremus. 239.1
Auibus cœli meritò Chriſtiani comparantur à Chriſto. 367.1

B.

BAcchanales dies inter & Quadrageſimales diſcrimen quale. 342.2
Baalam quid ſignificet.165 2
à Beatitudine cur Chriſtus inchoauerit ſermonem.18.2
de Beatitudine quàm proprius Chriſti legiſlatoris ſermo. 19.1
Beatitudo quid nomine ibid.
Beati qui dicendi.ibid.2
Beatitudo quorum propria.ibid.
Beatitudo an in intellectu, an in ſenſu ſita ſit, ibid.
Beatitudo quid re, & in quo conſiſtat.ibid.
Beatitudo cur vita dicatur, & æterna. ibid.
Beatitudo ſoli Deo naturalis eſt, Angelis & hominibus gratuita.20.1
Beatitudo quomodo & à quibus obtineri poſſit. ibid.
Beati qui vocantur à Domino. ibid.
Beatitudo qua ratione reſpondet meritis noſtris.ibid.
Beatitudines ſeptem, an octo ſint.20.2
Beati quomodo vnam virtutem, vel alteram habentes dicantur. ibid.
Beatitudinum deſcriptio. 34.2
Beatitudinem cœleſtem in tribus conſiſtere.54.2
Beatitudo à Mahometo in quo fuerit poſita.102.2
Beati ante iudicium quæ non videant.103.2
Beati Deum videntes quæ videant ſciant.104.2
Beatitudinem quæ conſequantur 105.1
Beatorum corpora vnde futura ſint incorruptibilia. 109.2
Beati cur melius in Deo & perfectius creaturas videāt quàm in ſe ipſis. ibid.
Begardorum & Beguinarum hæreſis quæ. 102.2
Bellum quid.182.2
Bellum vnde denominetur.115.2.123.1
Bonorum genera tria.21.2
Bona temporalia non faciunt beatos. 29.1
Bona optanda inimicis, & quatenus.260.1.261.1
Bona opera cur potius publicè, quàm ſecretò fieri debeant.274.1
Bonitas & malitia operis vnde proueniat. 358.2
Buccori impudicitia.51.2

C.

CAnis, cur animal immundum in lege. 381.2
Canis proprietates.ibid.
Canonizatio alicuius Sancti non indiget miraculis. 410.1
Carnis priuium, vulgò Carneſtolendas, qui differat à Quadrageſima. 342.2
Charitatis fructus.71.2
Charitatem per ſe ſolam iuſtificare. ibid.
Charitatis ordo ſeruandus quis. 84.1
Charitas erga proximos ſeruanda qualis. ibid.
Charitatis mirum exemplum. 88.1
Charitas in Euangelio abundat in extenſ. & quomodò intendit. 111.1
de Chriſtianis honorificum Plinij Iunioris teſtimonium. 7.1
Chriſtiani ab infidelibus, & ethnicis in quo differant. 18.2
Chriſtus Dominus qualis legiſlator. 2.1
Chriſti diuinitas & Scripturarum teſtimoniis, & miraculis confirmata, & demonſtrata. ibid.
Chriſtus quanto maior legiſlator Moyſe. 10.2

ad Chriſtum audiendum cur tot vndique turbæ concurrebant. 11. 2
Chriſtum tangere quare turba quærebat. 11. 2
à Chriſto omnis ſanctorum virtus. ibid.
Chriſti diuina virtus quomodo eius exiret è corpore. ibid.
de Chriſti virtute corporis exeunte falſa confutatur opinio. ibid.
ad Chriſtum audiendum turbarum concurſus quid nos doceat. ibid.
Chriſtus in quem montem aſcenderit. 13. 1
Chriſti myſteria quænam in monte peracta. 13. 2
Chriſtus cur ſua in montibus operatus myſteria. 14. 1
Chriſtus legem daturus, aliter quam Moyſes montem aſcendit. ibid.
Chriſtus quare prior turbis montem aſcendit. 14. 2
Chriſtus cur ſederit ad docendum, & quæ illius ſeſſionis myſteria. ibid.
Chriſti doctrina quàm efficax. 16. 1
Chriſtus cur modò maximè aperiat os ſuum ad docendum. 16. 2
Chriſto quàm proprium ſit, aperire os ad docendum. 17. 1
Chriſtus quare p[illegible] docebat, quàm iubebat. ibid. 2
Chriſti ſermo quàm efficax. ibid.
Chriſtus quare prius eleuatis oculis in diſcipulos, docebat eos. ibid.
Chriſtus cur nobis audiendus. 18. 1
Chriſtus qua ratione regnet in nobis. 34. 1
Chriſti humanitas quomodò nobis deſeruiat ad cognitionem Dei. 110. 1.
Chriſtus qualiter ſit filius Dei naturalis. 124. 2.
Chriſtus qualiter ſit ſal terræ. 153. 2
Chriſtus cùm ait: Amen amen dico vobis, an iuret. 164. 2
Chriſto quàm conueniens præceptum dilectionis inimicorum. 259. 2
Chriſti efficax ratio de dilectione inimicorum. 261
Chriſtus cur dictus filius Dauid. ibid.
Chriſtus Dominus piſci & ouo in Euangelio comparatur. 390. 2
Chriſti eloquentia quanta. 415. 1
Chryſoſtomi de iuramento falſa ſententia. 241. 242. 2
Chryſoſtomi de vindicta falſa ſententia. 250. 1
Ciborum delectus cur olim à Deo prohibitus. 45. 1
Ciborum delectus quàm laudabilis. ibid.
Ciuitas quid ſit. 159. 1
Cœlibatus excellentia 50. 1
Cœlibatus fructus. 51. 1
Cœli nomine qui intelligantur. 282. & ſeq.
Cœli quatenus tranſire dicantur. 178. 1.
Cœli & terra tranſitus quid ſignificet. ibid.
Cœlites cur & quatenus à Domino peccatorum vindictam expoſcant. 211. 2
Cœleſtem patrem cur Chriſtus vocet. 170. 2
Concilium quid propriè. 201. 1. 204. 1
Conciliatio quid. ibi 1.
Concionator ad quid poſſit adiutorium affectare. 11. 1
Concionator Euangelicus cur Deum debeat orare. 17. 1
Concionatores quales eſſe debeant. 148. 2
Concionatores qualiter ſe debeant habere in concionibus. 165. 2
Concionatores in quo potiſſimum Chriſtum debent imitari. 397. 2.
Concionator Propheta nuncupatur teſte Paulo. 398. 2
Concionatores viti & ficus comparantur. 406. 1
Concordiæ & pacis mutuæ rationes quantæ ſint. 292. 1. 2
Confiteri apud Hebræos quid. 407. 2
Conſolatio quid nomine, & re 53 2
Conſolatio à gaudio vel lætitia in quo differat. ibid.
Conſolatio quotuplex ſit. ibid.
Conſolationem ſpiritus cur multi minimè percipiant. 35. 2
Conſtantij Imperatoris in Catholicos ſæuitia. 134. 1
Conſuetudo Cynicorum obſcœna. 45. 2
Contumelioſis verbis vti quibus & quatenus liceat. 203. 1
Conuerti à peccato ad Deum quid 57. 1
Cor noſtrum quid in diuinis laudibus corroboret. 298. 1
Cordis eſſentia & officia quæ. 95. 2
Cordis acceptiones quæ. ibid.
Correctio ad quos maximè pertineat. 121. 2
Correctio qualis debeat eſſe. 121. 1
Correctio fraterna cui maximè competat. 379. 1
Corpori noſtro qualiter proſpiciendum. 83. 2
Corui proprietates. 306. 2
Creatura quæuis quomodo in ſe Trinitatis habeat impreſſa veſtigia. 117. 1
Creatura vnde maior vel minor perfectio. 157. 1
Crucis memoria quid operetur. 56. 1
Cultus exterior ſine interiori nihil valet: & contra interior ſine exteriori non ſufficit. 168. 2. & ſeq.

D.

Dæmones ac damnati cur minimè miſerandi. 83. 2
Dæmon in quibus regnet. 118. 2
Dæmonem quando vincamus. 135. 1
Dæmon quid contra non poſſit. 140. 1
Dæmonis eſca ad capiendos homines. 330. 2
Dæmonis certamen nobiſcum quale. 331. 1
Damni pœna grauior eſt & atrocior, quàm pœna ſenſus: & quanta, & qualis erit. 184. 1
Debita noſtra quæ ſint 109. 2
Decimas diuino iure deberi. 88. 1
Defenſio ſui quibus licita, & quatenus. 63. 1
Defenſio propria quando bona. 251. 1
Defenſio propria an ſecundùm Euangelium ſit licita. ibid.
Defenſio ſui quando licet: quando non. 192. 2
Delectationem in matrimonij vſu peractam, peccatum non eſſe. 50. 1
Delectationes internorum & externorum ſenſuum quales. 54. 1
Deus cur iuſtus, miſericors, & miſerator appelletur. 80. 1
Deus cur oculo corporeo videri nequeat. 102. 1
Deus cur ſit æternus. 105 2
Dei filius cur homo factus. 107. 1
Deus quàm copioſus bonorum remunerator ſit. 146. 2
Deum impropriè iuraſſe, ſecundùm Chryſoſtomum. 242. 1
Deus quomodò ſit in cœlo. 289. 1. ibid 2
Deus de cœlo cur dicatur exaudire nos. 260. 2
Deus in quibus cœlis ſit. ibid.
Deus cur permittat nos tentari. 328. 1
Deus quomodo nos inducat in tentationem. ibid. 2.
Deus quomodo dicatur eſſe in abſconſo. 348 1
Diei ſufficit malitia ſua, quid. 372. 2
Diſcipulorum Chriſti propria nota. 15. 2
Diuinitas quænam ſua cuique deorum tribuatur. 2. 2
Diuitias ſuas cur Philoſophi reliquerint. 23. 2
Diuitias quinam Philoſophi, & cur abiecerint. 26. 1
Diuitijs abuti, quot modis contingat. 31 1

Diuitiæ quatenus conſumendæ.31.2
Diuitiarum vſus præſtantiſſimus quis.28.1
Diuitias cur Dominus vocat mammona iniquitatis.29.1
Diuitias animum hominis non explere.ibid
Diuitiæ cur ſint à Chriſtianis ſpernendæ. 371. 2
Diuites auari reprehenduntur à B. Iacobo.355.2
Diuortium cur Chriſtianis illicitum. 226.1
Docere quos nam oporteat, & quas res.385.2.386.1
Doctor Euangelicæ legis quomodo ſedere debeat.15.1
Doctores & paſtores quales eſſe debeant in Eccleſia. 399.2

E.

Eccleſia cur dicta regnum cælorum 34.1
Eccleſiæ Romanæ ſucceſſionis perpetuitas vnde colligatur.161.1
Eccleſiæ pertinaces qua ratione à nobis diligendi.271 1
Eccleſia cùm petit, hoſtium eludi ſuperbiam, cur id faciat.ibid.2
Eccleſiæ radix Chriſtus eſt. 408 1
Eleemoſyna quàm grata ſit Deo, & ex quo oriatur fonte.83 1
Eleemoſyna de neceſſariis etiam eſt elargienda.86.2
Eleemoſyna qua iure debita. 89.1
Eleemoſyna qualiter elargienda.90.1
Eleemoſynam elargiri qui teneantur.90.2
Eleemoſyna cui ſimilis.92.2
Eleemoſyna cur dicatur iuſtitia. 273.2
Eleemoſyna prius præcepta à Chriſto, quàm oratio. 275.1
Eleemoſynam facientes qui tuba canant ante ſe. ibid. 2. 276.1
Eleemoſyna quare potiſſimum facienda.353.2
Eleemoſynas faciendi matina.355.2
inter Elementa quæ pax & ordo. 113.2
Elementorum ſymbolicæ qualitates quæ.ibid.2
Epicuri diſciplina cur quàm cæterorum fuerit ſemper multo celebrior.147.2
Epicuri diſcipuli qui fuerint.148.1
Eſurire quid. 72.1
Eſurientes ac ſitientes iuſtitiam, quinam beati.ibid.
Eſurientium ſaturitas quæ 78.2
Eucharistia quibus deneganda.383.2
Eucharistiam Iudas proditor de manu Domini accepit. ibid.
Eucharistia cur dicatur panis ſuperſubſtantialis. 314.2 315.2
Eucharistia cur panis noſter dicatur.ibid.2
Eucharistiam qui dignè manducent. ibid.
Euchitarum nomen vnde 364.1
Euchitæ error ponitur.366.2
Exemplum mali paſtoris quàm efficax.151.2

F.

Fabri Stapulenſis error de iuramento.237.1
Fatue fratri dicere,quid. 203.1
Fiat voluntas tua,quid ſignificet in oratione Dominica.306.1
Ficus quid myſticè. 406.1
Fidei diuinæ & infuſæ fructus qui.71.2
Fidem iuſtificare quo ſenſu debeat intelligi. 73.1
Fides qualiter neceſſaria ad cordis munditiam. 96.2
Fidei effectus varij.118.1
Fides Chriſtianorum debet abundantior eſſe quàm Iudæorum,& cur.186.1.2
Fides ſine operibus qualis.414.2
Filiorum Dei appellatio quanta ſit.123.2
Filius propriè quis ſit. 124. 1
Filij Dei adoptiui qui. ibid.2
Filiationis naturalis quæ ſint conditiones.125.2
Filiorum Dei appellatio quo in honore apud antiquos fuerit, & qui illam vſurparint.127.2
Fiſcus Regius pulchrè lieni comparatur. 352.2
Flores pulchriores aliis humanis rebus.368.2
Fœnum ìrtica comparatur ab Auguſtino. 369.1
Fomitis labes quomodo delebitur.98.2
Formicæ prouidentia eximia.372.2
Fornicationem ſimplicem à Deo prohibitam, & quibus de cauſis. 55.1
Fornicatio ſimplex quæ ſit:& quod ſit, & ſemper fuerit illicita.214.2
Fornicatio impunis legibus humanis,cur.ibid.2
Fortitudinis quid proprium 143.2
Futurum pro Imperatiuo in Scriptura ponitur. 339.1

G.

Gehenna ignis quid ſit. 203.1
Generatio naturalis & legalis quæ legitima & illegitima.128.1
Gentiles aliqui iniurias pertulere. 269.1
Gloria cæleſtis cur terra nominetur. 67. 2
Gloria vana,quàm voluptas,cur expetatur magis ab hominibus natura ſua.145.2
Gratiæ bona duplicia. 22.1
Gulam quæ mala conſequantur.72.1

H.

HAEreſis Begardorum & Beguinarum quæ.102.2
Hæreſis negantium Deum videri poſſe, refellitur. 103 1
Hæreſis Manichæorum quæ.114.1
Hæreſes variæ de oratione.282.2
Hæreticorum contra Eccleſiæ ciborum delectum argumenta. 44.2
Hæreticorū error de imputatiua iuſtitia refellitur. 99.1
Hæreticos nulla ratione eſſe in Eccleſia tolerandos. 16.1
Hæretici appellantur à Chriſto ſpinæ. 405.2
Hæretici quomodò vera careant ſapientia. 406 2
Hæretici quomodò ab Eccleſia deficiunt.408.2
Hæreticorum peſſimi fructus.404.1
Herculis libido prodigioſa 219.2
Homicida grauiùs peccat, qui alterum iurare compellit. 246.1
Homicida quis propriè.194.1
Hominum quatuor genera regnum cælorum poſſidentia. 36.1
Homini quæ ſæpius recolenda.100.1
Homo vnde denominetur.115 2
Homo quàm inerme & imbecille animal.122.2
Homo homini dupliciter conſociatur. 248.2
Hominis duplex politia,& quæ.ibid.
Honor verus vnde tantum æſtimandus ſit. 270. 2
Honoris & laudis diuinæ fructus:& cur à nobis ea Deus requirat.170.1.2
Humani corporis excellentia quæ.92.1
Humanæ fragilitatis exempla.331.2
Humilitas quænam fugienda 61.2
Hypocriſis quantum vitium.405.1
Hypocrita quis. 276.1
Hypocritæ gaudium quale.405.1
Hypocritæ fiducia,cur aranearum telæ ſimilis,teſte Iob. ibid.2

I.

Ieiunium quo iure, & quare ſit inſtitutum. 340.1
Ieiunij magnam vim qui fuerint experti. ibid.
Ieiunium Quadrageſimale cur Chriſtus non præceperit. 339.1
Ieiunare qui teneantur. ibid. 2. & qui excuſentur. 344.1
Ieiunium quatenus diſpenſari queat. ibid.
Ieiunij lege obligantur ſenes ſexagenarij robuſti. 340.1
Ieiunij calumniatores hæretici quinam. 340.341.344.
Ieiunij commoditates permultæ ex Baſilio. 341.2
Ieiunium Quadrageſimale cur Verno tempore fuerit inſtitutum. 343.2
Ieiuniorum quot genera ſint. 345.1
Ieiunium Euangelicum quale ſit 346.2
Ieiunij boni conditiones quæ. 348.1
Ieiunij aduerſariorum argumenta retunduntur. 349.2
Ieſus quàm magnus Propheta. 6.1
Incarnationis Chriſti effectus qui. 150.2
Induciæ vnde dicantur. 112.2
Infideles an ſint ad Theologiæ ſcholas admittendi. 384.1
Inimici qui non ſint. 259.2
Inimici qui ſint. ibid. & 260.1
Inimici cur permittantur à Deo. ibid. 2.
Inimicos diligentes quomodo fiant filij Dei. 261.1.266.2
Inimicis parcentes cur deſpectui habeantur. 269.2
Inimicus quomodò vincendus. 270.2
Inimicis parcentes quid promereantur, & quæ ſalubriter orent. 325.1
Iniurias non vlciſci, magnanimi eſt: vlciſci, abiecti animi. 269.2.270.1
in Iniuria ventura quomodò ſe quis gerere debeat 62.1
Iniuriam proximo condonandam. 87.2
Intellectus humanus quare oculo comparatur. 357.2
Ioci Chriſtianorum quales. 48.2
Ioci puerorum quales. ibid.
Ira quid ſit, & vnde naſcatur. 60.2
Ira bona, atque laudabilis, quæ. 61.1
Iræ quinam effectus. ibid.
Ira vnde dicta: quid ſit, & cur ſit paſſio. 195.2.166.1
Iræ proprietates. 196.2.197.1
Iræ & odij differentia. 197.2
Ira poteſt eſſe mala & bona. 198.1
Ira per zelum, ſeu nemeſis, quid. ibid.
Iraſci fratri, quid. 200.2
Iracundorum mores qui. 61.1
Iracundi hominis deſcriptio. 64.1.
Iracundia quomodò mitiganda. ibid.
Iracundia eſt genus iræ. 198.2. Tres eius ſpecies. 199.
Iſocrates iuſiurandum coactum ob duas admittit cauſas. 240.2
Iudæi quo loco haberent cæteras gentes. 259.1
Iudæi & Sarraceni an poſsint doceri à fidelibus ius Ciuile, artemque Medicinæ. 384.2
Iudæi poſſuntne edocere Chriſtianos ſcientiam aliquam 384.2
Iudicium quale futurum immiſericordibus. 94.2
Iudicibus licet exigere iuramentum, contra Anabaptiſtas. 246.1
Iudicanda à Chriſto quatuor hominum genera. 182.1
Iudicibus quid tenendum. 195.1
Iudicio reum eſſe, quid. 201.1
Iudicia temeraria vnde ſint. 374.1
Iugum Domini cur dicitur ſuaue, cùm porta vitæ arcta in Euangelio voletur. 396.1
Iuramenti tacita conditio. 234.1
Iuramenti duplex etymologia. 336.1
poſt Iuramentum cur iura nullam aliam inquiſitionem permittant. ibid.
Iurantes per creaturas etiam per Deum iurare. 236.1
Iuramentum non eſſe per ſe bonum, & contra, vtrinque ſtatuitur. 238.1
Iuramentum quando licitum ſit, & quando illicitum. ibid. 2
Iuramentum cur Chriſtus omnino hic vetet. 238.2. & 240.2
Iuramentum à Domino non prohibitum, ſed tantùm eſſe conſilium, qui Patres doceant. 239.2
Iuramentum quomodo à Domino prohibitum ex aliis Patribus. ibid.
Iuramentum etiam per Deum Chriſtus prohibuit. 240.1
Iurare per cælum & terram, quid. ibid.
Iuramentum per Deum, cur nominatim non vetuit Chriſtus. ibid.
Iurandum omnino non eſſe, quid comprehendat. 241.1
Iurare per creaturas, cur Iudæi non putauerint eſſe iuramentum. ibid.
Iuramentum quanto minus conueniat Chriſtianis, quàm Iudæis. ibid.
Iuramentum eſſe illicitum, qui Patres ſenſerint. 342.1. & ſeq. & quomodò exponendi. ibid.
Iuramenti promiſſorij quinque conditiones. 343.2
Iuramentum incautum ſeruandum non eſt 344.1
Iuramenti etiam boni aſſiduitas quàm vitioſa & mala ſit. ibid.
Iuramenti religio quanta apud antiquos. ibid.
Iuramentum abuſiuè. ibid.
Iuramentum quando neceſſarium ſit. ibid. 2
Iuramenti exactio, cur ſemper malum pœnæ. 246.1
Iuramentum ex diabolo eſt dupliciter. 246.2
Iuſiurandi neceſſitas vnde. 235.2.236.1
Iuris naturalis communiſſima principia quæ. 392.2
Ius naturale quomodo ſeruatur. 394.1
Iuſtitia quid nomine ſit, & re. 69.2
Iuſtitia Moſayca qualis. 70.1
Iuſtitiæ præſtantia & excellentia. 69.2
Iuſtitia quotuplex. ibid.
Iuſtitia diuina quænam. ibid. 1
Iuſtitiæ deſiderium quale. 72.2
Iuſtitiæ ſitis & eſuries Chriſtianis quàm neceſſaria. 75.1
Iuſtitiam eſurientes & ſitientes cur beati. ibid.
Iuſtitiæ ſitis & eſuries vnde primùm excitetur. 77.1
Iuſtitiæ illuſtria cognomenta. 78.1
Iuſtitiæ quanta vis. ibid.
Iuſtitia diuina in malos quàm conueniens & iuſta. 138.2

L.

Labores amplectendos eſſe. 58.1
Labores tolerandi qui pro cæleſti beatitudine. ibid. 2
Labores cur Deus immittat nobis. 138.2
Lacryma cur ſic dicta. 37.2
Lacrymæ quæ. ibid.
Lacrymæ vnde fluant. ibid.
Lacrymæ cur homini tribuantur. ibid.
Lacryma pœnitentium quàm beatæ. 52.2
Lacrymarum mira efficatia. 53.1
Lætandum quando. 48.1
Lædentem licet corripere, & quomodò. 150.1
Legiſlatores Gentium à quibuſnam diis ſuas leges acceperint. 2.1
Legiſlatores Gentium multa ex Iudæorum legibus mutuati ſunt. ibid.

Legiſla

Legiſlatorum quorundam iniquæ leges. 2. 2
Legiſlatoris boni quod munus. 59. 1
Lex Euangelica vbi olim prænuntiata, atque præfigurata. 1. 1
Lex Euangelica cur ſcripto tradi debuerit. ibid.
Legis Euangelicæ rationem integram, & fuſius & peculiarius Matthæus proſecutus eſt. ibid.
Legis Euangelicæ diſtributio ſecũdùm Matthæum. ibid.
Lex Euangelica quibus rationibus cæteras antecellat. 3. & ſeq.
Leges quædam impudicæ & obſcœnæ Platonis. 3. 1
Lex Ariſtotelis quædam crudelis & obſcœna. ibid.
Leges Imperatorum quædam iniuſtæ. 4. 1
de Legibus Mahometi impuriſsimi quid ſentiendum ſit. ibid.
Legi Euangelicæ qua ratione mundus fuerit ſubditus. 5. 1
Legis Euangelicæ cum naturali & ſcripta collatio. ibid.
Lex Euangelica, cur lex Domini immaculata conuertens animas, &c. 5. 2
Lex Euangelica & temporibus, & perſonis maximè conuenit. 7. 2
Lex Euangelica quibus argumentis à Chriſto confirmata. ibid.
Lex Euangelica quanti nobis facienda. ibid.
Lex omnis ex tribus conſiderari debet. 9. 2
Legem Euangelicam quibus verbis Apoſtolus à Moſayca diſtinguat. 10. 1
Leges omnes cùm à Deo oriantur, cur non etiam à Deo ſuam autoritatem accipiant. ibid.
Legis Euangelicæ præſtantia. 10. 2
Legem Chriſti toti mundo fuiſſe tradendam. 11. 1
Lex Euangelica cur tardius data. 11. 2
Lex Euangelica cur in monte à Chriſto data. 14. 1
Legi cuicunque quæ inſint. 61. 2
Lex Euangelica vnde facillima, & difficillima videatur. 141. 1
Lex non reſiſtendi malo, tantùm eſt conſilium. 250. 2
Lex gratiæ diſſuadens propriam defenſionem, legi naturæ non repugnat. 251. 2
Legem non reſiſtendi malo, quàm integrè Chriſtus ſeruauerit. ibid.
Lex Euangelica quid reſpectu Moſaycæ. 155. 1
Legem quibus de cauſis dicat Chriſtus ſe non veniſſe vt ſolueret. 171. 2
Legis obſeruantiæ cur Iudæi Chriſtum notauerint. 172. 1
Legis cuiuſque finis. ibid. 2
Lex vnde dicatur, & quæ ſit potiſsima. ibid.
Legem ſoluere quid. 74. 1
Legem tranſgredi & ceſſare, quid. ibid.
Legem Chriſtus non ſoluit. ibid. & ſeq.
Legem Apoſtoli non abrogarunt, ſed deſiiſſe declararunt. 175. 1
Legis Moyſi moralia præcepta quatenus adhuc maneant. ibid. 2
Legem tribus modis Chriſtus impleuit. 175. 2
Legis mãdata quæ hominum genera ſoluant. 181. & ſeq.
Legem facere & docere, quid. 182. 1
Legis naturalis & Euangelicæ finis: & cur naturalis non habeat pœnas æternas. 219. 2
Lex naturæ quid. 226. 1
Lilia agri quomodò veſtiantur, vt in Euangelio dicitur. 368. 1
Lugentes quid vulgi iudicio. 37. 1
Lugere quid & quæ debeant. 42. 2
Lugentes qualem ciborum delectum obſeruent. 45. 1
Lugentes quibus induantur veſtimentis. 45. 1
Lugentium conſolatio qualis. 53. 2
Lugentes quibus de cauſis conſolationem recipiunt. 56. 1
Luctus quid. 37. 2
Luctus definitio. 38. 1
Luctus quatenus indifferens, & quando bonus. ibid.
Luctus malus quàm ſit homini pernicioſus. ibid.
Luctus immoderatus Chriſtianorum vanus, & cui ſimilis. 38. 2
Luctus bonus & ſanctus quis. 41. 1
Luctus peccatorum quomodò vtilis. 41. 2
Luctuoſam vitam cur non mandauit Iudæis Moyſes. 44. 2
Luctus & fletus inter ſe quid differant. 144. 1
Lumen gloriæ quàm efficax. 103. 1
Lumen gloriæ in beatis vnde maius, vel minus. ibid.
Lutheri impudicitia. 51. 2
Lucis præſtantia quæ. 156. 1
Lucis definitio quæ. ibid.
Lucis effectus qui. ibid. 2
Lucis encomium & laus. ibid.
Luci cur Deus comparetur. ibid.
Lucem inacceſsibilem Deum quomodò videre poſsimus. 168. 1
Luxuria vnde dicatur. 221. 2
Luxuria quàm ſit pernicioſa. ibid.

M.

Magiſtratus habent ius exercendi vindictam. 248. 1
Magnanimitas quid. 59. 2
Magnanimi quid proprium. 9. 1
Magnus, minimus, & medius, in regno cælorum qui. 179. 2
Malum pro malo non reddere, quid ſecundùm Auguſtinum. 253. 1
Mammona quid ſignificet. 362.
Mammona dicitur Deus diuitiarum. ibid.
Mammonæ & Deo quare non poſsimus ſeruire. 363. 2
Manichæorum de mala Deo hæreſis. 245. 2
Manichæorum ſimulata ſanctitas. 402. 1
Manſuetudo quid nomine & re. 59. 1
Manſuetudo quàm neceſſaria, & quibus. 58. 1
Manſuetudo cur tertium inter beatitudines locum teneat. 59. 1
Manſuetudo à clementia, epicheia, miſericordia & pietate quomodò diſtinguatur. ibid.
Manſuetudo ſuperbiæ & vindictæ motus reprimit. 59. 2
Manſueti & mitis hominis indicia. 60. 2
Manſuetudo animi quæ præſtet officia. 67. 1
Manuum impoſitio quid apud Apoſtolos. 323. 1
Margaritæ verbo Dei cur comparantur. 381. 1
Maritus quando debeat & quare non recipere vxorem dimiſſam. 230. 2
Martini mira miſericordia. 87. 1
Marcionis de coniugio mala ſententia. 233. 2
Matrimonij vinculum quouſque duret. 234. 1
Matrimonij onera quæ. 49. 1
Matrimonij fructus. 51. 1
Matrimonium quatenus ſanctum. ibid.
Matrimonij Chriſtiani vinculum inſolubile. 227. & ſeq.
Matrimonij Chriſtiani iuſtitia maior eſt matrimonij legalis. 229. 2
Mendicus cur ſit dictus. 25. 1
Mendici ſpiritu qui ſint. ibid.
Menſura bona, conferta, & coagitata, quid. 377. & ſeq.
Mericha Hebræorum quale ſacrificium. 205. 1

Meſſias cur manus Domini, & vnde nuncupetur. 6.1
Meterres vnde ſi. dicta 369.2
Mezchine vox quid. 25.1
Minima mandata quæ à Chriſto dicantur. 180.1. & ſeq.
Miſericordia quid nomine & re. 80.2
ad Miſericordiam quæ nos promptiores reddant. 81.1
Miſericordia quanta ſit virtus ibid. 2
Miſericordia quibus impendenda. ibid.
Miſericordia Dei quàm magna. 85.2
Miſericordia Dei quæ magna, & quæ parua dicatur ibid.
Miſericordiæ fructus. 87.1
Miſericordiæ munera & officia quæ. ibid.
Miſericordia quo iure miſeris debeatur. 88.2
Miſericordes Deo eſſe ſimiles. 91.2
Miſericordiæ præmium quale. 93.2
Miſericordiæ exempla. 94.1
Miſericordiæ effectus ibid.
Miſericordiæ opera ſpecialiter à Chriſto Domino cur nobis commendentur, & de illorum ratione reddenda moneamur. 94.2
Mites triplicis generis ſunt. 59.1
Mites & manſueti cur beati. 63.2
Mitium preces à Deo exaudiri 65.1
Mites quam terram poſſeſſuri. 66.1
Mites & clemens verè qui. 69.1
Mœchia Græcis quid. 214.1
per non Mœchaberis quid prohibuit Dominus. ibid.
Moloc idolum quale fuerit: eius aræ ſeptem conclauia 203.2
Mons Dei, mons pinguis, &c. qui myſticè. 14.1
Montaniſtæ heretici vnde ſic dicti. 398.1
Mors corporis qua ratione optanda inimico. 260.2
Mulier adultera virum relinquens qualis 234.1
Mundi nequitia quàm digna lacrymis. 42.2
Mundus corde qui. 96.1
Mundi corde cur beati. 100.1
Munditiam cordis quam poſtulet Chriſtus. 101.1
Munditiæ cordis cur Dei viſio promittatur. 106.1
Munera quibus, & à quo, & qua de cauſa danda. 254.1
Munus voluntarium alius quid. 205.1
Myſteria Fidei infidelibus quomodò proponenda. 384.1

N.

NAturæ opera oblectare magis quàm artis. 55.2
Nomen Dei quid ſit. 294.2
Nomina Dei ſunt decem apud Hebræos. ibid.
Nomine Dei in oratione Dominica quid intelligatur. ibi.

O.

OCcidere quid, & de quibus dicatur. 190.1
Occidere quando eſt licitum. ibid.
Occidere ſeipſum nemini licet, cur, neque damnatis ad mortem. 194.1
qui ſe Occiderunt propria autoritate, & quæ mulieres diuino, vt piè creditur, impulſu ibid.
Odium Iudæorum in alias gentes quale fuerit 257.
Offenſus erga offendentem quomodò ſe habere debeat 207.1
Oleo caput vngere ſolebant Iudæi. 347.2
Opera bona quatenus tota Dei ſunt, & noſtra 186.1
Opera cur dicantur bona, & cur dicantur noſtra, & quæ ſint iſta bona opera. 172.1
Orationis fructus 14.1
Orandi modum cur tradat Dominus, & non præceptum. 278.1
Oratio quid, & ad quem actum rationis pertineat ibid.
Orationis dignitas & excellentia. 278. 279 ibid.
Orandi communis modus apud Græcos, ibid.
Oraturus Deum, quale cubiculum intret. ibid.
Orare clam & ſecretò quibus conueniat. 280.
Orantes in templo cur Deus magis audiat, quàm extra. 280.1
Orationes publicæ cur fiant de more ad Orientem ibid.
Orationis aſſiduitas vbi moneatur à Domino. 281.2
Orantes cur prohibeantur multum loqui ibid.
Orationis vocalis quantus vſus in Eccleſia 282.2
Oratio eſt catena aurea è cœlo demiſſa 284.1
Orationem Dominicam cur Chriſtus doceat. 284.2
Oratio cur magis propria Noui, quàm Veteris ſit Teſtamenti ibid.
Oratio Dominica aliis cur præſtet. ibid.
Oratio cur debeat eſſe cum gratiarum actione. 192.1
Orationis Dominicæ diuiſio & ordo ibid.
Orationi Dominicæ cur non addat Eccleſia, Per Dominum noſtrum. 292.2. 293.1
Oratio Dominica quàm efficax ſeptem vitiorum capitalium medicina. 293.1
Oratio poſt communionem quàm accepta Deo 316.2
Oratio, ne incidamus in tentationem, cur fieri debeat. 327.2
Oratio Dominica viris ſpiritualibus accommodatiſſima. 292. & ſeq.
Oratio Dominica cur ad totam dirigitur Trinitatem. 298.1
Orationis vis & efficacia quanta. 387.1
Orationis neceſſitas 388.2
Orationis conditiones quæ & quot. ibid. 2
in Oratione quæ ſunt à Domino petenda. 389.2
Oratoris definitio. 415.1
Ordo ſacer quibus conferendus. 383.1
Ordo petitionis Dominicæ, Et ne nos inducas in tentationem. 328.2
Otium quale capiendum. 48.1

P.

PAcifici qui dicantur filij Dei. 116.2
Pacifici in quibus cognoſcantur. 117.1
Pacifica quæ neceſſaria. ibid. 2
Pacifici munus quod. 122.1
Pacifici cur filij Dei vocabuntur. 127.1
Panis quem petimus, ſpiritualis eſt 313.1. & ſeq.
Panis cur Chriſtus dicatur. 314 & ſeq.
Panis noſter cur dicatur Eucharistia. ibid.
Panem cur petamus à Deo. 316.1
Panem quotidianum qui non petant à Deo. 317.1.2
Panem quem à Deo petamus in oratione Dominica. 312. & ſeq.
in Parabolis quid maximè ſpectandum ſit. 210.1
Parentes quam debeant filiis inſtitutionem tradere. 90.1
Paſtores quomodo debeant lucere, 169.1
Patrem cur Deum appellemus: & de hac dignitate. 286.1 & ſeq.
Patrem Deum vocare, proprium eſt Chriſtianorum. ibid.
Patrem Deum vocare qui ſint digni. 288.2.
Paulus cur mendicauerit. 32.1
Paulus quem vocet ſtimulum carnis. 328.1
Pauperes ſpiritu qui ſint. 22.1
Paupertas quid. 21.2
Paupertas ſpiritus voluntaria duplex. 14.1
Paupertas Euangelica an mendicitatem includat. 25.1

Pauper-

Paupertas vnde dicatur. ibid.
Pauperes qui non beati. 26.1
à Paupertate cur Chriſtus initium ſumpſerit in ſermone. ibid.
Paupertatem quàm auerſati, & cur Iudæi. ibid. 2
Paupertas quorum vitiorum ſit impedimentum. 27.1
Paupertas Euangelica vbi tantùm ſita ſit. 33.1
Paupertati Euangelicæ rerum poſſeſſio in communi non repugnat. ibid.
Paupertas Euangelica neceſſariò eſt voto coniuncta. ibid.
Paupertatis ſpiritus præmium quantum. ibid. 2
Pauperes ſpiritu quomodo nunc regnum cœleſte poſſideant. 137.2
Pax quid nomine. 112.1
Pax quæ non bona. ibid. 2
Pax quibus in rebus inueniatur. ibid.
Pax quæ ſit ordinata, & inordinata. ibid.
Pax quotuplex. 113.1
Pacis commendatio ibid.
Pacis gradus qui. 114.2
Pacis quanta dignitas & excellentia. 115.2
Pax & concordia quàm potens. 116.1
Pax & quies animæ noſtræ, ex quibus augeatur maximè 119.1
Pacis cum Deo nobiſcum & cum aliis conciliatæ ſigna quæ. 121.2
Pax quanti à Chriſto in vita ſua æſtimata. 127.1
Peccata dimiſſa etiam lugenda. 41. 2
Peccata leuia quid nobis conferant. 42.1
Peccata leuia etiam lugenda. ibid.
ex Peccato quanta pernicies. 83.1
Peccati lethalis macula quàm turpis. 98.1
Peccati venialis macula cur fugienda. ibid.
à Peccato verè mundi & puri qui. ibid.
Peccator qualis peccando reddatur. 153.1
Peccatum ad mortem quod ſit 271.1
Peccata interna etiam prohibentur. 218.2. *& ſeq.*
Peccatores quæ eripiant Deo, & quomodo illa reſtituant. 320.1
Peccatum an aliquis non fecerit præter Chriſtum. 321.1
Pecuniarum incommoda 30.1
Pecuniæ quomodò obediant omnia. 354.1
Pecuniæ ſerui, dæmonis inferniæ, teſte Hieronymo. 362. 2
Periurium vbi ſcripturarum prohibeatur. 235.2
Periurium eſſe malum, aliqui hæretici negarunt. 236.1
Periurium à quibus facilè committatur. ibid.
Periurium aſſertorium & promiſſorium quàm graue. 343.1. *& ſeq.*
Periurij habitus an ſit peccatum 344.2
Periurij conſuetudo quomodò ceſſet. ibid.
Periuri qui ſint. ibid.
Permiſſio Scripturæ vbi denotet rem illicitam. 225.1
Perſecutio quid propriè 131.1
Perſecutio quàm tribulatio, cur magis ſit efficax. 140.1
Perſecutio quàm varia & multiplex 131.1
Perſecutionem patientes propter iuſtitiam, cur beati. 141.2
Petere in oratione quæ debeamus, vt ea accipiamus à Domino 287.2 390.1
Plinij iunioris de Chriſtianis honorificum teſtimonium. 7.2
Pluto deus cuius fuit, & cur dicatur regnare apud inferos 361.2.
Pœna damni in inferno quanta ſit. 400.2
Porta anguſta cœli quænam 394.1
Porta anguſta quomodò Chriſtus ſit, teſte Chryſoſtomo. ibid. 2.
Porta lata in Euangelio quænam illa. ibid.
Porta lata quæ ducit ad infernum, arctior eſt arcta, quæ ad vitam dirigit. 306.2
Poſſidere vnde dicatur 65.2
Præceptum non reſiſtendi malo, non eſt factum magiſtratibus 249.1
Præceptum eſt inimicos diligere. 266.1
Præpoſiti quomodo fratri offenſo ſatisfacient 206.1
Principes tam ſeculares, quàm Eccleſiaſtici qualem rerum curam habere debent. 364.1
Propheta propriè quis, & vnde dicatur. 398.1
Propheta falſus quis ille. 399.1
Prophetæ falſi proprietates. 400.1
Prophetare in nomine Domini, quid ſit. 409.2.
Proximi qui ſint. 255.2.
Publicani quale genus hominum. 263.1.
Pulſare in oratione quomodo debeamus 388.1.

Q.

QValem Veteris Teſtamenti Patres aduentum, qualem Noui Teſtamenti Patres expectent. 299.1
Qui optimè orent in oratione Dominica. 288. *& ſeq.*
Qui es in cœlis, *quid deſignet in oratione Dominica.* 289.1

R.

RAca vobis quatuor ſignificationes. 220. 2
Raca fratri dicere, quid. ibid. 2
Reconciliatio vnde dicatur. 204.2
Reconciliatio fraterna quando eſt præcepti, quando conſilij. 207.1
Rectè viuere, & nolle laudari, quid ſecundum Auguſtinum. 197.
Regere quid 110.1
Regnum quid. ibid.
Regni cælorum acceptiones variæ 33.2
Regnum cælorum quomodo conſequemur. 36.1
Regnum multiplex in Scriptura, & quid illud ſit. 299.1
Regna quæ Chriſtus deſtruxerit. ibid. 2. *& ſeq.*
Regnum rationis quàm tenue, & obſcurum. 300.1
Regnum quod à Deo petamus 304.1
Regnet nunc quomodò Chriſtus 303.2
Regnum Dei cur primo loco quærere debeamus. 370.1.2
Relapſi peccatores quales. 327.1
Religioſorum labores & exercitia quæ, & quàm aſſidua. 32.1
Religioſi cur redditus habeant. ibid. 2
Remedia aliquot Senecæ 39.2
Remiſſionis peccatorum varia ſigna. 324.
Repudium vxoris quondam in lege viro permittebatur, & cur. 222.2
Repudij libellus Hebræis quid erat. ibid.
Repudij libellus dabatur in manibus vxoris repudiandæ: & cur non continebat cauſas repudij. ibid.
Repudij libellus liber erat apud Romanos tã viro, quàm vxori: & eius forma. 223.1
Repudij cauſa idonea & efficax quæ nam erat. ibid.
Repudium Iudæis, ſicut alia multa, licitum erat diſpenſatione diuina. 224.1. *& ſeq.*
Repudium infidelibus qua ratione liceat. 225.
Repudium quatenus illicitum. ibid.
Reſiſtere malo quot modis ſumatur. 249.2

Sacer-

S.

SAcerdos qualem habeat poteſtatem dimittendi peccata. 383. 2
Sacerdotes cur Deus voluerit eſſe Doctores. 169. 1
Sacramenta quibuſnam cum fructu adminiſtranda, & quibus neganda 382.1
Salis nomen vnde. 149.1.
Sal vnde voſcatur ibid.
Salis ſignificata quæ. 149.2
Salis neceſſitas quæ. ibid.
Sal quanti habitum fuerit olim. ibid.
Salis proprietates quæ. 149.2
Sal cur Chriſti ſymbolum. Ibid.
Sal terræ cur paſtores nuncupentur. 151. 1
Sal infatuatum quàm ſit inutile 154.1
Sancti quantum apud Deum poſſint. 154.2
Sancti in Veteri Teſtamento per creaturas iurabant. 236. 1
Sanctum dare canibus in Euangelio quid. 380.1
Sanctificatio nominis Dei cur primo loco poſita in oratione Dominica 394.1. & ſeq.
Sanctificare in Scriptura quid. 295. & ſeq.
Sanctificandi Deum varij modi. ibid. & ſeq.
Scandalizantem nos dextrum oculum nobis eruere cur iubeat Chriſtus 220, 2. & non potiùs ſiniſtrum. ibid. & ſeq.
Scripturam ſacram veram eſſe, vnde probet Auguſtinus. 172.1
Scripturarum omnium clauis quænam ſit. 188. 2
Senecæ aliquot remedia. 39.2
Senecæ præclarum dictum de dilectione Dei erga malos 261 1
Sermonem Domini in monte à Matthæo & Luca relatum, eundem eſſe, multis oſtenditur. 8.1
Sermo Domini ſi vnus & idem fuit; quomodo in loco campeſtri & monte habitum fuiſſe dicatur, oſtenditur. 8. 2
Sermonem Domini turbas audiuiſſe, multis oſtenditur. 10.1
Sermo Domini in monte quò tendat. 18. 2
Seruire duobus dominis quare ſit impoſſibile in Euangelio. 362.1
Sex gradus conſiderandi in ſumenda vindicta. 250.1
Silentium ſeruandum Chriſtianis. 48.1
Sina mons quid 14 2
Siniſtra quando neſciat quid faciat dextera. 277.2
Sitire quid propriè. 72.1
Socrates cur dicat, à dijs bona tantùm eſſe petenda 283 1
Solis beneficia 261. 262
Solis & pluuiæ ſpiritualis ſignificatio 262. 2
Sollicitudinem quam ſolam nos habere hortatur Paulus 292. 2.
Somnus tria præſtat 46.1
Somni inter Chriſtianos abuſus. ibid.
Spes Chriſtianorum abundare debet. 186 2
Spes cur ab Apoſtolo dicatur galea ſalutis. 187. 2
Spes quibus rebus intendat, alat, ac ſuſtentet. ibid. 2.
Spem ſine fide conſtare non poſſe 119 1
Spinæ proprietates hæreticis aptantur. 405. 2
Spiritus quid, de quo: Beati pauperes ſpiritu. 21. 1
Spiritus malus quomodo dignoſci queat 273.1
Spiritus quomodo aduerſus carnem ſe debet armare. 397.1
Spiritus veri fructus quinam ſint. 406.1
Superbia quid. 59.2
Superbia quorum vitiorum caput. ibid.
Superbi cui ſimiles 76 1
Superior quanto dignus honore & reuerentia. 155.1

T.

TAlionis lex data à Deo Iudæis quæ. 241.1. 242.1
Talionis lex à Chriſto ſublata. ibid. 2
Talionis pœna quòd crimen modò puniatur. 241. 2
Temperantiæ munus quod. 143 2
Tentationibus quomodo reſiſtendum. 118.1
Tentationis finis. 329 1
Tentationes quæ ſint à dæmone. ibid.
Tentationis remedium. ibid.
Tentationes ſubire, quot modis fiat. 329.2
Tentationes quomodo homines adſciſcant ſibi. 330. 1
Tentationes carnis quomodo ibid. 2
Tentationes mundi quales. 331.1
Tentationum victoriam quomodo conſequemur. ibid. 2
Tepidi quæ ſigna animi. 176 1
Thabor mons quis. 13.1. 14.2
Thaletis de aqua opinio. 261.2
Theſaurizare in cœlo, quid. 352. 353
Theſaurizare in cœlo qua ratione valeamus 354.2
Theſaurus cœleſtis & terreſtris quàm variè cor noſtrum afficiant. 355 2
Tribulatio quorum remedium ſit. 139. 1
Tribulatio cui ſimilis. ibid.

V.

VEniam peccatorum cur iubeamur petere. 319.1
Verbum Dei quando vtiliter audiamus. 17.2
Verbum Euangelii cum loco comparatur. 158. 1
Veſtium inter Chriſtianos diſtinctio qualis. 46.1
Veſtes pretioſas quas ferre liceret Lacedæmonijs. ibid.
in Veſtitu quadruplex abuſus. ibid.
Victoria vera quænam. 270.2
Vindictæ appetitus, an ſit peccatum contra naturæ legem. 248.2
Vindicta à fortitudine & manſuetudine eſt diuerſa, & vbi collocanda. 249.2.
Virginitas quatenus Deo grata. 25.1
Virginitatem, ſeu cœlibatum coniugio præſtantiorem eſſe 50.2
Virtutis triplex gradus. 20. 2
Virtutis veræ conditiones quæ 78.2
Virtutis præmium nullum cur Ariſtoteles poſuerit. 91.1
Virtutis opus qualis conſequatur lætitia. 120.1
Viſio Dei qualiter ſit omnis virtutis præmium. 101.1
ad Viſionem Dei quid præter lumen requiratur. 104.1
Vita Chriſtiana quid. 43 2
Vocationi diuinæ terminum non præfigendum. 73.2
Voluntas quomodo ſe ad finem habeat. 97.2
Voluntatis actus ad finem qui. ibid.
Voluntas Chriſti quàm ſubiecta Patri 300.1
ex Voto opus factum, perfectius eſſe quàm ſine illo. 24.2
Vxorem fornicariam non admittendi cauſa. 231.1

FINIS.

99 96702